OHIO STATE UNIVERSITY LIBRARIES

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE
3e SÉRIE III. 2.

CLÉMENT VI

(1342-1352)

LETTRES CLOSES, PATENTES ET CURIALES

PUBLIÉES OU ANALYSÉES D'APRÈS LES REGISTRES DU VATICAN

PAR

EUGÈNE DÉPREZ

ANCIEN MEMBRE DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME
PROFESSEUR A LA FACULTÉ DES LETTRES DE RENNES

UNIVERSITY

Tome I

DEUXIÈME FASCICULE

Feuilles 1 à 35

ANCIENNES LIBRAIRIES THORIN & FONTEMOING
E. DE BOCCARD, ÉDITEUR
1, Rue de Médicis, 1
PARIS
—
1925

CLEMENTIS PAPÆ VI

EPISTOLAE PATENTES CLAUSAE ET DE CURIA

QUAE AD FRANCIAM PERTINENT

ANNUS PRIMUS[1]

1 Avignon, 20 mai 1342.

Clemens VI sibi reservat, pro minuendis expensis et oneribus cameræ apostolicæ usque ad duos annos, fructus et proventus unius anni beneficiorum vacantium et interim vacaturorum ad dispositionem dictæ Sedis spectantium. (Reg. Vat., 152, De Curia, n° I, fol. 6 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 9 r°. De Curia, n° I.)

« *Clemens episcopus servus servorum Dei. Ad futurum rei memoriam.* Dum necessitates multiplices —. Datum Avinione, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. »

2 Avignon, 20 mai 1342.

Gasberto, archiepiscopo Narbonensi, camerario suo mandat et committit ut thesaurario et ejus collectoribus et subcollectoribus faciat de dictis fructibus integraliter responderi juxta formam et tenorem reservationis prædictæ. (Reg. 152, De Curia, n° II, fol. 6 v°; — Reg. Vat. 214. De Curia, n° II, fol. 9 v°.)

« *Venerabili fratri Gasberto archiepiscopo Narbonensi, camerario nostro, salutem.* Dum necessitates multiplices —. Datum Avinione, ut supra. »

3 Avignon, 20 mai 1342.

Declarat prælaturas et beneficia per dominum papam Benedictum reservata et tempore obitus ejus vacantia, sic fore per ejus reservationem affecta, ut nullus præter Romanum pontificem possit de illis disponere quoquomodo. (Reg. 152, De Curia, n° VIII, fol. 9 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 14 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Dudum felicis recordationis —. Datum Avinione, XIII kalendas junii, anno primo. »

4 Avignon, 21 mai 1342.

Philippo VI, regi Franciæ, Benedicti papæ XII obitum suamque coronationem notificat. (Reg. Vat. 152. De Coronatione, n° I, fol. 1 r°. — Reg. Vat. 214, fol. 1 r°; — Theiner, *Vetera Monumenta historica Hungariam sacram illustrantia*, n° DCCCCLXX, pag. 647; — Raynaldi, *Annales ecclesiastici*, VI, 292.)

« *Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.* In precelso throno

[1] Les lettres secrètes de la première année de Clément VI n'existent point aux Archives du Vatican, et le registre en est aujourd'hui perdu. Celles que nous publions ci-après sont toutes des lettres curiales tirées de la série des lettres communes; les lettres secrètes ne commencent qu'avec la seconde année de Clément VI.

divini culminis sapientie altitudo, sublimitas potentie, ac prudentie plenitudo consistunt, et qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur et varientur creaturarum conditiones et status, aliaque gratiarum munera ineffabili providentia dispensentur, humani non capiunt intellectus. Supernus namque conditor in omnipotentia sua mirabili, dixit, et facta sunt,et que ipse voluit sunt creata, et perfectam habet, tanquam ille qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili et nonnunquam ponit humiles in sublimi, ac sacrosanctam ecclesiam catholicam, quam sibi caritatis inseparabilis dulcedine copulavit, salubriter dirigit et gubernat. Nuper siquidem felicis recordationis Benedicto papa XII, predecessore nostro, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri et diaconi sancte Romane Ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Romani Pontificis convenientes in unum, sancti spiritus, ut moris est, gratia invocata, quasi per inspirationem ipsius in nos, sicut divine clementie placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam apostolici culminis et subeundam gravissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tante dignitatis apicem obstuperemus assumi, eo quod impotencie nostre humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum, tandem sperantes in illo qui reddit suave jugum suum et onus leve illa portantibus patienter, ad ipsorum fratrum instantiam votis acquievimus eorumdem, et colla nostra submisimus humiliter jugo apostolice servitutis, et subsequentis benedictionis et coronationis nostre solempnia juxta morem in personis felicis memorie Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum hactenus observatum suscepimus, ad gratiarum fontem, de cujus accipiunt plenitudine universi pastoris videlicet eterni clementiam in humilitatis spiritu recurrentes, ut ipse non juxta nostrorum meritorum exigentiam, sed secundum sue superabundantiam pietatis debilitati nostre sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, ecclesie universalis honorem et statum, salutem, tranquilitatem fidelium, ipso cooperante, deferre ac in populis solicitudini nostre creditis, quarumlibet dissensionum ex eis amputata materia, ministrare bonum pacis, ad que nostra summe aspirat intentio, valeamus. Adicit quoque in hoc et aliis spei nostre suffragium tui specialiter et aliorum catholicorum consideratio principum, quos speramus sic ab illo, per quem reges regnant et potentes in suis regiminibus exercent justiciam, dirigi, quod ipsis per vias rectas nos juvantibus, grex dominicus cure nostre commissus, committentis virtute preambula ad eterna gaudia perducatur. Et quia, fili carissime, sicut nosti, inter alios reges et principes, dum nos minor status haberet, ad personam et regnum tua semper gessimus precipue dilectionis affectum, et erga te velut spirituale ipsius ecclesie brachium paterne dilectionis plenitudinem non solum continuare intendimus, sed augere, tibique et tuis subditis pacis et prosperitatis commoda indefesse solicitudinis studio procurare, serenitatem regiam rogamus in Domino et hortamur, quatenus Deum timens, in cujus manu cor tuum est et in ejus arbitrio vita tua, ipsius studeas custodire mandata, justitiam colere, ac diligere in omnibus equitatem, sciens quod ad hoc te hominibus nature tue participibus pretulit Dominus Deus tuus, et nichilominus in devotione sancte ecclesie tue matris, ad cujus defensionem accepisti principaliter a Domino gladii potestatem, nec non exaltationem catholice fidei, ecclesiarum defensionem ac conservationem ecclesiastice libertatis tua sublimitas semper crescat, ut ex hoc tibi augeatur in presenti gratia et gloria in futuro; illam de nobis spem certam et fiduciam habiturus quod tuam et regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, regalem magnificentiam oportunis curabimus, quantum cum Deo poterimus, fulcire favoribus ac dignis gratiis et honoribus prevenire. Datum Avinione, XII kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. »

5-8 Avignon, 21 mai 1342.

Johannæ reginæ Franciæ suam assumptionem ad apicem summi Apostolatus nunciat. (Reg. 152, nos XII-XV; — Reg. Vat. 214, fol. 2 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri salutem.* In precelso throno etc. ut in prima, usque valeamus. Quocirca rogamus tuam excel-

lentiam in Domino et hortamur ut sic nostra promotio tibi cedat ad gaudium quod in te innate devotionis spiritum excitet devotas fundendi preces ad Dominum, ut ipse qui tanti ponderis sarcinam nostris debilibus humeris imponi permisit, nobis eam ferre salubriter sua pietate concedat, et que pro nostra subditorumque salute humiliter petimus efficaciter assequamur. Ceterum, filia benedictionis et gratie, volumus quod celsitudo tua ad nos in quibus expediet fiducia filiali recuret, quia te, quantum cum Deo poterimus, prosequi favore intendimus oportuno. Dat. ut supra. »

In eodem modo... *Philippe regine Anglie illustri* —, *Sancie regine Sicilie illustri* —, *Elisabet regine Ungarie illustri.*

9-18 Avignon, 21 mai 1342.

Infrascriptis regibus suam coronationem notificat. (Reg. 152, nos II-IX, fol. 1 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 1 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Eduardo regi Anglie illustri.* In precelso throno etc. ut in proxima superiori, usque ad eterna gaudia perducatur. Quocirca rogamus celsitudinem regiam et obsecramus in Domino Jhesu Christo quatinus Deum timens etc. usque in finem. Dat. ut supra. »

In eodem modo *Roberto regi Sicilie* —, *Alfonso regi Castelle* —, *Philippo regi Navarre* —, *Hugoni regi Cipri* —, *David regi Scotie* —, *Cazimiro regi Polonie* —, *Johanni regi Boemie* —, *Karolo regi Ungarie* —, *Petro regi Aragonum.*

19-56 Avignon, 21 mai 1342.

Aymerico archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis suam electionem et coronationem significat. (Reg. 152, nos XVII-LVIII, fol. 2 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 2 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis salutem.* In precelso throno... usque valeamus. Universitatem vestram rogamus totis in Christo affectibus et monemus quatenus, imbecillitatem nostram ad tantum onus supportandum apud Deum specialibus et devotis orationibus ac sacris placationibus effundendis, per vos et subditos vestros, ad largitorem bonorum et gratiarum omnium roborantes, ipsius pro nobis misericordiam imploretis, ut ipse qui nos, licet immeritos, ad ecclesie sue sancte regimen, ut predicitur, evocavit, per beneplacita voluntatis sue in viam pacis dirigat gressus nostros, et favorem nobis celestis tribuat pietatis sueque benignitatis dignetur animum dare placabilem, et hujusmodi desiderium cordis nostri ad reformandum pacem et concordiam inter fideles ipsos quos pacis emulus incentor malorum omnium guerrarum turbinibus diutius pro dolor! lacessivit, implere le sua clementia consueta. Ita quod ex laboribus nostris, eo incrementum desuper largiente, regnis quies opulenta proveniat, pax ecclesiis ac concordia populis et moribus disciplina. Vos autem gregi dominico vobis commisso in quo vos dispensatio divina constituit, debitum officii pastoralis sic diligenter exsolvite[1], ut, cum princeps pastorum commissa quesiturus advenerit, dignam ei possitis reddere rationem. Ceterum de nobis indubitatam volumus vos tenere fiduciam per singulos vestrum tanquam principalia membra ecclesiastici corporis, in quantum Dominus dederit, oportunis curabimus fulcire presidiis et fraternis honoribus prevenire. Ceterum cum portitores hujusmodi literarum importuni quandoque consueverunt existere, ad munera postulanda, et diversis modis aliis onerosi, volumus quod latori presentium preter necessaria nichil penitus tribuatis, sed quod ipsi nostri perceptione premii sint contenti, quibus congrue intendimus pro eorum laboribus respondere. Datum Avinione, XII kal. junii, anno primo. »

In eodem modo venerabilibus fratribus : archiepiscopo *Turonensi* ejusque suffraganeis salutem —, *Senonensi* —, *Remensi* —, *Auxitano* —, *Bituricensi* —, *Bisuntino* —, *Lugdunensi* —, *Burdegalensi* —, *Tholosano* —, *Salernitano* —, *Panormitano* —, *Ravennatensi* —, *Consano* —, *Beneventano* —, *Pisano* —, *Capuano* —, *Barensi* —, *Montisregalis* —, *Compostellano* —, *Tholetano* —, *Eboracensi* —, *Gnesnensi* —, *Terraconensi* —, *Tarantino* —, *Bracharensi* —, *Strigoniensi* —, *Cusentino* —, *Tarantasiensi* —, *Cantuariensi* —, *Bremensi* —, *Coloniensi* —, *Salzeburgensi* —, *Magdeburgensi* —, *Brundusino* —, *Neapolitano* —, *Acherontino* —, *Ispalensi.*

1. Ms : *In quos; — exolvite.*

57 Avignon, 21 mai 1342.

Comiti Lancastriæ suam coronationem notificat. (Reg. 152, De coronatione, n° LIII, fol. 3 r°; — Reg. Vat, 214, fol. 5 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro comiti Lancastrie salutem.* In precelso throno etc., ut in prima usque perducatur. Ideoque nobilitatem tuam attente rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo quatinus, prudenter advertens quod omnis potestas est a domino Deo data, et quod ab eo potestatem in tuos subditos accepisti, sic illa uti ad suum beneplacitum studeas, quod in subditis ipsis vitia debitam exequendo justitiam comprimas, et ipsos premiorum exhortacione ad virtutes inducas, ac sanctam ecclesiam matrem tuam sic reverearis humiliter, et honores ac conserves, et manuteneas ecclesiasticam libertatem, quod tu, pacem diligens et conservans, populum tue ditioni subjectum reddas pro viribus domino acceptabilem, et bonorum operum sectatorem : illam de nobis gerens fiduciam, quod nos, qui prosperitatem tui status paterno zelamus affectu, eam non solum manutenere sed facultate succedente, tuis ad id concurrentibus meritis, promovere rationabiliter teneamur. Datum ut supra. »

58-93 Avignon, 21 mai 1342.

Infrascriptis suam coronationem notificat. (Reg. Vat. 152, n°s LI-LXXXX ; — Reg. Vat. 215, fol. 4 sq.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Scotie illustri.* In precelso throno etc. ut in prima usque valeamus. Quocirca rogamus tuam excellentiam etc., ut in illa que dirigitur Johanne regine Francie usque in finem. Datum ut supra. »

Isabelle regine Anglie illustri —, Eduardo duci Cornubie —, Alexie regine Cipri —, Marie regine Castelle et Legionis —, Marie regine Aragonum —, Constantie regine Majoricarum. — Dilecto filio Heliono de Villanova magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Dilectis filiis .. duci et communi Venetiarum Castellane diocesis, Dilecto filio nobili viro Alberto duci Carintie, Dilectis filiis .. potestati capitaneo prioribus et consilio ac communi civitatis Perusine, Dilectis filiis .. duci et communi civitatis Januensis, Dilectis filiis universis potestatibus et communitatibus per Campaniam et Maritimam constitutis, Dilectis filiis potestati, capitaneo, prioribus artium, vexillifero justitie, consilio populo et communi civitatis Florentine, Dilectis filiis .. potestati .. capitaneo et communi civitatis Pisane, Raymundo comiti Ampuriarum, Dilectis filiis universis potestatibus et communitatibus civitatum castrorum et aliorum locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia consistentium Ecclesie Romane fidelibus, Dilectis filiis universis potestatibus et communitatibus per ducatum Vallis Spoletane constitutis, Dilectis filiis universis potestatibus et communitatibus per provinciam Romandiole et comitatum Bretenori constitutis, Dilectis filiis universis potestatibus et communitatibus per Marchiam Anconitanam constitutis, Dilectis filiis nobili viro Tadeo de Pepulis gerenti administrationem jurium nostrorum fiscalium in civitate comitatu et districtu Bononiensibus ac communi universitati et populo Bononiensibus, Carissimo in Christo filio Guidoni regi Armenie, Venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharensi ejusque suffraganeis, Venerabilibus fratribus patriarche Constantinopolitano ejusque suffraganeis, Venerabilibus fratribus patriarche Aquilegensi ejusque suffraganeis, Venerabilibus fratribus universis episcopis per ducatum Spoletanum constitutis, Venerabilibus fratribus universis episcopis per Campaniam et Maritimam constitutis, Venerabilibus fratribus universis episcopis per provinciam Romandiole constitutis, Venerabilibus fratribus universis episcopis per Marchiam Anconitanam constitutis, Venerabilibus fratribus universis episcopis per patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutis, Dilectis filiis clero ac senatoribus et populo Romano, Venerabilibus fratribus archiepiscopo Cesaraugustano ejusque suffraganeis, Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri, Alfonso regi Portugalie, Beatrici regine Portugalie, Constantie regine Armenie.

91 Avignon, 31 mai 1342.

Cardinalibus Petro de Pratis vicecancellario Sanctæ Sedis, Prænestino episcopo, et Anibaldo de Ceccano Tusculano episcopo præcipit ut, propositis impendentibus rei christianæ cladibus, Philippum VI Franciæ et Edwardum III Angliæ reges ad pacem adducere studeant, et omnes qui impedimento sint, quominus concordia concilietur, intentatis censurarum ecclesiasticarum pœnis, reprimant, præstita fidei sacramenta et fœdera de urgendo bello dissolvant, irritaque pronuncient. (Reg. 152, De legatione, n° I, fol. 16 r°. — Raynaldi, *op. cit.*, VI, 293.)

« *Clemens episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Petro Penestrino Sancte Romane Ecclesie vicecancellario, et Anibaldo Tusculano episcopis, apostolice Sedis nuntiis, salutem et apostolicam benedictionem.* Salvator noster dominus Jhesus Christus princeps pacis et humane salutis amator, dolens originalem humani generis servitutem illudque sui aspersione sanguinis reconsilians Deo patri, ac misericorditer operatus in medio terre salutem, signanter ostendit fore preciosissimum donum pacis dum in ejus ortu illud ab angelis prenuntiari voluit bone voluntatis hominibus et in ipsius de mundo recessu suis discipulis dum ejus destituerentur corporali presentia quasi pro hereditatis glorioso censu reliquit; hoc est igitur felicissimum donum per quod Deo, cujus in pace factus est locus, ejus indissolubilis amoris unione conjungimur, hoc est donum gloriosissimum cujus consilia ineuntes ingentia gaudia subsecuntur; hoc est donum utilissimum conservativum societatis humane, beatificans regnantium solia et conservans in opulentia regnorum statum et etiam populorum, fugatis odiis, sedatis discordiis, opes augens, inopias relevans et prospera subministrans, quod quidem donum ipse rex pacificus, cujus sunt dona perfecta, volens suis subditis vicarie operationis ministerio conservare, ut eis mundi cursus suo ordine pacifice dirigatur, vicario suo in militanti ecclesia, gerenti apostolicam servitutem, commisit ut in eadem ecclesia gerens speculatoris officium pervigilis more pastoris invigilet et que ad pacem sunt commisso sibi gregi promoveat et scandalis, per [que] salus animarum periculosissime impeditur, sedandis intendat. Sane, sicut evidentia facti notoriat, hostis humani generis, pacis emulus, et dissensionum ac guerrarum non solum amator sed etiam suscitator, inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie et Eduardum Anglie reges illustres, et nonnullos alios principes et magnates, valitores auxiliatores, et sequaces eorum ac adherentes eisdem, gravis dissensionis materiam adeo bellicosis actibus et hostilibus congressionibus terrestribus et maritimis dure commovit, quod ex hujusmodi periculosa discordia, diversis vicibus et temporibus eorum constatis viribus in unum, hinc inde strages hominum, effusio sanguinis christiani, qui de terra clamat in celum, depopulationes et incendia locorum ac ecclesiarum destructiones, rapine, spolia, facultatum lapsus, subditorum exilia et oppressiones innumere, et quod deflendum est potius, animarum pericula, et infinita enormia scelera hinc inde, proh dolor! sicut est toti mundo notorium, sunt secuta; et quod pungit durius mentem nostram, reges, valitores, auxiliatores, sequaces, et adherentes predicti ad resumendos guerrarum congressus, et turbines graviores jam se preparant et disponunt; quodque, nisi hujusmodi eorum proposito, ne deducatur in factum, celeriter occurratur, sperantur ex iis multo graviora mala, scandala, pericula provenire. Nos igitur, licet immeriti, regis pacifici in terris vicarii constituti, ex injuncti nobis officii necessitate constringimur pro universo populo christiano vias pacis assidue cogitare, instando supplicationibus, et orationibus insistendo, ut ei Dominus pacis tempora tranquilla concedat, et contra undosas tempestates pelagi hujus mundi, ne fidelium naviculam obruant, discipulorum ejus exemplo Jesum omnium salvatorem precibus assiduis excitare ut imperet discordiarum fructibus, cessentque procelle fluctuantium odiorum et discrimina guerrarum, ad id operatrices manus solicite apponendo. Et licet cunctis Christicolis, ac Christicolarum singulis regionibus Deo et apostolice Sedi devotis, in iis nostre diligentie studium debeatur, nosque ad ipsas libenter possibilitatis nostre ministerium extendamus, tamen, quanto prefatos Francie et Anglie reges, ac inclyta ipsorum regna apostolici pectoris in singularitate precipue dilectionis habemus, et precordialius gerimus in visceribus charitatis, circa prosperum statum eorum fervor vehementius nostre mentis exuberat, et ad tranquillitatem eorum totis viribus procurandam cum affectionis plenitudine singularius cogitamus; propter guerras predictas, que quotidie nimium invalescunt, animus noster dolet non immerito vehementer; et eo potius intima nostri cordis amaricant acerbius, et durioris punctionis aculeo affligunt, quo periculosas hujusmodi discordiarum, et guerrarum circumstantias nobis intensioris considerationis discussio efficacius representat. Attendimus etenim paterne solicitudinis studio incommoda immensa, que ingerunt, et commoda piaque Dei negotia, que impe-

diunt, et utinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex talibus discordiis atque guerris non solum Babylonicus hostis, sed et alii reges et reguli Agareni de partibus Africe ad occupandas terras christianorum, et religionem christiani nominis extinguendam sumpserunt, sicut facti experentia docuit, audaciam transfretandi, et quod continue acriores solito et perniciosiores molestias inferre christianorum regibus atque regnis et populis machinantur? Quis etiam quantumlibet studiosus concipere poterit, quantum tantorum principum, tanta sanguinis propinquitate et affinitate junctorum, perniciosa et, proh dolor! inveterata dissensio, si invalescat ulterius, et hostilis congressio, christiani sanguinis hauriet, prout exhausit! quas hominum strages ingessit et ingeret, que animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam et producet, quot profluvia sumptuum, et expensarum abyssos tantorum principum horribilis gravisque commotio, et ejus prosecutio exegerunt hactenus et exigent incessanter? Volentes igitur sic perniciosis obviare periculis, eisque congruum, quantum nobis ex alto conceditur, remedium adhibere, cum ad nos, qui licet insufficientibus meritis potestatis plenitudine fungimur desuper nobis concesse, singulariter pertineat in universali ecclesia, cunctave congregatione fidelium pacem querere, ac ipsam facere diligentius observari, ad vos viros laudande virtutis scientia, et innata prudentia preditos, cultores justicie, sedulos pacis amicos, et concordie zelatores, licet vestra presentia nobis et apud nos ecclesie universali perutili careamus inviti, nostre convertimus deliberationis intuitum; vosque pro vestrarum consideratione virtutum, vobis a Domino in abundantia concessarum, ad predicta Francie et Anglie regna, ipsorumque terras, tanquam pacis angelos de fratrum nostrorum consilio pro hujusmodi tractanda et perficienda, concedente pacis auctore, optata pace atque concordia inter eos providimus destinandos; firma tenentes fiducia quod actus vestros, illo dirigente qui novit prava in directa et aspera in vias planas convertere, per vestre circumspectionis industriam, pretactis periculis et discriminibus laudabiliter et utiliter poterit obviari. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta de fratrum predictorum consilio committimus et mandamus, quatinus prudenter attento quod ad negotium tam insigne tamque premissis attentis periculis insidens cordi nostro vos confidenter duximus eligendos, vos ad regna et terras predicta personaliter conferentes, reges nec non valitores, auxiliatores, sequaces, et adherentes predictos, dictis periculis, discriminibus, atque dannis recitatis eisdem, ad pacem et concordiam juxta datam vobis ex alto prudentiam solicitis monitis et efficacibus persuasionibus inducatis, ut, faciente pacis auctore, per ministerium vestrum juxta desiderium nostrum inter reges ac valitores, auxiliatores, sequaces et adherentes eosdem cesset discordia, regnetque concordia, quies veniat, et pax resurgat ad Dei honorem et gloriam, animarum profectum, robur fidei, et exaltationem populi christiani. Ut autem in tanto negocio, Deo presule, prosequendo et efficaciter exequendo quorumlibet impedimentorum tollatur occasio, dissolvendi, vacuandi irritandi et revocandi omnes pactiones obligationes, confederationes et colligationes ab ipsis et quibuslibet aliis cum quibuscunque regibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus...,usque compescendi. Non obstantibus etc. plenam et liberam vobis tenore presentium concedimus facultatem : quod si forte vestrum aliquem contigerit impediri, ut hiis exsequendis interesse insimul non possitis, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Ita tamen quod hujusmodi impedimento [durante] premissorum executioni ambo pariter intendatis. Datum Avinione, II kalendas junii[1], anno primo. »

[1] Ms. : Julii.

95 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus scribit super eodem negocio, et mandat ut hortentur dictos reges et alios dissidentes ut inter se treugas ineant usque ad certum tempus duraturas, et dat eis potestatem ut, si alter eorum sit impeditus in præmissis exsequendis, hujusmodi impedimento durante, alter per se exsequi possit. (Reg. 152, De leg., n° II, fol. 16 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Quanto desideremus affectum — Dat. ut supra. »

96 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indicendi treugas ad certum tempus, arbitrio eorum moderandum, inter reges eosdem, et indictas eisdem regibus notificandi ac solenniter publicandi, et in infringentes eas excommunicationis et in eorum terras interdicti sententias promulgandi et alia faciendi quæ circa id fuerint oportuna facultatem concedit. (Reg. 152, n° III, fol. 17 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Quanto desiderenus affectum. —. Dat. ut supra. »

97 Avignon, 31 mai 1342.

Mandat eis ut moneant et inducant ad id regem Angliæ, ut officiales, ministros et familiares faciat desistere ab oppressionibus et molestiis quas, contra libertates ecclesiasticas, intulerunt cardinalibus et aliis personis ecclesiasticis super beneficiis et juribus eorum, et attentata revocent et ad statum debitum reducant, ac dictos nobiles officiales et alios per censuram ecclesiasticam ad hoc compellant. (Reg. 152, n° IIII, fol. 17 v°; — Raynaldi, *Ann. Ecc.*, VI, 297.)

« *Eisdem cardinalibus*. Laudanda magne prudentie —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

98 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus mandat ut in partibus Angliæ libertatem ecclesiasticam labefactam ob bellicos fragores restaurare curent. (Reg. 152, n° V, fol. 18 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Laudanda magne prudentie vestre virtus etc. ut in supra proxima superiori, usque instantiam studeatis. Illam in premissis solicitudinem impensuri, quod persone et ecclesie sepedicte, vestre operatione virtutis, a tantis oppressionum relevate jacturis, plene quietis dulcedine potiantur et in statum debitum restauretur integritas ecclesiastice libertatis; nosque preter eterne retributionibus mercedem quam exinde prudentia circumspectionis vestre merebitur, diligentiam quam in hac parte duxeritis adhibendam dignis in Domino laudibus attollamus. Dat. ut supra. »

99 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus potestatem simili modo concedit monendi regem Franciæ ut officiales et alios subditos regios a prædictis oppressionibus cessare faciat, et attentata ad statum debitum revocet. (Reg. 152, n° VI, fol. 18 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Laudanda magne prudentie vestre —. Datum Avinione, II kalendas junii, anno primo. »

100 Avignon, 31 mai 1342.

Eosdem officiales et ministros, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam vel alias pœnas aut sententias compellendi eisdem cardinalibus potestatem concedit. (Reg. 152, n° VII, fol. 19 r°.)

« *Eisdem cardinalibus salutem*. Laudanda magne prudentie. — Dat. ut supra. »

101 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus concedit potestatem exercendi per se vel per alios censuram ecclesiasticam contra quascunque personas ecclesiasticas et sæculares quæ in prosecutione dictorum negotiorum dictis cardinalibus contradictores extiterint vel rebelles. (Reg. 152, Leg., n° VIII, fol. 19 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad regna —. Dat. Avinione, II kalendas junii, anno primo. »

102 Avignon, 31 mai 1342.

Facultatem eisdem concedit, universis personis ecclesiasticis ac universitatibus civitatibus et comunitatibus præcipiendi et inhibendi ne regnum Franciæ per terram vel per mare offendere ac propter hoc recipere vel exhibere stipendia, aut galeas vel alia vasa navalia dare, commendare vel locare, aut quocunque titulo concedere præsumant, et in eos, qui hujusmodi inhibitionem infregerint, sententias excommunicationis et interdicti promulgandi. (Reg. 152, De Curia, n° IX, fol. 19 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Inter cetera quorum. — Datum Avinione, II kalendas junii, anno primo. »

103 Avignon, 31 mai 1342.

Similis potestas eis conceditur in regno Angliæ. (Reg. 152, n° x, fol. 20 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Inter cetera quorum nos —. Dat. ut supra. »

104 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus dat potestatem cohibendi per censuram ecclesiasticam et alias pœnas necessarias quoscunque religiosos qui in prædicationibus vel sermonibus aliqua dicere vel agere præsumerent, per quæ dicta negotia impediri vel retardari possent aut quæ regnorum prædictorum prospero statui nocerent. (Reg. 152, n° xi, fol. 20 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie et Anglie —. Dat. ut supra. »

105 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem potestatem concedit relaxandi pœnas et sententias supradictas, si contradictores et rebelles contra quos latæ fuerint, dictorum cardinalium paruerint monitionibus intra negotiorum prosecutionem. (Reg. 152, n° xii, fol. 20 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie et Anglie —. Dat. ut supra. »

106 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut omnia quæ eis in dictis regnis sub quavis forma concessa fuerint, in terris alligatorum seu confœderatorum exercere ac exsequi libere valeant. (Reg. 152, De leg., n° xiii, fol. 20 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum pro summovenda periculosa discordia et dampnosa toti populo christiano, inter carissimos in Christo filios nostros, Phylippum Francie, et Eduardum Anglie reges illustres, eorumque auxiliatores, sequaces, et valitores ac adherentes eisdem, jamdudum pacis emulo procurante, suborta, necnon pace et concordia inter eos, auctore domino, reformandis, vos, velut pacis angelos, ad Francie et Anglie regna specialiter destinemus, ac vobis et cuilibet vestrum pro efficaciori promotione negotiorum hujusmodi et eorum expeditione felici, multas et diversas tam gratiarum quam alias concessiones in ipsis regnis fecerimus et alia multa commiserimus exequenda, prout in diversis nostris litteris inde confectis plenius et seriosius continetur : nos, personas vestras ut principes, duces, marchiones, comites et barones et nobiles quoscunque, cum eisdem regibus occasione dicte discordie alligatos seu confederatos, eorumque subditos possitis specialium largitione munerum nobis et Sedi Apostolice reddere plus devotos et invenire ad pacem et concordiam hujusmodi promptiores, amplius honorare volentes, vobis et cuilibet vestrum apostolica auctoritate concedimus, ut omnia et singula per nos vobis et vestrum cuilibet in eisdem regnis sub quavis forma concessa et exequenda commissa, in terris villis et locis quibuscunque alligatorum seu confederatorum ipsorum in omnibus et per omnia exercere ac exequi perinde libere valeatis, ac si ea omnia et singula vobis in terris villis et locis alligatorum seu confederatorum eorumdem sicut in eisdem regnis concessa et exequenda commissa per ipsas alias nostras litteras specialiter extitissent. Nulli ergo etc. Dat. ut supra. »

107 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eisdem cardinalibus potestas assumendi et retinendi ad sua obsequia et sub sua obedientia quoscunque et quotcunque voluerint fratrum Prædicatorum, Minorum, et aliorum quorumcunque ordinum. (Reg. Vat. 152, n° xiiii, fol. 20 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie et Anglie —. Dat. ut supra. »

108 Avignon, 31 mai 1342.

Cum Petrum Penestrinum Sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarium et Anibaldum Tusculanensem episcopos nuncios ad regnum Anglie pro magnis et arduis negociis destinet, universas personas ecclesiasticas regni Angliæ rogat ut dictos nuncios benigne recipiant et honorifice tractent. (Reg. Vat. 152, n°s xv et xvi, fol. 20 v°.)

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus eorumque vicesgerentibus et aliis personis ecclesiasticis religiosis et secularibus exemptis et non exemptis, Cisterciencis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Beate Marie Theotonicorum et Calatravensium magistris et preceptoribus et aliis personis ecclesiasticis per regnum Anglie constitutis salutem.* Cum nos venerabiles —. Dat. ut supra. »

109 Avignon, 31 mai 1342.

Simili modo rogat personas ecclesiasticas regni Franciæ ut cardinales benigne recipiant, ipsisque pareant ac studiis oportunæ sollicitudinis diligenter assistant. (Reg. Vat. 152, n° xvii, fol. 21 r°.)

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis etc. ut in proxima superiori usque et aliis personis ecclesiasticis per regnum Francie constitutis salutem.* Cum nos venerabiles..., ad regnum Francie. Dat. ut supra. »

110 Avignon, 31 mai 1342.

Infrascriptis mandat ut præfatos nuncios circa laudabilem prosecutionem et votivam expeditionem negotiorum oportunis consiliis et auxiliis assistere velint. (Reg. 152, De Leg., n° xviii, fol. 21 r°.)

« *Dilectis filiis universis principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus necnon universitatibus seu communitatibus ac populis civitatum, castrorum, terrarum et aliorum quorumcunque locorum per regnum Anglie constitutis salutem.* Cum nos venerabiles —. Dat. ut supra. »

111 Avignon, 31 mai 1342.

Infrascriptis mandat ut dictos cardinales benigne recipiant et si opus sit, eis provideant de securo conductu ac de vectionibus oportunis. (Reg. 152, n° xix, fol. 21 r°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc... et Calatravensis ad quos presentes littere pervenerint salutem etc.* Cum venerabiles fratres — Dat. ut supra. »

112 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus dat potestatem compellendi prælatos quoscunque ut provideant nuntiis Sedis apostolicæ. (Reg. Vat. 152, n° xx, fol. 21 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad regna Francie et Anglie —. Dat. ut supra. »

113 Avignon, 31 mai 1342.

Dat eisdem potestatem convocandi quoscunque prælatos vel alias personas ecclesiasticas sæculares et religiosas regnorum Franciæ et Angliæ ac eis imponendi et injungendi quæcunque pro expeditione negotiorum ipsis commissorum viderint expedire, ac rebelles et inobedientes per censuram ecclesiasticam compellendi. (Reg. Vat. 152, n° xxi, fol. 21 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie et Anglie —. Dat. ut supra. »

114 Avignon, 31 mai 1342.

Dat eisdem potestatem exercendi censuram ecclesiasticam contra quascunque personas ecclesiasticas et sæculares quæ familiaribus ipsorum injuriam intulerint nec eis ac dictis familiaribus satisfacere curaverint. (Reg. 152, n° xxii, fol. 21 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. ut supra. »

115 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut ipsi et eorum familiares possint loqui et participare cum excommunicatis in et super iis, ex quibus felicior prosecutio negotiorum eis commissorum sperabitur provenire. (Reg. Vat. 152, n° xxiii, fol. 21 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. ut supra. »

116 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem dat potestatem compellendi quoslibet prælatos et alias personas ecclesiasticas regulares et sæculares ad contribuendum et solvendum procurationes debitas. (Reg. Vat. 152, n° xxiiii, fol. 21 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad regnum Francie — Dat. ut supra. »

117 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus concedit ut, statim ipsis Romanam curiam exeuntibus, sit eis super omnibus et singulis eis commissis perpetua potestas et jurisdictio attributa, ac si super illis processus habitus extitisset. (Reg. Vat. 152, n° xxiiii *bis*, fol. 21 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. ut supra. »

118 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus et cuilibet eorum indulget ut cum eos vel eorum alterum in solennitatibus colloquiis et congregationibus publicis contigerit proponere Verbum Dei, possint præsentibus unum annum et quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxare. (Reg. 152, n° xxv, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. ut supra. »

119 Avignon, 31 mai 1342.

Eis indulget ut, quoties per eos proponere vel in præsentia eorum per alium proponi contigerit Verbum Dei, in missarum solenniis, in quibus interesse eis contigerit, omnibus vere pœnitentibus qui hujus propositionibus et missarum solenniis interfuerint reverenter, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis possint misericorditer relaxare. (Reg. 152, n° xxvi, fol. 22 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. ut supra. »

120 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut quibuscunque personis religiosis quorumcunque ordinum ad hospitia eorum sive curiam venientibus vescendi carnibus et aliis cibis quos eis in dictis hospitiis vel curiis ministrare contigerit, hujusmodi prosecutione negotiorum durante, licentiam valeant liberaliter largiri (Reg. Vat. 152, n° xxvii, fol. 22 r°).

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos etc. usque destinemus. — Dat. ut supra. »

121 Avignon, 31 mai 1342.

Eis indulget ut quandocumque voluerint, aliquos presbiteros sæculares vel regulares in confessores eligere valeant, qui confessione audita, injungant pro peccatis commissis salutarem pœnitentiam et beneficium absolutionis (Reg. Vat. 152, n° xxviii, fol. 22 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

122 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus hoc privilegium concedit ut possint familiaribus confessores concedere (Reg. 152, n° xxviiii, fol. 22 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

123 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut possint familiaribus semel in mortis articulo concedere plenam absolutionem peccatorum (Reg. Vat. 152, n° xxx, fol. 22 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

124 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus audiendi per se seu sacerdotes quos ad hoc duxerint eligendos confessiones, et confessis injungendi pro modo culpæ pœnitentias salutares eisque absolutionis beneficium impendendi facultatem concedit. (Reg. 152, n° xxi, fol. 22 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

125 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut possint ducere tot vectiones quot pro commissis eis negotiis exsequendis viderint expedire. (Reg. 152, n° xxxii, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

126 Avignon, 31 mai 1342.

Eis concedit ut possint missarum solemnia antequam dies illucescat licite celebrare vel facere celebrari (Reg. Vat. 152, n° xxxiii, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

127 Avignon, 31 mai 1342.

Eis indulget ut in locis interdictis, apertis vel clausis januis, pulsatis et non pulsatis campanis, alta seu submissa voce, possint divina officia celebrare et facere celebrari. (Reg. Vat. 152, n° xxxiiii, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

128 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut si invenerint aliquas litteras apostolicas esse falsas, possint eas et quidquid occasione illarum attentatum fuerit, revocare, et contra fabricatores earum et scienter utentes eis hujusmodi falsitate noxios procedere juxta canonicas sanctiones.(Reg. 152, n° xxxv, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

129 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut possint absolvere clericos et laicos qui pro incendiis ecclesiarum excommunicati sunt, etiam si per ordinarios nunciati fuerint excommunicati, dumtamen illis injuriam et damna passis satisfaciant competenter. (Reg. 152, n° xxxvi, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

130 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem dat potestatem absolvendi per se vel per alios incolas regnorum prædictorum qui propter violentam manuum injectionem in clericos et personas ecclesiasticas, citra tamen membrorum mutilationem vel mortem ac captionem vel incarcerationem ipsorum, excommunicationis sententiam incurrerunt. (Reg. 152, n° xxxvii, fol. 22 v°.)

131 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eis potestas absolvendi illos qui sunt excommunicati per judices a Sede Apostolica delegatos vel subdelegatos ab eis, dummodo super hiis pro quibus excommunicati sunt satisfaciant competenter. (Reg. 152, n° xxxviii, fol. 22 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

132 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eisdem potestas per se vel per alios ecclesias et cimiteria consecrandi et reconciliandi. (Reg. 152, n° xxxviiii, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

133 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut possint illis qui pro constructionibus ecclesiarum, centum, hospitalium vero et pontium reparationibus ac subventione infirmorum et pauperum manus porrexerint adjutrices quadraginta dies de injunctis eis pœnitenciis relaxare (Reg. Vat. 152, n° xl, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

134 Avignon, 31 mai 1342.

Dat eis potestatem dispensandi cum personis ecclesiasticis ipsorum regnorum etiam in sacerdotio constitu-

tis super irregularitate, si quam contraxerint, suspensi a divinis pro eo quod benedixerint secundis nuptiis se divinis officiis immiscendo. (Reg. Vat. 152, n^os xli et xliii, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

135 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eis potestas dispensandi cum prælatis et aliis personis ecclesiasticis super irregularitate si quam contraxerint, ferendo in alios excommunicationis sententiam sive scriptis, nec abstinendo propter hoc a divinis (Reg. Vat. 152, n° xlii, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

136 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem datur potestas dispensandi cum personis ecclesiasticis super irregularitate quam pro eo incurrerint quod ab archiepiscopis et episcopis vinculo excommunicationis astricti ignoranter ordines receperint ac ministraverint in illis, seu divina officia celebraverint aut se eis immiscuerint. (Reg. 152, n° xliiii, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra ».

137 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eis potestas dispensandi cum personis ecclesiasticis sæcularibus et religiosis super irregularitate quam contraxerint ex eo quod excommunicate receperint ordines aut ministraverint in illis. (Reg. 152, n° xlv, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

138 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eis potestas dispensandi cum centum sæcularibus vel clericis de soluto genitis et soluta, et quod non obstante defectu illi possint ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere. (Reg. 152, n° xlvi, fol. 23 r°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

139 Avignon, 31 mai 1342.

Datur eis potestas dispensandi super defectu natalium cum decem personis de presbitero et soluta vel in adulterio genitis. (Reg. 152, n° xlvii, fol. 23 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

140 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit potestatem commutandi vota personis regnorum prædictorum, quæ impedimento perpetuo præpeditæ ipsa nequeunt adimplere, in alia opera pietatis, certis votis exceptis. (Reg. 152, n° xlviii, fol. 23 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

141 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem dat potestatem dispensandi cum decem viris et totidem mulieribus regnorum prædictorum quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctis, qui hujusmodi impedimentum ignorantes, matrimonium invicem contraxerant. (Reg. 152, n° xlviiii, fol. 23 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

142 Avignon, 31 mai 1342.

Dat eis potestatem convocandi capitula dictorum regnorum ad celebrandam electionem (Reg. 152, n° l, fol. 23 v°.)

« *Eisdem cardinalibus*. Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

143 Avignon, 31 mai 1342.

Infrascripto indulget ut possit concedere tabellionatus officium viginti quinque clericis. (Reg. 152, n° li, fol. 23 v°.

« *Venerabili fratri Petro Penestrino, Sancte Romane Ecclesie vicecancellario, Apostolice Sedis nuncio salutem.* Cum te et venerabilem —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

114 Avignon, 31 mai 1342.

Simile privilegium Anibaldo episcopo Tusculano conceditur. (Reg. 152, n° LII, fol. 24 r°.)

« *Venerabili fratri Anibaldo episcopo Tusculano A. S. nuncio.* Cum te et venerabilem —. Dat. ut supra. »

115 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem cardinalibus indulget ut a clericis et personis ecclesiasticis regnorum Franciæ et Angliæ ac partium vicinarum beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam dignitates, personatus et officia minus canonice detinentibus, possint resignationes hujusmodi beneficiorum recipere et fructus exinde indebite perceptos eis remittere et super inhabilitate cum eis dispensare et ipsos habilitare et eorum singulis singula ex beneficiis per eos resignatis etiam curata et reliqua singula singulis personis idoneis conferre. (Reg. 152, n° LIII, fol. 24 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum sicut accepimus —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

116 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem indulget ut, negotiorum eis commissorum prosecutione durante, capellani et clerici eorum obsequiis insistentes possint percipere fructus beneficiorum. (Reg. 152, n° LIIII, fol. 24 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

117 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem dat potestatem faciendi ministrari modo prædicto dictis capellanis et clericis fructus beneficiorum et contradictores per censuram ecclesiasticam compescendi. (Reg. 152, n° LV, fol. 24 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Nuper vobis et cuilibet —. Dat. ut supra. »

118 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut a decem clericis secularibus vel regularibus possint recipere resignationes beneficiorum et ea personis aliis idoneis conferre. (Reg. 152, n° LVI, fol. 24 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

119 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut omnia beneficia ecclesiastica capellanorum et clericorum eorum commensalium cedentium vel decedentium, etiam si dignitates personatus aut officia existant, cum cura vel sine cura, personis idoneis de quibus eis videbitur conferre possint. (Reg. 152, n° LVII, fol. 25 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

150 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem dat potestatem conferendi personis idoneis beneficia ecclesiastica vacantia et vacatura in dictis regnis Franciæ et Angliæ consistentia, cum cura vel sine cura, apud Apostolicam Sedem vel alibi quocunque modo, etiam si eorum collatio seu quævis alia dispositio ex reservatione speciali vel generali dictæ Sedis ad sedem ipsam quomodolibet pertineret, quæ ad decimam minime sunt taxata, necnon illa quæ ad decimam sunt taxata, dummodo singulorum beneficiorum ipsorum fructus redditus et proventus quindecim libras turonensium parvorum secundum taxationem decimæ valorem annuum non excedant. (Reg. 152, n° LVIII, fol. 25 r°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad Francie —. Dat. Avinione ut supra. »

151 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut, si aliqui clerici regulares et sæculares, canonicatus et præbendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura obtinentes, etiam

si personatus vel dignitates existant, voluerint beneficia ipsa in eorum manibus resignare, possint hujusmodi resignationes recipere ac de beneficiis ipsis personis idoneis providere. (Reg. 152, n° LVIIII, fol. 25 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

152 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit potestatem, ut beneficia cum cura vel sine cura in dictis regnis vacantia et prosecutione dictorum negotiorum durante vacatura, quæ tanto tempore vacaverint quod eorum collatio juxta Lateranensis statuta concilii sint ad Sedem Apostolicam devoluta, possint personis idoneis conferre, prout eis videbitur faciendum. (Reg. 152, n° LX, fol. 25 v°.)

« *Eisdem cardinalibus.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

153 Avignon, 31 mai 1342.

Eisdem concedit ut, tam in absentia quam in præsentia eorum, similes procurationes quas unus de cardinalibus Apostolicæ Sedis legatus vel nuncius in dicto regno Franciæ pro procurationibus recipere consuevit, quæ videlicet ad majorem summam ascendere dinoscuntur, recipere possint a personis ecclesiasticis, easque ad solvendum per censuram ecclesiasticam cohercere. (Reg. 152, n°s LXI et XLII, fol. 26 r°.)

« *Venerabilibus fratribus Petro Penestrino Sancte Romane Ecclesie vicecancellario et Anibaldo Tusculano episcopis, Apostolice Sedis nuntiis, salutem.* Cum vos ad —. Dat. Avinione, II kal. junii, anno primo. »

154 Avignon, 1er juin 1342.

Remittuntur quædam pœnæ contentæ in constitutione facta per dominum papam Benedictum XII super statu et reformatione monachorum nigrorum. (Reg. Vat. 152, De Curia, n° X, fol. 9 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 15 r°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Sacrosancta Romana ecclesia —. Datum Avinione, kalendis junii, anno primo. »

155 Avignon, 12 juin 1342.

Jacobum Atti, episcopum Brixiensem, causarum appellationum interpositarum apud Sedem Apostolicam judicem deputat. (Reg. Vat. 152, De Curia, n° III, fol. 7 r°; — Reg. Vat. 214, De Curia, n° III, f° 10 v°.)

« *Venerabili fratri Jacobo episcopo Brixiensi salutem.* Licet ubique cultum cupiamus vigere justicie, illam tamen per quam unicuique, quod suum est, redditur, apud Sedem apostolicam ubi residere magisterium ipsius noscitur, desideramus plenius et sincerius confoveri. Sane cum sepe contingat ab officialibus terrarum et provinciarum nobis et ecclesie Romane immediate subjectarum, super causis civilibus, tam a diffinitivis sententiis, quam a gravaminibus ad Sedem Apostolicam predictam [appellari], nos volentes justitiam super hiis exhiberi, et de tue circumspectionis et fidelitatis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, te causarum appellationum hujusmodi hactenus interpositarum et interponendarum imposterum judicem apud Sedem eamdem, usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium constituimus et deputamus, faciendi, mandandi, ordinandi, exercendi et exequendi plenarie omnia et singula que circa premissa fuerint quomodolibet oportuna : contradictores quoque spirituali et temporali distractione, appellatione postposita, cohercendi, fraternitati tue facultatem plenariam nichilominus concedentes. Datum Avinione, II idus junii, anno primo. »

156 Avignon, 12 juin 1342.

Quæ super negotio Flamingorum per Benedictum papam XII suum prædecessorem facta seu conventa fuerant longius percenset, Beltraminumque episcopum Bononiensem ad Flandriæ partes destinat, ei committendo ut dictis Flamingis absolutionis beneficium impendere valeat. (Reg. Vat. 152, De Curia, n° V, fol. 7 v°; — Reg. Vat. 214, fol. 11 v°.)

« *Venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi, litterarum nostrarum contradictarum auditori.* Solicitudo pastoralis officii —. Datum Avinione, II idus junii, anno primo. »

157 Avignon, 13 juin 1342.

Beltraminum Paravicini, episcopum Bononiensem ad partes Flandriæ destinat, et ei mandat ut Flammingos absolvat a sententia excommunicationis quam incurrerant, propter quod conventiones et pacta cum Philippo VI rege Franciæ inita fregissent, et ut interdictum appositum relaxet. (Reg. 152, fol. 7 r° n° iiii (De Curia); — Reg. Vat. 214, n° iiii, fol. 10 v°.)

« *Venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi, litterarum nostrarum contradictarum auditori.* Olim inter clare memorie Phylippum regem Francie pro se suisque successoribus Francie regibus ex parte una, et Flamingos ex altera, super reformatione pacis inite tunc temporis inter eos, circa conventiones et pacta diversos articulos continentia, facta et habita solemniter ac per Sedem apostolicam ad instantiam et supplicationem Flamingorum ipsorum, provida et matura deliberatione previa, confirmata fuerunt, excommunicationis in eosdem Flamingos ac in communitates et universitates eorum ac villas et loca Flandrie interdicti sententiis, si eos dicta conventiones et pacta infringere vel ea non servare contingeret, per processus factos et habitos auctoritate apostolica super hiis nichilominus promulgatis. Sane quia, sicut ad notionem jamdudum devenit publicam, et adeo existit notorium, quod nulla potest tergiversatione celari, eosdem Flamingos sepius contra conventiones et pacta venisse hujusmodi, eaque, rebellando contra carissimum in Christo filium nostrum Phylippum, nunc regem Francie illustrem, seque ab ejus obedientia et devotione debitis subtrahendo, aliasque delinquendo multipliciter contra tenores conventionum et pactorum hujusmodi erga eum, violasse, ac propterea ipsos Flamingos eisdem excommunicationis ac universitates et communitates eorum et loca et villas patrie Flandrie interdicti sententiis, promulgatis, ut prefertur, subjacere, dubium non extitit hactenus nec existit. Nos et ipsos eripere de via vel potius devio perditionis quo gradiuntur pro dolor! et ad viam salutis reducere, ne, sicut oves errantes extra ovile Domini, cum faucibus illius devoratoris qui non cessat circuire, querens quos devoret, expositi pereant, cupientes te, de cujus fidelitate ac circumspectione plenam in domino fiduciam gerimus, ad partes illas providimus destinandum, tibi per alias nostras litteras, ut predictos Flamingos juxta formam ecclesie, si absolutionis beneficium hujusmodi a te humiliter petierint, a prefatis excommunicationum sententiis absolveres et interdicta relaxares hujusmodi, et cum irregularibus super irregularite dispensares, sub certis modis et formis in eisdem expressis litteris duximus committendum. Sperantes igitur quod ipsi nostram et apostolice Sedis in hac parte benignitatem et gratiam promptis et devotis recognoscentes affectibus, se ad eas promerendas et suscipiendas humiliter coaptabunt, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si sic se gesserint, ut optamus, ad ea que tibi per litteras predictas commissa sunt, ut prefertur, prudenter et benigne, forma earum servata, procedere non postponas. Verum si, quod absit, animis induratis non acceptando gratiam hujusmodi, in suis voluerint dampnandis contumaciis et inhobedientiis, tanquam dure cervicis populus, remanere, ne decipiantur ejusdem patrie Flandrie simplices, sed tam ipsorum quam majorum de ipsa patrata culpe manifestius notefiant et citius saltem humano rubore confusi, ad gremium et mandata sancte matris ecclesie revertantur, eosdem Flamingos predictis excommunicationis, ac universitates et communitates eorum necnon villas et loca ejusdem patrie interdicti sententiis subjacere, per te vel alium seu alios in ecclesiis et locis, de quibus tibi videbitur, publice denuntiare procures, eis apertius nichilominus nuntiando quod, nisi a premissis resipuerint, ad gremium et mandata ejusdem ecclesie redeundo, cum satisfactione debita, ut tenentur, adversus eos ulterius, prout juris et rationis equitas suaserit, eorumque protervitas exegerit, et expedire viderimus, ne sanguis eorum possit requiri de nostris manibus, procedemus. Datum Avinione, idibus junii, anno primo. »

158 Avignon, 18 juin 1342.

Cum Beltraminum episcopum Bononiensem litterarum contradictarum auditorem ad Flandriæ et alias partes pro negotiis destinet, infrascriptis mandat ut, diebus singulis quibus ille eundo ad dictas partes, aut morando et ad Sedem apostolicam redeundo vacaverit in octo

florenis auri vel valore de moneta currenti pro eo et familiæ ejus necessariis ac de securo conductu liberaliter providere curent. (Reg. 152, De Curia, n° vi, fol. 8 r°; — Reg. Vat. 214. n° vi, fol. 12 r°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus vel eorum vicesgerentibus et personis ecclesiasticis religiosis et secularibus ac ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus exemptis et non exemptis Cluniacensis, Cisterciensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum quorumcunque ordinum necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Sancte Marie Theotonicorum magistris, prioribus et preceptoribus ipsorumque locatenentibus ad quos presentes littere pervenerint salutem.* Cum nos venerabilem —. Datum Avinione, xiiii kalendas julii, anno primo. »

159 Avignon, 18 juin 1342.

Cum audivisset quod inter Petrum Aragonum Jacobumque Majoricarum reges gravis discordia exorta fuerat, occasione cusionis et usus certæ monetæ, quam dictus rex Majoricarum contra conventiones in comitatu Rossilionis fieri permittebat, Armando archiepiscopo Aquensi mandat ut ad dictos reges regnaque se conferat ad hanc dissensionem sedandam. (Reg. 152, De Curia, n° vii, fol. 8 v°; — Reg. Vat. 214, n° vii, fol. 13 v°; — Raynaldi, *Annales ecclesiastici*, VI, 304.)

« *Venerabili fratri Armando archiepiscopo Aquensi, Apostolice Sedis nuntio salutem.* Experte probitatis industriam, et fidei tue probate constantiam attendentes, ardua tibi fiducia secura committimus, sperantes quod illa solicitis studiis exequeris. Cum itaque nuper ad audientiam nostram non sine turbatione pervenerit quod inter carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum et Jacobum Majoricarum reges illustres, humani generis inimico superseminante zizaniam, gravis, occasione cusionis et usus certe monete quam, sicut idem rex Aragonum asserit, prefatus rex Majoricarum contra conventiones et pacta inter ipsos reges habita in comitatu Rossilionis et aliis terris suis fieri permittit, dissensionis materia est exorta, nos, more pii patris, quem non pretereunt incomoda filiorum, ad hujusmodi sedandam discordiam et turbate unitatis federa reformanda, vigilantibus studiis intendentes, ac de circumspectione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, ad dictorum regum presentiam te personaliter conferens, ipsos ad hujusmodi sedationem discordie, juxta datam tibi a Deo prudentiam, oportunis monitis et efficacibus exhortationibus solerter inducas, ut, auxiliante Domino qui est pacis actor et humane salutis amator, tuaque cooperante solercia, dicta dissentio ulterius non procedat, sed totaliter extinguatur, ac prout proximitas sanguinis, que fore dinoscitur inter eos, exposcit, vigeat inter psos fraterna dilectio, et sit idemptitas voluntatum, ac per eorum unanimitatem et concordiam ipsorum et subditorum suorum status tranquillus et pacificus de bono in melius augeatur, tuque, preter retributionis eterne premium tibi ex hujusmodi fructuosis laboribus proventurum, nostram et Apostolice Sedis gratiam possis uberius promereri. Datum Avinione, xiiii kalendas julii, anno primo. »

160 Avignon, 18 juin 1342.

Cum Armandum archiepiscopum Aquensem, Apostolice Sedis nuntium pro certis arduis negotiis ad Petri Aragonum et Jacobi Majoricarum regum præsentiam destinet, infrascriptis mandat ut eundem nuncium, cum per partes transitum fecerit, ob reverentiam Apostolicæ Sedis benigne recipiant, et ei, quamdiu in hujus negotii prosecutione fuerit, diebus singulis in octo florenis auri pro expensis et familie ejus necessariis et de securo conductu, cum super hiis per eum vel ejus nuncium fuerunt requisiti, in eundo morando et redeundo liberaliter providere curent. (Reg. 152, De Curia, n° viii, fol. 8 v°; — Reg. Vat. 214, fol. 14 r°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis...*, etc., *et militie Calatravensium ad quos presentes littere pervenerint salutem.* Cum nos venerabilem —. Datum Avinione, xiiii kalendas julii, anno primo.

161 Avignon, 19 juillet 1342.

Benedicti papæ XII constitutionem (Ad perpetuam rei memoriam. Ad providam circumspectionem Sedis. — Dat. Avinione, x kal. nov. p. n. anno septimo) pauperes clericos beneficiorumque taxationem concernentem revocat. (Reg. 147, fol. 6 v° n° viii; Reg. Avinion., n° 1, pars I, tome i, (56), fol. 39 r°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Olim felicis recordationis — . Datum Avinione, xiiii kalendas augusti, anno primo. »

162 Villeneuve-les-Avignon, 23 août 1342.

Privilegia quædam pauperibus clericis concedit, qui beneficia sua resignaverant eaque occupare de novo volebant. (Reg. 152, De Curia, n° xv, fol. 10 v°; — Reg. Vat. 214, fol. 18 r°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Dudum, gratia divina favente, ad apicem summi apostolatus assumpti, volentes erga pauperes clericos liberalitatis apostolice januam aperire, generales gratias universis pauperibus clericis tunc in Romana Curia presentibus, et ad eam usque ad certos terminos accessuris, juxta formam quam erga eos servare Sedes apostolica consuevit, duximus concedendas, ac certos examinatores super hoc deputavimus per universas provincias, ut est moris; ac deinde nonnulli ex clericis ipsis aliqua beneficia obtinentes, et quidam alii qui a predecessoribus nostris in forma simili litteras impetrarant, per quas nondum erant beneficia ecclesiastica assecuti, credentes in hujusmodi nostris gratiis utilius collocari, obtentis beneficiis et litteris ipsis ac processibus habitis per easdem renuntiare apud Sedem eandem curaverunt. Sed quia, sicut habet multorum fidedignorum assertio, quamplures ex clericis antedictis qui obtentis benefitiis seu litteris et processibus hujusmodi sub spe habendi meliores collationes renuntiaverant, ut prefertur, de collationibus eis per dictos examinatores in hujusmodi nostris gratiis assignatis minime contentantur et propterea collationes ipsas prosecuti non fuerunt hactenus nec etiam prosecuntur, pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum ut providere ipsis in hac parte de benignitate apostolica dignaremur : nos igitur eisdem clericis pio compatientes affectu ac nolentes quod id quod pro utilitate ipsorum fieri credebamus eis redundet ad noxam, intendentes quoque in quantum possumus ipsis in hac parte de oportuno remedio providere, tenore presentium ordinamus et auctoritate apostolica decerminus quod illi ex clericis predictis qui beneficia que obtinebant, ut premititur, resignarunt ad beneficia ipsa absque alia nova collatione liberum regressum habere valeant, dummodo tempore regressus hujusmodi jus in beneficiis ipsis acquisitum alicui specialiter non existat, et quod per illos ad quos alias beneficiorum ipsorum dispositio pertinet sine difficultate qualibet admittantur, quodque alii ex clericis ipsis qui litteris et processibus predictis renuntiarunt, ut premittitur, quique de collationibus assignatis eisdem in dictis nostris gratiis minime sunt contenti, nec eas intendunt prosequi, renuntiationibus predictis et gratiis per nos, ut premittitur, eis factis et quibusvis constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus litteris et processibus ipsis per inde uti valeant et eorum gaudere comodo et effectum consequi ex eisdem, sine tamen juris prejudicio alieni, ac si nunquam renuntiassent litteris et processibus supradictis. Volumus autem quod postquam dicti clerici qui, ut prefertur, obtenta per eos beneficia resignarunt, ad illa regressum habuerunt et ea pacifice possederunt, necnon et reliqui qui litteris a dictis predecessoribus nostris, ut prefertur, obtentis et processibus habitis per easdem renuntiaverunt, postquam litteris et processibus hujusmodi ipsos velle uti eisque gaudere constiterit, dicte collationes in nostris gratiis per dictos examinatores ipsis clericis assignate, et quicquid ex eis secutum extitit sint irrite, nulle, vacue et inanes ac nullius extunc existant roboris vel momenti. Nulli ergo, etc., nostre ordinationis, constitutionis et voluntatis infringere, etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x kalendas septembris, anno primo. »

163 Avignon, 30 septembre 1342.

Thesaurarios suos absolvit de certa summa duodecim milium florenorum auri quam certis personis assignaverant. (Arch. Vat., *Introitus et Exitus*, n° 202, fol. clxvii v°.

« *Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbati monasterii Celle Trecensis et magistro Guillelmo de Albussaco, cantori ecclesie Rothomagensis, thesaurariis nostris salutem et apostolicam benedictionem.* Cum nuper vos de mandato nostro per nos verbotenus vobis facto, XII^M florenorum auri summam de pecunia camere nostre certis personis per nos vobis nominatis pro certis causis a nobis secrete vobis expressis duxeritis[1] assignandum, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis paterne diligencie studio providere, vos et omnia bona vestra de hujusmodi XII^M florenorum auri summa per vos juxta mandatum nostrum predictum, ut premittitur, assignata imperpetuum absolvimus et quittamus, decernentes nichilominus vobisque tenore presentium concedentes quod vos vel bona vestra pro ipsa summa molestari vel inquietari ab aliquo vel ab aliquibus imposterum nullatenus valeatis. Datum Avinione, II kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo. »

[1] Ms. : Duxit.

164 Avignon, 3 octobre 1342.

Bertrandum Astorgii laicum Claromontensis dioecesis constituit marescallum provinciæ Romandiolæ usque ad beneplacitum papæ, et mandat thesaurario in dicta provincia deputato et deputando ut dicto Bertrando solvat vadia consueta. (Reg. 152, De Curia, n° XI, fol. 9 v°; — Reg. Vat. 214, fol. 15 v°.

« *Bertrando Astorgii, layco Claromontensis diocesis, provincie Romandiole nostro et Ecclesie Romane marescallo, salutem.* Illam gerentes de —. Datum Avinione, V nonas octobris, anno primo. »

165 Avignon, 21 octobre 1342.

Cum Flandrenses, qui pacem et conventiones habitas infregerant et excommunicationis sententiam incurrerant, ad unitatem ecclesiæ redire cuperent, et absolvi flagitarent, Beltramino episcopo Bononiensi mandat ut de perfidia et defectione illorum veritatem inquirat, ac, nisi rite absolvi censuris ecclesiasticis poscerent, in gratiam cum ecclesia ipsos restituere vetat. (Reg. 152, fol. 9 v°, Littera XII (De Curia); — Reg. Vat, 214, fol. 15 v°; Raynaldi, *Annales ecclesiastici*, VI, 296.)

« *Venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi.* Pridem nos more —. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno primo. »

166 Avignon, 8 décembre 1342.

Infrascriptis cardinalibus concedit ut omnia et singula eis in dictis regnis Franciæ et Angliæ commissa, in comitatu Hanoniæ et terris dominio Guillelmi comitis Hanoniæ subjectis libere exsequi valeant. (Reg. 152, De Leg., n° LXIII, fol. 26 r°; — Riezler, *Vatikanische Akten.*, n° 2138, p. 770.)

« *Venerabilibus fratribus Petro Penestrino Sancte Romane Ecclesie vicecancellario et Anibaldo Tusculano, episcopis, apostolice Sedis nunciis salutem.* Cum pro summovenda —, usque continetur. Nos personas vestras, ut eo liberius commissa vobis possitis exequi, quo a nobis fueritis majori auctoritate muniti, honorare in hac parte uberius intendentes, vobis et vestrum cuilibet apostolica auctoritate concedimus ut omnia et singula per nos vobis et vestrum cuilibet in eisdem regnis sub quavis forma concessa et exequenda commissa in comitatu Hanonie et aliis villis terris et locis dominio dilecti filii nobilis viri Guillelmi comitis Hanonie extra dicta regna subjectis, in omnibus et per omnia exercere ac exequi perinde libere valeatis, ac si ea omnia et singula vobis in comitatu, villis, terris et locis predictis sicut in eisdem regnis concessa et exequenda commissa per ipsas alias nostras litteras specialiter extitissent. Datum Avinione, VI idus decembris, anno primo. »

167 Avignon, 30 décembre 1342.

Petrum regem Aragonum hortatur ut consideret quanta mala et pericula possint provenire ex discordia quæ inter ipsum et Jacobum Majoricarum noviter suscitata est, et sic animum suum habilitet, quod inter ipsos reges concordia desiderata proveniat, comunibus periculis occurratur, et utilitatibus comunibus consulatur; et Andream tituli Sanctæ Susannæ presbiterum cardinalem nuncium qui pro dicta concordia reformanda ad eos mittitur, benigne recipiat, ejus monitis salubribus acquiescat, et eis quæ sibi super hiis vivæ vocis ministerio suggeret credat indubie, illaque sic devote sus-

cipiens effectualiter exsequatur. (Reg. 152, De legatione n° I, fol. 47 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 77 r°; — Raynaldi. *Ann. eccl.*, VI, 304.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri.* Quamvis ad pacis tranquillitatem —. Dat. Avinione, III kalendas januarii, anno primo. »

168 Avignon, 30 décembre 1342.

Andreæ tituli Sanctæ Susannæ presbitero cardinali mandat ut ad regna Aragonum et Majoricarum se personaliter conferat, et ipsos reges necnon auxiliatores sequaces et adhærentes eisdem, recitatis eis periculis discriminibus atque dampnis quæ possint provenire ex discordia inter eos suscitata, ad pacem et concordiam sollicitis monitis et efficacibus persuasionibus inducat, ita ut inter ipsos reges pax et concordia, auctore Domino, reformentur. (Reg. 152, n° II, fol. 47 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 77 v°).

« *Dilecto filio Andree tituli Sancte Susanne presbitero cardinalis apostolice Sedi, nuntio, salutem.* Excelsus pater et —. Dat. Avinione, III kalendas januarii, anno primo. »

169 Avignon, 21 janvier 1343.

Confirmat donationem et concessionem quas Philippus, archiepiscopus tunc electus Senonensis, fecerat magistro Petro le Lovat, canonico Senonensi, scriptori et familiari suo, de officio taxationis expensarum factarum ob contumacias in curia Senonensi a personis archidiaconatuum et decanatuum Vastinensis, Ferrariarum, Malliaci et Curtiniaci, Senonensis diœcesis. (Reg. Vat. 147, De Curia; — Reg. Av. anno I, pars I, tome I (56), fol. 36 r°.)

« *Dilecto filio magistro Petro le Lovat, canonico Senonensi, scriptori et familiari nostro.* Gratiosa Sedis apostolice —. Dat. Avinione, XII kalendas februarii, anno primo. »

170 Avignon, 6 février 1343.

Reservantur usque ad biennium dispositioni domini papæ et Sedis Apostolicæ provisiones omnium ecclesiarum, cathedralium et monasteriorum præterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum in regno Siciliæ ac terris citra Farum consistentium. (Reg. Vat. 152, De Curia, n° XXIII, fol. 12 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 21 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Inter cetera que —. Datum Avinione, VIII idus februarii, anno primo. »

171 Avignon, 14 février 1343.

Thesaurarios suos absolvit de quadam summa quam certis personis assignaverant. (Arch. Vat. *Introitus et Exitus*, 202, fol. CLXVII, v°.)

« *Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbati monasterii Celle Trecensis et magistro Guillelmo de Albussaco cantori ecclesie Rothomagensis, thesaurariis nostris, salutem, et apostolicam benedictionem.* Cum nuper vos de mandato nostro per nos verbotenus vobis facto, X^M quadringentorum florenorum auri summam de pecunia camere nostre certis personis per nos vobis nominatis pro certis causis a nobis secrete vobis expressis duxeritis assignandam, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis paterne diligentie studio providere, vos et omnia bona vestra de hujusmodi X^M quadringentorum florenorum auri summa per nos juxta mandatum nostrum predictum, ut premittitur, assignata, imperpetuum absolvimus et quittamus : decernentes, vobisque tenore presentium concedentes quod vos vel bona vestra pro ipsa summa molestari vel inquietari ab aliquo vel aliquibus imposterum nullatenus valeatis. Datum Avinione, XVI kalendas martii, pontificatus nostri anno primo. »

172 Avignon, 12 avril 1343.

Infrascriptis archiepiscopis mandat ut publicent processus pridem factos, in die Cenæ Domini, contra Ludovicum de Bavaria, scismaticum et hereticum. (Reg. 152, De Curia, n° XXIIII, fol. 12 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... patriarche Aquilegensi ejusque suffraganeis salutem etc.* Pridem videlicet in die Cene —. Dat. Avinione, II idus aprilis, anno primo. »

In eodem modo sub eadem data scribitur prelatis qui secuntur : archiepiscopis *Colonensi ejusque suffraganeis*, *Treverensi*, *Salzeburgensi*, *Magdeburgensi*, *Bremensi*, *Rothomagensi*, *Turonensi*, *Tholosano*, *Narbonensi*, *Bituricensi*, *Remensi*, *Senonensi*, *Auxitano*, *Lugdunensi*, *Burdegalensi*, *Cantuariensi*, *Eboracensi*, *Mediolanensi*, *Januensi*, *Pisano*, *Bisuntino*, *Arelatensi*, *Ebredunensi*, *Aquensi*.

173 Avignon, 5 mai 1343.

Provisiones omnium et singularum archiepiscopalium et episcopalium ac collegiatarum ecclesiarum, necnon abbatiarum monasteriorum et prioratuum conventualium, regularium et sæcularium, exemptorum et non exemptorum, tunc vacantium vel vacaturorum inantea, in quibus prælati seu rectores consueverunt per electionem assumi dispositioni Sedis Apostolicæ, usque ad biennium a prima die junii proximo instantis, quo terminabitur tempus reservationis per Benedictum XII de illis olim facte inantea computandum, reservat. (Reg. 152, De Curia, n° xvii, fol. 11 r°; — Reg. Vat. 215, fol. 19 r°).

« *Ad futuram rei memoriam.* Inter solicitudines varias —. Datum Avinione, iii nonas maii, anno primo. »

174 Avignon, 5 mai 1343.

Reservantur usque ad duos annos provisiones omnium prælaturarum, prioratuum et ecclesiarum infra Insulam Sicilie consistentium, in quibus prælati seu rectores consueverant per electionem assumi. (Reg. 152, De Curia n° xvi, fol. 11 r°; — Reg. Vat. 214, fol. 18 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Dum statum miserabilem —. Dat. Avinione, iii nonas maii, anno primo. »

175 Avignon, 15 mai 1343.

Cum Matheus de Filiis Ursi et Paulus de Comite, milites de Urbe, senatoriæ et capitaneatus dictæ Urbis fungantur officio, infrascriptum rogat ut dictos nobiles adjuvet et eis de subsidio equitum et gentium provideat, si pro regimine dicti capitaneatus indigeant. (Reg. 152, De Curia, n° xxi, fol. 12 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo de Lacu, canonico Ruthenensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia.* Cum nos de dilectorum —. Dat. Avinione, idibus maii, anno primo. »

ANNUS SECUNDUS

176 Avignon, 19 mai 1343.

Cum Petrus de Prato Prænestinus, et Annibaldus de Ceccano Tusculanus, episcopi cardinales, Edwardi III regis Angliæ litteras præsentassent, ut terminus assignatus inter Franciæ et Angliæ nuncios super reformandæ pacis tractatu usque ad festum Beatæ Mariæ Virginis mensis septembris prorogaretur, Clemens VI eidem regi scribit Philippum VI de Valesio, regem Franciæ ejus desiderio annuisse; de litteris quas misit super facto treugarum, David II, regis Scotiæ, comitisque Montisfortis eum certiorem facit rogatque ut treugas inter eum dictumque Philippum observet ac jubeat observari nunciosque ad Curiam pro tractatu pacis mittere velit. (Reg. 137, n° i, fol. 1 r°.; — Rymer, *Fœdera* Record édition II, ii, 1224.)

« *Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.* Pridem nobis per venerabiles fratres nostros Petrum Penestrinum et Annibaldum Tusculanum episcopos sancte Romane Ecclesie cardinales, exhibitis et ostensis quibusdam serenitatis tue litteris, eisdem super prorogatione termini festi Nativitatis beati Joannis Baptiste proximo instantis, quo tui, carissime fili, et carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris nuncii, super tractatu reformande pacis inter vos mutue coram nobis interesse debebant, usque ad instans festum Nativitatis beate Marie Virginis mensis

septembris facienda, directis, nos super hiis et aliis in eisdem contentis litteris regi prefato scripsimus, sicut vidimus expedire, a quo quidem jam litteras recepimus responsales, per quas nobis intimare curavit, quod propter causas in litteris nostris eidem, ut prefertur, transmissis expressas, placebat sibi prorogatio supradicta, et quod nuncios, quos ad nos mittere in dicto primo termino disposuerat, in prorogato, sicut promissum est, destinabit. Super aliis vero factum treugarum tangentibus, de quibus eidem fecimus in nostris litteris mentionem, favorabiliter et benigne respondit, quod treugas ipsas, quantum erit in eo, inviolabiliter observabit, et a suis faciet observari et adimplere que per ipsum vel ex parte sua promissa fuerunt cardinalibus antedictis. Expresse nichilominus adiciens quod, licet a carissimo in Christo filio nostro David rege Scocie illustri, cui super observatione treugarum ipsarum scripserat, litteras per quas se illas per se ac suos servaturum descripsit, receperit responsales, adhuc tamen ei super eodem intendebat scribere iterato. De comite autem Montisfortis ad ea que inde sibi scripseramus respondendo subjunxit, quod sicut et prout prolocutum extitit, eum voluit et vult cum cautionibus de redeundo ad carcerem, nisi aliud ordinaretur interim super hoc liberare; sed quamquam rex ipse non petat quod fidejussores per comitem ipsum dandi personas suas obligent propter hoc, sed solum efficaciter bona sua que habent in regno, nondum tamen idem comes fidejussores hujusmodi potuit reperire; quamobrem per regem ipsum non stetit, nec stabit, quominus comes prefatus modis et formis quibus prolocutum prefertur extitit, liberetur. Nichilominus subjungendo quod factum dicti comitis te, fili dilectissime, tangere non videtur, cum propter guerras regias nequaquam, sed propter privatas et particulares causas alias fuerit captivatus, et tamen ipse rex, que promissa fuerunt circa hec, fuit et erit, sicut nobis rescripsit, paratus complere liberaliter et benigne. Rogamus itaque regiam magnificenciam, et in Domino attencius exhortamur quatenus, premissis consideranter et prudenter attentis, predictas treugas pacis representantes ymaginem observans, similiter et a tuis faciens inviolabiliter observari, nuncios pro tractatu pacis predicte tales videlicet qui maturitatis et probitatis discretione pollentes et ydonea potestate suffulti, ejusdem pacis et concordie serviendi zelatores existant, tua curet regalis circumspectio destinare. Pro certo sciturus, fili amantissime, quod nos, sicut alias sepe scripsimus, omni affectione privata deposita penitus et rejecta, sed solum Deum, veritatem et justiciam habendo pre occulis, circa negocium reformationis pacis ejusdem Deo placabilis et utrique parti perutilis intentis vigiliis et studiosis solicitudinibus intendimus, divina nobis assistente gracia, laborare. Datum Avinione, XIIII kal. junii, pontificatus nostri anno secundo. »

177 Avignon, 19 mai 1343.

Hugoni IV, regi Cipri, commendat Guidonem de Journy de partibus Franciæ redeuntem, qui Philippi regis Franciæ obsequiis institerat. (Reg. 137, n° II, fol. 1 v°.).

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.* — Dilectum filium nobilem virum Guidonem de Journy militem et vassallum tuum, nobis per carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, cujus obsequiis institisse aliquibus temporibus dicitur, specialiter commendatum ut eum[1] ad te, fili carissime, regnumque tuum de partibus Francie redeuntem, benigne velis pro nostra ac Apostolice Sedis reverencia dictique regis obtentu, recipere, ac in suis agendis bonis et juribus favorabiliter, prout cum honestate fieri poterit, pertractare, tue benivolencie regie commendamus. Datum Avinione, XIIII kal. junii, anno secundo. »

Ms : *cum.*

178 Avignon, 19 mai 1343.

Magistris præsidentibus in Parlamento regis Franciæ Parisius mandat quatenus de consensu partium usque ad dies balliviæ Viromandensis terminum proroget qui ad primam diem juridicam post Penthecostem jam assignatus erat in causa vertente in dicto Parlamento inter Guidonem de Severiaco ejusque fratres ex parte una et Petrum de Casis militem Petrumque ejus filium ex altera. (Reg. 137, n° III, fol. 1 v°.)

« *Dilectis filiis magistris in Parlamento carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris presidentibus.* Inter cetera que nobis ex officio apostolice servitutis incumbunt, soliciti esse tenemur, ut nos, qui regis pacifici et eterni vices, quamvis insufficicientibus meritis, in terris gerimus, inter discordes pacis studeamus consilia, quantum nobis ex alto permititur, reformare. Sane, cum inter dilectos filios nobiles viros Guidonem de Severiaco ejusque fratres ex parte una, et Petrum de Casis militem, ac Petrum ejus natum ex altera, fuerint hactenus graves questiones suborte, super quibus in Parlamento regio Parisius inter partes ipsas invicem causa pendet, nosque velimus, super pacis hinc inde reformanda concordia, interponere amicabiliter solicitudinis nostre partes, prudenciam vestram attencius deprecamur, quatinus terminum, ad primam diem juridicam post instans festum Penthecostes in eodem Parlamento partibus assignatum predictis, in eodem statu usque ad dies ballivie Viromandensis futuri Parlamenti, cum consensus ad hoc expressus accedat predictarum partium, prorogetis. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno secundo. »

179 Avignon, 19 mai 1343.

Poncius de Pereto, archidiaconus Vindocinensis in ecclesia Carnotensi, deputatur collector in Mediolanensi, Aquilegensi et Gradensi provinciis necnon in Saonensi, Cremonensi, Brixiensi, Iporiensi, Aquensi, Mutinensi, Taurinensi civitatibus et diœcesibus, loco Bernardi de Lacu canonici Ruthenensis, rectoris Patrimonii Beati Petri in Tuscia. (Reg. 136, n° XII, fol. 3 r°.)

« *Dilecto filio Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in ecclesia Carnotensi, Apostolice Sedis nuncio.* Olim dilectus filius —. Dat. Avinione, XIIII kal. junii, anno secundo .»

180 Avignon, 20 mai 1343.

Mandat Johanni Ogerii, decano ecclesiæ Belnensis, nuncio ac collectori in provincia Remensi, ut ab abbate monasterii Sancti Vedasti Atrebatensis, ordinis Sancti Benedicti, recipiat pro decem visitationibus et pro qualibet ducentas libras turonensium parvorum, quas ille solvere cameræ apostolicæ debebat. (Reg. Vat. 137, n° IV, fol. 1 v°.)

« *Dilecto filio Johanni Ogerii decano ecclesie Belnensis, Eduensis diocesis, in provincia Remensi nostro et apostolice sedis nuncio.* Cum dilectus filius... abbas monasterii Sancti Vedasti Atrebatensis, ordinis Sancti Benedicti, visitare Sedem apostolicam singulis bienniis, et quolibet eodem biennio racione visitationis hujusmodi solvere ducentas libras monete turonensium parvorum, floreno auri de Florencia pro decem solidis et sex denariis ejusdem monete computato, solvere camere apostolice sit astrictus, fueritque decem jam elapsis bienniis et in festo Purificationis Beate Marie Virginis de anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo terminatis, a solutione dicte summe pro eadem visitacione debite, ut prefertur, cessatum, nos volentes nostris et Ecclesie Romane indempnitatibus super hiis, sicut tenemur ex debito pastoralis officii, providere, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus easdem ducentas libras turonensium parvorum in valore predicto pro dictis decem bienniis ab eodem abbate petere nomine nostro et Ecclesie Romane, ac exigere et recipere cum integritate procures, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, nonobstante etc. Volumus autem quod prefatum abbatem possis absolvere plenius et quittare de hiis que inde tibi duxerit persolvenda, faciendo super solucione ipsa confici duo consimilia publica instrumenta quorum, altero penes ipsum abbatem dimisso, reliquum ad nostram cameram fideliter mittere non postponas. Dat. Avinione, XIII kal. junii, anno secundo. »

181 Avignon, 20 mai 1343.

Eidem nuncio mandat ut ab archiepiscopo Remensi pro octo visitationibus pro qualibet quingentas libras. Turonensium parvorum petat ac recipiat. (Reg. Vat. 137, n° V, fol. 2 r°.)

« *Eidem nuncio.* Cum venerabilis frater noster... archiepiscopus Remensis visitare Sedem Apostolicam

singulis bienniis, et quolibet biennio hujusmodi ratione visitacionis eiusdem quingentas libras monete Turonensium parvorum solvere apostolice camere sit astrictus, fueritque octo jam elapsis bienniis et die vicesima quinta maii, de anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo terminatis a solutione dicte summe pro eadem visitacione debite, ut prefertur, cessatum. Nos, etc. ut supra, verbis competenter mutatis. Datum ut supra. »

182 Avignon, 20 mai 1343.

Collectori in Senonensi et Rothomagensi provinciis mandat ut ab archiepiscopo Senonensi pro septem visitationibus et pro qualibet trecentas libras petat, cum septem jam elapsis bienniis, a die tercia decima septembris anni MCCCXLII, a solutione, cessatum fuerit. (Reg. Vat. 137, n° VI, fol. 2 r°.)

« *Dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi, in Rothomagensi et Senonensi provinciis nostro et Apostolice Sedis nuncio.* Cum venerabilis frater — Dat. ut supra. »

183 Avignon, 20 mai 1343.

Mandat Johanni Bertrandi, canonico Bituricensi, collectori Bituricensi, ut ab archiepiscopo Bituricensi pro visitatione trecentas libras recipiat, quas singulis bienniis cameræ apostolicæ solvere debet. (Reg. 137, n° X, fol. 2 v°.)

« *Dilecto filio Johanni Bertrandi, canonico Bituricensi, in Bituricensi, Lemovicensi et certis aliis civitatibus et diocesibus nostro et Apostolice Sedis nuncio.* Cum venerabilis frater. — Datum Avinione XIII kal. junii anno secundo. »

184 Avignon, 20 mai 1343.

Collectori Rothomagensi mandat ut ab archiepiscopo Rothomagensi pro octo visitationibus et pro qualibet M. libras petat. (Reg. Vat. 137, n° XI, fol. 2 v°.)

« *Dilecto filio Bertrando Cariti archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi, in Senonensi et Rothomagensi provinciis nostro et Apostolice Sedis nuncio,* Cum venerabilis frater. — Dat. ut supra. »

185 Avignon, 22 mai 1343.

Fortanerio Vassalli committuntur cura et administratio ministeriatus generalis ordinis Minorum. (Reg. 137, n° XXI, fol. 6 v°.)

« *Dilecto filio Fortanerio Vassalli fratrum ordinis Minorum sacre theologie professori, curam et administrationem ministeriatus generalis ejusdem ordinis apostolica auctoritate gerenti.* Dudum ordine fratrum Minorum pro eo generalis ministri gubernatione carente, quod nos venerabilem fratrem nostrum Geraldum patriarcham Antiochensem tunc ipsius ordinis generalem ministrum, in patriarcham de fratrum nostrorum consilio prefecimus Antiochensi ecclesie tunc vacanti, nos ordinem ipsum intra nostra et Sedis apostolice precordia recumbentem, remanere nolentes utilis gubernatoris solacio destitutum, et ad te, quem margaritis sciencie, morum venustate, discretionis et probitatis maturitate aliisque donis virtutum insignivit Dominus, quique zelum ferventem ad ordinem ipsum habere dinosceris, dirigentes intuitum mentis nostre, curam et administrationem ministeriatus generalis eiusdem ordinis quousque foret ei de ministro generali provisum, tibi per nostras litteras duximus committendas, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane cum instet capitulum generale prelibati ordinis Massilie celebrandum, in quo dicti ministri electio iminet de nostro beneplacito facienda, nostreque intentionis fuerit et existat, quod tu in eodem capitulo ac electoribus et fratribus ibidem congregandis velut gerens curam et administrationem huiusmodi presideas, donec per electionem concordem et utilem fuerit de ministro generali provisum, quibusvis privilegiis apostolicis, ac consuetudinibus statutis et observanciis ipsius ordinis contrariis nequaquam obstantibus, quibus tamen propter hoc super aliis vel alias non intendimus in aliquo derogare ; discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatimus ad capitulum predictum accedens, tuumque hujusmodi officium ibidem fideliter et solerter exercens, ut tam circa electionem predictam, quam alia in capitulo ipso agenda, pacis et caritatis vigeat unitas, et omnia secundum Deum et ipsius utilitatem ordinis salubriter dirigantur, partes tue solicitudinis interponas, ita quod ex tua

directione uberes fructus, assistente divina gratia proveniant, tuque perennis mercedem permii consequaris. Datum Avinione, XI kalendas junii, anno secundo. »

186 Avignon, 23 mai 1343.

Infrascriptis mandat ut processus contra Ludovicum de Bavaria factos publicare velint. (Reg. 137, nos XXII et XXIII, fol. 7 r°; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2148, p. 774.)

« *Dilectis filiis ministris, custodibus, ceterisque fratribus ordinis Minorum in generali capitulo ipsius ordinis celebrando Massilie congregandis.* Pridem videlicet die Jovis in festivitate Cene Domini proxime preterita quendam processum adversus Ludovicum de Bavaria diversis excommunicationis innodatum sentenciis ac variis heresum et scismatum criminibus olim, per processus Sedis apostolice sentencialiter, exigente justicia, condempnatum omnique statu et honore privatum, de consilio fratrum nostrorum, fecimus et publicavimus, presente fidelium multitudine copiosa, quem vobis sub bulla nostra providimus destinandum. Volentes igitur processum eundem et omnia et singula contenta in eo, ut ad cunctos fidelium plenius et patencius deducantur noticiam, publicari, discretioni vestre in virtute obediencie per apostolica scripta mandamus quatenus in vestro generali capitulo Massilie in proximo celebrando ac per fratres ejusdem ordinis presertim in sermonibus publicis ubique per eos faciendi predictum processum et contenta in ipso, presentibus clero et populo, dum convenerant ad audiendum verbum Dei, vulgarizando eciam populo ut ea plene intelligant, publicetis et publicari eciam eidem populo solemniter faciatis. — Datum Avinione, X kalendas junii, anno secundo. »

187 Avignon, 23 mai 1343.

Item in eundem modum. *Dilectis filiis prioribus provincialibus et aliis ceterisque ordinis Predicatorum fratribus in generali ejusdem ordinis capitulo celebrando Parisius congregandis*, verbis competenter mutatis.

188 Avignon, 23 mai 1343.

Andreæ Ghini Malpighi, tituli Sanctæ Susannæ presbitero cardinali, ad Jacobum Majoricarum regem destinato mandat ut, si in illis partibus ulterius remanere ipsi non opportunum videatur, ad præsentiam papæ redire non postponat. (Reg. Vat. 137, n° XXIIII, fol. 7 v°.)

« *Dilecto filio Andree tituli Sancte Susanne presbitero cardinali apostolice Sedis nuncio.* Cum tu, tanquam vir fidelis circumspectus et prudens, circa negocia, pro quibus te pridem ad carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum et Jacobum Majoricarum, reges illustres, eorumque regna et terras destinavimus, anxiis vigiliis et studiosis solicitudinibus laborando, quicquid per te agi potuit, jam, sicut intelleximus, feceris, sic quod mora tua non existit ammodo propterea in illis partibus fructuosa, nos, attendentes quod super variis nobis apostolice Sedi negociis emergentibus continuo, tua nobis et ipsi Sedi presencia existere noscitur multipliciter oportuna, volumus quod, nisi aliud tibi occurreret propter quod utile pro premissis commissis, ut prefertur, tibi negociis adhuc remanere ulterius videretur, redire ad nostram presentiam non postponas. Datum Avinione, X kalendas junii, anno secundo. »

189 Avignon, 23 mai 1343.

Infrascriptis servientibus mandat ut Bertrandum de Cornelio, falso se nepotem papæ asserentem, capiant seu capi jubeant, captumque ad Sedem apostolicam adducere curent. (Reg. 137, n° XXV, fol. 7 v°.)

« *Dilectis filiis Persavallo de Pergamo et Rufino de Peccoraria de Placentia, servientibus nostris armorum.* Cum dudum infestis relatibus intellecto quod Bertrandus de Cornelio Lemovicensis diocesis, quandoque sub militari et interdum clericali vel alio habitu se transfigurando, frequenter per partes Italie cum non modica equitum et peditum comitiva discurrens et asserens, licet falso, se nepotem nostrum existere, multa extorserat fraudibus exquisitis a nonnullis personis tam ecclesiasticis quam secularibus et extorquere continue nitebatur, aliosque varios et diversos excessus commiserat et etiam committebat,

nos cupientes hiis obviare salubriter, et de ipso Bertrando justitiam exhiberi, vobis et cuilibet vestrum in solidum per nostras litteras committendum duximus et mandandum ut vos ad partes ipsas et alias de quibus videretis expediens conferentes, eumdem Bertrandum perquirere ac capere seu capi facere, captumque custodire ac ad nostram et Sedis apostolice presentiam adducere sub fida custodia studeretis, quoscumque prelatos ecclesiarum et personas ecclesiasticas necnon dominos temporales justiciarios ac communitates et universitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum et alios in quorum potestatibus dominiis seu territoriis dictus Bertrandus existeret, ut super premissis et ea tangentibus vobis assisterent ac prestarent auxilium et favorem, ex parte nostra nichilominus requirendo, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem vos prefatum Bertrandum repertum in partibus Pedimontis ceperitis, ipsumque, sicut vestra insinuatione percepimus, teneatis captivum, vobis et vestrum cuilibet insolidum per apostolica scripta injungendo districte mandamus quatinus eumdem Bertrandum ad nostram et ejusdem Sedis presentiam adducere sub fida et tuta custodia procuretis, bona vero ipsius Bertrandi, quecumque sint, et in quibuscumque rebus consistant, diligenter et fideliter perquiratis, exigatis et recipiatis, quoscumque detentores vel debitores eorum clericos et laicos cuujscumque status vel conditionis existant, ut ea vobis integraliter liberent, et assignent nichilominus requirendo, super quibus et ea quoquomodo tangentibus, necnon eos qui ea vobis assignaverint, quitandi et absolvendi de hiis que inde receperitis ab eisdem plenam vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore presentium potestatem. Dat. Avinione, x kalendas junii, anno secundo. »

190 Avignon, 23 mai 1343.

Jacobum de Sancta Victoria, archiepiscopum Januensem, rogat ut dictos servientes adjuvare velit. (Reg. Vat. 137, n° xxvi, fol. 8 r°.)

« *Venerabili fratri Jacobo archiepiscopo Januensi.* Cum nos dilectis —. Datum Avinione, x kalendas junii, anno secundo. »

191 Avignon, 24 mai 1343.

Robertum de Perneke, cancellarium regis Angliæ, rogat quatinus operam det ut Petrus de Sancto Fussiano, civis Ambianensis, bona et debita sua in regno Angliæ injuste arrestata recuperare legitime possit. (Reg. 137, n° xxvii, fol. 8 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto de Perneke cancellario carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris.* Exposuit nobis dilectus filius Petrus de Sancto Fussiano, civis Ambianensis, quod nonnulla bona et debita sua, que habet in regno Anglie, arrestata et impedita dudum minus juste in ejus prejudicium extiterunt, nostre igitur intercessionis suffragio per eum super hiis humiliter implorato. Nos qui civem eundem certis considerationibus favore benivolencie prosequimur specialis, nobilitatem tuam attente rogamus quatinus super liberatione bonorum et debitorum hujusmodi, et ut ea, prout ad eum pertinebunt, legitime recuperare valeat et habere, ipsum, quantum cum honestate justicie fieri poterit, favorabiliter et benigne pro nostra et apostolice Sedis reverencia prosequaris, ita quod ipse fructum uberem ex precibus hujusmodi se, prout juste fieri poterit, collegisse letetur; nosque devotionem tuam exinde merito possimus in Domino commendare. Dat. Avinione, ix. kalendas junii, anno secundo. »

192 Avignon, 24 mai 1343.

Hortatur ministros et custodes ordinis Minorum ut in generali capitulo Massiliæ celebrando personam utilem et idoneam in ministrum eligant. (Reg. Vat. 137, n° xxviii, fol. 8 v°; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2149, p. 774.)

« *Dilectis filiis ministris et custodibus fratrum ordinis Minorum in generali capitulo ejusdem ordinis celebrando Massilie congregandis.* Cum inter cetera que in generali ordinis vestri capitulo celebrando Massilie gerenda vobis, ut estimamus, incumbunt, electio generalis ministri de nostro beneplacito ibidem immineat facienda, nos, cupientes talem personam ipsius ordinis, quem gerimus in visceribus caritatis in ministrum eligi, per cujus virtutes et me-

rita dirigatur ad salutaria ipse ordo, sinceritatem vestram attencius in Domino exhortamur quatinus, habentes super hiis pre oculis solum Deum, illam eligatis ad ministeriatum predictum personam quam secundum Deum et vestras consciencias utiliorem crediderítis ordini supradicto. Si vero hec in persona dilecti filii Fortanerii Vassalli ejusdem ordinis sacre theologie professoris auctoritate apostolica curam et administrationem ministeriatus predicti gerentis, cujus eminenciam scientie intuimus concurrere, sicque ipsum esse pro dicto ministeriatu sufficientem et ydoneum crederetis, gratum esset nobis et placibile si ad onus eligeretur illius, super quibus omnibus cum omni sinceritate ac puritate consciencie procedatis. Datum Avinione, x kalendas junii, anno secundo. »

193 Avignon, 26 mai 1343.

Ministrum generalem rogat ut, si forsan in numero ministrorum et custodum ipsius ordinis qui secundum statuta debent in generali capitulo interesse, aliqui deficiant, loco eorum alios fratres idoneos deputare valeat. (Reg. 137, n° xxx, fol. 9 v°.)

« *Dilecto filio Fortanerio Vassalli ordinis fratrum Minorum sacre theologie professori, curam et administrationem ministeriatus generalis ejusdem ordinis apostolica auctoritate gerenti.* Cupientes in generali ordinis fratrum Minorum capitulo Massilie in proximo celebrando, in quo generalis ministri, ejusdem ordinis electio imminet inter cetera facienda, omnia et singula que tam circa electionem predictam quam quevis alia ibidem expedienda emergent, ad honorem Dei et Ecclesie Sancte sue ac utilitatem ipsius ordinis et professorum ejusdem perfecte rite ac juste agi, ut si forsan in numero ministrorum et custodium ipsius ordinis qui secundum privilegia statuta consuetudines vel observancias eiusdem ordinis debent in eodem capitulo interesse aliquis vel aliqui deficerent, loco deficientis vel deficientium hujusmodi alium vel alios fratres prelibati ordinis quos ad hoc cognoveris ydoneos, qui habeant illam quo ad premissa gerenda in eodem capitulo potestatem, quam ipsi deficientes haberent si presentes ibidem existerent, deputare valeas, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Per hec autem eisdem privilegiis statutis consuetudinibus et observanciis non intendimus in aliis vel alias quomodolibet derogare. Datum Avinione, vii kalendas junii, anno secundo. »

194 Avignon, 26 mai 1343.

Prorogatur terminus infra quem Johanna I^a Siciliæ regina præstare homagium et fidelitatis juramentum debet. (Reg. 137, n° xxxi, fol. 10 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Sincera devotio quam —. Dat. Avinione, vii kalendas junii anno secundo. »

195 Avignon, 26 mai 1343.

Infrascriptis mandat ut Guillelmum de Bellagardia in possessionem fructuum canonicatus ecclesiæ Sanctæ Radegundis Pictavensis inducant, non obstante quod apostolicæ Sedis nuncii ipsum alteri contulerint. (Reg. 137, n° xxxii, fol. 10 r°.)

« *Dilectis filiis decano Sancti Aredii, Lemoricensis diocesis et.. succentori Pictavensis, ac Guillermo de Gardia canonico Aurelianensis, ecclesiarum.* Petitio dilecti filii Guillermi de Bellagardia canonici ecclesie Sancte Radegundis Pictavensis nuper nobis exhibita continebat quod, dudum nobis exposito quod olim felicis recordationis Johannes papa XXII, predecessor noster, intendens de beneficiis ecclesiasticis que quondam Robertus Chamarlenc, canonicus secularis ecclesie Sancte Radegundis Pictavensis, tunc temporis obtinebat, cum illa quovismodo vacare contingeret, per apostolice Sedis providenciam ordinari, beneficia ipsa, dum adhuc idem Robertus viveret, collationi et dispositioni sue ac predicte Sedis ea vice specialiter reservaverat, decernendo extunc irritum et inane si secus a quoquam quavis auctoritate super hiis scienter vel ignoranter contingeret attemptari, quodque deinde prefato Roberto rebus humanis exempto, idem predecessor canonicatum et prebendam, quos dictus Robertus in eadem ecclesia tempore reservationis huiusmodi obtinebat, quondam Guidoni Chamarlenc se asserenti clericum, cum non esset tunc temporis, contulerat et de illis duxerat providendum ; idemque

Guido, postquam eosdem canonicatum et prebendam pretextu collationis hujusmodi per plures annos detinuerat occupatos, cum quadam muliere matrimonium per verba de presenti publice contraxerat; et tandem extra Romanam Curiam clauserat terminum vite sue; et quia ipse Guido, tempore dicte collationis, minime tonsuram clericalem habebat, quanquam postmodum se fecisset clericali caractere insigniri: nos, attendentes quod si premissa vera erant dicte collatio et provisio predicto Guidoni de hujusmodi canonicatu et prebenda facte nequaquam viribus subsistebant, et quod reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, nullus preter nos de dictis canonicatu et prebenda per dicti Roberti obitum adhuc tunc vacantibus, ea vice disponere poterat. Cum eciam pie memorie Benedictus papa XII, predecessor noster, dum viveret, non ordinasset de illis, et volentes eidem Guillermo graciam facere specialem, dilectis filiis... Portus Dei et de Briva prioribus ac decano ecclesie Brivatensis, Lemovicensis et Sancti Flori diocesis, per nostras dedimus litteras in mandatis, ut ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios si reperirent veritatem suffragari premissis, eosdem canonicatum et prebendam, si premissis vel aliis quibuscumque modis vacarent, nec esset in eis alicui alii specialiter jus quesitum, eidem Guillermo, cum plenitudine juris canonici, et omnibus juribus et pertinenciis suis conferre auctoritate nostra et assignare curarent, inducendo ipsum vel procuratorem suum ejus nomine, in corporalem possessionem canonicatus et prebende jurium et pertinenciarum predictorum, et inductum deffenderent, amoto exinde quolibet detentore, facerentque ipsum vel procuratorem suum nomine suo, ad dictos canonicatum et prebendam in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro, et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine juris canonici assignatis, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Postmodum autem predictus prior de Briva, prout ex tenore litterarum predictarum poterat, solus super predictis procedens, reperto legitime dictos canonicatum et prebendam vacare modo predicto, eos cum plenitudine juris canonici, ac omnibus juribus et pertinenciis suis memorato Guillermo auctoritate litterarum nostrarum predictarum contulit, et de illis providit eidem, sicut in instrumento publico inde confecto plenius asseritur contineri. Et licet idem Guillermus subsequenter possessionem predictorum canonicatus et prebende pacificam, auctoritate litterarum nostrarum et collationis predictarum fuerit canonice assecutus, tamen ut eadem petitio subjungebat, dilectus filius Franciscus Petri Odonis, militis de Tuderto, clericus, asserens quod vigore quarumdam litterarum per nos dudum venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrinensi, et Anibaldo Tusculano episcopis, tunc apostolice Sedis nunciis, directarum, per quas eis et eorum cuilibet, ut eo melius et felicius ardua per nos eis in partibus regnorum Francie et Anglie commissa negocia prosequi et complere valerent, quo majori essent auctoritate muniti, conferendi auctoritate nostra omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, in predictis vel vicinis partibus consistencia tunc vacancia, et durante hujusmodi prosecutione vacatura, que ad decimam taxata non existerent, et taxata etiam ad decimam ipsam, dummodo singulorum beneficiorum ipsorum taxatorum, ad decimam fructus redditus et proventus quindecim librarum Turonensium parvorum secundum taxationem ejusdem decime valorem annuum non excederent, concessimus potestatem, prefatus episcopus Tusculanensis dictos canonicatum et prebendam non taxatos singulariter ad decimam, licet summam dictarum quindecim librarum Turonensium parvorum in suis fructibus redditibus et proventibus excedentes extimatione communi, eidem Francisco contulerat, supradictum Guillermum pretextu collationis hujusmodi super prelibatis canonicatu et prebenda impedit et molestat, jamque inter eundem Franciscum ex parte una, et dictum Guillermum ex altera, coram dilecto filio magistro Thoma Fastolf capellano nostro, causarum nostri palatii auditore lis mota extitit, et in ea ad citationem, et usque ad libelli oblationem processum. Quare prefatus Guillermus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, premissis diligencius intellectis, cum nostre intentionis non extiterit, nec existat, quod ipsi episcopi vel alter eorum, aut quicumque alii legati vel nuncii dicte Sedis, quibus hujusmodi, vel similem super conferendis talibus beneficiis concesserimus potestatem, ad que —

cumque beneficia cum cura vel sine cura ad eandem decimam non taxata, quorum fructus redditus et proventus quindecim librarum Turonensium parvorum annuum valorem extimatione communi excederent, potestas hujusmodi quomodolibet se extendat : quicquid in contrarium attemptatum super premissis extiterit, nullius esse vel fuisse roboris vel momenti tenore presentium nichilominus declarantes et eciam decernentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii fructus redditus et proventus eorundem canonicatus et prebende dicto Guillermo auctoritate nostra, sicut premittitur, collatorum, valorem dictarum quindecim librarum annuum estimatione communi excedere repereritis, eundem Guillermum vel procuratorem suum ejus nomine, predictorum canonicatus et prebende juxta formam et tenorem collationis et provisionis inde sibi factarum, ut premittitur, faciatis pacifica possessione gaudere, amoto exinde quolibet illicito detentore. Contradictores etc. Dat. Avinione, VII kalendas junii, anno secundo. »

196 Avignon, 27 mai 1343.

Guillermo de Curte, Sanctorum Quatuor Coronatorum cardinali, mandat ut in treugis, quas indixit inter Johannam reginam Siciliæ, marchionem Montisferrati et Mediolanenses, Jacobus de Sabaudia, vassallus dictæ reginæ, includatur. (Reg. 137, n° XXXIII, fol. 10 v°.)

« *Dilecto filio Guillermo tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.* Placibiliter intellecto quod —. Datum Avinione, VI kalendas junii, anno secundo. »

197 Avignon, 28 mai 1343.

Cum papa provisionem monasterii Sancti Rikarii in Pontivo ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diœcesis, specialiter sibi reservaverit, priori et conventui dicti monasterii, tunc vacantis per obitum Balduini abbatis, expresse inhibet ne contra hanc reservationem ad electionem futuri abbatis procedant. (Reg. 137, n° XXXVI, fol. 13 r°.)

« *Dilectis filiis priori et conventui Sancti Rikarii in Pontivo, ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus.* Dudum intendentes vestro monasterio, si tunc vacabat, vel cum illud primo vacare contingeret, de pastore secundum cor nostrum ydoneo per circumspectionem Sedis apostolice providere, provisionem ejusdem monasterii nobis ea vice duximus auctoritate apostolica specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus per quoscunque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Nunc autem, noviter intellecto dictum monasterium per obitum quondam Balduin abbatis ejusdem in illis partibus decedentis vacare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus et inhibemus expresse quatinus ad electionem, postulationem, nominationem vel aliam provisionem abbatis ejusdem monasterii nullatenus procedatis, nec contra reservationem et decretum nostra hujusmodi presumatis quomodolibet aliquid attemptare. Dat. Avinione V kalendas junii, anno secundo. »

198 Avignon, 29 mai 1343.

Sanciæ, reginæ Siciliæ, gratias agit de sacris paramentis missis. (Reg. 137, n° XXXVII, fol. 13 v°.)

« *Carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri.* De pulcris et devotis, tam pontificalibus quam altaris ad lilia Francie, paramentis, frigiis et aliis preciosis fabricatis et decoratis ornatibus per te, carissima filia, nobis missis, que tanto libencius et benignius recepimus quanto in eorum missione ac presentatione sinceriorem et fervenciorem consideravimus devotionem mittentis, tue serenitati regie graciarum referimus uberes actiones. Dat. Avinione, IIII kal. junii, anno secundo. »

199 Avignon, 29 mai 1343.

Hortatur Sanciam et Johannam reginas Siciliæ ut Carolum ducem Duracii et Mariam, ejus uxorem, diligant. (Reg. 137, n° XXXVIII, fol. 13 v°.)

« *Carissimis in Christo filiabus Sancie et Johanne reginis Sicilie illustribus.* Ex litterarum celsitudinis vestre —. Datum Avinione, IIII kalendas junii, anno secundo. »

200 Avignon, 29 mai 1343.

Cum occasione matrimonii inter Carolum ducem Duracii et Mariam natam Caroli ducis Calabriæ, contracti, emulatio et dissentio in domo regia inter Johannam reginam Siciliæ et Mariam, ejus germanam, neptes suas, orta sit, imperatricem rogat ut inter eas pacem reformet et amorem. (Reg. 137, n° XXXIX, fol. 14 r°.)

« *Carissime in Christo filie Catherine imperatrici Constantinopolitane.* Si diligenter et consideranter —. Dat. ut supra. »

201 Avignon, 29 mai 1343.

Cum, matrimonium inter Carolum ducem Duracii et Mariam natam quondam Caroli ducis Calabriæ, contractum, papæ gratum fuerit, Agnetem ducissam Duracii rogat ut Johannæ reginæ Siciliæ obedire velit. (Reg. 137, n° XL, fol. 14 v°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti ducisse Duracii.* Etsi nobis qui —. Dat. ut supra. »

202 Avignon, 29 mai 1343.

Antonium de Aribandis de Valentia, Gaietanum episcopum, Hugonem de Baucio Provinciæ senescallum aliosque ambassiatores, qui nuper ad Sedem apostolicam venerant, plene informatos ad reginas remittit. (Reg. 137, n° XLI, fol. 15.)

« *Carissimis in Christo filiabus Sancie et Johanne reginis Sicilie illustribus.* Venientes pridem ad nostram presentiam venerabilem fratrem nostrum Antonium episcopum Gaietanum et dilectos filios nobiles viros Thomam de Sancto Severino, Marsici, Hugonem de Baucio, senescallum Provincie, Avellini comites, Robertum de Cabannis et Johannem de Reverto milites ambassiatores et nuncios vestros benigne mittentium consideratione ac ipsorum missorum probitatis obtentu recepimus et ea que proponere coram nobis prudenter et provide curaverunt pacienter et favorabiliter audivimus et intelleximus diligenter, tandemque previa deliberatione matura respondimus super hoc eis et ipsos favorabilius cum justicia et honestate fieri potuit expedivimus, sicut prefati Thomas et Robertus qui ad vestram redeunt presentiam vobis seriosius et plenius referre poterunt viva voce. Datum Avinione, IIII kal. junii, anno secundo. »

203 Avignon, 29 mai 1343.

Cum Benedictus papa XII Johanni Ricardi de Tolleto prioratum sæcularis ecclesiæ Sancti Genesii de Vertenan, Vabrensis diœcesis, ad collationem episcopi Vabrensis spectantem, per reservationem contulisset, dummodo ille Johannes capellam Sancti Castoris, sitam in ecclesia Nemausensi, dimitteret, de dicta capella tunc sic vacante Bernardo Stephani Clemens VI providet, non obstantibus impedimentis seu vacationis causis, per præpositum Nemausensem invocatis. (Reg. 137, n° XLIII, fol. 15 v°.)

« *Dilecto filio Bernardo Stephani perpetuo capellano capelle Sancti Castoris, site in ecclesia Nemausensi, salutem et cætera.* Laudabile testimonium, quod —. Datum Avinione, IV kalendas junii, anno secundo. »

204 Avignon, 30 mai 1343.

Magistro Ludovico de Petragrossa, archipresbitero ecclesiæ Vivariensis, procuratori fiscali seu actori in omnibus causis contra Romanam Ecclesiam motis, Andream Ruphum canonicum Andegavensem, in utroque jure licenciatum, propter causarum multiplicationem adjungit, ad supradictæ procurationis officium prosequendum. (Reg. 137, n° XLIIII, fol. 16 r°.)

« *Dilectis filiis magistris Ludovico de Petragrossa archipresbitero Vivariensis, et Andree Ruphi canonico Andegavensis, ecclesiarum, in utroque jure licenciato, procuratoribus nostris fiscalibus.* Dudum te, fili archipresbiter, nostrum et ecclesie Romane procuratorem, seu actorem constituendum duximus in omnibus causis contra dictam ecclesiam, seu rectores, aut officiales terrarum ipsius ecclesie, necnon et processus eorum, ac pro nobis et eadem ecclesia rectoribus, et officialibus supradictis, contra quoscumque motis, seu

movendis, civiliter vel criminaliter, coram quibuscumque judicibus vel auditoribus, a nobis super hiis specialiter vel generaliter deputatis vel imposterum deputandis, atque in premissis agendi, deffendendi, excipiendi, replicandi, litem contestandi, ponendi, respondendi, beneficium restitutionis in integrum petendi, ceteraque faciendi, que verus et legitimus procurator sive actor facere debet et potest, necnon substituendi alium vel alios procuratores, ad omnia et singula supradicta, qui similem in hiis potestatem haberent, eosque revocandi, et loco ipsorum alium vel alios surrogandi, quociens oportunum existeret, seu videretur expediens, usque ad apostolice Sedis beneplacitum plenam tibi concessimus facultatem, ratum habituri et gratum quicquid circa premissa et quodlibet premissorum per te, vel substitutum seu substitutos predictos actum existeret, vel eciam procuratum, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane quia, sicut intelleximus, multiplicatis causis et negociis ad prosequendum procurationis officium hujusmodi commode sufficere nequis solus, nos de te, fili Andrea, tueque fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi archipresbitero predicto adjungimus in omnibus et singulis supradictis, volentes ut vos et vestrum quilibet insolidum, ea gerendi faciendi et exequendi habeatis de cetero plenariam potestatem, ita ut illud quod per alterum vestrum inceptum quomodolibet fuerit, alter exequi valeat et finire, nec sit in aliquo condicio melior occupantis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus sic fideliter et laudabiliter super hiis vos geratis, quod inde possit vestra prudencia merito commendari. Datum Avinione, III kal. junii, anno secundo. »

205 Avignon, 30 mai 1343.

Lodulphum, domus Teutonicorum generalem magistrum, rogat quatinus ad villam Brugensem in Flandria, Tornacensis diœcesis, sine dilatione destinare procuret summam 4.500 florenorum auri, ad cameram apostolicam spectantem, quæ in partibus illis deposita servabatur. (Reg. 137, n° XLV, fol 16 v°.)

« *Dilecto filio Lodulpho domus hospitalis Jerosolimitani Beate Marie Teutonicorum generali magistro.* Devotionis tue litteras ad eas quas dudum tibi super mittendis ad cameram nostram quibusdam auri seu pecunie quantitatibus, ad cameram ipsam spectantibus, que in partibus illis conservabantur deposite, responsales recepimus continentes quod quantitates hujusmodi, que ad quatuor milia quingentos florenos auri poterant ascendere, ad villam Brugensem, Tornacensis diocesis in Flandria, ibidem assignandas nomine dicte camere, dummodo esset aliquis qui eas recipiendi, et quitandi de illis potestatem haberet a nobis, hinc ad festum Assumptionis beate Marie Virginis ordinaveras destinare. Nos igitur tuam diligenciam super hiis in Domino commendantes, discretionem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus quantitates easdem ad predictam villam Brugensem procures mittere, ut scripsisti. Sciturus quod certas personas ibidem deputavimus, que te tuumque ordinem et quosvis alios, quos premissa possint contingere, quitandi de hiis que inde sibi assignata fuerint habent plenariam potestatem. Datum Avinione, III kal. junii, anno secundo. »

206 Avignon, 30 mai 1343.

Mercatoribus Astensibus infrascriptis facultatem concedit a supradicto Lodulpho pecuniam assignatam recipiendi, eumque quittandi. (Reg. 137, n° XLVI, fol. 17 r°.)

« *Dilectis filiis Guidoni et Bodraco Malabayla ac Conrado de Vallescaria, mercatoribus Astensibus tam in Romana Curia quam in partibus Flandrie morantibus.* Cum certe summe pecunie —. Dat. Avinione III kal. junii, anno secundo. »

207 Avignon, 1er juin 1343.

Infrascripto collectori Angliæ mandat ut nihil petat de fructibus primi anni decanatus Eboracensis collati cardinali Petragoricensi videlicet Talayrando tituli Sancti Petri ad Vincula presbitero, quia ille cum camera concordavit. (Reg. 137, n° XLVII, fol. 17 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo de Sistre, archidiacono Cantuariensi in partibus Anglie nostro et apostolice Sedis nuncio.* Cum ex generali reservatione. — Datum Avinione, kalendis junii, anno secundo. »

208 Avignon, 3 juin 1343.

Philippi regis Franciæ litteris per cedulam respondet. (Reg. 137, n° LVIII, fol. 20 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super hiis que regalis excellencia novissime nobis scripsit, eidem breviter respondemus, prout continetur in cedula presentibus interclusa. Dat. Avinione, III nonas junii, anno secundo. »

209 Avignon, 5 juin 1343.

Cum Guillelmus, quondam abbas monasterii Monasteriinovi Pictavensis, Cluniacensis ordinis, summam 2.500 lib. tur. parvorum ad opus dictæ ecclesiæ conventui legavisset, Stephanusque tunc abbas dicti monasterii de dicta summa 200 denarios auri ad scutum recepisset, antequam ad monasterium Sancti Tiberii Agathensis diœcesis translatus fuisset, papa dictam summam licite eidem Stephano concedit, pro relevatione sumptuum quos propter provisionis litteras subierat, dummodo prædictum monasterium super residuo summae non molestet, et, quicquid receperit, conventui integre restituat. (Reg. 137, n° LIX, fol. 20 r°.)

« *Dilecto filio Stephano abbati monasterii Sancti Tyberii, ordinis Sancti Benedicti, Agathensis diocesis.* Pridem in nostra proprosuisti presentia constitutus, quod te dudum monasterii Monasterii Novi, Pictavensis, Cluniacensis ordinis, abbatiali regimini presidente, vicarii tui, quos ad ipsum monasterium duxeras destinandos, reperto quod quondam Guillelmus, abbas ejusdem monasterii, predeccessor tuus immediatus, gravi corporali, qua decessit, infirmitate gravatus, summam duorum milium et quingentarum librarum Turonensium parvorum de moneta in partibus illis currente, fabrice reparationis seu edificii ecclesie monasterii predicti ruinose, ut asseritur, legaverat et assignaverat dilectis filiis conventui monasterii prelibati, summam hujusmodi ad te velut successorem immediatum ejusdem Guillelmi abbatis, ex eo pertinere dicentes, quod ipse in eadem infirmitate aliquid de bonis suis disponere in sui successoris prejudicium non valebat, de ipsa summa ducentos denarios auri ad scutum receperunt, et eos tibi tunc abbati ejusdem monasterii assignarunt. Subsequenter vero, nos te ab eodem monasterio ad monasterium Sancti Tiberii ordinis S. Benedicti, Agathensis diocesis, vacans tunc temporis, duximus transferendum. Cum autem antequam ad prefatum monasterum transtulerimus, tu supradicti monasterii Monasteriinovi abbas, ut prefertur, existens, tam pro litteris provisionis de te facte, predicto Monasterionovo, quam munere benedictionis tue apud apostolicam Sedem suscepto, sumptus non modicos quos habere de bonis ipsius monasterii nequivisti, opportuerit, sicut asseris, te subire, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur premissis plenius intellectis, licet totam summam predictam nobis juste retinere, vel alias disponere de illa juxta nostre voluntatis beneplacitum valeremus, volentes tamen benignius agere in hac parte, volumus, et eciam ordinamus, quod pro relevatione utiliori sumptuum predictorum dictos ducentos denarios auri ad scutum de dicta summa duorum milium et quingentarum librarum tibi, ut premittitur, assignatos, retinere, tibique applicare possis licite, nec ad illorum restitutionem alicui vel aliquibus de cetero tenearis. Residuum vero dicte summe in fabricam edificii seu reparationis ecclesie dicti monasterii Monasteriinovi, et non in usus alios, utiliter et fideliter convertatur, quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum conventum super eodem residuo de cetero non molestes, et si forsan aliquid de predicta summa duorum milium et quingentarum librarum ultra dictos ducentos denarios auri ad scutum, ad manus tuas vel tuorum pervenerit, illud convertendum in dictam fabricam dicto conventui restituere non postponas. Dat. Avinione, nonis junii, anno secundo. »

210 Avignon, 7 juin 1343.

Ne Studium Aurelianense de cætero lædatur, Philippum regem Franciæ rogat ut clementer mitigari faciat processus inchoatos contra quosdam studentes Universitatis Aurelianensis qui, cum hominibus inferioris status, excessus commiserant, hortaturque ut clericos, per gentes regias captos, judicibus ordinariis restitui jubeat. (Reg. 137, n° LXIII, fol. 22 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper displicibilis nimis insinuatione rumo-

ris perlatum extitit ad nostri apostolatus auditum, quod pretextu quorumdam excessuum per quosdam populares seu homines inferioris status Aurelianis commorantes, una cum quibusdam clericis fatuis Aurelianensis Studii, eis ut asseritur adherentibus super hoc, ibidem non sine magne temeritatis audacia commissorum, regalis excellencia provocata sic rigorose procedi super hiis voluit et mandavit, quod alii studentes in eodem Studio de premissis penitus innocentes, conturbati et perterriti, quasi pro majori parte desolatum Studium dimiserunt. Sane, fili carissime, quia certum et indubitatum existere noscitur, quod ex eodem et aliis generalibus Studiis regni tui tam regni ejusdem, quam aliarum mundi partium utilitati rei publice bona provenerunt hactenus inennarrabilia, et proveniunt incessanter, indeque predicto regno preter hoc resultat magnus honor, nec propter aliquos presumptuosos et stultos qui se nescientes regere sub rationis et honestatis habenis, sunt a suis judicibus et superioribus lima justicie corrigendi, expediat impedire vel turbare quomodolibet tantum bonum, magnificentiam rogamus regiam et in Domino attencius exhortamur, quatinus premissis, et aliis que consideranda circa hec regie circumspectioni possunt occurrere, matura meditatione pensatis, sic clementer et pie mitigari faciat regalis providencia processus super hiis incohatos, quod predictum Studium in multis bonis, personis que super acquirendis ibidem sciencie margaritis insudant, reflorens et proficiens sicut prius, cessantibus impedimentis quibuslibet indebitis, fructus producere jugiter divina cohoperante gratia valeat uberes et votivos, et inde regalis benignitas laudis et commendationis attollatur preconiis non indigne. Ceterum cum per gentes regias ad captionem quorumdam clericorum fore asseratur processum, exhortationibus nostris adicimus, ut eos restitui suis ordinariis corrigendos et puniendos, prout rationis equitas suaserit, faciat regia celsitudo. Dat. Avinione, VII idus junii, anno secundo. »

211 Avignon, 7 juin 1343.

Philippo regi Franciæ maximas gratias agit de sacris reliquiis et sumptuoso reliquiario missis et per Symonem de Bragella, thesaurarium Capellæ Regiae Parisiensis, presentatis. (Reg. 137, n° LXIV, fol. 22 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Sacras quas devotis desiderabamus affectibus reliquias a serenitate regia nobis missas, et in quodam vase decoro et precioso admodum reconditas, per dilectum filium Symonem de Bragella thesaurarium capelle Parisiensis regie pro parte magnificentie regie presentatas, recepimus ingenti cordis leticia, et spirituali consolatione refecti, et quanquam nostre voluntatis et intentionis nequaquam existeret, nec, dum ipsas reliquias petivimus, extitisset quod in tali tanquam sumptuoso vase, cum pro illis fabricari jam fecissemus satis pulcrum aliud, mitterentur, tamen de ipsis reliquiis et reliquiario predicto in quibus non solum doni magnitudinem, sed benivolenciam et devotionem mittentis attendimus, eidem regali magnificiencie graciarum referimus uberes actiones. Datum Avinione, VII idus junii, anno secundo.»

212 Avignon, 7 juin 1343.

Johannæ reginæ Franciæ de eodem gratias agit. (Reg. 137, n° LXV, fol. 22 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Ingenti cordis leticia et spirituali consolatione refecti, sacras quas devotis desiderabamus affectibus reliquias per carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem virum tuum, reconditas in quodam vase decoro et precioso valde, recepimus nobis missas; et licet nostre intencionis et voluntatis non existeret, nec dum ipsas reliquias petivimus, extitisset quod in tam precioso et sumptuoso vase, cum jam pro illis fecissemus fabricari satis pulcrum aliud, miterentur, in eisdem tamen reliquiis et predicto reliquiario non solum doni magnificienciam, sed ejusdem regis et tuam, que premissa procurasti fieri, devocionem et benivolenciam contemplantes, serenitati tue actiones uberes referimus graciarum. Datum Avinione, VII idus junii, anno secundo. »

213 Avignon, 7 juin 1343.

Odoni, episcopo Paphensi, mandat ut quadringentas marchas argenti turonensium grossorum, per eum recollectas, procuratoribus Francisci Baralhi civis et mercatoris Avinionensis assignare faciat, quo facilius dictus Franciscus dictam summam cameræ apostolicæ destinare queat. (Reg. 137, n° lxvii, fol. 23 r°.)

« *Venerabili fratri Odoni episcopo Paphensi.* Cum inter cameram nostram, et dilectum filium Franciscum Baralhi, civem et mercatorem Avinionensem, sub certis modis et pactis extiterit ordinatum, quod de pecuniis cameram ipsam contingentibus, per te collectis seu receptis, quadringente marche argenti turonensium grossorum ad pondus Curie Romane, dilectis filiis Guillermo Dominici de Montepessulano, Magalonensis diocesis, et Hugoni Adrech civi Avinionensi, mercatoribus factoribus, seu procuratoribus dicti Francisci, vel eorum alteri ab eo mandatum habenti super hoc, tradantur et eciam assignentur, cum prefatus Franciscus de dicta marcharum quantitate, dum per te prelibatis procuratoribus, vel eorum alteri assignata fuerit obligatione interveniente sollempni teneatur eidem camere respondere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus assignationem hujusmodi facere, sicut premissum est, non ommittas, super ea duo consimilia publica instrumenta confici faciendo, quorum uno penes te retento, reliquum ad cameram ipsam studeas fideliter destinare. Prefatis autem Guillermo et Hugoni, et eorum cuilibet recipiendi a te quantitatem predictam, teque quitandi de hiis que inde sibi duxeris assignanda, per alias litteras concedimus facultatem. Datum Avinione, vii idus junii, anno secundo. »

214 Avignon, 7 juin 1343.

Guillermo Dominici de Montepessulano et Hugoni Adrech civi Avinionensi mercatoribus factoribus Francisci Baralhi mandat, ut dictam summam ab episcopo Paphensi collectam recipiant. (Reg. 137, n° lxviii, fol. 23 v°.)

« *Eisdem Guillermo et Hugoni.* Cum inter cameram etc. usque curie romane vobis vel alteri vestrum ab eodem Francisco mandatum habenti per venerabilem fratrem nostrum Odonem episcopum Paphensem tradantur et eciam assignentur, cum dictus Franciscus de dicta marcharum quantitate, dum vos seu alter vestrum eam receperitis, respondere interveniente obligatione sollempni dicte camere sit astrictus, nos vobis et cuilibet vestrum ab eodem Francisco super hoc mandatum habenti dictam quantitatem recipiendi ac memoratum episcopum et alios quorum intererit quitandi et absolvendi de hiis, que inde receperitis ab eodem, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Avinione, vii idus junii, anno secundo. »

215 Avignon, 8 juin 1343.

Berengarius Blasini, rector ecclesiæ de Cerviano, Biterrensis diocesis, deputatur thesaurarius ducatus Spoletani, loco Johannis Rigaldi, canonici Albiensis. (Reg. 137, n° lxxi, fol. 26, r°.)

« *Dilecto filio Berengario Blasini, rectori ecclesie de Serviano, Bitterrensis diocesis, ducatus Spoletani nostro et Ecclesie Romane thesaurario.* De tue fidelitatis —. Datum Avinione, vi idus junii, anno secundo. »

216 Avignon, 9 juin 1343.

Guillelmum Borcerii, rectorem ecclesiæ de Laireria, Narbonensis diœcesis, dudum thesaurarium quondam Bernardi, archiepiscopi Narbonensis, cum, suspectus bona archiepiscopi inhoneste administravisse, in Curiæ Romanæ carceribus detentus fuisset, a carcere liberat, dummodo cautiones idoneas præstet, et officialem Narbonensem rogat, ne fidejussores designatos recipere postponat. (Reg. 137, n° lxxvii, fol. 27 r°.)

« *Dilecto filio... officiali Narbonensi.* Olim felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, dispositionem bonorum mobilium bone memorie Bernardi archiepiscopi Narbonensis, sibi certis ex causis reservans, ea sue camere nomine mandavit percipi colligi et fideliter custodiri. Cumque dilectus filius Guillelmus Borcerii, rector ecclesie de Layreria, Narbonensis diocesis, dudum thesaurarius dicti archiepiscopi, ex eo quod super bonis eisdem, que ipse pro magna parte receperat et administraverat, habebatur

suspectus, captus in illis partibus detentus diutius, et tandem ad Romanam Curiam, ut camera nostra plenius certioraretur, cum ipso super hiis, adductus fuerit, et ibidem aliquo detentus tempore nostris carceribus mancipatus. Nos, volentes mitius agere cum eodem, ordinavimus de gratia speciali, quod idem Guillermus, prestitis ab ipso cautionibus de tenendo securum arrestum in eadem curia, et comparendo, seque presentando personaliter in eadem camera, ac eidem parere quociens fuerit requisitus, et si forsan premissa non complendo fugam caperet, fidejussores dandi super predictis per eum ad solvendum integraliter ipsi camere omnia et singula in quibus prefatus Guillermus per finem rationum suarum reperiretur teneri, essent astricti, ab eodem liberetur carcere sub arresto remanendo predicto. Et, licet prefatus Guillermus ad premissa se obligaverit efficaciter et fidejussores dicte camere dederit aliquos, qui se ac sua sub forma obligarunt predicta, quia tamen fidejussores ipsi super tanto negocio sufficere non videntur, et ipse alios sufficientes obtulit in eisdem partibus se daturum, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus fidejussores ydoneos tibi pro parte ipsius Guillermi offerendos, qui se ac omnia bona sua secundum formam superius expressam efficaciter et sollempniter, cum clausulis, cautelis et renunciationibus ydoneis et sufficientibus obligent, nomine camere nostre predicte recipere non postponas, inde instrumentum publicum faciendo confici quod cures quantocius ad eamdem cameram fideliter destinare. Dat. Avinione, v idus junii, anno secundo. »

217 Avignon, 9 juin 1343.

Suspendit ad tempus sententias excommunicationis latas in Odonem IV ducem Burgundiæ, qui monetam cudi jubebat in villa de Auxona, Bisuntinæ diœcesis, et interdictum appositum in dicta villa relaxat. (Reg. Vat. 137, n° cxl., fol. 47 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum illius, qui cogitationes pacis et non afflictionis se cogitare testatur, vices, licet immeriti, geramus in terris, libenter inter fideles quoslibet pacis semina jacimus, et fomites extinguimus odiorum, sed ad reformanda inter prelatos ecclesiarum, ac magnates et nobiles adinvicem dissidentes, unitatis federa, eo diligencius vias et modos oportunos exquirimus, quo ex ipsorum discordia, graviora dispendia et ex ipsorum concordia noscuntur majora commoda, non solum ipsis dissidentibus, sed eciam ecclesiis et populis provenire. Nuper si quidem ad audienciam apostolatus nostri pervenit, quod cum dilectus filius nobilis vir Odo dux Burgundie, in villa de Auxona, Bisuntine diocesis monetam cudi faceret, prout ratione comitatus sui de Auxona id sibi competere asserebat, venerabili fratre nostro archiepiscopo Bisuntino et dilectis filiis capitulo ecclesie Bisuntinensis, asserentibus jus et facultatem faciendi fabricari et cudi monetam in civitate et dioeci Bisuntinensibus ad ipsos solos et insolidum, et ad nullum alium pertinere, dictum ducem requisivit archiepiscopus predictus, ut a cussione et fabricatione monete predicte desisteret, et desisti faceret, com[m]inando eidem, ut pro parte dicti ducis asseritur, quod nisi sic faceret, per sentencias excomunicationis suspensionis ac interdicti procederet contra ipsum et monetarios suos dictam monetam in dicta villa de Auxona fabricantes, a qua comminatione pro parte dicti ducis asserentis sibi premissa licere, et monetariorum predictorum, fuit ad Sedem apostolicam appellatum, quodque prefati archiepiscopus et capitulum pretendentes ducem et monetarios predictos sufficienter auctoritate consilii seu statuti provincialis Bisuntinensis contra invasores, raptores, occupatores et detentores bonorum rerum et jurium ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum civitatis et diocesis Bisuntinensis, ut dicebant, editi, monitos, ut a fabricatione et cussione dicte monete infra certum competentem terminum desisterent, et desisti faceret dux predictus, monitioni hujusmodi parere contempsisse, ac propterea ipsos ducem et monetarios auctoritate statuti provincialis Bisuntinensis predicti, excomunicationis sentenciam incurisse, ac villam predictam fore suppositam ecclesiastico interdicto, ducem, et monetarios prefatos excomunicatos et villam prefatam interdicto ecclesiastico suppositam, mandavit et fecit officialis Bisuntinensis executor dicti consilii et statuti publice nunciari, propter que pro parte ducis et monetariorum predic-

torum fuit iterato ad Sedem appellatum eandem, quodque premissis ad audienciam felicis recordationis Benedicti pape XII predecessoris nostri deductis, idem predecessor causas appellacionum hujusmodi dilecto filio magistro Oliverio de Cerzeto, decano ecclesie sancti Ilarii Pictavensis, capellano dicte Sedis, et auditori causarum palacii apostolici, audiendas commisit, et fine debito terminandas, cum potestate absolvendi ducem et monetarios a dicta excomunicationis sentencia ad cautelam, si et prout de jure forent absolvendi, qui dictos ducem et monetarios absolvit ab ipsa sentencia ad cautelam, a qua absolutione et dicti Oliverii pronunciatione fuit pro parte ipsorum archiepiscopi et capituli ad Sedem appellatum predictam. Et tandem post nonnullos processus super injusticia seu iniquitate dicte absolutionis coram diversis auditoribus dicti palacii successive in hujusmodi causis deputatis habitos, et interlocutoriis sentenciis per tres de prefatis auditoribus pro ipsis archiepiscopo et capitulo successive prolatis, a quarum tercia sentencia pro parte dicti ducis et monetariorum non extitit appellatum, dicto predecessore sicut Domino placuit rebus humanis exempto. Nos, divina gracia faciente, ad apicem summi apostolatus assumpti, prospicientes litem et discordiam hujusmodi eisdem archiepiscopo, capitulo et duci ac eorum subditis dispendiosas plurimum et dampnosas, et quod nisi discordia ipsa per alium modum amicabilem sopiretur celeriter, dispendia inducere poterat et scandala graviora. Et propterea, affectantes inter ipsos archiepiscopum, capitulum et ducem, pacem et concordiam reformari super hiis interponere cepimus partes nostras. Et demum pro bono pacis et concordie partium predictarum inter eos tractandarum, et ut ad pacem et concordiam hujusmodi plenarie reformandas via facilior pateat et eciam preparetur, super hujusmodi negocio ut sequitur ordinamus, videlicet quod usque ad octabas festi Resurrectionis dominice proximo futuri omnis judiciarius strepitus inter archiepiscopum, capitulum, ducem et monetarios predictos super premissis et eorum occasione penitus conquiescat, ut interim actore Domino utriusque partis amicis tractantibus, et mediantibus, pax et concordia inter archiepiscopum, capitulum et ducem predictos ac eorum sequaces durature perpetuo reformentur. Et nichilominus ut idem dux eo promptius et facilius juxta rationis et equitatis debitum ad hoc se preparet et coaptet, quo per nos majori favore et gratia se cognoverit preveniri, omnes et singulas excomunicationum et interdicti sentencias per archiepiscopum aut officiales suos dicti consilii seu statuti provincialis, vel alia auctoritate premissorum occasione prolatas in ipsos ducem et monetarios, si dictus dux et monetarii sui eis vel earum aliqua sint ligati, archiepiscopo predicto et Petro de Arcu clerico procuratore dicti ducis ad hoc potestatem habente presentibus, et petentibus, ac presenti ordinationi nostre consentientibus, ac presente et non contradicente Johanne de Sancto Albino canonico ecclesie Bisuntine auctoritate apostolica cum moderamine infrascripto relaxamus, ac prefatum interdictum in eadem villa de Auxona ut prefertur appositum, si ipsi villa sibi subjaceat usque ad octabas predictas dumtaxat, et non ultra, tenore presencium duximus suspendendum. Et quod interim a denunciatione excomunicationis et interdicti ducis et monetariorum predictorum per personas ecclesiasticas, civitatis, diocesis et provincie Bisuntinensis cessetur omnino, ac in villa ipsa divina officia resumantur. Volumus autem quod per ordinationem relaxationes et suspensiones hujusmodi, vel per fabricationem et cussionem dicte monete quam ipse dux facit, seu pendente hujusmodi dilatione faciet, vel ejus monetarii pro eo, viri cujuslibet partium predictarum, tam in petitorio, quam in possessorio, quam et processibus habitis super istis in aliquo nullatenus derogetur seu jus aliquod vel possessio ipsi duci acquiratur, nec ipse dux, seu ejus monetarii per se vel per alium appellare, seu aliquid invocare valeant in prejudicium archiepiscopi et capituli predictorum, nec elapso dicto termino relaxationem hujusmodi pro absolutione habere, sed elapso dicto termino, si interim super hiis concordatum non fuerit amicabiliter inter partes, excommunicationis et interdicti sententie ipsaque negotium et cause, ceteraque omnia circa ea facta et habita, in eo statu, eaque firmitate ac vigore permaneant, et permanere debeant, ac mandari possint observari, per eum vel eos ad quem vel ad quos pertinebit, in quibus ante tempus et tempore ordinationis relaxationis et suspensionis hujusmodi existebant,

ipseque relaxatio et suspensio sint ipso facto irrite atque nulle, ac si minime facte forent. Ipsique dux et monetarii extunc excomunicati publice denunciari possint ut prius, et ipsa villa sicut ante subjaceat interdicto, si et quatinus antea ligati erant, et primitus subjacebant. Non obstante absolutione predicta, dictis duci et monetariis impensa per magistrum Oliverium supradictum. Nulli ergo et etc. Datum Avinione, v idus junii, anno secundo. »

218 Avignon, 9 juin 1343.

Monasteriorum de Faverneyo et de Aceyo, Bisuntinæ diœcesis, abbatibus et officiali Bisuntino mandat, ut prædictam bullam in omnibus locis aut ecclesiis solemniter publicare curent. (Reg. 137, n° cxli fol. 48 r°.)

« *Dilectis filiis .. de Faverneyo et.. de Aceyo. Bisuntine diocesis, monasteriorum abbatibus ac .. officiali Bisuntino.* Cum illius etc. ut in alia usque supradictum, verbis competenter mutatis. Quocirca mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios ordinacionem, relaxacionem, suspensionem ac omnia alia supradicta in omnibus locis et ecclesiis de quibus fueritis requisiti et expedire videritis auctoritate nostra solempniter publicare curetis. Contradictores etc. —. Non obstante etc. —. usque mentionem. Dat. Avinione, v idus junii, anno secundo. »

219 Avignon, 9 juin 1343.

Infrascriptos rogat ut Bernardo Albiensi, tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, apostolicæ Sedis nuncio, provideant de quinquaginta florenis pro expensis cotidianis. (Reg. Vat. 157, De Curia, n° cxv, fol. 18 v°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus... sive domorum extra Aragonum et Majoricarum regum illustrium dominio subjecta constitutis, ad quos littere presentes pervenerint.* Cum dilectum filium —. Dat. Avinione, v idus junii, anno secundo. »

220 Avignon, 9 juin 1343.

Petrum IV regem Aragonum hortatur ut ad pacem cum rege Majoricarum reformandam se. disponat. (Reg. 157, De Curia, n° cxx.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem etc.* Fili carissime licet —. Dat. Avinione, v idus junii, anno secundo. »

220 Avignon, 10 juin 1343.

Ludovicum Hungariæ regem rogat, ut bene recipiat ac tractet Johannem Dominici, lectorem ecclesiæ Agriensis, et Petrum Begonis, clericum Lemovicensis diœcesis, procuratores Guillelmi de Judice, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, qui super expeditione negotiorum ad Sedem apostolicam de universis mundi partibus confluentium incessanter assiduis studiis laborat. (Reg. Vat. 137, n° lxxiii, fol. 26 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Ludovico regi Hungarie illustri.* Attendentes quod cardinali —. Datum Avinione, iii idus junii, anno secundo. »

In e. modo. *Elisabeth regine Hungarie* (n° lxxiiii) —. *Kazimiro regi Polonie* (n° lxxv) —, ... *regine Polonie* (n° lxxvi).

221 Avignon, 10 juin 1343.

Johannam, reginam Siciliæ, rogat ut pacem reformet inter Carolum ducem Duracii, Agnetamque ducissam et Mariam uxorem prædicti Caroli. (Reg. 137, n° lxxviii, fol. 27.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Presentatas nobis novissime —. Datum Avinione, iii idus junii, anno secundo. »

222 Avignon, 12 juin 1343.

Egidium Rigaud, novissime electum in abbatem monasterii Sancti Dionysii in Francia, Parisiensis diœcesis, Philippo regi Franciæ commendat. (Reg. 137, n° lxxx, fol. 28 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum dilectus filius Egidius, abbas monasterii Sancti Dyonisii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, quem pridem eidem monasterio tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio prefecimus in abbatem, ad suum predictum monasterium ac regiam presenciam cum gracia nostre benedictionis

accedat, eumdem abbatem, ut ipsum benigne pro reverencia nostra et apostolice Sedis admittat et tractet regia benevolentia, eidem sicut alias recomendasse meminimus propensius commendamus —. Dat. Avivione, II idus junii, anno secundo. »

223 Avignon, 12 juin 1343.

Eumdem abbatem Johanni primogenito regis Franciæ duci Normanniæ commendat. (Reg. 137, n° LXXXI, fol. 29 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis illustri primogenito, duci Normannie.* Cum dilectus filius Egidius etc. ut supra usque ad suum predictum monasterium ac regiam et tuam presentiam cum gracia nostre benedictionis accedat, eumdem abbatem ut ipsum pro nostra et apostolice Sedis reverencia benigne admittat et pertractet sua benivolentia, eidem propensius commendamus. Dat. Avivione, II idus junii, anno secundo. »

224 Avignon, 13 juin 1343.

Cum Amanevus, episcopus Agennensis, Petro de Sancto Martiali, clerico Tutellensis diœcesis, decimas parrochialium ecclesiarum Sancti Petri de Valbazer et Sancti Remigii Agennensis diœcesis contulisset, hanc collationem litterasque episcopi confirmat. (Reg. 137, n° LXXXII, fol. 29 r°.)

« *Dilecto filio Petro de Sancto Marciali, clerico Tutellensis diocesis.* Merita probitatis tue, etc. —. Tenor autem litterarum predictarum dinoscitur esse talis : *Amanevus miseratione divina episcopus Agennensis dilecto nostro Petro de Sanctomarciali clerico Tutellensis diocesis salutem.* Attendentes grata et laudabilia servicia per vos et vestros impensa, et que de die in diem inferuntur nobis et nostre ecclesie Agennensi, et que speramus infuturum inferri, volentes vos remunerari intuitu meritorum predictorum, eapropter decimas Sancti Petri de Valbazer, et Sancti Remigii parochialium ecclesiarum nostre diocesis Agennensis, ad nos et nostram propriam mensam episcopalem immediate pertinentes et spectantes, et que olim pertinuerunt, licet nunquam fuerint in beneficium ecclesiasticum alicui assignate, nec consueverint assignari, vobis ad vitam vestram dumtaxat conferimus et donamus de gratia speciali, et vos de eisdem tenore presentium investimus. Mandantes et committentes cuicumque rectori nostre diocesis Agennensis ut in possessionem dictarum decimarum vos vel vestrum certum pro curatorem inducant et tueantur inductum. Volumus autem quod vobis cedentibus vel decedentibus, dicte decime ad nos et dictam nostram mensam episcopalem cum omni integritate ac libere revertantur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum quo in talibus utimur, presentibus duximus apponendum. Dat. Avinione, idibus junii, anno secundo. »

225 Avignon, 15 juin 1343.

Stephanum Cambaruti, episcopum Casinensem, et Guilelmum d'Aubussac, electum Forojuliensem, thesaurarios suos absolvit, qui Guidoni Malabayla mercatori Curiam romanam sequenti xx^m florenos auri assignaverant, pro mutuo Alfonso XI regi Castellæ facto (Reg. 137, n° LXXXIII, fol. 29 v°.)

« *Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi et dilecto filio Guillelmo electo Forojuliensi, thesaurariis nostris.* Cum vos de mandato. — Datum Avinione, XVII kalendas julii, anno secundo. »

226 Avignon, 15 juin 1343.

Hugoni Rogerii, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbitero cardinali, quædam beneficia, vacantia per obitum Bertrandi de Montefaventio, tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro, confert, et infrascriptis exsecutoribus mandat, ut dictam collationem exsequantur. (Reg. 137, n° CLVIII, fol. 57 r°.)

« *Venerabili fratri episcopo Carnotensi et dilectis filiis abbati monasterii Celle Trecensis ac cantori ecclesie Rothomagensis.* Dum ad personam dilecti filii nostri Hugonis tituli sancti Laurencii in Damaso presbiteri cardinalis paterne dirigimus considerationis intuitum, et attente prospicimus quod idem Hugo cardinalis Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existit, suorum honorat magnitudine meritorum, decens deputamus et debitum ut per eam congruis

attollatur favoribus, ipsamque in suis opportunitatibus reperiat liberalem. Cum itaque de Grausello, Sancti Johannis de Albarufo et Sancti Genesii de Dromono prioratuum curati adinvicem canonice uniti, ordinis Sancti Benedicti Vasionensis et Vapincensis diocesium, monasterio Sancti Victoris Massiliensis dicti ordinis immediate subjecti, ac per ipsius monachos soliti gubernari, quos bone memorie Bertrandus Sancte Marie in Aquiro diaconus cardinalis ex concessione, et dispensatione Sedis apostolice, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum qui nuper apud Sedem predictam diem clausit extremum, apud eandem Sedem vacare tunc noscerentur, nullusque de illis preter nos ea vice disponere posset, pro eo quod nos, ante vacationem hujusmodi, omnes prioratus, dignitates, personatus et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica regularia et secularia cum cura vel sine cura, tunc apud dictam Sedem vacancia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum, etc. Nos, ut incumbencia dicto cardinali expensarum onera comodius subsportare valeat, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, sibique gratiam facere specialem, prioratus predictos sic vacantes cum omnibus juribus et pertinenciis suis apostolica eidem Hugoni cardinali auctoritate, motu proprio, non ad suam vel alterius pro eo nobis oblate petitionis instanciam, sed de mera nostra liberalitate contulimus, et providimus, etc. — Datum Avinione XVII kalendas julii, anno secundo. »

227 Avignon, 16 juin 1343.

Symonem, abbatem monasterii Majorismonasterii Turonensis, qui ad Sedem apostolicam, cum litteris de credentia, venerat, Philippo, regi Franciæ, cum responsis suis remittit. (Reg. **137**, n° LXXXIIII, fol. 20 v°).

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri.* Regalis magnificencie litteras de credencia nobis per dilectum filium Symonem, abbatem monasterii Majorismonasterii Turonensis, presentatas benigne recepimus, et ea que idem abbas sub commissa sibi hujusmodi credencia prudenter et eleganter explicare nobis curavit, intelleximus diligenter, tandemque sibi, quantum oportune fieri potuit, respondimus super eis, sicut ipse referre celsitudini regie plenius et seriosius poterit viva voce. — Dat. Avinione, XVI kalendas julii, anno secundo. »

228 Avignon, 16 juin 1343.

Simili modo Johannæ reginæ Franciæ scribit. (Reg. **137**, n° LXXXV, fol. 30 r°).

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Serenitatis regie litteras et cetera, ut supra. Verbis competenter mutatis, usque in finem. Datum ut supra in proxima. »

229 Avignon, 16 juin 1343.

Guillelmo Alasardi, juris civilis professori, Arelatensis diœcesis, regimen generalis curiæ comitatus Venaissini, vacans per mortem Johannis episcopi Forojuliensis, committit, quousque de rectore idoneo dicto officio providerit. (Reg. **137**, n° LXXXVI, fol. 30 r°.)

« *Dilecto filio Guilleimo Alasardi, juris civilis professori, Arelatensis diocesis, curiam generalem comitatus Venaissini regenti.* Inter ceteras terras et provincias nobis et ecclesie Romane immediate subjectas, comitatum Venaissini mentis oculis favorabiliter intuentes, in eo cupimus paces et justicie cultum coli. Cum itaque comitatus predictus ex eo rectoris regimine ad presens destitutus existat, quod nuper bone memorie Johannes episcopus Forojuliensis, rector ipsius comitatus, sicut Domino placuit, diem clausit extremum, nos providere volentes quod idem comitatus utiliter sub cultu gubernetur predicto, et de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, regimen generalis curie comitatus predicti, tibi, quousque de rectore ydoneo dicto comitatui providerimus, tenore presencium duximus committendum, audiendi, examinandi, et determinandi causas in eadem curia emergentes, et alia faciendi, exequendi, gerendi et exercendi, que circa premissa necessaria vel oportuna fuerint, potestatem tibi plenariam concedentes, dantesque omnibus, quorum interest, presentibus in mandatis, ut tibi plenarie pareant in hac parte. Dat. Avinione, XVI kalendas julii, anno secundo. »

230 Avignon, 16 juin 1343.

Eidem Guillelmo facultatem concedit, homagia, recognitiones et juramenta fidelitatis in dicto comitatu recipiendi ab omnibus qui ad hæc tenentur. (Reg. 137, n° lxxxvii, fol. 30 r°.)

« *Eidem.* Cum, sicut intelleximus, bone memorie Johannes episcopus Forojuliensis, rector comitatus Venaissini, omnibus illis qui ratione bonorum que obtinent in comitatu predicto, nobis homagia, recognitiones, et fidelitatis juramenta prestare tenentur, certum terminum dudum assignaverit, et illum postmodum certis ex causis usque ad instans proxime festum Nativitatis beati Johannis Baptiste duxerit prorogandum, nos volentes eorum parcere super hiis laboribus et expensis, et de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut homagia, recognitiones et juramenta fidelitatis hujusmodi, hac vice, nomine nostro, juxta modum et formam hactenus super hiis observatos, recipere, tam ante terminum hujusmodi, quam post eciam, prorogando eum, sicut expedire cognoveris, valeas, plenam tibi concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem quod super singulis homagiorum, recognitionum et juramentorum fidelitatis prestationibus et receptionibus hujusmodi, duo confici facias consimilia publica instrumenta, quorum, uno penes prestituros ipsos dimisso, reliquum pro nostra et ecclesie Romane cautela retineatur, in archivo dicti comitatus fideliter conservandum. Datum Avinione, xvi kalendas julii, anno secundo. »

231 Avignon, 17 juin 1343.

Cum Petrus Laurentii, canonicus Atrebatensis, Basilicæ principis Apostolorum de Urbe altararius, veniendo ad Sedem apostolicam, decessisset, Reatino episcopo mandat, ut rationes audiat illorum qui dictum altare in absentia dicti Petri custodierant. (Reg. 137, n° lxxxviii, fol. 30 v°.)

« *Venerabili fratri Raymundo episcopo Reatino in spiritualibus in Urbe vicario.* Cum, altariaratum basilice —. Datum Avinione, xv kalendas julii, anno secundo. »

232 Avignon, 18 juin 1343.

Cum Galterus, dux Athenarum, dominus Florentiæ, peteret provinciam Romandiolæ, Romanæ Ecclesiæ nomine gubernandam, mittit Aymerico de Castrolucii S. Martini in Montibus presbitero cardinali tractatum cum ambassiatoribus predicti ducis habitum, ut referat quid super negotio hujusmodi utilius fore existimet. (Reg. 137, n° xcii.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato.* Super eo quod —. Dat. Avinione, xiiii kalendas julii, anno secundo. »

233 Avignon, 19 juin 1343.

Cum pro regno Sardiniæ et Corsicæ, quod ab Ecclesia Romana sub certis vassallagio, homagio ligio et fidelitatis juramento tenet in feudum, censum annuum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium sterlingorum in festo beatorum Apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romanæ Ecclesiæ solvere infrascriptus rex debeat, ad petitionem regis et nuncii ejus Guillelmi Richerii, archidiaconii Sancte Eugracie in ecclesia Oscensi, capellani papæ, solutionem dicti census debiti pro termino præterito usque ad festum Penthecostes prorogandam duxerat; sed, cum dictum censum in novem milibus octoginta tribus florenis et tertia parte unius floreni, marcha qualibet pro quatuor florenis auri et sex turonensibus grossis argenti computata, per manum Bernardi de Podio, scriptoris regalis receperit, de dicto censu et de sententia excommunicationis quam incurrerat, penitus regem absolvit. (Reg. 137, n° xciii, fol. 32 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie ac Corsice illustri.* Ex parte celsitudinis —. Datum Avinione, xiii kalendas julii, anno secundo. »

234 Avignon, 20 juin 1343.

Galterum, ducem Athenarum, dominum Florentiæ, rogat, ut Petro Gometii, episcopo Sabinensi cardinali, satisfieri faciat de certa pecuniæ summa, in qua mercatores societatis Azalayorum de Florentia ei tenentur. (Reg. 137, n° xciv, fol. 32 v°; — Archivio Storico italiano, 5e série, t. xxi, 1898, p. 303.)

« *Dilecto filio nobili viro Galtero duci Athenarum domino Florentie.* Exposuit nobis venerabilis —. Datum Avinione, xii kalendas julii anno secundo. »

235 Avignon, 20 juin 1343.

Guillelmo electo Forojuliensi licentiam testandi concedit. (Reg. 137, n° xcvi, fol. 33 r°).

« *Dilecto filio Guillelmo electo Forojuliensi.* Quia presentis vite —. Datum Avinione, xii kal. julii, anno secundo. »

236 Avignon, 20 juin 1343.

Eidem Guillelmo concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° xcv, fol. 33 r°.)

« *Dilecto filio Guillelmo* etc. —. Sincere dilectionis affectus —. Dat. ut supra. »

237 Avignon, 21 juin 1343.

Catherinam imperatricem rogat ut in domo regali Siciliæ pacem et concordiam foveat ac nutriat. (Reg. 137, n° xcviii, fol. 34 r°.)

« *Carissime in Christo filie Catherine imperatrici Constantinopolitane.* Solita benignitate receptis celsitudinis tue litteris, nostro nuper apostolatui presentatis, et contentis in eis diligentius intellectis, non sufficimus admirari quod ea, que pridem prudentie tue super nutrienda et confovenda in domo regali Sicilie et inter omnes de genere regio mutua concord a, per litteras nostras de paterna prodeuntes benivolentia, propter quedam que incidenter in ipsis inseruimus, sic amaricasse graviter asseras mentem tuam. Nam, licet domum ipsam statu gaudere prospero, quo utique prosperamur, nos et Sedes apostolica per unitatem concordie hujusmodi desiderabiliter affectantes, te, filia carissima, per easdem litteras nostras ad unitatem confovendam hujusmodi duxerimus plenis affectibus exhortandam, nichilominus non ad instigationem emulorum quorumlibet, sed de radice caritatis, adicientes in eis, quod si pretextu matrimonii, quod inter dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Duratii et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Mariam, natam quondam Caroli Calabrie ducis, fore contractum noscitur, in domo predicta suscitaretur discordia, tibi et dilecto filio nobili viro Roberto principi Tarentino nato tuo posset, sicut nobis datum erat intelligi, tunc tempus imputari. Non tamen de conceptu processit mentis nostre, nec predicte littere supponebant nos credere, quod per te ac eundem principem, qui estis de columpnis principalibus dicte domus, et eam debetis et tenemini, cum hoc etiam vestros honores et comoda principaliter respiciat, sustentare, procuraretur ibidem materia dissidii cujuscumque, quod redundare valeret procul dubio in ipsius domus grande periculum, suscitari, ymo potius speramus et confidimus quod si hostis caritatis et pacis pestifera cujusvis rancoris ibi jecisset vel jaceret semina, circa ea erradicanda et extirpanda, ne in perniciosam coalescerent segetem, operosam adhibere solicitudinem fidelibus et diligentibus studiis procurares, et pro certo non magis per alia quam hujusmodi virtuosa et laudabilia opera tu, filia dilectissima, et idem princeps nostram et ejusdem Sedis gratiam vobis potestis et poteritis, divina favente gratia, uberius vendicare. Quocirca tuam rogamus excellentiam et in domino attentius exhortamur quatinus, amaricatione predicta, quam minime concepisse debueras ex premissis, in consolationem dulcedinis commutata, repulsisque virtute magnanimitatis et constantie quibusvis sinistris suggestionibus, que te propter premissa vel occasione ipsorum possent ad iracundiam provocare, circa nutrienda pacis et concordie in domo predicta federa et paccanda (*sic*) dissidia, si qua forsan, hoste procurante predicto, ibidem existerent suscitata, tam prudenter quam benivole studeas, si et prout oportunum extiterit, interponere sedule partes tuas; certam de nobis fiduciam habitura quod te tuosque liberos habemus et habere intendimus intra paterne caritatis et dilectionis precordia benignius commendatos —. Dat. Avinione, xi kalendas julii, anno secundo. »

238 Avignon, 21 juin 1343.

Litteras principis per Nerium, dictum Stuppulum de Senis, scutiferum presentatas recepit. Miratur quod ea que pridem illi super nutrienda in domo regali Siciliæ concordia scripserat, amaricaverant mentem principis. Rogat eum, sicut imperatricem Constantinopolitanam matrem ejus ut ad nutriendam et manutenendam concordiam laboret. (Reg. 137, n° xcix, fol. 34 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto principi Tarentino*. Benigne recepimus nobilitatis —. Datum Avinione, XI kalendas julii, anno secundo. »

239 Avignon, 24 juin 1343.

Philippo de Cabassole, episcopo Cavallicensi, regni Siciliæ vicecancellario Stephanum episcopum Casinensem thesaurarium papæ commendat. (Reg. 137, n° c, fol. 35 v°.)

« *Venerabili fratri Philippo episcopo Cavallicensi regni Sicilie vicecancellario*. Super eo quod —. Datum Avinione, VI kalendas julii, anno secundo.

In eundem modum Philippo de Sangineto, comiti Altimontis (n° CI), — *Gaufrido de Marsano comiti Squillacii regni Sicilie admirato* (n° CII), — *Carolo Artusii domino Sancte Agathe* (n° CIII).

240 Avignon, 24 juin 1343.

Commendat reginæ Stephanum episcopum Cassinensem, thesaurarium papæ, et vicarios et officiales dicti episcop, ne de cætero molestentur. (Reg. 137, n°s CV et CVI, fol. 36 r°.)

« *C... in Christo filie regine Sicilie illustri*. Cum sicut venerabilis —. Dat. Avinione, VIII kalendas julii, anno secundo. »

In e. mod. *Sancie regine Sicilie*.

241 Avignon, 24 juin 1343.

Conceduntur litteræ salviconductus magistro Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi, in ecclesia Carnotensi, apostolicæ Sedis nuncio, ad partes Venetiarum et Lombardiæ destinato. (Reg. 137, n° MCLXVI, fol. 282 r°.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, etc*. Cum nos dilectum —. Datum Avinione, VIII kalendas julii, anno secundo. »

242 Avignon, 25 juin 1343.

Johannam reginam Siciliæ, quæ censum annualem VIII^M unciarum auri in XL^M florenis auri per manus Biscardi de Cava, in comitatibus Provinciæ et Forcalquerii thesaurarii solverat, de dicta solutione absolvit. (Reg. 137, n° CXIII, fol. 38 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri* —. Datum Avinione, VII kalendas julii, anno secundo. »

243 Avignon, 26 juin 1343.

Raimundum Pelegrini Bernardo de Sistre, quondam archidiacono Cantuariensi, subrogat, eumque in partibus Angliæ, Scotiæ, Walliæ et Hiberniæ nuncium deputat. (Reg. 137, n° CIX, fol. 38 r°.)

« *Eidem* [*Raimundo Pelegrini canonico Londoniensi*]. Perlatum est nuper —. Datum Avinione, VI kalendas julii, anno secundo. »

244 Avignon, 26 juin 1343.

Infrascripto mandat ut bona colligat quondam Bernardi de Sistre, archidiaconi Cantuariensis, in Anglia collectoris. (Reg. 137, n° CX, fol. 38 r°.)

« *Item similes due littere per omnia dilecto filio Androyno de Rocha, priori prioratus de Colongiis, Nivernensis diocesis, professori juris canonici*. Dat. ut supra. »

245 Avignon, 26 juin 1343.

Similiter mandatur infrascriptis pro colligendis bonis dicti episcopi. (Reg. 137, n° CXI, fol. 38 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo Dortali, priori ecclesie de Fontesio, Biterrensis diocesis*. Fidedigna relacione percepto —. Datum Avinione, VI kalendas julii anno secundo. »

Simili modo *Johanni Bonaura, clerico de Alesto Nemausensis diocesis* (n° CXII).

246-247 Avignon, 26 juin 1343.

Confert Petro Rogerii archidiaconatum ecclesiæ Cantuariensis, vacantem per obitum Bernardi de Sistre (Reg. 137, n° CLIX, fol. 58 r°.)

« *Dilecto filio Petro Rogerii, archidiacono ecclesie Cantuariensis.* Nobilitas generis, morum decor —. Dat. Avinione, VII kalendas julii, anno secundo. »

Executoria super eodem (n° CLX.)

« [*Judicibus*]. Mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra. »

248 Avignon, 28 juin 1343.

Johannæ Siciliæ reginæ commendat Bartholomeum de Fontanarosa, militem, quondam Roberti regis cambellanum, qui de morte quondam Nicolai comitis sancti Angeli accusatus fuerat, et super dicto homicidio in curia delatus fuerat, non obstante quod, ut dicebatur, prædictus comes a latrunculis fuisset interfectus. (Reg. 137, n° CXV, fol. 39 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Dudum dilecto filio —. Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno secundo. »

249 Avignon, 28 juin 1343.

Infrascripto mandat ut Petrum de Roffiaco capiat et captum episcopo Agennensi assignet. (Reg. Vat. 161, De Curia, n° I, fol. 1 r°; — Reg. Vat. 215, fol. 1 r°.)

« *Clemens etc. Dilecto filio Beraudo de Serris, priori secularis ecclesie sancti Caprasii Agennensis salutem.* Petrum de Roffiaco —. Dat. Avinione, IIII kalendas julii, anno secundo. »

250 Avignon, 28 juin 1343.

Amanevum de Fargis, episcopum Agennensem rogat ne Petrum de Roffiaco, Caturcensis diœcesis clericum, postquam captus fuerit, ad Sedem apostolicam mittere postponat. Reg. Vat. 161, fol. I, n°. II, De Curia, fol. 1 r°, — Reg. Vat. 215, fol. 1 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Agennensi.* Petrum de Roffiaco, clericum Caturcensis diocesis, in civitate Agennensi presentialiter commorantem, de quibusdam criminibus, ut dicitur, perpetratis per eum ex certis indiciis et conjecturis verisimilibus merito suspectum habentes, et ob hoc ipsum Petrum captum sub fida custodia apud apostolicam Sedem adduci et inibi habere volentes, dilecto filio Beraudo de Serris priori secularis ecclesie sancti Caprasii Agennensis, de cujus circumspectione plene confidimus in hac parte, damus per alias litteras nostras districtius in mandatis ut eundem Petrum, ubicumque illum invenerit, cum omni cautela qua poterit, auctoritate nostra capiat seu capi faciat indilate, et captum tibi vel.. officiali tuo, una cum presentibus litteris quas sibi providimus destinandas, illum absque more dispendio studeat assignare, per te vel officialem predictum sub fida custodia tuisque sumptibus et periculo nobis evestigio destinandum, faciendo nichilominus ad cautelam de assignatione hujusmodi per eum tibi vel prefato officiali facienda, ut premittitur, confici publicum instrumentum per eum nobis celeriter transmittendum, invocato etiam per eum ad premissa omnia, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, tibi nichilominus in virtute obedientie et sub excommunicationis pena districtius injungentes quatenus eundem Petrum, postquam per eundem priorem tibi assignatus fuerit, ut prefertur, sub fida custodia tuisque sumptibus et periculo sine omni morose tarditatis obice quamtocius nobis mittas. Talem super hoc sollicitudinem impensurus quod exinde merito valeas de exhibitione prompte devotionis et obedientie debite commendari. Dat. Avinione, IIII kalendas julii, anno secundo. »

251 Villeneuve-les-Avignon, 30 juin 1343.

Johanni Rogerii concedit ut liceat habere in supplementum canonicatum et præbendam in Trajectensi ecclesia vacantes per promotionem Johannis episcopi Trajectensis. (Reg. 137, n° CXVII, fol. 40 r°.)

« *Dilecto filio Johanni Rogerii canonico Trajectensi.* Morum honestas, generis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. kalendas julii, anno secundo. »

252 Villeneuve-les-Avignon, 1er juillet 1343.

Gubernatorem civitatis Januensis rogat ut pacem cum Johanna, Siciliæ regina, ineat. — (Reg. 137, n° CXIX, fol. 40 v°.)

« *Dilectis filiis Symoni Boccanigra gubernatori ac consilio sapientibus et communi Januensibus.* Solita benignitate recepimus —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis julii, anno secundo. »

253 Villeneuve-les-Avignon, 1er juillet 1343.

Johannam reginam Sicilæ ad pacem cum Januensibus firmandam exhortatur. (Reg. **137**, n° cxx, fol. **41** r°.)

« *Eidem regine.* Super hiis que dilecti filii nobilis vir Simon Bocanigra et consilium, sapientes et commune Januensia nobis scripserunt noviter eisdem rescribendum providimus, juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Ideoque, filia carissima, diligenter considerans et attendens quantum inimica predictorum Januensium hostilitas super negocio insule Sicilie hiis tibi temporibus periculosa existeret et nociva, deliberatione prehabita provida et matura, sic placabiliter convenienter et rationabiliter respondeas ambassiatoribus Januensium predictorum quod ipsos ad te tuosque honores et commoda potius atrahas, quam contra te provoces quoquomodo. Nos equidem, si necesse fuerit, libenter interponemus super predictis, quantum cum Deo et honestate fieri poterit, solicitudinis nostre partes. Dat apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis julii, anno secundo. »

254 Villeneuve-les-Avignon, 1er juillet 1343.

Litteras regis recepit in quibus justificatio processuum factorum contra Jacobum regem Majoricarum exponitur; et cum rex Majoricarum nexu sanguinis conjunctus ei sit, quippe qui sororem ejus germanam in uxorem habeat, eum rogat ut erga regem Majoricarum non solum justitia sed etiam gratia uti velit, nuncium ei destinando. (Reg. **137**, n° cxxi, fol. **41** v°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri.* Regalis excellencie litteras —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis julii, anno secundo. »

255 Villeneuve-les-Avignon, 1er juillet 1343.

Tabellionatus officium, ad quod exercendum per Gasbertum archiepiscopum Narbonensem camerarium papæ idoneus fuit repertus, infrascripto concedit. Sequitur forma juramenti. (Reg., **137**, n° mclxxxiii, fol. 286 r°.)

« *Dilecto filio Guillelmo Hugueti clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Biterrensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis julii, anno secundo. »

256 Villeneuve-les-Avignon, 4 juillet 1343.

Bernardum Albiensem, tituli Sancti Cyriaci presbiterum cardinalem, hortatur ut sæpissime papam informet de hiis quæ in Hispania, apud Petrum regem Aragonum, egerit. (Reg. **137**, n° cxxii, fol. 42 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, Apostolice sedis nuncio.* Ut ea que —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii nonas julii anno secundo. — »

257 Villeneuve-les-Avignon, 4 juillet 1343.

Johannem, primogenitum Philippi regis Franciæ, ducem Normanniæ, rogat ut petitiones supplicationesque archiepiscopi Rothomagensis ejusque suffraganeorum benigne exaudire velit. (Reg. **137**, n° cxxiii, fol. 42 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie.* Venerabiles fratres nostros.. archiepiscopum Rothomagensem ejusque suffraganeos tue nobilitatis benivolencie propensius commendantes, eam plenis affectibus deprecamur quatinus super suis peticionibus et supplicationibus tue magnificencie oblatis, ut intelleximus, que fulciri dicuntur justicia, eos audire benigne velit eadem magnificencia, et pro divina et nostra Sedisque predicte reverencia propicius exaudire. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii nonas julii, anno secundo. »

258 Villeneuve-les-Avignon, 5 juillet 1343.

Aymonis comitis Sabaudiæ mortem per nuncios amare accepit rogatque Amedeum comitem Gebennensem et Ludovicum de Sabaudia dominum Vaudi, ut Amedeum

primogenitum et heredem consolari, eumque juvenem admodum dirigere curent. (Reg. 137, n° cxxiiii, fol. 42; — publié par Carlo Cipolla, *Clemente VI e Casa Savoia, Estratto dalla Miscellanea di Storia patria*, serie iii, t. v, p. 9.)

« *Dilectis filiis nobilibus viris Amedeo comiti Gebennensi, et Ludovico de Sabaudia domino Vaudi.* Non sine mentis. — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iii nonas julii anno secundo. »

259 Villeneuve-les-Avignon, 5 juillet 1343.

Amedeum, comitem Sabaudiæ, de morte patris consolatur, multisque consilis adjuvat ad boni principis verum officium exercendum. (Reg. 137, n° cxxv, fol. 42 v°; — Carlo Cipolla, *op. cit.*, p. 10.)

« *Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudie.* Non sine mentis amaritudine —. Dat. ut supra. »

260 Villeneuve-les-Avignon, 5 juillet 1343.

Mariam, reginam Aragonum, hortatur ut ad pacem reformandam inter reges Aragonum et Majoricarum sese interponat. (Reg. 137, n° cxxvi, fol. 43 r°.)

« *Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri.* Serenitatis tue litteras, —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iii nonas julii anno secundo. »

261 Villeneuve-les-Avignon, 6 juillet 1343.

Petragoricensi et Caturcensi pro Philippo, rege Franciæ, senescallo, mandat ut de patibularibus furcis deponi et ecclesiasticæ sepulturæ tradi jubeat corpus Fredoli de Lobenchis, clerici Studii Caturcensis, quem super crimine furti injuste suspendi fecerat. (Reg. 137, n° cxxvii fol. 43 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Henrico de Montiniaco militi, senescallo Petragoricensi et Caturcensi pro carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri.* Infesta nimis assertio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum quod, quondam Fredolo de Lobenchis clerico, qui disciplinis scolasticis insistebat in Studio Caturcensi super crimine furti, licet falso, delato, tu eundem clericum deferentem clericales habitum et tonsuram, capi, licet nulla in eum tibi competeret jurisdictio, et carceribus tuis mancipari fecisti, ac tandem in contemptum ecclesie ac lesionem libertatis ecclesiastice, tueque anime periculum et multorum perniciem contra eum ex arrupto et inconsulte de facto procedens et ponens in messem alienam falsem tuam, eundem clericum, quamvis per curiam ecclesiasticam sibi remitti repeteretur instanter, ultimo supplicio publice in furcis civitatis Caturcensis patibularibus tradidisti, nec inde deponere postmodum corpus ipsius clerici et sepulture tradi ecclesiastice permisisti; que omnia, si veritas suffragetur relatibus, tanto nobis amplius molesta sunt et infesta, quanto te majori prosequimur dilectionis affectu. Quocirca nobilitatem tuam requirimus et hortamur attente quatinus, quid te deceat, quidque tibi super tuis expediat diligenter advertens, corpus ejusdem clerici deponi de dictis furcis facias, et tradi eidem ecclesiastice sepulture permittas, talem satisfactionem ecclesie, quam graviter offendisti, et aliis qui lesi fuerint propter hoc, nichilominus prestiturus, quod in hac parte saluti anime tue provideri valeat et aliter contra te procedere, cogente justicia, super hiis non sit opus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, ii nonas julii anno secundo. »

262 Villeneuve-les-Avignon, 6 juillet 1343.

Episcopo Caturcensi mandat quatinus dictum senescallum requirat ut corpus dicti clerici de furcis deponi jubeat et tradi permittat ecclesiasticæ sepulturæ, ad plenam satisfactionem ecclesiæ, eumque excommunicet, si dictus senescallus obtemperare recusaverit. (Reg. 137, n° cxxviii, fol. 44 r°).

« *Venerabili fratri... episcopo Caturcensi.* Nuper displicibili admodum insinuatione percepimus quod, cum quondam Fredolus de Lobenchis clericus, qui disciplinis scolasticis in Caturcensi Studio insistebat, super crimine furti, licet falso, delatus fuisset, dilectus filius nobilis vir Henricus de Montiniaco, miles, senescallus Petragoricensis et Caturcensis pro carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri, eundem clericum, quamvis nulla sibi competeret jurisdictio in eum, pro clerico se gerentem publice,

ac habitum et tonsuram ecclesiasticales gestantem, capi et suis fecit carceribus mancipari. Tandemque contra ipsum ex arupto procedens, et ponens in messem alienam inconsulte nimium falsem (*sic*) suam, ipsum clericum, quamquam per tuam ecclesiasticam curiam sibi remitti repeteretur instanter, ultimo suplicio in furcis patibularibus civitatis Caturcensis publice tradi fecit, nec requisitus postmodum, inde corpus ipsius clerici deponi et ecclesiastice sepulture tradi permisit. Cum autem premissa que, si veritas suffragetur relatibus, in gravem dei offensam, contemptum ecclesie sancte sue, lesionem libertatis eccclesiastice, ac plurimorum scandalum procul dubio redundare noscuntur, non debent absque correctione debita preteriri, fraternitatem tuam requirimus et hortamur quatinus, si est ita, prefatum senescallum, cui nos super hiis scribimus oportune, per te tuosque ministros et procuratores, instanter requirere non postponas, ut corpus dicti clerici de furcis eisdem deponi faciat, et tradi permittat ecclesiastice sepulture, ac talem satisfactionem ecclesie, quam offendit graviter, ut prefertur, et aliis, quorum interest, exhibere procuret, quod saluti anime sue provideri circa hec valeat, nec aliter contra ipsum procedere, cogente justicia, sit necesse; si vero idem senescallus hujusmodi requisitionibus obtemperare, quod absit, recusaverit cum effectu, tu, spretis periculis et dispendiis temporalibus, pastorem non mercennarium te ostendens, super predictis exequi, quod canonicum fuerit non ommittas; alioquin, si repertus in hac parte forsan negligens fueris vel, remissus, adversus te acriter procedere intendimus, sicut justicia suaserit et viderimus expedire. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II nonas julii, anno secundo. »

263 Villeneuve-les-Avignon, 7 juillet 1343.

Statuitur ut festum Beati Martialis, quod erat duplex in partibus Aquitaniæ, tanquam de uno apostolo de cætero in tota Aquitania celebretur. (Reg. 161, n° XVIIII, De Curia; — Reg. 215, fol. 6 v°.

Ad perpetuam rei memoriam. Piam sanctorum memoriam —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis julii, anno secundo. »

264 Avignon, 8 juillet 1343.

Infrascriptum rogat ne absolvat illos, contra quos sententiæ excommunicationis latæ fuerant per Arnulphum Marcellini, canonicum Agennensem, civitatis Beneventanæ vicerectorem. (Reg. 137, n° CXXX, fol. 45 r°.)

« *Dilecto filio Johanni de Pererio, canonico Forojuliensi, collectori certorum proventuum in regno Sicilie et terris citra Farum ad cameram nostram spectantium auctoritate apostolica deputato.* Cum sicut intelleximus. Datum Avinione, VIII Idus julii, anno secundo. »

265 Avignon, 9 juillet 1343.

Infrascriptis commendat Raynaldum Zonaldi, militem Laudensem, familiarem Ludovici comitis Flandriæ ad partes Lombardiæ pro certis negociis accedentem. (Reg. 137, n° CXXXIII, fol. 46 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus de Mediolano in civitate comitatu et districtu Mediolanensibus, nostris et Ecclesie Romane vicariis.* Dilectum filium nobilem —. Datum Avinione, VII idus julii, anno secundo. »

266 Avignon, 9 juillet 1343.

Philippo regi Franciæ commendat Antonium de Valentia, ordinis fratrum Minorum, et Gregorium de Segio militem, ambassiatores Guidonis regis Armeniæ, ut eos statum Armeniæ relaturos benigne recipiat. (Reg. 137, n° CXXXIIII, fol. 46 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Ad nostram nuper venientes presenciam dilecti filii Antonius de Valencia ordinis fratrum Minorum et nobilis vir Gregorius de Segio miles, ambassiatores et nuncii carissimi in Christo filii nostri Guidonis regis Armenie illustris, nobisque regis ejusdem litteras presentantes, statum partium illarum miserabilem, ac diras et immanissimas afflictiones et persecutiones quas Sarracenica rabies ad exting[u]endum de partibus ipsis nomen christianitatis et gloriam, et sanguinem christianorum efun-

dendum aspirans, intulit hactenus, et inferre christicolis ibidem degentibus continue non desistit, compassivis et dolorosis admodum explicare relatibus curaverunt. Cum autem prefati ambassiatores et nuncii ad tuam, fili carissime, se conferant presenciam, eadem seriosius relaturi, excellenciam regiam deprecamur, quatinus eos favorabiliter et benigne recipiat, eosque celeriter expediat affectibus et effectibus, divini amoris obtentu, zeloque fidei catholice compassivis. Datum Avinione, VII idus julii, anno secundo. »

Item in eundem modum *carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri*. Datum ut supra in proxima. (Reg. n° 135, fol. 46 v°.)

267 Avignon, 9 juillet 1343.

Infrascriptis mandat ut Hugonem de Ambariaco, presbiterum Lugdunensis diocesis, capiant qui accusatus erat quod quasdam litteras apostolicas confecisset (Reg. Vat. 161, fol. I, n° III, De Curia; — Reg. Vat. 215, fol. 1 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... patriarchis et... episcopis ac dilectis filiis... electis ac eorum officialibus ad quos littere presentes pervenerint.* Dudum ad audientiam dilecti filii Helye abbatis monasterii sancti Florentii de Salmuro, ordinis sancti Benedicti, Andegavensis diocesis tunc officium... vicecancellarii sancte Romane Ecclesie gerentis, fidedigna relatione deducto, quod dilectus filius Johannes Bidalleti, clericus Lugdunensis, quibusdam falsis litteris sub nomine felicis recordationis Benedicti pape XII predecessoris nostri fabricatis, super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collationem vel provisionem seu quamcumque aliam dispositionem venerabilis fratris nostri... episcopi Gebennensis spectante utebatur, et pretextu earum ecclesiam de Sapeto, Gebennensis diocesis, ad collationem dicti episcopi pertinentem acceptaverat, sibique de illa fecerat provideri, prefatus abbas dictum Johannem ad suam fecit presentiam evocari, et coram eo dictas litteras exhiberi, quas idem abbas inspiciens et examinans diligenter eas presentavit et judicavit notorie falsas esse; et quia dictus Johannes super hujusmodi litteris diligenter examinatis, inter alia suo asseruit juramento quod ipse ab Hugone de Ambaryaco alias Tussaschonestre, presbytero Lugdunensis diocesis litteras habuerat supradictas, nos prefatum Hugonem habentes propter premissa de hujusmodi falsitate suspectum, nec volentes crimen falsitatis hujusmodi conniventibus oculis pertransire, quin pena debita puniatur, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipimus et mandamus quatenus vos et quilibet vestrum, in cujus jurisdictione dictus Hugo moratur vel eum reperiri continget, ad requisitionem ipsius Johannis capi personaliter faciatis, ipsumque carcerali custodie mancipari, et eum cum bona diligentia custodiri, ac nihilominus super hujusmodi et aliis falsitatibus, que dicuntur fuisse commisse per eum in apostolicis litteris fabricandis, contra ipsum Hugonem et quoslibet alios complices et culpabiles in falsitatibus ipsis inquiratis diligentius veritatem : contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, ac ipso Hugone diligenter in carcere custodito, quousque de ipso per Sedem eandem aliter fuerit ordinatum, ille ex vobis qui inquisitionem hujusmodi faciet contra eum processum super hiis habendum seu ejus copiam in publicam formam redactum nobis super sigillo suo per fidelem nuntium destinare procuret ut, inquisitione ipsa visa, quid de ipso Hugone agendum fuerit, ordinare certius valeamus. Non obstantibus, etc. Dat. Avinione, VII idus julii anno secundo.

268 Avignon, 10 juillet 1343.

Senescallos Bellicadri et Carcassonensem rogat ut salvum et securum conductum concedant Berengario Vives, civi Barchinonensi, cancellario ambassiatorique Jacobi comitis Urgellensis, qui pro secretis negociis ad Sedem Apostolicam venerat et ad eundem comitem revertebatur. (Reg. 137, n° CXXXVIII, fol. 46 v°.)

« *Dilectis filiis nobilibus viris senescallis Bellicadri et Carcassonensi, ceterisque officialibus et justiciariis carissimi in Christo nostri Philippi regis Francie illustris in Bellicadri et Carcassonensi senescalliis constitutis.* Cum pridem dilectus filius Berengarius Vives, civis Barchinonensis, cancellarius et ambassiator dilecti filii nobilis viri Jacobi, nati claro

memorie Alphonsi Regis Aragonum, comitis Urgellensis, exhibitor presentium, pro certis negociis ad Sedem apostolicam et presenciam nostram venerit, indeque de nostro beneplacito ad prefatum comitem revertatur, vos, et vestrum singulos rogamus, monemus attencius, et hortamur, quatinus eundem cancellarium, cum per loca vestre jurisdictioni seu administrationi subjecta, redeundo ad prefatum comitem et partes illas, transiverit, ratione marcharum seu represaliarum quarumlibet, vel alias, aut familiares suos, in personis vel rebus eorum que secum pro suis necessitatibus deferent, nullatenus impediatis, vel molestetis, aut per alios impediri vel molestari, quantum in vobis fuerit, permittatis, sed eis potius de securo conductu, si a vobis pecierint, per loca hujusmodi sic prompte ac libere pro nostra et apostolice sedis reverencia providere curetis, quod nos devotionem vestram exinde commendare merito valeamus. Datum Avinione, VI idus julii, anno secundo. »

269 Avignon, 10 juillet 1343.

Reginam Siciliæ rogat ut Johannem Pipinum, comitem Minerbini, et ejus fratres ac Johannam, comitissam de Altomuro, matrem eorum, favorabiliter habeat commendatos. (Reg. 137, n° cxxxvi, f° 46 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Super hiis que —. Dat. Avinione, VI idus julii, anno secundo. »

Item in eumdem modum *carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri* (n° cxxxvii).

270 Avignon, 10 juillet 1343.

Decano ecclesiæ Brivatensis Sancti Flori diœcesis mandat ut episcopo Casinensi thesaurario Sedis Apostolicæ bona injuste occupata restitui jubeat. (Reg. 137, n° clxi, fol. 59 r°.)

« *Dilecto filio decano ecclesie Brivatensis Sancti Flori diocesis.* Sua nobis venerabilis frater Stephanus episcopus Casinensis, thesaurarius noster, petitione monstravit, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, decimas, redditus, census, pensiones, terragia domos, vineas, ortos, prata, nemora, possessiones, legata libros, instrumenta publica, privilegia, scripturas, autenticas, equos, mutones, pecudes, porcos, armaturas, equitaturas, saumerios, vasa argentea, anulos aureos, ornamenta, et paramenta pontificalia et capelle, diversas pecuniarum quantitates, suppellectilia, et alia nonnulla juria et bona ad ipsum episcopum et ecclesiam suam Casinensem spectancia, tenere, ac malitiose occultare, et occulte detinere presumunt, non curantes ea prefato episcopo, vel ejus vicario exhibere, in animarum suarum periculum, et ipsorum episcopi et ecclesie non modicum detrimentum, super quo idem episcopus apostolice Sedis remedium imploravit. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus omnis huujsmodi detentores occultos decimarum, redditiuum, censuum et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea predicto episcopo vel ejus vicario a se debita restituant et revelent, ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant, et, si id non impleverint, infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, extunc in eos generalem excomunicationis sententiam proferas, et eam facias, ubi et quando expedire videris, usque ad satisfactionem condignam sollempniter publicari. Dat Avinione, VI idus julii, anno secundo. »

271 Avignon, 11 juillet 1343.

Mandat Johanni Bertrandi nuncio et collectori in provincia Bituricensi ut ab abbate monasterii Burgidolensis, ordinis Sancti Benedicti, Bituricensis diœcesis recipiat pro quatuor visitationibus et pro qualibet ducentas libras Turonensium parvorum, quas solvere Cameræ Apostolicæ debet. (Reg. 137, n° cxxxix, fol. 47 r°.)

« *Dilecto filio Johanni Bertrandi, canonico Bituricensi, in provincia Bituricensi apostolice Sedis nuncio.* Datum Avinione, V idus julii, anno secundo.

272 Avignon, 11 juillet 1343.

Thesaurarios suos absolvit de quadam summa 60.000 florenorum auri quam a Johanne episcopo Avinionensi et Jacobo de Broa archidiacono de Lunatio in ecclesia Biterrensi receperant. (Reg. 137, n° clvi, fol. 56 r°.)

« *Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi, et dilecto filio Guillelmo electo Foroiuliensi thesaurariis nostris.* Cum venerabilis frater noster Johannes, episcopus Avinionensis, et dilectus filius Jacobus de Broa archidiaconus de Lunatio in ecclesia Biterrensi, thesaurarii felicis recordationis Benedicti papa XII predecessoris nostri, de bonis, pecuniis, et proventibus per eos nomine dicti predecessoris receptis et administratis, rationibus redditis, claves sub quibus conservabant premissa, nobis manualiter duxerint resignandas. Nosque de pecuniis predictis intra rationes predictas per eosdem episcopum et archidiaconum redditas, ac inventaria inde facta contentis, summam sexaginta milium florenorum auri de Florentia, te, frater episcope, presente, receperimus, illaque postmodum certis personis et locis dispensandam et erogandam duxerimus, prout nobis visum extitit, expedire. Ne vos qui thesaurarie nostre officium, et custodiam pecuniarum nostrarum et ecclesie Romane geritis, ratione vel occasione hujusmodi summe sexaginta milium florenorum auri sic recepte, dispensate, ac erogate, ut predicitur, ex eo quod in rationibus et inventariis predictis continetur, possitis quomodolibet molestari, vel a vobis, aut vestris repeti, vel de ipsa exigi ratio valeat in futurum, vobis providere volentes, has presentes litteras nostra bulla bullatas, vobis concedimus in testimonium premissorum, vosque nichilominus et vestrum quemlibet, ac omnia bona vestra ex habundanti de dicta summa sexaginta milium florenorum auri absolvimus tenore presentium et quitamus. Decernentes insuper ac etiam concedentes quod, quanquam eadem summa sexaginta milium florenorum auri in rationibus et inventariis, ut prefertur, contineatur predictis, illa a vobis seu vestrum altero non possit exigi sive peti, nec vos, seu alter vestrum, ratione ipsius possitis imposterum per aliquem vel aliquos molestari, nec de illa teneamini deinceps alicui vel aliquibus reddere rationem —. Datum Avinione, v idus julii, anno secundo. »

273 Avignon, 12 juillet 1343.

Gaudet quod Bona ducissa Normanniæ filiam pepererit, Philippoque regi Franciæ congratulatur. (Reg. 137, n^os^ cxlii et cxliii, fol. 49 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Quia successus domus regie prosperi mentem nostram exhilarant et delectant, per litteras regias nobis missas et per nos leta manu receptas, dilectam in Christo filiam tuam nobilem mulierem Bonam ducissam Normannie, filiam tuam, cum salute votiva filiam percepimus peperisse, tecum, fili carissime, congaudemus, sperantes in Domino, sicut dicte littere subjungebant, exinde bona innumera tam domui regie quam rei publice, prestante Domino, cui super hoc preces effundimus, proventura. Dat. Avinione, iiii idus julii, anno secundo. »

Item in eundem modum *carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* — Dat. ut supra, in proxima.

274 Avignon, 12 juillet 1343.

Bonæ ducissæ Normanniæ quæ filiam pepererat congratulatur, eique Guidonem de Campodiverso, canonicum Eduensem, mittit, qui de statu suo ducissam certiorem reddit. (Reg. 137, n^o^ cxliii, fol. 49 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Bone ducisse Normannie.* Leta litterarum carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi regis et Johanne regine Francie illustrium nobis missarum lectione percepto, te, filia dilecta, gracia tibi assistente divina, cum salute votiva filiam peperisse, tecum admodum in Domino congaudemus, sperantes in eo qui solus rebus dat esse, ex ea multa bona deo grata et reipublice utilia proventura super quo, prosperitateque tocius domus regie preces devotas apud divinam clemenciam effundere non cessamus. Ceterum dilectus filius Guido de Campodiverso, canonicus Eduensis, clericus tuus, de statu nostro nobilitatem tuam reddere poterit certiorem. Dat. Avinione, iiii idus julii, anno secundo. »

275 Avignon, 12 juillet 1343.

Edwardum III regem Angliæ hortatur ut procuratores duorum cardinalium de partibus Aquitaniæ oriundorum qui in Anglia capti fuerant jubeat liberari. (Reg. 137, n^o^ cxlv, fol. 49 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Dudum post ordinationem novorum cardinalium, deliberatione matura et provida per nos factam, attendentes honoribus Dei et ecclesie sancte sue, ac utilitati reipublice non modicum convenire, quod cardinales predicti, qui super expeditione negociorum ad alveum apostolice Sedis undique confluentium nobiscum labores et onera partiuntur, haberent congrue, unde juxta flatus sui decenciam suis valerent necessitatibus providere, tandem excogitatis viis et modis licitis, quibus nobis visum fuit hoc posse cum minori ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum gravamine adimpleri, de beneficiis ecclesiasticis, tunc in diversis regnis et partibus christianitatis vacantibus, vel inantea vacaturis, usque ad certam summam pro singulis eorumdem, ac sub certis formis et limitationibus eisdem cardinalibus novis, eis, prout expedire credidimus, distinctis provinciis, gracias fecimus speciales. Cum autem duobus ex eisdem cardinalibus de partibus ducatus Acquitanie oriundis, de hujusmodi beneficiis in regno et terris tuis, fili carissime, consistentibus, gracias fecerimus in forma pro ipsis et aliis, cum magna deliberatione consilii ordinata, ipsique duo cardinales pro hujusmodi prosequendis graciis certos procuratores et nuncios suos utique viros ecclesiasticos, prudentes et litteratos ad partes regni sui Anglie destinarint, non sine ingenti admiratione percepimus relatibus displicibilibus admodum et infestis, quod predicti procuratores et nuncii, vel ipsorum aliqui, quos per litteras nostras tunc, cum missi fuerunt, recommendasse benivolencie regie meminimus, capti fuerunt in eodem regno per gentes regias, et adhuc captivi detinentur ibidem. Profecto, fili dilectissime, si, quod de captione predicta proponitur, veritate fulcitur, attenta sincera devotione, quam ad Deum et eandem Romanam ecclesiam matrem tuam gerere dinosceris, credere non valemus talia de tua consciencia processisse; nec credat tua regalis sublimitas, quod solum in regno et terris tuis predictis, hujusmodi gracias novis eisdem cardinalibus fecerimus, immo, sicut premissum est, per omnia regna et partes mundi tam propinquas quam remotas, ubi catholice fidei viget cultus, in quibus et de quibus nullam inobedienciam audivimus in hac parte, et pro certo tibi, amatissime fili, et regno tuo predicto satis expediens estimatur, quod cardinales obtineant beneficia in eisdem, ex hoc quidem circa promotionem eorum, que bonum statum patrie ac comodum et honorem tuum respicient, reddentur amplius et fervencius soliciti et attenti, et utinam illi qui nutriti de mitis ejusdem ecclesie Romane ac ad honores et status provecti et exaltati per eam, procurasse impedimentum procuratorum et nunciorum predictorum, non absque vitio ingratitudinis, et aliis suis periculis verisimiliter estimantur, non venando cum manu regia lucra propria fraudulenter, intenderent fideliter, et hactenus intendissent hiis que tuum et regni tui predicti comodum et honorem concernunt. Rogamus itaque serenitatem regiam et attencius in domino exhortamur quatinus, premissis et aliis que circumspectioni regie super hiis possunt occurrere intra pectoris regis claustra prudenter discussis, ab illis qui talia in Dei offensam, ecclesie predicte contumeliam ac honoris salutis et fame tui culminis lesionem, redundare noscuntur, auditum avertens regia magnificencia, predictos procuratores et nuncios favorabiliter faciat liberari, eosque super prosecutione predicta velit habere pro nostra et ejusdem Sedis reverencia propensius commendatos. Datum Avinione, III idus julii, anno secundo. »

276 Avignon, 12 juillet 1343.

Guidonem de Ventadour, episcopum Cameracensem, Guillelmo II comiti Hanoniæ commendat, excusationesque præsentatas per Henricum de Geldonia, canonicum Cameracensem, Gerardum de Gommenies, militem, ac Salsetum de Aisne, nuntios dicti comitis, favorabiliter admittit. (Reg. 137, n° cxlvi, fol. 50 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti Hanonie.* Presentatas nobis per —. Datum Avinione, III idus julii, anno secundo. »

277 Avignon, 12 juillet 1343.

Johanni, episcopo Forliviensi, mandat ut magistros juratos et communitatem oppidi Hoyensis, Leodiensis diocœsis, inducat, ut ad obedientiam episcopi Leodiensis

revertantur, et confœderationes initas cum Johanne duce Brabantiæ frangant. (Reg. 137, n° cxlvii, fol. 50 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Forliviensi.* Exhibita nobis venerabilis —. Datum Avinione, iii idus julii, anno secundo. »

278 Avignon, 14 juillet 1343.

Stephano, episcopo Casinensi, thesaurario suo, priori Sancti Martini in Campis Parisiensis diocœsis ac decano ecclesiæ Sancti Pauli de Fenolhadesio, Electensis diœcesis, mandat ut Guillelmo Rogerii canonico Senonensi conferant canonicatum et præbendam, quos Guillelmus d'Albussac, electus Forojuliensis, tempore promotionis ad dictam ecclesiam in dicta ecclesia obtinebat. (Reg. 137, n° clv, fol. 56 r°.)

« *Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi thesaurario nostro.* Pridem attendentes quod —. Datum Avinione, ii idus julii, anno secundo. »

279 Villeneuve-les-Avignon, 16 juillet 1343.

Archiepiscopis et episcopis cœterisque ecclesiasticis personis, tam sæcularibus quam regularibus, mandat ut iiii florenos auri, diebus singulis quibus in prosecutione ei commissorum negotiorum fuerit, magistro Stephano de Mulceone, decano ecclesiæ Bituricensis, ad Britanniæ aliasque partes destinato assignare curent. (Reg. 157, De Curia, n° i, fol. 1 r°.)

« *Clemens episcopus, etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis... et preceptoribus ipsorumque locatenentibus ad quos presentes littere pervenerint salutem etc.* Cum nos dilectum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xvii kalendas augusti anno secundo. »

280 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut Johanni episcopo Forliviensi, Apostolicæ Sedis nuncio, ad Leodienses et Brabantiæ partes destinato, sex florenos auri diebus singulis assignare curent. (Reg. 137, n° clii, fol. 54 r°.)

« *Venerabilibus fratribus... usque pervenerint, etc.* Cum nos venerabilem —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xvi kalendas augusti, anno secundo. »

281 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Philippæ reginæ Angliæ nuntiat se precibus regiis pro Benedicto episcopo Cardicensi præsentatis annuere non posse. (Reg. 137, n° clxii, fol. 59 r°.)

« *Carissime in Christo filie Philippe regine Anglie illustri.* Excellencie tue, carissima filia, litteras super quibusdam personam et statum venerabilis fratris nostri Benedicti episcopi Cardicensis tangentibus per Hamondum nuncium tuum nobis noviter presentatas, affectione paterna recepimus, quarum serie diligentius intellecta, celsitudini tue breviter respondemus quod ante adventum dicti nuncii tui et litterarum presentationem ipsarum duxeramus de hiis que continebantur in ipsis litteris ordinandum; propter quod annuere regiis precibus super hiis non valemus. Verumtamen eundem episcopum ob sue probitatis merita et tue devotionis ac sinceritatis affectum in aliis habere intendimus, quantum decenter poterimus commendatum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xvi kalendas augusti, anno secundo. »

282 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Ludovicum comitem Flandriæ rogat ut a procuratore Margaritæ de Alneto, uxoris Bertrandi de Baucio comitis Montiscaveosi, homagium recipere velit, ad quod dicta nobilis tenetur. (Reg. 137, n° clxiii, fol. 59 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Ludovico comiti Flandrie.* Cum, sicut intelleximus, dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita de Alneto, uxor dilecti filii nobilis viri Bertrandi de Baucio, comitis Montiscaveosi, pro terris et bonis sibi per quondam Ludoycum de Flandria priorem, virum suum, racione sui dotalicii assignatis, prestare tibi homagium teneatur, et dictus comes, vir suus, circa negocia carissime in Christo filie nostre Johanne regine Sicilie illustris inevitabiliter, sicut testantur ejusdem regine misse nobis littere, occupatus,

ad tuam accedere presentiam nequeat commode, nec decens reputetur eandem nobilem uxorem suam ad tam remotas partes accedere sine ipso, nobilitatem tuam attente rogamus quatinus a procuratore dicte nobilis ad hoc sufficienter et legitime constituto favorabiliter velis hac vice recipere homagium antedictum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas augusti, anno secundo. »

283 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Guidonem regem Armeniæ rogat ut Constantiæ reginæ Armeniæ satisfieri faciat de dotalitio quod ei Leo rex Armeniæ assignaverat. (Reg. 137, n° CLXIIII, fol. 59 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Guidoni regi Armenie illustri.* Nuper carissima in Christo filia nostra Constantia regina Armenie illustris, relicta clare memorie Leonis regis Armenie consanguinei et predecessoris tui, nobis fecit exponi quod dudum post contractum inter ipsam et eundem regem matrimonium, idem rex pro dotalicio dicte regine certos redditus in regno Armenie consistentes, dedit et assignavit eidem, quamdiu viveret, libere habendos et percipiendos per ipsam, et nichilominus idem rex in obitu suo donationem et assignationem hujusmodi confirmavit; et licet prefata regina, que se, dicto rege viro suo sublato de medio, in Ciprum transtulit moraturam, te, fili carissime, sepe requiri, ut ex parte ipsius asseritur, fecerit, ut permitteres quod de dictis redditibus pro dotalicio suo sibi datis et assignatis, ut premittitur, super quibus impediebatur et impeditur, responderetur eidem, tu tamen hoc facere denegasti. Quare ipsa regina vidua super hoc ad nos, qui vices illius in terris gerimus, qui viduarum pupillorum et orfanorum est defensor, habens recursum, nostrum auxilium humiliter super hiis imploravit. Nos igitur eidem pio et paterno compatientes affectu, tuam regiam magnificentiam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus erga prefatam reginam pro divina et nostra Sedisque apostolice reverentia favorabiliter et benigne te gerens, eam habere ac percipere dictos redditus pro dotalicio suo sibi datos et assignatos ad vitam suam, ut predicitur, permittas libere, ac de illis sibi juxta donationem et assignationem predictas facias integraliter responderi, sic quod sublata sibi super hoc conquerendi ulterius materia, adeo consequaris meritum ut tua sublimitas exinde valeat merito commendari. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas augusti, anno secundo ».

284 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Philippo regi Franciæ per præsentem cedulam respondet. (Reg. 137, n° CLVX, fol. 60 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super multis de quibus per diversos nuncios et litteras excellencia regia nobis scripsit, eidem, prout continetur in cedula interclusa presentibus, respondemus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas augusti, anno secundo. »

285 Villeneuve-les-Avignon, 17 juillet 1343.

Johannæ reginæ Franciæ per infrascriptam cedulam respondet. (Reg. 137, n° CLXVI, fol. 60 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Super multis de quibus carissimus in filius noster Philippus rex Francie illustris, vir tuus, per diversos nuncios et litteras nobis scripsit, eidem, prout continetur in cedula interclusa presentibus, respondemus. — Dat. ut supra. »

286 Villeneuve-les-Avignon, 18 juillet 1343.

Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Simonem de Rupecavardi commendat. (Reg. 137, n° CLXX, fol. 61 r°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum dilectus filius Simon de Rupecavardi qui pridem, suscepto milicie cingulo, ut est moris, religionem Hospitalis sancti Johannis Jerosolomitani, ob magne devotionis zelum quem gessit hactenus et gerit ad eandem, ingressus, ut ipsam devotionem clarius per exhibitionem probet operis, et nobilium ac strenuorum virorum a quibus

traxit originem, in Dei et ejusdem religionis vestigia satagat laudabilius immitari, ad te, fili, qui magister Hospitalis ejusdem religionis existis, ad partes transmarinas accedat, nos ipsum dudum familiarem nostrum, quem favore specialis dilectionis prosequimur, tue benivolencie plenis affectibus commendamus Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas augusti, anno secundo. »

287 Villeneuve-les-Avignon, 20 juillet 1343.

Supplicationibus annuens, indulget ut duodecim clerici sæculares et regulares Guillelmi Rogerii domini de Cambonio, Lemovicensis diœcesis, nunc et in posterum ejus obsequiis insistentes, quos ad id duxerit eligendos, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quæ obtinent, cum integritate percipere valeant, ac interim ad residendum in eis minime teneantur, neque ad id a quoquam inviti valeant coartari. (Reg. **137**, n° mcxlvii, fol. 278 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo Rogerii, domino de Cambonio, Lemovicensis diocesis.* Personam tuam nobis —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xiii kalendas augusti, anno secundo. »

288 Villeneuve-les-Avignon, 20 juillet 1343.

Parisiensi, Avinionensi et Lemovicensi officialibus mandat ut prædictæ concessionis tenorem fideliter exsequantur. (Reg. **137**, n° mcxlviii, fol. 278 v°.)

« *Dilectis filiis.. Parisiensi et... Avinionensi, ac... Lemovicensi officialibus.* Judicibus mandamus quatinus. — Datum apud Villamnovam. Avinionensis diocesis, xiii kalendas augusti, anno secundo ».

Item in eundem modum pro dilecto filio Petro Rogerii, canonico Parisiensi, pro sex clericis;

Guillelmo Rogerii, canonico Parisiensi, pro quatuor clericis;

Hugone Rogerii thesaurario ecclesie Aniciensis, pro aliis quatuor;

Nicolao Rogerii, canonico Rothomagensi, pro aliis quatuor;

Johanne Rogerii canonico Turonensi, pro aliis quatuor;

Hugone Judicis, canonico Carnotensi, pro aliis quatuor; et cœtera, ut supra Dat. ut supra.

289 Villeneuve-les-Avignon, 21 juillet 1343.

Infrascripto indulget, ut dum obsequiis papæ insistet, fructus, redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum, quæ nunc obtinet vel imposterum obtinebit, percipere valeat, ac ad residendum in eisdem minime teneatur. (Reg. **137**, n° mclxi, fol. 280 r°.)

« *Dilecto filio Johanni, nato quondam Guillelmi de Seduno, canonico Sedunensi, clerico capelle nostre.* Ex tue devotionis —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xii kalendas augusti, anno secundo. »

290 Villeneuve-les-Avignon, 21 juillet 1343.

Infrascriptis mandat ut dictam concessionem exsequantur. (Reg. **137**, n° mclxi.)

« *Dilectis filiis.. de Sancto Sereno, Caturcensis, et... Montismirabilis Albiensis archidiaconis, ac Michæli Ricom[on]anni canonico Valentine, ecclesiarum.* Judicibus mandamus quatinus vos —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xii kalendas augusti, anno secundo. »

291 Villeneuve-les-Avignon, 21 juillet 1343.

Infrascriptum civitatis, territorii et districtus Beneventanorum rectorem deputat (Reg. **137**, n° clxxi, fol. 61 r°.)

« *Dilecto filio Arnulpho Marcellini, canonico Agennensi, civitatis Beneventane nobis et ecclesie Romane immediate subjecte ipsiusque territorii et districtus rectori.* Dudum felicis recordationis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xii kalendas augusti, anno secundo. »

292 Villeneuve-les-Avignon, 21 juillet 1343.

Stephano de Molceone, decano ecclesie Bituricensis, mandat ut ad partes Britanniæ personaliter se conferat

treugasque recenter initas apud « Malestroit » inviolabiliter observari jubeat. (Reg. Vat. 161, litt. iiii, de Curia, fol. 1 v°; Reg. Vat. 215, fol. 2 r°.)

« *Dilecto filio Stephano de Molceone decano ecclesie Bituricensis.* Dudum ad nos gratia favente divina ad apicem Summi Apostolatus assumptos accurrente considerationis nostre conspectui gravi dissidio, quod pacis hostis, invidus caritatis inter karissimos in Christo filios nostros Phylippum Francie suosque sequaces, valitores, fautores et auxiliatores et adherentes eidem ex parte una, et Edwardum Anglie reges illustres necnon sequaces auxiliatores valitores fautores et ei adherentes ex altera, prohdolor! suscitarat, et quod ab olim strages hominum, facultatum lapsus, depopulationes et incendia locorum et ecclesiarum animarum pericula aliaque dampna et innumerabilia mala et non solum regnorum ac regum predictorum et terrarum ipsorum dominio subjectarum statum turbaverat, sed toti christianitati dispendia multa produxerat; et attendentes quod ad nos, qui vices regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis apostolorum principi suisque successoribus ex alto concesse, singulariter pertinebat in universali ecclesia cunctave congregatione fidelium pacem querere, ipsamque facere diligentius observari, venerabiles fratres nostros Petrum Penestrinum sancte Romane Ecclesie vicecancellarium, et Anibaldum Tusculanensem episcopos, viros utique circumspectione preditos, consilii maturitate preclaros, talento scientie et eloquentie ornatos, ac in arduis agendis expertos, de quorum industria gerebamus, prout gerimus, fiduciam singularem, ad regna et terras predicta pro reformanda pace et concordia inter reges et alios dissidentes predictos tanquam pacis angelos duximus destinandos, qui ad regnum Francie se personaliter conferentes et cum dictis partibus tuis in Britania existentibus sigillatim ad reducendum eas ad statum tranquillitatis et pacis, quarum concordia non solum partium ipsarum dissidentium sed totius populi Christiani statum pacificum et incolumitatem ac felicium prosperitatem successuum sapiebant, exquisitis studiis et multiplicibus viis per dies et tempora multipliciter laborarunt; ac demum, cum non possent inter dissidentes ipsos pacis et concordie federe totaliter reformare, tandem partes ipse, prefatis episcopis mediantibus et tractantibus, ob reverentiam sancte Romane Ecclesie, et ad succurrendum malo statui christianitatis et subveniendum indempnitati subditorum dictorum regum, treugas, que pacis representant ymaginem, extunc usque ad triennium a proximo futuro festo dedicationis beati Michaelis in antea computandum duraturas, etiam specialiter in ipsa Britania conservandas, inter se ac pro dictis sequacibus, valitoribus, auxiliatoribus, fautoribus et adherentibus eorundem concordarunt et etiam inierunt ipsasque juramentis hincinde prestitis vallaverunt; quas prefati episcopi postmodum in illis partibus sollempniter publicarunt, ut interim, auctore domino, via prepararetur facilior ad pacem et concordiam inter partes ipsas perpetuo solidandas. Verum quia, sicut fidedigna relatio nuper ad nostrum perduxit auditum, nonnulli de valitoribus ipsis, pacis emuli et dissentionis amici, qui gloriantur cum malefecerint, et in rebus pessimis delectantur, treugas hujusmodi diversis exquisitis coloribus ejusdem in Britanie ac vicinis partibus in gravem lesionem rei publice ac scandalum detestabile violare nituntur. Nos treugas ipsas inviolabiliter observari, ac refrenari predictorum nequitiam perversorum totis affectibus cupientes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, ad dictas Brittanie et alias partes, de quibus expediens fuerit, te personaliter conferens, ac ausus nefarios reprimens predictorum, treugas predictas facias auctoritate apostolica inviolabiliter observari; et si qua contra tenorem dictarum treugarum attemptata inveneris, in pristinum statum reduci, transgressores, violatores et impeditores treugarum earundem et contradictores et rebelles cujuscumque preheminentie, dignitatis, status vel conditionis extiterint per excommunicationis in personas et interdicti in terras eorum et alias penas et sententias, de quibus tibi videbitur, quandocunque et quotienscumque opus fuerit, auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus, etc. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xii kalendas augusti, anno secundo

293 Villeneuve-les-Avignon, 23 juillet 1343.

Philippo regi Franciæ Gaufridum, abbatem monasterii de Culturis, O. S. B. Cenomanensis diœcesis, commendat. Reg. 137, n° cl.xxvii, fol. 62 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum dilectus filius Gaufridus, abbas monasterii de Culturis, ordinis Sancti Benedicti, Cenomanensis diocesis, ad suum predictum monasterium et regalem presenciam de beneplacito nostro et apostolice Sedis accedat, nos eundem abbatem dictumque monasterium regie benevolencie, ut eum pro divina et nostra dicteque Sedis reverencia benigne recipiat et pertractet, propensius commendamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x kalendas augusti, anno secundo. »

In eodem modo *dilecto filio nobili viro Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie* (n° CLXXVIII, fol. 62 r°.)

294 Villeneuve-les-Avignon, 23 juillet 1343.

Supplicationibus infrascripti annuens, ei indulget ut confessor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum plenam remissionem semel in mortis articulo concedere valeat. (REG. 137, n° MCCI, fol. 288 v°.)

« *Dilecto filio Arnulpho Marcellini canonico Agennensi.* Provenit ex tue devotionis —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x kalendas augusti anno secundo. »

295 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1343.

Miratur papa quod dictus cardinalis non rescribat super negociis pro quibus ad Petrum regem Aragonum Jacobumque regem Majoricarum missus fuit (REG. 137, n° CLXXIX, fol. 62 v°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, Apostolice Sedis nuncio.* Quid super negocio —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno secundo. »

296 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1343.

Notificat Jacobo, regi Majoricarum, se Petro, regi Aragonum reginæque scripsisse de pace reformanda inter eos. (REG. 137, n° CLXXX, fol. 62 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri.* Receptis magnificientie tue —. Datum ut supra. »

297 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1343.

Siciliæ reginæ nuntiat ambassiatores Ludovici de Aragonia detentoris insulæ Siciliæ, qui ad Sedem Apostolicam venerant, tractatui pacis ineundo consensisse (REG. 137, n° CLXXXI, fol. 62 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Pridem ad nostram —. Dat apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno secundo. »

298 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1343.

Djani-beig-Khan imperatorem Tartarorum rogat ut christianos in imperio suo degentes patienter tractet eosque libere prædicare verbum Dei permittat. (REG. 137, n° CLXXXII, fol. 63 r° ; — RAYNALDI, *Annales*, VI, 316.)

« *Magnifico principi Janibeth Imperatori Tartarorum illustri, Deum verum qui omnia creavit de nichilo devote cognoscere diligere ac timere.* Ad Sedem apostolicam sepius extitit multorum relatibus fidedignis perductum, quod progenitores tui Tartarorum Imperatores, ex innata et a Deo inspirata sibi clementia, christianos in suo degentes imperio tractare preteritis temporibus favorabiliter et humaniter curaverunt, eos tam divine pietatis intuitu quam reverentia dicte Sedis pie manutenendo et confovendo in suis libertatibus, ac ab oppressionibus indebitis, violentiis et injuriis defendendo, permittendo quoque sacerdotes catholicos divina ibidem celebrare officia, ministrare sacramenta ecclesiastica, et tam christianis populis quam aliis audire volentibus predicare libere verbum Dei. Propter quod Sedes ipsa et predecessores nostri Romani Pontifices ex hiis gaudii et exultationis rore perfusi, nuntios Imperatorum ipsorum quandoque venientes ad Sedem eandem, receperunt placibiliter, eosque gratiis et favoribus prevenerunt,

regratiatorias, directivas et amicabiles litteras plerumque prefatis Imperatoribus dirigendo. Et licet premissa sepe leta mente audiverimus, dum status inferios nos haberet, nunc tamen ad apicem summi Apostolatus divina gratia faciente assumpti, eis tam per dilectum filium Heliam de Ungaria, ordinis fratrum Minorum, in illis partibus diutius conservatum, quam alios fidedignos in nostra presentia commendabiliter et laudabiliter recensitis, exinde tanto amplius exultavimus, quanto curam christianorum omnium ex injuncto nobis desuper apostolice servitutis officio magis conspicimus, sperantes in eo qui numquam cessat a benedictionibus gratiarum, quod tu laudabilia progenitorum tuorum predictorum vestigia imitando, super hiis erga christianos eosdem exuberare favores et gratias hujusmodi non cessabis, tuam si quidem credimus magnificentiam non latere quod in terris et dicionibus nonnullorum carissimorum in Christo filiorum nostrorum.. regum christianorum innumera Sarracenorum et aliorum qui fidem christianam non colunt milia comorantur, qui ab eisdem regibus tolerantur et confoventur, ac ab injuriis et oppressionibus quorumlibet deffenduntur, nec aliquis Sarracenorum ipsorum, et fidem eandem non colentium, vi, metu, vel violentia ritum suum abnegare, aut fidem christianam suscipere cogitur : sed si ad eam venire sponte ac libere voluerit, favorabiliter recipitur et benigne. Rogamus itaque celsitudinem tuam et hortamur quatinus prefatos christianos in tuo predicto commorantes imperio, ad instar eorundem progenitorum tuorum habeas commendatos, ipsos defendendo ab injuriis et oppressionibus indebitis quibuscumque sacerdotesque permittendo predictos officia divina peragere, proponereque libere quibusvis audire volentibus verbum Dei. Nos autem nuntios tuos et litteras si ad nos miseris, recipiemus favorabiliter et libenter ac ea que pro parte tua exponere coram nobis curaverint, audiemus, tibique viam caritativis et benignis monitis, si audire volueris, ostendemus, per quam tibi gratia in presenti vita dabitur habundanter a Domino, et tandem post decursum vite ipsius eterne felicitationis gaudia mereberis adipisci. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IX kalendas augusti, anno secundo. »

299 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1343.

Infrascriptis mandat ut, si Petrus episcopus Valentinus et Diensis moritur, bona ipsius diligenter custodiant. (Reg. 137, n° CLXXXIII, fol. 63 v°.)

« *Dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Ruffi Valentinensis et... priori de Vallibus, Bisuntine diocesis.* Displicibili ad nos insinuatione perducto, venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Valentinensem et Diensem, gravi et periculosa infirmitate proprii corporis detineri, nos providere volentes ne bona ipsius mobilia occupentur per aliquos, vel asportentur indebite, aut alias inaniter consumantur, discretioni vestre, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos et quilibet vestrum insolidum si episcopus predictus adeo graviter infirmetur, quod non possit sibi et rebus suis consulere, vel migraverit forsitan ab hac luce, omnia bona ipsius mobilia in quibuscumque rebus consistant, sub manu et custodia nostra recipiatis, et facto de illis inventario, teneatis et conservetis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis. Contradictores etc. Summopere precaventes quod eidem episcopo, si vixerit, nullam molestationem per quam gravari persona sua quomodolibet valeat, premissorum pretextu quomodolibet inferatur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas augusti, anno secundo. »

300 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1343.

Eisdem mandat ut bona prædicti episcopi defuncti petere recipere ac conservare curent. (Reg. 137, n° CLXXXIIII, fol. 63 v°.)

« *Eisdem.* Noviter intellecto bone memorie Petrum episcopum Valentinensem et Diensem sicut Domino placuit ab hac luce migrasse nos providere, etc... Contradictores etc. Volumus autem quod eos a quibus bona receperitis supradicta possitis absolvere plenius et quittare de hiis que vobis duxerint assignanda, nos exinde certificaturi clare particulariter et distincte. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti, anno secundo. »

301 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1343.

Infrascripto indulget ut omnibus litteris prædecessoribus ejus concessis uti possit. (Reg. **137**, n° clxxxv, fol. **64** r°.)

« *Dilecto filio Berengario Blasini, rectori ecclesie de Serviano, Bitterrensis diocesis, ducatus Spoletani nostro et ecclesie Romane thesaurario.* Ut officium thesaurarie —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii kalendas augusti, anno secundo. »

302 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1343.

Deodato Laurentii, clerico de Antinhaco, Biterrensis diœcesis, qui per Gasbertum archiepiscopum Narbonensem, Sedis apostolicæ camerarium, idoneus repertus fuerat, tabellionatus officium concedit. (Reg. **137**, n° clxxxxli, fol. 6^A.)

« *Dilecto filio Deodato Laurencii, clerico de Antinhaco, Biterrensis diocesis, non conjugato, nec in sacris ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria. —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii kalendas augusti, anno secundo. »

303 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1343.

Philippo archiepiscopo Nicosiensi indulget ut possit contrahere mutuum usque ad summam vi^m florenorum auri. (Reg. **137**, n° clxxxvii, fol. **64** r°.)

« *Venerabili fratri Philippo archiepiscopo Nicosiensi.* Sincere devotionis affectus quem —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii kalendas augusti, anno secundo. »

304 Villeneuve-les-Avignon, 28 juillet 1343.

Johanni, duci Brabantiæ, consiliarium Nicolaum de Castro remittit cui nonnulla duci verbotenus referenda commisit. (Reg. **137**, n° cxcii, fol. 65; — analysé Riezler, *op. cit.*, n° 2159, p. 776.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni duci Brabancie.* Benigne recepimus dilectum filium Nicolaum de Castro, decanum ecclesie Antwerpiensis, Cameracensis diocesis, consiliarum tuum; et que pro parte tua voluit coram nobis exponere, intelleximus diligenter, eique quedam explicavimus et commisimus, tue nobilitati verbotenus referenda. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas augusti, anno secundo. »

305 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Bertrando de Baucio, domino Cortodoni, Avinionensis, diœcesis, concedit ut cum viginti sociis Sepulchrum Dominicum et alia oratoria Terræ Sanctæ visitare queat. (Reg. **137**, n° cxciii, fol. 66 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Bertrando de Baucio domino Cortodoni Avinionensis diocesis.* Tue devotionis exigentibus —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas augusti, anno secundo. »

306 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Eidem conceditur altare portatile. (Reg. **137**, n° clxxxxiiii, fol. 66 r°.)

« *Eidem.* Exposcit tue devotionis. Datum ut supra. »

307 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Eidem comiti conceditur indulgentia in mortis articulo. (Reg. **137**, n° cxcv, fol. 66 r°.)

« *Eidem.* Provenit ex tue —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas augusti, anno secundo. »

308 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Johannam, reginam Siciliæ, hortatur ut inducat Catherinam imperatricem Constantinopolitanam et Robertum, principem Tarentinum, ad deliberandum Bertrando de Baucio, domino Cortodoni, Avinionensis diœcesis, certas terras quas ei in feudum concesserat. (Reg. **137**, n° cxcvi, fol. 66 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Exponente nobis nuper —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas augusti, anno secundo. »

In eodem modo *Sancie regine Sicilie illustri* —, *Agneti ducisse Duracii* —, *Carolo duci Duracii* —, *Marie ducisse Duracii*. Dat. ut supra. (Reg. 137, n^os^ cxcvi-cc, fol. 66 v°.)

309 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Catherinam, imperatricem Constantinopolitanam, rogat ut dictas terras prædicto domino de Baucio liberari jubeat. (Reg. 137, n° cci, fol. 67 r°.)

« *Carissime in Christo filie Catherine imperatrici Constantinopolitane*. Exposuit nobis dilectus filius nobilis vir Bertrandus de Baucio, dominus Cortodonis, Avinionensis diocesis quod, licet olim tu, filia carissima, et dilectus filius nobilis vir Robertus, princeps Tarentinus, natus tuus, eidem Bertrando graciose concesseritis et dederitis in feudum certas terras, illas tamen nondum extitit realiter assecutus. Cum autem graciam principis deceat esse mansuram, tuam excellenciam rogamus attencius et hortamur quatinus, secundum tenorem et formam concessionis et donationis hujusmodi, eidem nobili liberari et assignari facias dictas terras, ipsum super hiis et aliis agendis suis favorabiliter pro nostra et apostolice Sedis reverentia prosequendo. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas augusti, anno secundo. »

310 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Robertus princeps Tarentinus similiter rogatur. (Reg. 137, n° cciii, fol. 67 r°.)

« *Eidem principi* (*Roberto principi Tarentino*). Exposuit nobis dilectus filius nobilis vir Bertrandus de Baucio etc. quod tu et carissima in Christo filia nostra Catherina imperatrix Constantinopolitana genitrix tua etc... ut supra, verbis competenter mutatis. Datum ut supra. »

311 Villeneuve-les-Avignon, 29 juillet 1343.

Hugonis IV regis Cipri ambassiatores qui ad Sedem apostolicam venerant, de intentione papæ plenius informatos, ad regem prædictum remittit. (Reg. 137, n° cciii, fol. 67 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri*. Nuper dilectos filios Iterium de Nabinali, ordinis Fratrum Minorum, et nobiles viros Thomam de de Monteolivo et Egidium de Blanchegarde tue celsitudinis nuncios ad nostram presenciam destinatos, ac litteras regias ab eis nostro apostolatui presentatas solite benignitatis affectu recepimus, et hiis que continebant dicte littere et ipsi nuncii coram nobis curaverunt exponere plenius intellectis, eis super illis et presertim circa materiam repressionis Turchorum infidelium qui terras illas transmarinas et christicolas commorantes in eis molestare et affligere moliuntur, de qua in suis propositis mentionem fecerunt, respondimus, sicut ipsi magnificencie regie referre poterunt viva voce. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kal. augusti, anno secundo. »

312 Villeneuve-les-Avignon, 31 juillet 1343.

Mariæ de Blesis, ducissæ Lotharingiæ, cujus litteris respondet, congratulatur quod geminas filias pepererit eique auxilium præstare promittit. (Reg. 137, n° ccvii, fol. 68 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Blesis, ducisse Lothoringie*. Nobilitatis tue litteras per dilectum filium Johannem elemosinarium et nuncium tuum nostro apostolatui presentatas, per quas tuum et dilecti filii nobilis viri... ducis Lothoringie, viri tui, statum prosperum teque, hiis diebus preteritis, geminas filias peperisse, feliciter nunciasti, leta et benigna manu recepimus, de tuo et ejusdem viri tui, quos paterne dilectionis affectu prosequimur, statu felici hujusmodi consolati, et quia omne donum perfectum et datum optimum desursum est a Patre luminum qui dat omnibus in eo sperantibus affluenter, nobilitatem tuam attencius exhortamur quatinus ab eo te recepisse recognoscens humiliter omnia bona tua et in ejus amore ac timore te tenens, jugiter eidem graciarum in humilitate spiritus exolvere studeas actiones, semper operibus pietatis intendens; quod si feceris, ipse qui nunquam cessat a benedictionibus graciarum adiciet tibi multiplicationem bonorum temporalium et tandem gaudiis non frustaberis sempiternis. De nobis fiduciam habitura quod nos, quantum cum Deo poteri-

mus, propicios super tuis oportunitatibus reperies et benignos. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas augusti, anno secundo. »

313 Villeneuve-les-Avignon, 31 juillet 1343.

Geraldus de Lacu parrochialem ecclesiam de Moulime, Pictavensis diœcesis, obtinuerat, quam Petrus de Pomarat, olim rector dictæ ecclesiæ, dimiserat juxta tenorem constitutionis super pluralitate dignitatum; cumque eam pacifice assequi non posset, propter quod Anibaldus, episcopus Tusculanus, nuncius beneficia taxata ad quamdam decimam conferendi potestatem habens, Petro de Miredollo, Placentinæ diœcesis, dictam rectoriam contulisset, super quo lis in palatio Avinionensi pendebat, infrascriptis papa mandat ut informationem faciant et rescribant quid repererint. (Reg. 137, n° ccxlviii, fol. 80 v°.)

« *Dilectis filiis archidiacono Belvacensi et Guillelmo de Rofilhaco, Lemovicensis, ac Imberto de Chamborenc, Pictavensis, canonicis ecclesiarum.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas augusti, anno secundo. »

314 Villeneuve-les-Avignon, 1er août 1343.

Cum electio regis Romanorum immineat, Baldewino de Lützelburg archiepiscopo Treverensi aliisque electoribus mandat ut idoneam personam Ecclesiæ Romanæ devotam eligant; super prædictis et circa illa, quæ ecclesiam Metensem concernunt, Danieli de Wichtrich, episcopo Verdensi, nuncio, certa curavit explicanda. (Reg. 137, n° ccx, fol. 68 v°).

« *Venerabili fratri Baldwyno archiepiscopo Treverensi.* Cum tibi frater —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis augusti anno secundo. »

315 Villeneuve-les-Avignon, 1er août 1343.

Salvumconductum concedit ambassiatoribus Edwardi III regis Angliæ, qui ad Sedem apostolicam venire debent, pro pace reformanda cum rege Franciæ. (Reg. 137, n° ccxi, fol. 69 r°.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis, ipsorumque vicegerentibus, capitulis quoque, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis regularibus et secularibus exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theuthonicorum, Calatravensium et Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus, necnon nobilibus viris ducibus, principibus marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bajulis, officialibus, ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque et comunitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum, et aliorum quorumcunque locorum et aliis universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint.* Nuper carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie illustris nobis per suas litteras significare curavit, quod ipse pro tractatu pacis inter ipsum, et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem dissidentes invicem, divina suffragante gracia reformande, juxta conventiones inter reges eosdem, intervenientibus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrinensi et Anibaldo Tusculano episcopis apostolice Sedis nunciis, ad eosdem reges per nos dudum propterea destinatis, habitas, nuncios suos solennes videlicet dilectos filios nobiles viros Henricum de Lancastria Derbeye, Ricardum Arrundellie, Thomam Warwykye, Robertum Suffolchye, Willelmum Huntingdone, comites, Hugonem Le Despenser dominum de Glomorgan, Radulphum de Nevyll, Bartholomeum de Borgherssh, Reginaldum de Cobham, Thomam de Bradeston, barones, magistros Willelmum de Norwico decanum Lincolniensis, Johannem de Offord Eliensis, Henricum de Chadesden Stowengensis Lincolniensis, Robertum Heroward Tautonensis Wellensis archidiaconos, ecclesiarum, et quosdam alios suos nuncios in instanti statuto super hoc termino ad nostram disposuit presenciam destinandos, sed proceres et communitas regni sui Anglie missioni nunciorum ipsorum, et quod extra regnum proficiscantur predictum, difficultatem, nisi eisdem nunciis in eundo, morando et redeundo, de securo conductu provi-

deatur, opponunt. Quare nobis supplicavit humiliter rex predictus, ut prefatos nuncios, et sibi alligatos, et nuncios eorumdem cum familiis rebus et bonis suis ad Sedem apostolicam, et eandem presenciam ratione dicti tractatus simul vel separatim venientes, ibidemque morantes et recedentes exinde, sub nostra et Sedis predicte protectione suscipere, quodque ipsi et eorumdem alligatorum nuncii et iidem alligati ac familiares ipsorum, hujusmodi tractatus negocii prosecutione durante, in Curia Romana vel alibi, ex quacumque causa beneficiali, civili vel criminali, personali reali, aut mixta seu alia quacumque, ad instanciam partis vel ex officio cujuscumque obligationis seu contractus delicti vel quasi, non citentur, moneantur, arrestentur, capiantur, excomunicentur, suspendantur, aut contra ipsos quovis modo alio procedatur, per litteras apostolicas gratiose concedere dignaremur. Et, licet a predicta Sede, apud quam patent, vigent et vigere debent securitas et libertas, et per quam adversus injuriatores, perturbatores, captivatores et spoliatores illorum, qui ad Curiam Romanam predictam veniunt, et recedunt ab ipsa, et in ea moram trahunt, graves excomunicationis et alie pene et sentencie fore promulgate noscuntur, securus conductus hujusmodi nequaquam postulari consueverit, nec concedi per eam, nos tamen qui summis desideriis inter prefatos reges, ac utriusque ipsorum amicos et subditos, reformari pacis et unitatis Deo gratam et eis accomodam concordiam affectamus, nolentes quod super materia tractatus predicti ex causa quacumque possit impedimentum vel obstaculum quomodolibet interponi prefati regis Anglie in hac parte supplicationibus inclinati, omnes et singulos predictos nuncios clericos et laicos ex causa tractatus hujusmodi ad nostram presenciam destinandos, volentes cum omnibus familiis rebus et bonis suis, que secum deferent, in veniendo ad Sedem predictam et eandem presenciam, ibique morando et inde recedendo, plena securitate gaudere, ipsos sub nostra et ejusdem Sedis protectione suscipimus speciali, statuentes ac eciam decernentes quoscumque injuriatores, molestatores, offensores, captivatores aut spoliatores eorum, quamdiu in itinere veniendi et recedendi predicto, eciam pace predicta reformata vel non reformata, fuerint, aut moram in eadam curia propter hoc traxerint, excomunicationis et alias penas et sentencias, que adversus illos qui venientes ad Sedem prefatam, vel recedentes ab ea injuriis seu dampnis afficiunt, aut captivatores, spoliatores vel detentores eorum per nos et predecessores nostros, Romanos Pontifices promulgate sunt generaliter incursuros. Et insuper eisdem nunciis presencium auctoritate concedimus, quod, durante prosecutione negocii antedicti, ipsi vel familiares commensales eorum, clerici vel laici ex quacumque, sub quovis colore, ex officio seu ad partis instanciam occasione promissionum, obligationum contractuum, delictorum vel quasi, que ante iter eorum arreptum facta habita vel commissa dicerentur, nullatenus citentur, conveniantur, moneantur, arrestentur, capiantur, excommunicentur, suspendantur, vel interdicantur, aut contra eos quomodolibet procedatur, sed ab omni molestatione ac vexatione in sic veniendo, morando et recedendo, tam in eadem Romana Curia, quam alibi sint liberi penitus atque quitti. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, requirimus et attencius in Domino exhortamur, quatinus supradictos nuncios et singulos eorumdem, cum per terras, districtus, portus et loca vestra, simul vel separatim transiverint, benigne recommendatos habentes, eis in personis aut rebus et bonis suis vel familiarium eorumdem, que secum habebunt vel deferent, injurias, offensas, molestationes vel impedimenta quecumque nullatenus inferatis, nec inferri ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis, sed eis potius de securo conductu, si a vobis illum pecierint, sic providere libere, sicut in vobis fuerit, pro nostra et ejusdem Sedis reverencia procuretis, quod nos devotionem vestram exinde possimus merito in Domino commendare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis augusti, anno secundo. »

316 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1343.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 137, n° mclxxxxv.)

« *Dilecto filio magistro Arnaldo Fabri, canonico Engolismensi, scriptori et familiari nostro.* Quia pre-

sentis vite —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno secundo. »

317 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1343.

Eidem concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mccciii, fol. 289 r°.)

Dilecto filio magistro Arnaldo Fabri, canonico Engolismensi, scriptori et familiari nostro. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno secundo. »

318 Villeneuve-les-Avignon, 4 août 1343.

Adæ de Orleton episcopo Wintoniensi mandat ut contra novitates Ecclesiæ Romanæ factas viriliter se opponat. (Reg. 137, n° ccxvi, fol. 71 v°.)

Venerabili fratri Ade episcopo Wintoniensi. Tam litteras quam... nepotes tuos benigne recepimus, et que dicte littere continebant et ipsi nepotes voluerunt nobis exponere, pleno et benigno collegimus intellectu, petitionibus nobis per prefatos nepotes oblatis, quantum cum Deo potuimus, favorabiliter ad gratiam exauditionis admissis. Sane cum de sinceritate fidelitatis et devotionis, quas ad nos et Romanam Ecclesiam gessisti hactenus, et gerere non desistis, spiritualiter confidamus, fraternitatem tuam rogamus attentius et hortamur quatinus te constanter tenens in illis, super quibusdam novitatibus, quas, aliquibus malis hominibus procurantibus, contra honorem ejusdem sancte Romane Ecclesie displicenter audivimus in illis partibus hiis diebus preteritis attemptatas, te pro eadem ecclesia una cum prelatis aliis ipsius ecclesie fidelibus murum defensionis opponens, ut a talibus et similibus cessetur penitus et eidem ecclesie ac Sedi apostolice honor debitus observetur, sic partes tue solicitudinis efficaciter interponas, quod divinam et ejusdem Sedis gratiam tibi exinde uberius vendices non indigne —. Datum apud Villamnovam Avinionensis, II nonas augusti, anno secundo. »

319 Villeneuve-les-Avignon, 4 août 1343.

Mandat infrascriptis ut postquam semel processus contra Ludovicum de Bavaria factos publicaverint, ipsi in suis civitatibus et diœcesibus in ecclesiis, cum missarum agentur solempnia, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, præfatum Ludovicum et fautores ac adhærentes eidem excomunicatos publice nuntient et jubeant nuntiari. (Reg. Vat. 161, n^os v-xiv, De Curia, fol. 2 r°; — Reg. 215, fol. 2 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis salutem.* Nuper vobis per nostras —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II nonas augusti, anno secundo. »

In eodem modo archiepiscopis *Auxitano* —, *Senonensi* —, *Lugdunensi* —, *Januensi* —, *Pisano* —, *Cantuariensi* —, *Eboracensi* —, *Mediolanensi* —, *Burdegalensi.*

320 Villeneuve-les-Avignon, 4 août 1343.

Infrascriptis mandat ut publicent quosdam processus contra Ludovicum de Bavaria factos. (Reg. Vat. 157, n° III, De Curia, fol. 1 r°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Salzeburgensi ejusque suffraganeis salutem etc.* Nuper vobis per —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II nonas augusti, anno secundo. »

In eodem modo archiepiscopo *Arelatensi* ejusque suffraganeis,
Aquensi,
Bremensi,
Ebredunensi,
Magdeburgensi,
Patriarche *Aquilegensi*,
Archiepiscopo *Treverensi*,
Coloniensi,
Turonensi (II kal. augusti, 31 juillet 1343),
Rothomagensi (II kal. augusti, 31 juillet 1343),
Bisuntino,
Narbonensi (II kal. augusti, 31 juillet),
Bituricensi (II kal. augusti, 31 juillet),
Tholosano (II kal. augusti, 31 juillet),
Lugdunensi (II non. augusti, 4 août).

321 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1343.

Ejus supplicationibus annuens, concedit dicto comiti ut Sepulcrum Dominicum et alia oratoria Terræ

Sanctæ visitet cum sexaginta personis, in sua comitiva proficiscentibus, illaque deferat ac exhibeat, sine quibus peregrinationem hujusmodi commode adimplere non possit, nulla autem alia quæ in profectum vel favorem hostium fidei christianæ redundare valeant. (Reg. 137, n° ccxvii, fol. 71 v°; Riezler, *op. cit.*, n° 2163, p. 778.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti Hanonie* Exgentibus tue devocionis —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno secundo. »

322 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1343.

Ejus supplicationibus annuens, concedit ut confessor ejus et proficiscentium cum eo omnium peccatorum eorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerunt, plenam remissionem semel tantum, si aliquem eorum in ipsa peregrinatione ab hac luce migrare contigerit, sive in mortis articulo eis concedere valeat. (Reg. 137, n° ccxviii, fol. 72 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti Hanonie* Provenit ex tue devotionis affectu —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno secundo. »

323 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1343.

Infrascripto mandat ut petat et exigat nonnullos proventus in provincia Tuscie et Riparia Januensi quos Johannes de Pererio, canonicus Forojuliensis, a Benedicto XII deputatus, nunc alias occupatus, colligere debebat. (Reg. 137, n° ccxix, fol. 72 r°.)

« *Dilecto filio Petro Vitalis, primicerio ecclesie Lucane.* Dudum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno secundo. »

324 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1343.

Nuncios Guillelmi, comitis Hanoniæ, videlicet Gerardum de Florenville et Egidium de Hellemines benigne recepit votaque dicti comitis exaudivit. (Reg. 137, n° ccxxvi, fol, 75 r°; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2162, p. 778.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti Hanonie.* Presentatas nobis per —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno secundo. »

325 Villeneuve-les-Avignon, 6 août 1343.

Populo civitatis Tricastrinensis mandat ut parere velint magistro Ludovico de Petragrossa, archipresbitero ecclesiæ Vivariensis, procuratori fisci Cameræ apostolicæ, qui ad succidendam discordiam inter dictam civitatem et Hugonem Aimery, episcopum Tricastrinensem, mittitur. (Reg. Vat. 157, De Curia, n° ii, fol. r°.)

« *Dilectis filiis populo civitatis Tricastrine salutem, etc.* Cum nos super dissentione que inter venerabilem fratrem nostrum Hugonem episcopum Tricastrinum, ex parte una, et vos est, faciente pacis emulo, ex altera suscitata, dilectum filium magistrum Ludovicum de Petragrossa, archipresbiterum ecclesie Vivariensis, procuratorem fisci Camere apostolice, exhibitorem presentium ad vos specialiter destinemus, volumus et universitati vestre districte precipimus et mandamus quatinus eidem magistro Ludovico in hiis que vobis, ex parte nostra, dixerit, credatis et intendatis, ac effectualiter pareatis, ita quod nos devotionem vestram possimus de obedientie promptitudine rationabiliter commendare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, viii idus augusti, anno secundo. »

326 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Edwardo, regi Angliæ, nuntiat a se, quanquam invito, salvum conductum pro nunciis petitum concedi, regemque rogat ne contra Romanam Ecclesiam aliquas permittat fieri novitates. (Reg. 137, n° ccxii, fol. 70 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Magnificencie regie litteras nobis per dilectum filium Andream de Offorde, rectorem ecclesie de Ovete, Eliensis diocesis, novissime presentatas, solite benignitatis affectu recepimus, et que continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Cumque per eas nunciis regiis pro tractatu pacis inter te, fili carissime, et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem

Francie illustrem dissidentes invicem reformande, ad nostram presenciam destinandis, conductum sub certa forma concedi a nobis regalis prudencia postularit, nos, licet non reperiamus alias Sedem apostolicam conductun alicui sub forma hujusmodi concessise, quia tamen pacem ipsam Deo gratam admodum, ac utrique parti et toti christianitati non solum oportunam, immo necessariam, ardentibus desideramus affectibus, et pro ea studiosis intendimus solicitudinibus laborare, super eodem conductu litteras nostras fieri, et eidem nuncio assignari fecimus oportunas, et nichilominus prefato regi Francie super hoc scribimus, et speramus indubie quod ipse suas favorabiliter et gratiose concedet. Sane, fili dilectissime, quia in predictis litteris regiis nobis missis, de dilecto filio nobili viro Nicolino de Flisco, et hiis que contra ipsum et quosdam alios olim facta, et postmodum exinde subsecuta fuerunt, mentio habebatur, scire pro certo celcitudinem (*sic*) regiam volumus quod nichil super eodem negocio factum extitit, quod non magis ex justicia quam ex gracia dependeret. Rursus, fili amantissime, displicibilis rumoris infirmatio ad nos pertulit hiis diebus quod aliqui, non ad honorem et comodum regium sua dirigentes studia, sed pocius sua lucra venari propria satagentes, ad faciendum novitates adversus Sanctam Romanam et alias Dei ecclesias, et personas ecclesiasticas, te moliti sunt impellere ac fraudulentis et maliciosis machinationibus in tue salutis, honoris et fame detrimentum pro dolor! moliuntur. Quocirca serenitatem rogamus regiam, et in Domino attencius exhortamur, quatinus, quantum catholici principes progenitores tui Deum et eandem matrem ecclesiam honorare piis et devotis operibus studuerunt, consideranter attendens, et nichilominus considerans diligenter quantum profecerunt et exaltati a Domino fuerunt hactenus fideles et devoti principes, qui libertates confovendo ecclesiasticas et suum eidem Romane matri ecclesie honorem cum debita reverencia observando, se devotos exhibuerunt filios erga eam, a venenosis talium suggestionibus[1] auditum avertens regium, eis regalis providencia nullatenus acquiescat, sed laudabilibus et salutaribus progenitorum eorumdem inherere vestigiis in hac parte, revocatis, et pie mitigatis, si que attemptata in contrarium fuerint, ut ab illo, qui nunquam cessat a benedictionibus gratiarum, semper uberiores benedictiones mereatur recipere, prudenter et provide non ommittant. Demum quia forsan tui nuncii non possent in prefixo termino in nostra presencia comode interesse, placet nobis quod usque ac quindenam instantis festi Nativitatis beate Marie Virginis terminus prorogetur, et super hoc prelibato regi scribimus oportune. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII idus augusti, anno secundo. »

[1] *Ms :* Sucgestionibus.

327 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Philippum VI, regem Franciæ, hortatur ut salvum conductum nunciis regis Angliæ, ad Sedem apostolicam pro tractatu pacis ineundo venientibus, concedere velit. (Reg. 137, n° CCXIII, fol. v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Pridem carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie illustris ad nos suos nuncium et litteras destinavit, per quos nobis significare curavit quod ipse suos sollempnes certos nuncios in termino instantis festi Nativitatis beate Marie virginis, pro tractatu pacis inter te, carissime fili, et ipsum regem invicem actore Domino reformande, statuto, ut regalis novit excellencia, disposuit, ad nostram presenciam destinandos; sed proceres et communitas regni Anglie nolebant quod ipsi nuncii procederent in itinere veniendi, nisi nostras et tuas haberent primitus sub certa forma litteras de conductu, propter quod instanter a nobis petiit rex predictus, ut nostras mitteremus, et per te, fili dilectissime, mitti procuraremus litteras de conductu supradictas. Nos igitur, qui ad negocium pacis predicte ferventibus desideriis afficimur, sub forma petita nostras concessimus et assignari nuncio predicto duplicatas litteras super conductu hujusmodi, et nichilominus deliberatione matura previa, litterarum regiarum super eodem conficiendarum formam ordinari fecimus, quam cedula continet presentibus interclusa, magnificentiam regiam attentius deprecantes quatinus litteras hujusmodi

secundum formam predictam fieri et assignari nuncio exhibitori presentium, sigillo magno communitas regio, quia, ut ex parte nunciorum predictorum asseritur, per litteras parvo sigillo sigillatas eis non videretur suficienter provisum, celeriter valeat regia celcitudo. Ceterum cum ipsi nuncii, postquam litteras supradictas nostras et regias habuerint, non possent coram nobis in eodem termino comode interesse, placuit nobis et placet, quia hoc idem serenitati tue regie placere confidimus, quod usque ad quindecim dies post dictum festum terminus hujusmodi prorogetur. Quamobrem precibus nostris adicimus ut suos solennes nuncios super predictis sufficienti potestate suffultos, in dicto termino ad nostram presentiam destinare eadem tua regia celcitudo [velit]. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII idus augusti, anno secundo. »

328 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Guillelmum Flote, cancellarium Franciæ, rogat ut litteras salvi conductus concedat ambassiatoribus regis Angliæ venientibus ad Curiam Romanam pro pace inter Franciam et Angliam reformanda. (Reg. 137, n° CCXXX, fol. 75 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario Francie.* Pridem misit ad nos carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie illustris nuncium et litteras, per quos nobis intimare curavit, quod ipse certos suos sollempnes nuncios disposuerat in termino instantis festi Nativitatis beate Marie Virginis statuto, ut tua novit prudencia, pro tractatu pacis inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem et ipsum regem Anglie reformande, invicem destinare; sed quia proceres et comunitas regni Anglie nolebant quod prefati nuncii procederent, donec nostras et ipsius regis Francie haberent sub certa forma litteras de conductu, nobis supplicavit instanter, ut nostras hujusmodi concederemus, et per prefatum regem Francie concedi procuraremus litteras de conductu : nos igitur qui desideriis ferventibus afficimur ad negocium dicte pacis, litteras nostras duplicatas sub forma petita fieri et eidem nuncio assignari, et nichilominus formam litterarum regiarum super eodem conficiendarum matura deliberatione ordinari fecimus, quam tibi mittimus presentibus interclusam. Et quia prefatus nuncius nobis exposuit quod per litteras parvo sigillo regio sigillatas dictis nunciis non videretur sufficienter provisum, nisi essent magno sigillo regio, quod penes te habere diceris, communite, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus litteras duplicatas regias juxta formam predictam fieri celeriter facias, et nuncio exhibitori presencium assignari. Ceterum cum nuncii ejusdem regis Anglie, postquam litteras nostras et regias predictas habuerint, non possent infra dictum terminum apud Sedem apostolicam venire comode pro premissis, placuit nobis et placet quod usque ad quindecim dies post dictum festum terminus hujusmodi prorogetur, et supponimus indubie quod predicta omnia erunt eidem regi Francie placibilia et accepta —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII idus augusti, anno secundo. »

329 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Eidem Guillelmo mandat ut prædictas litteras regi Franciæ magno sigillo sigillandas transmittat. (Reg. 137, n° CCXXXI, fol. 76 r°.)

« *Eidem.* Si forsan tue prudencie videretur, litteras de conductu pro nunciis carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris destinandis pro tractatu pacis ad nostram presenciam, de quibus tibi per alias scribimus litteras, te non posse comode, absque consciencia regia exhibitori presencium assignare, magno sigillo, quod tecum habere diceris, eas sigillari facias duplicatas, et sigillatas eidem regi transmittas, per eum si sibi placuerit, quod indubie supponimus assignandas, quia, ut regis predicti Anglie nuncius asserit, nullomodo viderentur ei littere hujusmodi sufficere, nisi magno sigillo predicto existerent communite. Datum ut supra. »

330 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Prioribus artium civitatis Florentinæ mandat ut liberari jubeant Galterum VI, ducem Athenarum, quem popu-

lus Florentinus captum detinebat. (Reg. 137, n° ccxxvii, fol. 75 r°.) —. *Archivio Storico Italiano*, 5e série, tome XXI, 1898, p. 304.)

« *Dilectis filiis Prioribus Artium civitatis Florentine.* Ad nos et partes istas perduxit —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii idus augusti, anno secundo. »

In eodem modo, *dilectis filiis communi civitatis Florentine.* Dat. ut supra (n° ccxxviii).

331 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1343.

Angelum Acciaioli, episcopum Florentinum, rogat ut partes interponat pro liberatione dicti ducis Athenarum, et rescribat per Johannem Tremet de Noyella, militem Atrebatensis diœcesis, quid in hac parte facere potuerit. (Reg. 137, n° ccxxix, fol. 75 v°; — *Archivio Storico Italiano*, *loc. cit.*, p. 305.)

« *Venerabili fratri Angelo episcopo Florentino.* Ad nos etc., ut supra. — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii idus augusti, anno secundo.

332 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Hugoni IV, regi Cipri, mandat ut certas galeas armatas in subsidium armatæ factæ contra Turcos ad insulam Nigripontis, certo termino præfixo, destinare procuret. (Reg. Vat. 157, De Curia, n° xviiii, fol. 1 v°; — Reg. Vat. 62, *De negotiis Tartarorum*, fol. 48 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri salutem.* Ex relatione ambassiatorum —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

333 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Sanciæ, reginæ Siciliæ, mandat ut Johannam reginam Siciliæ exhortetur ad aliquas galeas in hujusmodi subsidium celeriter mittendas. (Reg. Vat. 157, De Curia, n° xx, fol. 2 r°; Reg. Vat. 62, fol. 48 r°.)

« *Carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri salutem.* Quantum feritas illorum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti anno secundo. »

334 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Imperatricem Constantinopolitanam rogat ut Robertum, principem Achayæ, filium ejus, inducat ad galeas in hujusmodi subsidium transmittendas. (Reg. 157, De Curia, n° xxi, fol. 2 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 48 v°.)

« *Carissime in Christo filie Katherine imperatrici Constantinopolitane salutem.* Quantum feritas illorum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

335 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Hortatur supra dictum Robertum ad galeas transmittendas. (Reg. 157, De Curia, n° xxii, fol. 2 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 48 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto principi Achaye salutem, etc.* Quantum feritas illorum —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

336 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Infrascriptum hortatur ut mittat certum numerum galearum. (Reg. 157, De Curia, n° xxiii, fol. 2 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 49 r°;— Raynaldi, *op. cit.*, VI, p. 310.)

« *Dilecto filio nobili viro Berthucio duci Veneciarum Castellane diocesis.* Cum olim per —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

337 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Infrascriptos hortatur ut sex galeas sine mora destinare procurent. (Reg. 157, De Curia, n° xxiiii, fol. 3 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 50 r°.)

« *Dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani salutem etc.* Cum nos nuper pro —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

338 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Johannam, reginam Siciliæ, rogat ut nonnullas galeas simili modo transmittere velit. (Reg. 157, n° xxv, fol. 3 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 50 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri salutem.* Filia benedictionis et gratie —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo. »

339 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Infrascriptos comites rogat ut christianis, a Turcis oppressis, auxilium præbere velint (Reg. 157, De Curia, n° xxvi, fol. 3 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 50 v°.)

Dilectis filiis nobilibus viris Philippo de Sangineto Altifluminis et Roberto Coriliani, comitibus, salutem, etc. Quantum feritas illorum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi idus augusti, anno secundo.

340 Villeneuve-les-Avignon, 31 août 1343.

Henricus, patriarchus Constantinopolitanus, deputatur legatus apostolicæ Sedis in regno Cipri et in Cretensi, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi provinciis. (Reg. 157, De Curia, n° xxvii, fol. 4 r°.)

« *Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano, apostolice Sedis legato salutem., etc.* Quia corporali presentia. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis, diocesis, ii kalendas septembris, anno secundo. »

341 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani mandat ut subditos corrigere et Ecclesiam Romanam contra Turcos viriliter defendere velit. (Reg. 157, n° ccxxxiii, fol. 76 v°; — Raynaldi, *Annales*, t. VI, p. 309.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Sicut tua prudencia non ignorat, olim felicis recordationis Benedictus papa XII predecessor noster, multorum fide dignis relatibus intellecto quod in religione Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, cujus magister existis, ac circa statum et personas ipsius multa erant corrigenda et eciam reformanda, procedere ad hujusmodi correctionem et reformationem intendens, nonnullos priores, preceptores et personas alias Hospitalis ejusdem propterea sepius ad suam presentiam evocavit; sed subsequenter infirmitate corporali gravatus, et demum, sicut Domino placuit, ab hac luce substractus, procedere, sicut intendebat super hiis, ad ulteriora nequivit. Nos autem qui postmodum fuimus ad apicem dignitatis apostolice divina dispositione vocati, sperantes quod per tuam et aliorum proborum virorum ejusdem Hospitalis providenciam ad honorem Dei et Sedis apostolice ac Hospitalis predicti, predicta omnia reformarentur salubriter et prudenter, destitimus et desistimus prosequi quod circa premissa inchoaverat et intendebat idem predecessor facere, ut premittitur, quamvis ab aliquibus super hoc instigati. Sane quia te, ac Hospitale predictum hactenus, cum status nos haberet inferior, gessimus, et nunc, non minus affectu paterno gerimus in visceribus caritatis, cupientes te per viam rectitudinis dirigi, et totum Hospitale predictum spiritualiter et temporaliter successibus continuis prosperari, nonnulla que audivimus et audimus sinistre obloqui de Hospitali predicto ac personis et bonis ejusdem, ut ad correctionem et reformationem eorum eo celerius et salubrius procedere studeas quo tibi clarius patefient aliqua pauca de multis videlicet, succinti sermonis serie discretioni tue zelo dilectionis paterne providimus tenore presentium explicanda. Habet namque cleri et populi quasi comunis et vulgaris opinio, que per multos magnos viros sepius extitit in nostra presentia recitata, quod tu, fili, et alie persone Hospitalis predicti, de bonis innumeris ipsius Hospitalis in transmarinis et scismarinis partibus, boni facitis quasi nichil, nisi quod persone Hospitalis ejusdem administrationes gerentes, equos magnos et pulcros equitant, cibis vacant delectabilibus, pomposis vestibus, vasis aureis et argenteis, et pretiosis aliis ornamentis utuntur, aves et cane, tenent et nutriunt venaticos, pecunias congregant et conservant innumeras, et raras vel modicas elemosi-

nas largiuntur, et cum bona dicti Hospitalis pro defensione ac dilatatione fidei catholice, tuitioneque christicolarum presertim in eisdem transmarinis partibus morantium deputata fore fidelium devotione noscantur, de hiis solicitudinem aliquam persone dicti Hospitalis gerere non videntur, propter quod quandoque tactum est, fore non parum utile fidei et fidelibus antedictis, quod alia militaris religio crearetur per Sedem apostolicam, et dotaretur de parte bonorum Hospitalis predicti, suas rationes illi qui suadebant hujusmodi novam religionem creari, ex hiis que premissa sunt fulcientes, et subjungentes nihilominus quod virtuosius et utilius due religiones militares in eisdem transmarinis partibus agerent mutuo zelo, quam una, sicut olim Hospitalarii et Templarii faciebant, et etiam quod ad hoc habunde sufficerent bona Hospitalis predicti, quamvis nos hiis assensum non prebuerimus, de tua predicta reformatione et correctione utili, sicut premisimus, confidentes. Ceterum non sine gravibus cordis nostri puncturis audito, quod gens illa nationis Turcorum fetide christianorum sanguinem s(c)itiens, et ad eorum exterminium et confusionem aspirans, partes predictas transmarinas, presertim regnum Cipri, ac Rodi, et circumvicinas insulas, in quibus catholice fidei viget cultus, ac christicolas in eisdem degentes plerumque invadere ac offendere temerariis et terribilibus ausibus moliuntur, ad subveniendum eisdem cum consensu et voluntate illorum quorum interest, duximus deliberatione provida ordinandum, quod viginti galee armate, ac munite in eisdem partibus pro hujusmodi subsidio, modo qui sequitur habeantur, videlicet per carissimum in Christo filium nostrum... regem Cipri illustrem quatuor, et per dilectos filios... ducem et commune Venetiarum quinque, ac Hospitale sex, heredes quoque quondam Nicolai Semici una, per triennium teneantur, et nos quatuor pro isto anno de speciali gratia nostris habeamus expensis, quamvis tam per aliquos ex fratribus nostris sancte Romane Ecclesie cardinalibus, quam alios nobis sepe dictum fuerit et suggestum, quod nedum expense dictarum quatuor galearum deberent fieri et ministrari per Hospitale predictum, quin potius totalis armata posset commode ipsius Hospitalis expensis teneri, cum a pluribus asseratur te plus de thesauro, quam alia tota Dei ecclesia possidere, et preter hoc multi priores ipsius Hospitalis et fratres habent, ut fertur, pecunias infinitas. Asseritur insuper quod plerumque pernitiose partialitates interveniunt in prioratibus, bailiviis, et administrationibus committendis, quodque fratribus, clericis, servientibus, et conventualibus Hospitalis ejusdem minus decenter et sufficienter in necessariis providetur, et ulterius quod prioribus bailivie in alienis prioratibus committuntur quandoque, super quibus per fratres ipsius Hospitalis tam nobis, quam predecessori predicto, dum viveret, graves querimonie delate fuerunt. Rogamus itaque tuam prudentiam, et in Domino attentius exhortamur, sano paternoque tibi nichilominus consilio suadentes, quatenus sic celeriter, prudenter et provide super premissis et eorum singulis ac aliis, que tuum et ejusdem Hospitalis decent commodum et honorem, de oportuno studeas remedio providere, quod ora obturentur oblequentium, ac tuis, et ipsius Hospitalis saluti consulatur et fame, nec nos et Sedes predicta, sicut a multis stimulamur, ut premisimus, cogamur ob tui defectum vel desidiam de alio remedio super hiis providere. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus augusti, anno secundo. »

342 Villeneuve-les-Avignon, 8 août 1343.

Infrascriptum cardinalem rogat ut, nonobstantibus difficultatibus quamplurimis, pacem inter Aragonum et Majoricarum reges stabiliat. (Reg. 137, n° CCXXXII, fol. 76 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, apostolice Sedis nuncio.* Prudencie tue litteras —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus augusti, anno secundo. »

343 Villeneuve-les-Avignon, 9 août 1343.

Cum Guillelmus Fornerii, miles, de genere Benedicti papæ XII oriundus, et Gocii tituli sanctæ Priscæ cardinalis familiaris, a Roberto rege Siciliæ, avo Johannæ reginæ, castrum vocatum Torgianum prope civitatem Barensem sive 200 uncias auri annui redditus recepisset, dictusque Guillelmus super jure dicti

castri injuste molestaretur, reginam prædictam rogat ut dicto militi dictum castrum seu dictam summam assignet. (Reg. 137, n° ccxxxv, fol. 77 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Pro parte dilecti—. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus augusti, anno secundo. »

In eodem modo, *Sancie regine Sicilie illustri* (n° ccxxvi),
Philippo episcopo Cavallicensi, regni Sicilie vicecancellario (n° ccxxxvii),
Gaufrido comiti Squilacii (n° ccxxxviii),
Carolo Artusii, domino Sancte Agathe (n° ccxxxix).

344 Villeneuve-les-Avignon, 9 août 1343.

Johanni Maleu, priori monasterii Sancti Eutropii, Xanctonensis diœcesis, mandat ut exigat, colligat et conservet bona atque peculium quondam Armandi de Mirmanda, prioris prioratus Sanctæ Gemmæ, ordinis Sancti Benedicti, Xanctonensis diœcesis, Sedi apostolicæ reservata. (Reg. 137, n° ccxli, fol. 78 v°.)

« *Dilecto filio Johanni Maleu, priori monasterii Sancti Eutropii, Xantonensis diocesis, per priorem soliti gubernari.* Cum nos dudum etc. Volumus autem quod recollectis per te bonis et peculio hujusmodi et eis particulariter et distincte conscriptis, nos de illis efficere studeas certiores. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus augusti, anno secundo. »

345 Villeneuve-les-Avignon, 9 août 1343.

Cisterciensis ordinis abbatibus in generali capitulo Cistercii congregandis mandat ut processus contra Ludovicum de Bavaria factos publicent. (Reg. 137, n° ccxliii, fol. 79 v°.)

« *Dilectis filiis... Cisterciensi et ejus coabatibbus in generali capitulo Cistercii congregandis.* Volentes quosdam processus per nos adversus hominem illum perfidum Dei et ecclesie sancte sue fideique catholice hostem, rebellem et adversarium manifestum, Ludovicum de Bavaria, qui suis gravibus culpis, excessibus contumaciis, et inobedientiis et horrendis criminibus exigentibus, diversis innodatus excommunicationum sententiis, ac omni jure, si quod ex quadam elatione discordi, que de ipso dudum facta fuisse dicitur ad regnum Romanum vel imperium forsitan competebat, necnon ducatu Bavarie ac omnibus feudis, terris, bonis privilegiis, libertatibus et immunitatibus, que a Romana vel quibusvis ecclesiis aut imperio quomodolibet obtinebat, privatus, et tandem de diversis heresibus et scismatibus, in quibus dampnabiliter et horribiliter se immersit, sententialiter extitit condempnatus, factos et habitos in vestro generali capitulo ac locis ordinis vestri de quibus fuerit expediens publicari, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eosdem processus, quos vobis cum presentibus mittimus, in eodem capitulo sollempniter, presentibus omnibus qui adesse voluerint et potuerint ac aliis locis predicti ordinis, de quibus expedire videritis, publicetis, nos super publicationem hujusmodi que fiet in eodem capitulo reddituri nichilominus certiores. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus augusti, anno secundo. »

346 Villeneuve-les-Avignon, 9 août 1343.

Abbatem Cisterciensem coabbatesque in generali capitulo Cistercii congregandos rogat ut Ecclesiam Romanam firmiter adjuvent et omnibus pœnitentibus qui dicto capitulo intererint septem annos et septem quadragenas indulgentiæ concedit. (Reg. 137, n° ccxliiii, fol. 79 v°.)

« *Dilectis filiis... Cisterciensi et coabbatibus sui in generali capitulo Cistercii congregandis.* Tanto refulget in conspectu Dei et Sedis apostolice clarior ordo vester, et odore fame redolencior redditur in firmamento ecclesie militantis, quanto in contemplationis altitudine sub sua sincera simplicitate persistens, quasi lucerna super candelabrum posita, per viam salutis graditur, et aliis doctrine sue lumine semitam veritatis ostendit. Nos igitur qui ordinem ipsum et professores ejusdem brachiis astringimus dilectionis paterne, cupientes ordinem et professores eosdem de bono semper in melius prosperari, universitatem vestram attencius in Domino exhortamur, quatenus in

instanti congregatione vestri capituli generalis, in caritate Dei unanimes et concordes, ad eum sine quo bonum opus nequit incoari, continuari et perfici, dirigentes humiliter vota vestra, que sibi placita et accepta ordinique predicto utilia fuerint, recta confovendo, errata corrigendo, et resecando superflua, operari studiosis solicitudinibus procuretis, ut ordo ipse jugiter dirigatur ad salubria et ipsius sinceritate clarioribus lucente fulgoribus, crescat devotio fidelium apud eum, de nostro et ejusdem Sedis sicut cum Deo fieri poterit favore gratioso confisi. Ceterum videtis, filii, qualiter malignus spiritus flatu sue malignitatis et nequicie commissam nobis Petri naviculam impellere nititur turbinibus procellosis, suscitando, nutriendo et inflamando inter redemptos precioso Christi sanguine, odia, dissenciones et guerras, ad pacem et concordiam, quarum est hostis et emulus, persequendo, quamobrem nostris exhortationibus adicimus, ut alligari nostris humeris, et imbecillitati nostre importabilis oneris immensitatem, pia et filiali devotione pensantes, et attendentes quod, ad sufferendum onus hujusmodi, orationes justorum assidue, utiles, immo necessarie plurimum existere dinoscuntur, Moysi manus debiles, cujus licet insufficientibus meritis typum in populo Domini gerimus, vestris devotis intercessionibus sustentetis, apud illum qui onus predictum nobis imposuit, devotis orationum suffragiis insistentes, ut non paciatur ipsius mole nos opprimi, sed operi suo manuum suarum dexteram porrigat, debilitatem nostram suo robore fulciat, suaque potenti virtute sustentet, ut in commissi executione regiminis sic suum beneplacitum exequamur, quod eterne retributionis gloriam una cum grege nobis credito de sue benignitatis gratia consequamur. Ut autem tanto majorem consolationem habeatis in Domino, quanto ampliori dono fueritis benedictionis et gratie spiritualis refecti, nos de omnipotentis Dei misericordia, beate Marie semper Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum meritis et intercessione confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in capitulo intereritis supradicto septem amos et septem quadragenas de injunctis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus augusti, anno secundo. »

317 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1343.

Infrascripto concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mcciii.)

« *In eodem modo Bernardo de Podio, rectori ecclesie sancti Privati prope Montemtutum, Caturcensis diocesis.* — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii idus augusti, anno secundo. »

318 Villeneuve-les-Avignon, 12 août 1343.

Infrascripto concedit tabellionatus officium. (Reg. 137, n° mclxxxiiii.)

« *Item in eodem modo dilecto filio Stephano Ursi clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Sancti Flori diocesis.* Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, ii idus augusti, anno secundo. »

319 Villeneuve-les-Avignon, 13 août 1343.

Philippi, regis Franciæ, litteris per infrascriptam cedulam respondet. (Reg. 137, n° ccxlv, fol. 80 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Ad ea que scripsit nobis pridem regalis sublimitas respondemus breviter, sicut cedula continet presentibus interclusa. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus augusti, anno secundo. »

350 Villeneuve-les-Avignon, 13 août 1343.

Respondet litteris Philippi, regis Franciæ, præsentatis per magistrum de Alneto, qui ad Curiam venerat, et insuper promittit per specialem nuntium respondere. (Reg. 137, n° ccxlvi, fol. 80 r°.)

« *Eidem.* Super hiis que per dilectum filium magistrum de Alneto clericum regium ad nostram presentiam nuper cum litteris regiis destinatum scripsit nobis regia serenitas, et idem clericus explicavit sub commissa sibi per litteras ipsas credencia, quantum ad presens possumus, sicut continet cedula interclusa presentibus, respondemus, alias per specialem

nuncium super eisdem certius responsuri. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus augusti, anno secundo. »

351 Villeneuve-les-Avignon, 13 août 1343.

Johannam, reginam Franciæ, de hiis quæ ad regem rescripsit, certiorem facit. (Reg. 137, n° ccxlvii, fol. 80 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Ut que super quibusdam, que nuper nobis scripsit carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, vir tuus, [et] eidem respondemus, tuam, filia carissima, serenitatem non lateant, ea indicabit cedula presentibus interclusa. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus augusti, anno secundo. »

352 Villeneuve-les-Avignon, 17 août 1343.

Bernardo Albiensi, tituli sancti Cyriaci presbitero cardinali, mandat ut componat inter Aragonum et Majoricarum reges pacem a consulibus villæ Perpiniani, Elnensis diœcesis, valde optatam, et vetat ei ut procurationes ab Auxitana et Tholosana provinciis exigat. (Reg. 137, n° cclvii, fol. 83 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli sancti Ciriaci in Termis presbytero cardinali, apostolice Sedis nuntio.* Prudentie tue litteras nobis ultimo missas solita benignitate recepimus et que continebantur in eis intelleximus diligenter. Cumque per eas quedam que super factis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Petri Aragonum et Jacobi Majoricarum regum illustrium hiis diebus contingerant, necnon et qualiter rex Majoricarum et dilecti filii consules ville Perpiniani, Elnensis diocesis, ut ad treugarum indictionem inter reges prefatos ac valitores eorum procederes, instanter te requiri cum publicis instrumentis fecerant, duxeris describendum, subjungendo deinde nichilominus quod tu valde super hujusmodi requisitione anxius dare responsum certum ex eo nequivisti, quia, licet nuper nobis super facto indictionis treugarum hujusmodi scripseris, nos tamen in litteris tibi tunc missis responsalibus nullam de treugis predictis mentionem fecimus, de quo quamplurimum miraberis, nobis humiliter supplicasti ut quid te velimus acturum super hoc tibi clare nude et aperte scribere dignaremur. Nos igitur circumspectioni tue breviter super hiis respondemus quod, cum in aliis tuis predictis litteris pridem, ut premittitur, nobis missis, contineatur expresse quod tibi, plena deliberatione cum peritis prehabita, treugarum ipsarum indi[c]tio expediens ex eo minime videbatur, quia rex prefatus Aragonum non ut hostis aut guerram faciens, sed ut judex et directus dominus, factis secundum fores et consuetudines Catholonie (*sic*) processibus, ut dicebat, incoatam executionem continuans procedebat adversus regem Majoricarum predictum, nec rex ipse Majoricarum contra ipsum regem Aragonum, quamvis inter ipsos, diu est, fuissent suscitata discidia, processus fecisset aliquos nec fieri per ecclesiam procurasset, et preter hoc ex treugarum indictione hujusmodi periculum, ut habebas ex relatu prelatorum multorum, nonmodicum imminebat, quia non servarentur eedem treuge, sed ducerentur potius in contemptum, et quod erat periculosius, ex eis rebellioni et scismati materia pararetur[1], cum omnes Cathalonie Aragonie et regni Valentie communitates essent unite ad perficiendam executionem predictam, quam justissimam reputabant, ex quibus nos non immerito colligentes quod absque dubio tua in hac residebat deliberatio consilii, quod nequaquam predicte indicerentur treuge tibi non vadimus tunc temporis super articulo hujusmodi aliud respondendum : quamobrem admirari de omnissa responsione[2] hujusmodi minime debuisti. Nunc autem super hiis que scripsisti habita cum nonnullis ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus deliberatione plenaria, respondemus quod cum tu in scola experientie constitutus, et qui status et conditiones negotiorum et patrie, quantum est de presenti tempore, pleniorem habes notitiam, quid super indicendis vel non indicendis eisdem treugis expediat melius quam nos longe positi, scire potes, hoc tuo discretionis arbitrio providimus relinquendum, si tamen de consensu vel convenientia partium valeret indictio hujusmodi fieri, expediens procul dubio multum esset. Porro quia in tuis predictis litteris supplicando ulterius subjunxisti quod, cum provincia Narbonensis in

qua nunc prosequendo commissa tibi negotia moram trahis, tuis procurationibus nimis importabiliter oneretur, provincias Tholosanam et Auxitanam super hoc adjungere curaremus, nos habita cum eisdem fratribus deliberatione plenaria et matura, de ipsorum communi et concordi consilio, respondemus quod nec in Narbonensi predicta nec in aliis regni Francie provinciis, nisi transeundo dumtaxat, procurationes tuas sed potius de provinciis in terris regum predictorum de quorum negotiis agitur consistentibus, recipere debuisti: nam sic et non aliter fore asseritur consuetum; quamobrem super hiis modis honestis et debitis te disponas, et si forsan littere nostre tibi concesse super tuis procurationibus exigendis, quo ad provincias in terris predictorum regum consistentes, tibi extra eas moranti presentialiter non sufficerent, scribe nobis paratis tibi de litteris quo ad hoc sufficientibus providere. Demum ut ex tuis solicitudinibus et laboribus, quos circa hujusmodi commissa tibi negotia fideliter et prudenter adhibuisti hactenus et adhibere non cessas, fructus gratie cohoperante divina colligantur votivi, continuando labora, quesumus, oportune sicut discretioni tue videbitur et etiam importune, nobis que tibi super hiis et aliis occurerint nichilominus rescripturus. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas septembris, anno secundo. »

[1] Ms : *Pareretur.*
[2] Ms : *Respontione.*

353 Villeneuve-les-Avignon, 17 août 1343.

Philippi regis Franciæ litteris per infrascriptam cedulam respondet. (Reg. 137, n° CCLVIII, fol. 83 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super hiis que per litteras regias per latorem presentium presentatas nobis nuper sublimitas scripsit regia, respondemus eidem, prout continet cedula presentibus interclusa. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas septembris, anno secundo. »

354 Villeneuve-les-Avignon, 18 août 1343.

Infrascriptis mandat ut judicialiter procedant contra quosdam nobiles Bituricensis diœcesis qui bona Fulcaudi archiepiscopi Bituricensis injuste occupaverunt. (Reg. 137, n° CCLIX, fol. 83 v°.)

« *Dilectis filiis Ramundo de Sancto Crispino decano Lemovicensis, et Guidoni de Mauriolis Lemovicensis, ac Johanni Bertrandi Bituricensis, canonicis, ecclesiarum.* Infeste relacionis assertio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum quod, cum dudum adhuc bone memorie Folcaudo archiepiscopo Bituricensi in humanis agente, tibi, fili Johannes, datum fuisset per litteras apostolicas in mandatis, ut mille octingentas librarum Turonensium parvorum fortis et bone monete, in quibus idem archiepiscopus certis causis legitimis in litteris eisdem expressis ecclesie Romane tenebatur astrictus, exigere, petere ac recipere nostro et ejusdem ecclesie nomine procurares ab ipso, cumque hujusmodi litteris nostris receptis, attendens quod prefatus archiepiscopus infirmitate corporali tunc temporis graviter laborabat, et propterea volens, ut tenebaris, exequi quod tibi per easdem litteras mandabatur, nonnulla bona mobilia ipsius archiepiscopi tam in domibus archiepiscopalibus Bituricensibus, quam in aliis diversis locis civitatis et diocesis Bitturicensis consistencia, pro satisfactione et solutione dicte summe prestanda ecclesie Romane predicte saisivisses auctoritate litterarum predictarum, ac sub custodia et manu apostolica saisita teneres, post obitum dicti archiepiscopi, qui, sicut Domino placuit, de eadem infirmitate decessit, Andreas de Calvigniaco, prior ecclesie Sancti Urcini Bituricensis, ac nobiles viri Johannes de Calvigniaco miles dominus de Leproso, Robertus dictus de Carroffio, Robinus Pot, Godefredus de Massayo domicelli, Isabellis uxor dicti Johannis, Johannes dictus Coudurier, et Odinus, dictus Preverant clericus Bituricensis diocesis, cum nonnullis aliis suis in hac parte complicibus, contra tuam et dilectorum filiorum capituli ecclesie Bituricensis prohibitionem, bona hujusmodi, et quedam alia que dictus archiepiscopus eidem capitulo donasse seu legasse dicitur, violenter absque causa rationabili, sed pro voluntatis sue libito rapuerunt, ac in offensam majestatis divine contemptum, Sedis apostolice lesionem, libertatis ecclesiastice perniciosum plurimorum scandalum, et suarum animarum periculum secum nequiter asportarunt. Cum autem perniciosos et horrendos excessus

hujusmodi non possimus nec debeamus sub dissimulationis neglectu relinquere, si veritas suffragetur relatibus, incorrectos, discretioni vestre in virtute obediencie ac sub excomunicationis pena committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum super premissis que in civitate Bituricenci et partibus illis adeo dicuntur esse notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari, simpliciter et de plano sine strepitu judicii et figura, si ea notoria esse, vel per informationem eandem repereritis veritate fulciri, prefatos Andream, Johannem, Robertum, Robinum, Godefredum, Isabellem, Johannem et Odonem singulariter et nominatim, ac eorum in premissis complices et fautores, generaliter clericos et laicos cujuscumque status dignitatis ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali, vel quavis alia prefulgeant dignitate, moneatis et efficaciter inducatis, ut infra certum peremptorium terminum competentem, per vos eis super hoc prefigendum, omnia et singula bona predicta in quibuscumque rebus consistant, per ipsos vel eorum aliquem aut de ipsorum mandato seu eis ratum habentibus, de domibus archiepiscopalibus et aliis locis predictis, capta et asportata, ut premittitur, in eisdem domibus et locis cum integritate restituant et reponant, ac de offensis et injuriis nobis ac Romane et Bituricensi ecclesiis, in predictis et circa predicta illatis et irrogatis, debitam satisfactionem impendant. Alioquin in personas singulares eorum excomunicationis, et in terras, castra et loca interdicti sententias promulgetis, ipsas faciendo in ecclesiis et locis partium illarum de quibus expedire videbitis usque ad satisfactionem condignam sollempniter publicari, ad agravationem earum, prout contemptus et inobediencie protervitas ipsorum et cujuslibet eorumdem exegerit, et rationis fuerit, quando et quotiens oportunum extiterit et vobis expediens videbitur nihilominus processuri. Contradictores etc. Non obstante, etc. Per hec autem quibusvis processibus per te, Johannes predicte, factis super premissis vel eorum aliquibus non intendimus in aliquo derogare; immo eos, prout rite facti fuerint, volumus perdurare in sui vigoris efficacia, suumque debitum sortiri effectum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas septembris, anno secundo. »

355 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Infrascripto abbati mandat ut observet ordinationem recenter factam in capitulo generali super statu dicti monasterii, quamque complere recusat. (Reg. 137, n° ccLXIII, fol. 85 v°.)

« *Dilecto filio Geraldo abbati monasterii Figiacensis, ordinis Cluniacensis, Caturcensis diocesis.* Significavit nobis dilectus filius Iterius, abbas monasteriis Cluniacensis, Matisconensis diocesis, quod in generali capitulo Cluniacensi ultimo celebrato, exposito quod propter tui negligenciam incuriam vel defectum, monasterium de Figiaco prefato monasterio Cluniacensi immediate subjectum, quod in spiritualibus et temporalibus florere consueverat, jam nimis efloruerat et erat expositum, nisi provideretur aliter circa eadem spiritualia et temporalia, ruinis irreparabilibus et jacturis, illi probi homines qui juxta morem dicti ordinis in eodem capitulo deputantur, super statu tuo et ejusdem tui monasterii certam ordinationem fecerunt, per quam indempnitatibus ipsius monasterii poterat presencialiter provideri, quodque tu ordinationem eandem, cui consensisse in eodem capitulo diceris, nunc observare ac complere recusas, nostro igitur et apostolice Sedis remedio super hiis, ne collabatur predictum monasterium, humiliter implorato, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, ordinationem predictam observare, quantum in te fuerit, studeas et complere, nisi forsan causam rationabilem pretendere volueris, quare ad hoc minime tenearis, quam infra unius mensis spacium a presentacione presencium computandum per te vel procuratorem tuum ydoneum coram nobis allegare procures. Alioquin ex tunc nos quibus ecclesiarum et monasteriorum omnium cura generalis iminere noscitur, curabimus de oportuno in hac parte remedio providere. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

356 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Cardinali nuncio suo scribit super tractatu pacis inter Aragonum et Majoricarum reges. (Reg. 137, n° ccLXIIII, fol. 85 v°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli sancti Ciriaci in Ternis presbytero cardinali, apostolice Sedis nuntio.* Hiis que super factis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Petri Aragonum et Jacobi Majoricarum regum illustrium presentate nobis novissime tue discretionis littere, quas benigne recepimus, continebant intellectu pleno collectis, et cum quibusdam ex fratribus nostris sancte Romane Ecclesie cardinalibus tractatu et deliberatione habitis super eis, spes nobis et eisdem fratribus promittitur quod adhuc tractatus pacis et concordie inter reges eosdem, tua provida sollicitudine mediante, felix sequi poterit, assistente divina gratia et votivus, presertim cum in tuis predictis litteris contineatur expresse quod rex prefatus Aragonum nuntio tuo, quem ad eum destinaras, respondit se nolle desistere ab executione incepta, quia ex parte Majoricarum predicti nisi verba vana et generalia oblata nequaquam fuerant, ut dicebat, et ipse paratus erat eum recipere et audire si, ut deberet, secundum usus et fores Cathalonie, venire vellet et procedere coram eo, et ulterius etiam quod prelibatus Majoricarum rex alii tuo nuntio misso ad eum expressit inter cetera se super eo consilium petisse quod dilectus filius nobilis vir Petrus, natus clare memorie Jacobi regis Aragonum, comes Rippacurtie, consenserat se paratum convenire cum rege Majoricarum predicto ad audiendum quid vellet dicere vel offerre, sic tamen quod solum essent cum rege ipso quinquaginta homines armati et centum cum comite supradicto. Confidimus equidem in Domino quod, si reges prefati se invicem videant, aut comes prefatus habeat cum eodem rege Majoricarum tractatum, vel deputentur etiam tractatores tuis mediantibus solicitudinibus, negotia hujusmodi capient bonum finem. Quamobrem nobis et fratribus ipsis expedire videtur quod, prius habito a regibus ipsis securo conductu, cum nolimus exponi periculis te ac tuos, ad reges ipsos personaliter debeas te conferre, vel quod rex Majoricarum prefatus cum assecutione tamen ydonea vadat ad eumdem regem Aragonum, aut sollempnes mittat nuntios seu quod memoratus comes cum rege prelibato Majoricarum oportuno modo conveniat, seu alias prout tibi ministrabit Dominus, mitigando corda regum ipsorum dulcibus et caritativis eloquiis et tractatibus, ut ad pacis et unitatis concordiam mutuam reintegrato federe sanguini et affinitatis, quod violari procuravit hostis humani generis, redeant, tractaturus et laboraturus, secundum tue circumspectionis altitudinem, et etiam processurus. Et ecce quod regibus et comiti prefatis, ut tibi credant tuisque acquiescant monitis, exhortationibus et consiliis, et reges ipsi de securitate oportuna provideant, scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

357 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Petrum regem Aragonum rogat ut Bertrando nuntio fidem credulam adhibere velit. (Reg. 137, n° CCLXV, fol. 86 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum* Quanto circa tua —. Dat apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

In eodem modo dilecto filio nobili viro Petro nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Rippaturcie.

358 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Jacobum regem Majoricarum hortatur ut litteras salvi conductus prædicto cardinali concedat eumque in expediendis negotiis adjuvare velit. (Reg. 137, n° CCLXVII, fol. 86 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri.* Volentes quod dilectus —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

359 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Rogerium episcopum Lemovicensem ad archiepiscopatum Bituricensem promovet. (Reg. 137, n° CCLXVIII, fol. 87 r°.)

« *Venerabili fratri Rogerio olim Lemovicensi episcopo, in archiepiscopum Bituricensem electo.* Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

360 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1343.

Cum audiverit inter Januenses et Hugonem regem Cipri discordiam suscitatam fuisse, gubernatorem Januensem rogat ut contra dictum regem nihil attentet, ne fidei negotia retardentur. (Reg. 137, n° CCLXIX, fol. 87 r°.)

Dilectis filiis... gubernatori et communi Januensi bus. Nuper ad nos extitit displicibili admodum insinuatione perlatum, quod hostis antiquus humani generis qui pacem odit et concordiam, et ad turbationes suscitandas et odia, ibi presertim ubi se amplius obfuturum existimat, studia sua dirigere non desistit, inter carissimum in Christo filium nostrum Hugonem regem Cipri illustrem ac vos invicem aliquam procuravit dissentionis materiam suscitare. Cum autem ex dissentione ipsa, si, quod absit, procederet, non solum vobis et vestris districtualibus[1] ac ipsius regis subditis sed etiam negocio fidei, quod adversus Turchos infideles disponitur, dampna et incomoda possent multiplicia prevenire, universitatem vestram rogamus et attentius in Domino exhortamur quatenus ab omni novitate noxia contra regem prefatum vel ejus subditos attemptanda penitus abstinere velitis, quia rex ipse, sicut intelleximus, si per eum vel dictos subditos suos aliqua contra vos vel subditos vestros minus juste facta fuerint, libenter faciet rationabiliter emendari et nos, quantum honestum et decens fuerit, interponere parati erimus super hiis partes nostras. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno secundo. »

[1] *Ms :* destructualibus.

361 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1343.

Thesaurarios suos absolvit de solutione summæ XIIII^M florenorum auri quam fecerant Johanni, comiti Armaniaci, ratione castri de Montiliis, Carpentoratensis diœcesis. (Reg. 137, n° CCLXX, fol. 87 v°.)

« *Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi et dilecto filio Guillelmo electo Forojuliensi, thesaurariis nostris.* Super eo quod dudum dilectus filius nobilis vir Johannes, comes Armaniaci, castrum de Montiliis, Carpentoratensis diocesis, situm infra comitatum Venaissini, nobis et Ecclesie Romane immediate subjectum, ad se pertinere certis ex causis per eum propositis asserebat, procuratore nostro et ejusdem Romane Ecclesie in contrarium asserente, post altercationes multas et tractatus varios super hoc habitos, extitit ordinatum quod dictus comes pro se suisque heredibus et successoribus universis, quodcumque proprietatis vel possessionis vel aliud jus ad eum quocumque modo vel titulo in eodem castro aut ejus pertinentiis et districtu pertinens, nobis et Ecclesie Romane predicte, nostrisque successoribus Romanis Pontificibus, remisit penitus et quitavit, nichil sibi vel suis in eisdem castro, pertinenciis et districtu quomodolibet retinendo, quodque nos propter hoc prefato comiti quatuordecim milium florenorum auri summam daremus, et faceremus exsolvi. Cum autem vos, de mandato nostro verbotenus vobis facto, dictam quatuordecim milium florenorum auri summam de pecunia camere nostre prefato comiti duxeritis persolvendam, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis paterna diligencia providere, vos et omnia bona vestra de dictis quatuordecim milibus florenorum auri dicto comiti, ut premittitur, ex causa predicta solutis, absolvimus imperpetuum tenore presencium et quittamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno secundo. »

362 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1343.

Eosdem thesaurarios absolvit de summa V^M florenorum auri Arnaldo Duesa, nepoti Johannis XXII papæ, prædecessoris sui, persoluta. (Reg. 137, n° CCLXXI, fol. 87 v°.)

« *Eisdem.* Cum dilectus filius nobilis vir Arnaldus Duesa, vicecomes Caramanni, asserens quod felicis memorie Joannes papa XXII predecessor noster prefato vicecomiti nepoti suo, pro diutinis obsequiis per eum memorato predecessori et ecclesie Romane impensis

decem milia florenorum auri dederat liberaliter in fine dierum suorum et mandaverat assignari, nobis humiliter sepius et cum instancia supplicavit ut eidem dictam summam decem millium florenorum auri, de qua nondum sibi satisfactum fuerat, de bonis et pecuniis per ipsum predecessorem dimissis faceremus exsolvi, tandemque habita informacione super hiis extiterit ordinatum quod medietas dicte summe, videlicet quinque milia florenorum auri, sibi persolveretur, alia medietate habita totaliter et perpetuo pro remissa; et deinde vos de mandato nostro verbotenus vobis facto dicta quinque milia florenorum auri de pecunia nostre camere supradicto vicecomiti duxeritis persolvenda, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis precavere, vos et omnia bona vestra de dictis quinque milibus florenorum auri prefato vicecomiti ex causa hujusmodi persolutis absolvimus in perpetuum et quittamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno secundo. »

363 Villeneuve-les-Avignon, 23 août 1343.

Philippum regem Franciæ hortatur ut treugas initas inter eum Edwardumque III regem Angliæ, præsertim in Britanniæ partibus, observet, Stephanumque de Mulseone, decanum ecclesiæ Bituricensis, ad regem destinat. (Reg. 137, n° CLXXV, fol. 62 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Regalis magnificencie recepimus litteras, per quas quendam conflictum in partibus Britannie, non de mandato regio, cum treugas dudum inter te, carissime fili, ac carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem initas invicem observare velit inviolabiliter tua regia providencia, noviter habitum, nobis eadem magnificencia intimavit, quarum serie diligencius intellecta, super observatione treugarum hujusmodi nobis admodum placida et accepta mansuetudinem regiam multipliciter in Domino commendantes, eam rogamus attente quatinus, quousque pacis Deo grate reformatio, prestante gracia divina, intervenerit, in hujusmodi laudabili proposito perseveret. Nos autem ad precludendum aditum turbationi, ex qua posset hujusmodi pacis tractatus forsitam impediri, dilectum filium magistrum Stephanum de Mulseone, decanum ecclesie Bituricensis, capellanum nostrum, ad easdem partes, ut ibidem auctoritate nostra observari treugas ipsas faciat, providimus destinandum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, X kalendas septembris, anno secundo. »

364 Villeneuve-les-Avignon, 23 août 1343.

Johannæ reginæ Franciæ respondet per infrascriptam cedulam, præsertim super iis, quæ comitem Hanoniæ tangunt. (Reg. 137, n° CLXXVI, fol. 62 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Receptis serenitatis tue litteris et contentis in eis que tangebant dilectum filium nobilem virum Guillelmum, comitem Anonie, plenius intellectis, super eis, sicut cedula presentibus interclusa continet, breviter regie celsitudini respondemus. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, X kalendas septembris, anno secundo. »

365 Villeneuve-les-Avignon, 23 août 1343.

Nicolao de Bessia, canonico Parisiensi, indulget ut ad episcopalem dignitatem promoveatur, nonobstante ætatis defectu. (Reg. 137, n° CCLXXIV, fol. 88v.)

« *Dilecto filio magistro Nicolao de Bessia, canonico Parisiensi, capellano nostro.* Apostolice Sedis circumspecta benignitas personas venustate conspicuas, quibus talenta scientie ad erudiendum gregem dominicum contulit graciarum omnium distributor, consuevit attollere prerogativa favoris et circa eas interdum juris rigorem per dispensationis graciam mitigare. Hinc est quod nos personam tuam, quam Dominus dote scientie, maturitate morum et multiplicibus aliis virtutibus insignivit, volentes prosequi gratiose, tecum, qui defectum etatis pateris, cum nondum tricesimum annum exegeris, licet in vicesimo primo ejusdem etatis anno vel circa illum constitutus existas, ut tu qui solum in minoribus ordinibus constitutus existis, in episcopum licite promoveri, et episcopale officium, si te contigerit, ad episcopalem dignitatem

alias canonice conscendere, in omnibus exercere valeas, defectu hujusmodi et predictis aliis ac generalis consilii et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore presencium confirmamus. Nulli ergo et cetera. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x kalendas septembris, anno secundo. »

366-367 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1343.

Johannem de Laplanha, rectorem ecclesiæ de Macovilla, Xanctonensis diœcesis cui, quando erat archiepiscopus Rothomagensis, officium contradictoriarum dictæ curiæ archiepiscopalis jam concesserat, in dicto officio iterum confirmat. (Reg. 137, n° cclxxv, fol. 88 v°.)

« *Dilecto filio Johanni de Laplanha, rectori ecclesie de Macovilla, Xanctonensis diocesis.* Circumspecta Sedis apostolice benignitas, conditiones et status personanarum attendens, illis libenter opportunis assistit favoribus, quibus ad id merita suffragantur. Sane tua coram nobis exhibita petitio continebat quod nos olim in minoribus constituti Rothomagensis ecclesie pastorali regimini presidentes, gratis et obsequiis utilibus, que nobis et eidem ecclesie impenderas et impendere non cessabas assidue, consideranter attentis, officium contradictoriarum curie archiepiscopalis Rothomagensis cum suis emolumentis et proventibus, ad vitam tuam, et nichilominus quod officium hujusmodi per ydoneum vel ydoneos substitutos a te ponendos et ammovendos pro tue libito voluntatis posses exequi, et etiam exercere, tibi per nostras litteras sigillo quo tunc temporis utebamur communitas, duximus concedendum, quodque bone memorie Aymericus archiepiscopus Rothomagensis, qui nobis in regimine presulatus ejusdem ecclesie tunc immediate successit, concessionem hujusmodi approbavit expresse. Quare nobis humiliter supplicasti ut, ne super eodem officio ejusque libero excercitio juxta concessionem predictam ac emolumentorum et proventuum perceptionem predictorum molestari possis imposterum, tibi providere de apostolice confirmationis munimine de benignitate solita dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus hujusmodi benignius inclinati, ejusdem officii ac ipsius exercitii, ut premissum est, cum eisdem emolumentis et proventibus concessionem per nos, et approbationem per eundem archiepiscopum factas, ut premittitur, et alia supradicta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, eadem auctoritate supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo et etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, viii kalendas septembris, anno secundo. »

Item in eodem modo pro dilecto filio Johanne de Sancto Justo, canonico Xanctonensi, super officio auditorie seu examinatione testium curie archiepiscopalis Rothomagensis. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, viii kalendas septembris anno secundo. (Reg. 137, n° cclxxvi, fol. 89 r°.)

368 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1343.

Magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani mandat ut xxxvii^m viii^c florenos, quos gentes ejus a camera apostolica recipere debent, capitaneis quatuor galearum persolvi faciat, quas papa in partibus illis contra Turcos tenet. (Reg. 137, n° cclxxvii, fol. 89 r°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Non sine mentis amaritudine auditis oppressionibus et afflictionibus quas infideles Turchi blasphemi christiani nominis et hostes immanissimi fidei catholice intulerunt hactenus et inferre non cessant christicolis in Romanie ac aliis circumadjacentibus partibus in quibus ejusdem fidei viget cultus, nos eisdem christicolis super hujusmodi oppressionibus et afflictionibus pio et paterno compacientes affectu, et cupientes eis a fidelibus super hiis subveniri, nuper certum armatarum et sufficienter munitarum galearum numerum pro repressione eorundem infidelium ac christicolarum ipsorum defensione certo tempore tenendum in illis partibus duximus ordinandum; inter quas quidem galeas nos quatuor bene munitas et armatas per unum annum ibidem teneri disposuimus, nostris et Ecclesie Romane sumptibus et expensis; cum autem pro dictis quatuor galeis tenendis, ut premittitur, dilecto filio nobili viro Martino Zacharie, militi Januensi, ipsarum

galearum nostrarum capitaneo a nobis specialiter deputato, et patronis earundem pro primis quatuor mensibus cum eisdem galeis in negotio supradicto servient, duodecim milia octingentos florenos auri assignari de pecunia nostre camere mandaverimus et exolvi, et pro residuis octo mensibus viginti quinque milia sexcentos florenos auri dilectis filiis Berengario, Baroli, tuo locumtenenti, et Isnardo, Capue domorum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani prioribus, ac Geraldo de Monteaguto, marescallo Hospitalis predicti, ad te presentialiter accedentibus fecerimus assignari per eos penes te fideliter et integraliter deponendos, ac per te vel ipsos dictis capitaneo et patronis juxta mandatum venerabilis fratris nostri Henrici patriarche Constantinopolitani, apostolice Sedis in partibus illis legati, ut sequitur, persolvendos : videlicet finitis primis quatuor mensibus, pro quibus nos in partibus istis satisfieri eis mandavimus, ut prefertur, et cum eisdem galeis servitio prestito ut tenentur pro aliis quatuor mensibus sequentibus medietas dicte summe, quam tibi mittimus, exolvatur eisdem, quibus terminatis et servitio prestito sicut supra, pro ceteris quatuor mensibus alia medietas persolvatur, prefatique priores et marescallus pro hujusmodi solutionibus modo premisso de dicta pecunia fideliter et utiliter faciendis se ac omnia bona sua et Hospitalis predicti efficaciter obligarint, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus dictam viginti quinque milium sexcentorum florenorum auri summam tibi per eosdem priores et marescallum tradendam et assignandam recipiens et conservans, eam per te vel ipsos prefatis capitaneo et patronis juxta mandatum dicti legati, sicut premissum est, exolvere non postponas, provisurus nichilominus quod propter defectum solutionis hujusmodi nullum impedimentum intervenire valeat quominus dictarum galearum servitium secundum intentionem nostram per dictum annum continuetur utiliter et etiam complaceatur, quodque circa galeas, quas per te dictumque Hospitale, secundum ordinationem nostram predictam teneri debent, ibidem, nullus reperiatur defectus : ex hiis quidem apud Deum mereri ac nostram et apostolice Sedis gratiam uberius poteris promereri. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno secundo. »

369 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1343

Infrascriptis mandat ut cum eisdem duodecim milium octingentorum ac viginti quinque milium sexcentorum florenorum auri summis, de pecunia cameræ supradictæ, tradendis ad Massiliensem et Niciensem civitates aliaque loca opportuna se conferens, memoratis prioribus et marescallo dictam summam tradat. (Reg. 137, n° CCLXXVIII, fol. 89 v°.)

« *Dilecto filio magistro Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensi, camere nostre clerico.* Gravibus et aflictivis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno secundo. »

370 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut litteras salvi conductus tradant magistro Johanni de Amelio archidiacono Forojuliensi, cameræ apostolicæ clerico exhibitori presentium ad certas Provinciæ partes destinato. (Reg. 137, n° CCLXXIX, fol. 90 r°.)

« *Venerabilibus fratribus etc.* Cum nos dilectum filium —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno secundo. »

371 Villeneuve-les-Avignon, 25 août 1343.

Infrascriptis mandat ut administratores ecclesiæ Tutellensis, vacantis per obitum Arnaldi de Claromonte, compellant ad tradendam Guidoni episcopo Tutellensi certam bladi quantitatem, ei a Sede apostolica concessam. (Reg. 137, n° CCLXXX, fol. 90 v°.)

« *Dilectis filiis... abbati monasterii de Maymaco Lemovicensis diocesis et Guidoni de Turribus, cantori Lemovicensis, ac Guillelmo de Gardia canonico Aurelianensis, ecclesiarum.* Dudum venerabil fratri nostro Guidoni episcopo Tutellensi super suis et ecclesie sue necessitatibus tum coram nobis expositis, subvenire volentes, et attendentes quod penes dilectos filios Aymericum Vigerii Tutellensis et Raymundum de Bellocastro, de Navis, Tutellensis diocesis, ecclesiarum prepositos, qui olim bonorum ecclesie Tutellensis tunc vacantis per obitum bone memorie Arnaldi episcopi Tutellensis, administratores fuerunt auctori-

tate apostolica deputati, certa bladorum quantitas, usque ad decem milia sestarum ad mensuram bladorum illius patrie vel circiter de proventibus ejusdem ecclesie, tempore predicte vacationis, sub manu et auctoritate apostolica collectorum tunc temporis existebat[1], eisdem prepositis per nostras dedimus litteras in mandatis, ut blada hujusmodi, quocumque forent, usque ad quantitatem predictam vel circa, que dicto episcopo remisimus de gratia speciali, eidem pro hujusmodi suis et ecclesie sue predicte necessitatibus utilius relevandis, vel procuratori suo, tradere ac assignare sine difficultate curarent; voluimus autem quod prefatus episcopus dictos administratores et quosvis alios quorum interesset de quantitate bladorum predictorum, quam sibi assignarent, posset absolvere plenius et quittare. Cum autem, sicut nobis querulosa dicti episcopi relatio patefecit, predicti administratores blada predicta sibi assignare secundum tenorem concessionis et remissionis nostre hujusmodi contradicant, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, prefatos administratores ad tradendum et assignandum memorato episcopo vel ejus certo procuratori quantitatem bladorum predictorum per nos sibi concessam et remissam, ut premittitur, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Non obstante etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas septembris, anno secundo. »

1. *Ms* : *Existhebat.*

372 Villeneuve-les-Avignon, 25 août 1343.

Magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani rogat ut ad prioratum Tholosanum promovere velit Estoutum de Rivoterio, a præceptoribus dicti Hospitalis jam concorditer electum. (Reg. 137, n° CCLXXXI, fol. 90 v°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Noviter intellecto prioratum Tholosanum, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ad presens per obitum quondam... ultimi prioris ejusdem vacare, quodque ipso priore defuncto preceptores et fratres dicti Hospitalis, qui aderant, dilectum filium Estoutum de Rivoterio, preceptorem domus Villedei Hospitalis predicti, Montisalbanensis diocesis, in gubernatorem ejusdem prioratus concorditer elegerunt, tibique instanter supplicant ut eum velis in priorem preficere prioratus predicti, si prelibatus Estoutus, qui etate provectus in religione ipsius Hospitalis ac probitatis et discretionis maturitate, morum venustate, aliisque refulget virtutibus, sicut relatibus percepimus fidedignis, preficiatur in priorem prioratus ejusdem ex causis premissis et certis aliis considerationibus, gratum erit nobis admodum et acceptum. Quocirca sinceritatem tuam attente rogamus quatinus predicta et alia, que tue circumspectioni circa hec possunt occurrere, necnon quod de parcialitatibus circa provisiones prioratuum prelibati Hospitalis, sicut per alias tibi scripsimus litteras, non modicum asseritur contra te murmurari, consideranter attendens, eundem Estoutum habere velis pro nostra et apostolice Sedis reverencia tuique honoris et fame intuitu favorabiliter et gratiose super hiis commendatum. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas septembris, anno secundo. »

373 Villeneuve-les-Avignon, 25 août 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut litteras salvi conductus tradant nobili viro Cicco de Romagnia de Urbe, qui ad Urbem proficiscitur. (Reg. 137, n° MCLXVIII, fol. 282 v°.)

« *Venerabilibus fratribus etc.* Cum dilectum filium —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas septembris. anno secundo. »

374 Villeneuve-les-Avignon, 27 août 1343.

Gaudet quod aliqua spes supersit pro pace reformanda inter Aragonum et Majoricarum reges ; de sollicitudine nuntio gratias agit; quod ad regressum ad Sedem apostolicam attinet, videat nuntius quid melius expediat. (Reg. 137, n° CCLXXXII, fol. 91 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo tituli Sancti Ciriaci in Termis presbytero cardinali, apostolice Sedis nuncio.* Leta manu litteras —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI kalendas septembris, anno secundo. »

375 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Edwardum III, regem Angliæ, hortatur ut reparari et revocari decenter jubeat ea quæ contra procuratores Ademari Roberti tituli Sanctæ Anastasiæ presbyteri cardinalis facta fuerant. (Reg. 137, n° ccLxxxiii, fol. 91 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Dudum post creationem novorum sacrosancte Romane Ecclesie cardinalium provida et matura deliberatione previa per nos factam, attendentes honoribus Dei et ecclesie sancte sue ac utilitati rei publice convenire quod cardinales ipsi, qui super expediendis negociis ad alveum apostolice Sedis undique confluentibus, nobiscum labores et onera partiuntur, haberent congrue unde suis valerent necessitatibus secundum status sui decenciam providere, demum excogitatis viis et modis licitis quibus absque minori ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum gravamine hujusmodi provisio sequi posset, de beneficiis ecclesiasticis tunc in diversis regnis et partibus Christianitatis vacantibus, et inantea vacaturis, usque ad certam summam pro singulis eorumdem novorum cardinalium, et sub certis formis et limitationibus prefatis cardinalibus, distinctis eis, prout expedire vidimus, provinciis, gratias fecimus speciales. Cum autem duobus ex eis de ducatu Aquitanie oriundis, videlicet dilectis filiis nostris Ademaro tituli Sancte Anastasie, et Geraldo tituli Sancte Sabine presbiteris cardinalibus, de hujusmodi beneficiis in regno et terris tuis, fili carissime, consistentibus, in forma pro ipsis et aliis predictis cardinalibus cum magna deliberatione consilii ordinata, gratias hujusmodi providerimus faciendas, ipsique pro eisdem prosequendis gratiis certos procuratores et nuncios suos, ecclesiasticos viros scilicet prudentes et litteratos, ad partes regni tui Anglie destinarint, ipsi procuratores et nuncii, postquam ad regnum pervenientes predictum, ceperunt ibidem dominorum suorum predictorum negocia prosequi supradicta, per gentes et officiales regios non solum impediti super eis, quinimo captivitati, et tandem de regno predicto expulsi cum ignominia, sicut infestis nimis relatibus percepimus, extiterunt. Profecto, fili dilectissime, si premissa que de procuratoribus predictis premittimus, veritate nituntur, attenta devotione sincera quam ad Deum et sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam gerere dinosceris, sicut clare memorie progenitores tui reges Anglie gesserunt, dum in humanis agerent, ea de tua processisse consciencia faciliter credere non valemus. Certum est autem quod non solum in regno et terris tuis predictis, immo quasi in omnibus regnis et partibus, tam propinquis quam remotis, ubi catholice fidei viget cultus, aliis novis cardinalibus consimiles gracias fecimus, in quibus rebellionem aliquam preter predictam, quam, si vera sit, cum dolore cordis referimus, factam nullatenus audivimus usquequaque. Satis namque honoribus et comodis regiis credebamus et credimus expedire, quod cardinales et illi maxime qui naturaliter afficiuntur ad honores et commoda tua regia, in regno et terris tuis beneficia obtineant ecclesiastica, quia ex hoc proculdubio libencius et fervencius ad promovendos profectus regios inducuntur, et utinam illi qui nutriti de mitis ejusdem ecclesie Romane, et ad honores et status exaltati per eam, impedimenta et alia predicta procurasse non absque magne ingratitudinis vicio, et aliis suis periculis verisimiliter extimantur, ex quibus preter hoc, excommunicationis et aliis penis et sententiis promulgatis adversus tales a canonibus se periculose nimium subjecerunt, que salutis, fame, et honoris regii felicia respiciunt incrementa, fidelibus intenderent studiis, et contrarium attemptando nequaquam lucra propria sub manu regia venarentur. Demum regiam rogamus excellenciam et in Domino attencius exhortamur, quatenus hiis que premisimus, et aliis que in hac parte circumspectioni regie possunt occurrere, diligenti premeditatione intra pectoris regii claustra discussis, ea que contra dictos procuratores et quosdam alios prefati Ademari cardinalis qui postmodum in eodem regno capti et detineri captivi dicuntur, facta fuerint, reparari et revocari decenter et benigne, ipsosque procuratores, regio favore suffultos, circa prosequenda in eodem regno supradicta negocia, plena securitate gaudere pro divina et nostra dicteque Sedis reverencia, faciat regia celcitudo, aures non accomodando regias illis qui aliqua in Dei offensam, ecclesie predicte contumeliam, ac honoris, salutis et fame tui culminis lesionem, possent quomo-

dolibet redundare, ut Deum tibi semper propicium, et Sedem predictam super tuis oportunitatibus constituas promptiorem. Rescripturus nobis, fili dilectissime, que tua regalis circumspectio circa hec providerit ordinanda. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

376 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Reginam Angliæ deprecatur ut procuratoribus dictorum cardinalium auxilium præbere velit, regemque inducat ad attentata reparanda. (Reg. 137. n° cclxxxiiii, fol. 92 r°.)

« *Carissime in Christo filie Isabelli regine Anglie illustri.* Infeste nimis assertionis relatio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod certi procuratores dilectorum filiorum nostrorum Ademari tituli Sancte Anastasie et Geraldi tituli Sancte Sabine presbiterorum cardinalium, quos ipsi cardinales ad regnum Anglie super prosequendis certis graciis de beneficiis ecclesiasticis in eodem regno consistentibus, per nos eis factis, transmiserant, per gentes et curiales carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris, nati tui, capti et subsequenter de regno eodem expulsi cum ignominia extiterunt. Cum autem talia que de consciencia dicti regis, attenta devotione sincera quam ipse gerit et gessit hactenus ad Deum et sacrosanctam Romanam ecclesiam, processisse non credimus, ipsius fame, saluti et honori non conveniant et in opprobrium ejusdem Romane ecclesie matris omnium fidelium redundare noscantur, nos regem ipsum, quem paterne dilectionis et caritatis affectu prosequimur, per litteras nostras rogamus attente, ut premissa sic indecenter attemptata reparari et corrigi benigne faciat, dictosque procuratores et alios cardinalium predictorum qui de ducatu[1] Acquitanie traxerunt originem, et sic ad honores et comoda regia naturaliter affici dinoscuntur, liberatis eciam quibusdam aliis procuratoribus dicti Ademari cardinalis postmodum captis in predicto regno, ut asseritur, sub plena securitate regia permittat libere prosequi negocia supradicta, ut inde divinam propiciationem acquirat largius, gratiam Sedis apostolice vendicet uberius, et fortius ad sua beneplacita cardinales ipsos astringat. Ideoque tuam excellenciam regiam attencius deprecamur quatenus tu, filia carissima, que salutem et honorem regis ejusdem optas et diligis, ipsum ad hoc pro nostra et ejusdem Sedis reverencia, efficaciter viis et modis oportunis inducas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

Item in eundem modum *carissime in Christo filie Philippe regine Anglie illustri* mutato ubi dicitur nato, dicatur viro. Dat. ut supra. (Reg. 137, n° cclxxxv, fol. 92 v°.)

Dilectis filiis consiliariis carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris. **Pertulit hiis diebus.** Dat. ut supra. (Reg. 137, n° ccxxxvi, fol. 92 v°.)

[1] Ms : *ducato.*

377 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi, mandat ut supradictas litteras dicto regi præsentet. (Reg. 137, n° cclxxxvii, fol. 92 v°.)

« *Dilecto filio Ramundo Pelegrini, canonico Londoniensi.* Cum super revocatione ac reparacione illorum que circa procuratores dilectorum filiorum nostrorum Ademari tituli sancte Anastasie et Geraldi tituli sancte Sabine presbiterorum cardinalium attemptata pridem in regno Anglie fore dicuntur, carissimis in Christo filiis nostris Edwardo regi ac Isabelli et Philippe, reginis Anglie illustribus, ac consilio dicti regis per diversas litteras nostras, sicut vidimus expedire, scribamus, volumus et tue discretioni mandamus quatinus eisdem regi et reginis ac consilio nostras predictas presentans, ut ea que scribimus ad debitum introducantur effectum, solicitudinem quam utiliter et decenter poteris adhibere procures, nobis quicquid inde factum extiterit, nichilominus rescripturus. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

378 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Johannam, Siciliæ reginam, rogat ut Johannem Pipini comitem Palatini et Minerbini ac fratres ejus qui per

regem Robertum fuerunt incarcerati restitui jubeat pristinæ libertati. (Reg. 137, n° ccxci, 94 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Pro parte dilectorum —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

Item in eumdem modum carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri. Mutato ubi dicitur avi tui, dicatur viri tui. Dat. ut supra (n° ccxcii).

379 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Gaudet quod regina de infirmitate convaluerit. (Reg. 137, n° ccxciii, fol. 94 v°.)

« *Carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri.* Serenitatis tue littere—. Datum Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

380 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Infrascriptis mandat ut Beatricem de Pinon, natam Johannis de Pinon, Suessionensis diœcesis, faciant recipi in sororem et monacham monasterii monialium Beatæ Mariæ Suessionensis, ordinis Sancti Benedicti. (Reg. 137, n° mlxxxvi, fol. 263 v°.)

« *Dilectis filiis... Ambianensi et Suessionensi decanis ac Firmino de Coquerello, canonico ejusdem Ambianensis, ecclesiarum.* Prudentum virginum votis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

381 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Cum Hugo de Vienna, archiepiscopus Bisuntinus, propter defensionem jurium ejus adversus aliquos potentes dicta jura usurpare libertatemque ecclesiasticam lædere molientes, diversa et importabilia expensarum onera subisset, et circa hæc occupatus visitationis officium exercere non possit, ei indulget papa ut possit per procuratores omnes ecclesias visitare procurationesque debitas recipere. (Reg. 137, n° mci, fol. 270 v°.)

« *Venerabili fratri Hugoni archiepiscopo Bisuntino.* Exigit sincere devotionis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

382 Villeneuve-les-Avignon, 28 août 1343.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut dictum privilegium statim exsequantur. (Reg. 137, n° mcii.)

« *Venerabili fratri... episcopo Veronensi et dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Vincentii ac... archidiacono ecclesie, Bisuntinorum.* Judicibus mandamus quatinus —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas septembris, anno secundo. »

383 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1343.

Cum pro sedandis discordiis, quæ inter Petrum Aragonum et Jacobum Majoricarum reges suscitatæ fuerant, oppressus fuisset expensarum oneribus, nec visitationis officium adimplere posset, infrascripto concedit ut ecclesias et monasteria per procuratores possit visitare. (Reg. 137, n° mlxxxxix, fol. 270 v°.)

« *Venerabili fratri Petro archiepiscopo Cesaraugustano.* Meritis tue devotionis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas septembris, anno secundo. »

384 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1343.

Nicolao de Besse, electo Lemovicensi, in minoribus ordinibus constituto, hanc dispensationem concedit ut, usque ad quinquennium, ad sacerdotium se facere promoveri minime teneatur, beneficiaque jam obtenta retinere queat. (Reg. 137, n° ccxciiii, fol. 94 v°.)

« *Dilecto filio Nicolao electo Lemovicensi.* Sincere devotionis affectus —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas septembris, anno secundo. »

385 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1343.

Philippum regem Franciæ rogat ut juramentum, ad quod tenetur Nicolaus de Besse, electus Lemovicensis,

nepos papæ, per aliquem episcopum in partibus illis commorantem recipi jubeat. (Reg. 137, n° ccxcv, fol. 95 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper ecclesia Bituricensi per obitum bone memorie Folcaudi archiepiscopi Bituricensis vacante, nos, ad supplicationem instantem dilectorum filiorum capituli ejusdem ecclesie, venerabilem fratrem nostrum Rogerium episcopum olim Lemovicensem in archiepiscopum Bituricensem electum, a vinculo quo ecclesie Lemovicensi, cui preerat, tenebatur astrictus, de fratrum nostrorum consilio absolventes, ipsum ad prefatam ecclesiam Bituricensem vacantem tunc, ut prefertur, transtulimus, et eidem de persona ipsius providimus, eumque illi perfecimus in archiepiscopum et pastorem, ac deinde prelibate Lemovicensi ecclesie sic vacanti, de persona dilecti filii Nicolai electi Lemovicensis, nepotis nostri, in jure civili bacallarii, de fratrum ipsorum consilio providimus, eum illi preficiendo in episcopum et pastorem. Cum autem idem electus Lemovicensis pro prestando magnificentie regie pro suis et ecclesie predicte temporalibus fidelitatis debite juramento, ad presens comode nequeat ad regiam presentiam se conferre, nos ipsum electum et eandem suam ecclesiam Lemovicensem regali benevolentie plenis affectibus commendantes, eam attentius deprecamur quatinus venerabili fratri nostro Johanni episcopo Belvacensi, vel alicui alii de quo regie sublimitati placebit, velit gratiose committere, ut ab eodem electo Lemovicensi juramentum predictum nomine regio in hiis partibus recipiat, et ei seu procuratoribus suis bona temporalia ipsius ecclesie que propterea tenerentur impedita sub manu regia libere faciat expediri. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII kalendas septembris, anno secundo. »

386 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1343.

Johannam reginam Franciæ rogat ut apud regem instet, pro dicto electo Lemovicensi. (Reg. 137, n° ccxcvi, fol. 95 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Nuper ecclesia Bituricensi et cætera. Cum autem idem electus Lemovicensis pro prestando carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri juramento fidelitatis, pro suis et ecclesie sue Lemovicensis temporalibus debite, ad presens nequeat comode ad ejusdem regis presenciam se conferre, nosque regem rogemus eundem ut venerabili fratri nostro Johanni episcopi Belvacensi vel alicui alii, de quo sibi placebit, velit graciose committere, ut ab ipso electo juramentum predictum in partibus istis recepere valeat, et ei seu procuratoribus suis bona temporalia ipsius ecclesie que propterea occupata tenerentur, sub manu regia libere faciat expediri, serenitatem tuam, filia carissima, plenis affectibus deprecamur quatinus prefatos et electum et ecclesiam Lemovicenses habens propensius commendatos, ut rex prefatus liberaliter et graciose concedat que in hac parte petimus, partes suas efficaciter, sicut oportunum fuerit, tua sublimitas interponat. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII kalendas septembris, anno secundo. »

387 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1343.

Mandat infrascriptis judicibus ut recipiant resignationes simpliciter vel ex causa permutationis a Petro Rogerii, archidiacono Blesensi, in ecclesia Carnotensi et ab aliis secum permutantibus et inducant eos in corporalem possessionem beneficiorum sic permutatorum. (Reg. 137, n° cccxiiii, fol. 100 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Tutellensi et dilectis filiis... de Maymaco ac... de Belloloco Lemovicensis diocesis monasteriorum abbatibus.* Personam dilecti filii —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII kalendas septembris, anno secundo. »

In eodem modo pro dilecto filio *Guillelmo Rogerii, canonico Narbonensi,*
Hugone Rogerii, thesaurario ecclesie Aniciensis,
Nicolao Rogerii, canonico Rothomagensi,
Johanne Rogerii, canonico Turonensi,
Hugone Judicis canonico Carnotensi. (Dat. ut supra, n^os ccxv-ccxviii *bis*, fol. 101 r°.)

388 Villeneuve-les-Avignon, 31 août 1343.

Infrascriptis mandat ut Henricum patriarcham Constantinopolitanum benigne recipiant et ei in omnibus

dictam legationem tangentibus pareant et intendant. (Reg. Vat. 157, n° xxviii, fol. 4 v°; — Reg. Vat. 62, De negociis Tartarorum, fol. 52 r°.)

« *In eodem modo venerabilibus fratribus... Nicosiensi, Cretensi, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi, Colocensi, Nixiensi, Corphyensi, Duracensi, Neopatensi, et... Neopatrie archiepiscopis eorumque sufraganeis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis per patriarchatum Constantinopolitanum et Nicosiensem, etc... provincias constitutis salutem.* Quia corporali presentia. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas septembris, anno secundo. »

389 Villeneuve-les-Avignon, 31 août 1343.

Eisdem mandat ut ei diebus singulis decem florenos assignent. (Reg. 157, n° xxviii, fol. 4 v°.)

« *Eidem.* Cum nos venerabilem —. Datum ut supra. »

390 Villeneuve-les-Avignon, 31 août 1343.

Eisdem mandat ut, si dictus legatus in aliquo loco ex causa quacumque moretur, non solum illi quibus scribitur sed etiam alii vicinarum, et circumpositarum civitatum predictarum hujusmodi expensis contribuere cogantur. (Reg. 157, n° xxx, fol. 5 r°.)

« *Venerabilibus fratribus, etc.* Cum nos venerabilem —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas septembris, anno secundo. »

391 Villeneuve-les-Avignon, 1er septembre 1343.

Infrascripto mandat ut testamentum quondam Durandi Mercatoris, rectoris ecclesiæ de Monteclarano, Caturcensis diocesis, intactum servet. (Reg. 137, n° ccxcvii, fol. 95 v°.)

« *Dilecto filio Ademaro Laobraria, canonico Tornacensi.* Intelleximus quod quondam Durandus Mercatoris, rector ecclesie parrochialis de Monteclarano, Caturcensis diocesis, dudum suum condens de licentia Sedis apostolice testamentum, sexviginti florenos auri legavit apostolice camere et alia quedam pia opera de bonis suis fieri disposuit et mandavit. Cum autem in ecclesia predicta seu partibus illis nonnulla bona de fructibus redditibus et proventibus ecclesie predicte collecta esse dicerentur, tempore quo idem Durandus viam extitit universe carnis ingressus, nos volentes quod de bonis hujusmodi prius camere nostre satisfiat de legato predicto, et ea que prefatus Durandus in pios usus erogari disposuit, ut prefertur, exinde postmodum persolvantur, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus nomine ipsius camere dictis sexviginti florenis per te habitis et receptis non impedias quominus de bonis hujusmodi testamentum predictum quo ad causas pias absque prejudicio cujuslibet alterius compleatur, quinpotius favorem circa hec exibeas oportunum. Contradictores, etc. Volumus autem quod de predictis sex viginti florenis, cum eos de bonis jamdictis dicte camere nomine receperis, illos, quorum intererit, possis absolvere plenius et quittare inde faciendo confici duo consimilia publica instrumenta, quorum uno penes eos quos quittaveris inde dimisso, reliquum mittere ad eandem cameram fideliter non postponas —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis septembris, anno secundo. »

392 Villeneuve-les-Avignon, 1er septembre 1343.

Cum Petrus Proana de Carnhano, laicus Taurinensis diœcesis, procurator infrascripti mercatoris de pecuniis cameram tangentibus in partibus Angliæ collectis IIx florenos auri in ducentis viginti sex libris tresdecim solidis et quatuor denariis sterlingorum, computatis a Raymundo Pelegrini canonico Londoniensi, in partibus eisdem nuntio, receperit, Jacobusque dictam summam Cameræ assignaverit, eos de dicta summa absolvit. (Reg. 137, n° cccccxli, fol. 129 r°.)

« *Eidem Jacobo [Malabayla mercatori Astensi].* Cum dilectus filius —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis septembris, anno secundo. »

393 Villeneuve-les-Avignon, 8 sept. 1343.

De pretioso quodam annulo misso, reginæ Angliæ gratias agit. (Reg. 137, n° ccxcix, fol. 96 r°.)

« *Carissime in Christo filie regine Anglie illustri.* Paterne benignitatis affectu receptis nuper tue serenitatis regie litteris per dilectum filium Thedesium Benedicti de Folchinello, servientem nostrum armorum,

tuumque, filia carissima, nuncium, nostro apostolatui presentatis super contentis in eis per nos intellectu pleno collectis, eidem nuncio favorabiliter et benigne respondimus, sicut ipse regali prudencie referre seriosius poterit viva voce. De anulo autem cum lapidibus adamantinis preciosis per te, filia dilectissima, nobis misso, ac per nos, attenta mittentis sincera devotione gratanter recepto, tue regie magnificencie gratiarum uberes referimus actiones. Rursus cum quasdam inauditas abhactenus novitates, tam circa quosdam procuratores per dilectos filios nostros Ademarum tituli Sancte Anastasie, et Geraldum tituli Sancte Sabine presbiteros cardinales, pridem ad partes regni Anglie pro certis suis negociis destinatos, quam alias personas ac beneficia et loca ecclesiastica, mestis audiverimus rumoribus attemptatas ibidem, in gravem Dei offensam, Ecclesie Romane contumeliam, et lesionem libertatis ecclesiastice procul dubio redundantes, tuam regalem rogamus providenciam et in Domino attencius exhortamur, quatenus circa correctiones et reparationes congruas et honestas hujusmodi abhominabilium novitatum[1] celeriter faciendas, velit tua regalis circumspectio, pro divina et nostra ac ejusdem ecclesie matris tue reverencia, tam apud carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem virum tuum quam alios, sicut decens et expediens fuerit, sic efficaciter interponere partes tuas, quod evidenter appareat talia de dicti regis et tua consciencia, sicut estimamus indubie, minime processisse; nec nos, qui salva consciencia ea preterire sub silencio, nisi provideretur aliter, non possemus, quominus per speciales penas et alias prout suaderet rationis et juris equitas, procedere super hiis curaremus, de alio providere remedio, eadem consciencia et pastoralis officii debito urgentibus, non cogamur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno secundo. »

1. Ms : *nativitatum.*

394 Villeneuve-les-Avignon, 8 sept. 1343.

Edwardum III regem Angliæ rogat ut jura cardinalium in Anglia, quæ violata sunt, restitui jubeat. (Reg. 137, n° ccc, fol. 96 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Nuper carissima in Christo filia nostra Philippa regina Anglie illustris consors tua, per dilectum filium Thedisium Benedicti de Folchinello, servientem nostrum armorum, ipsiusque regine nuncium, quedam scripsit que de tua, fili carissime, credimus consciencia processisse, super quibus eidem nuncio respondimus favorabiliter et benigne, sicut ipse tue celsitudini, et eidem regine seriosius poterit viva voce referre. Sane cum quasdam inauditas etc., usque non cogamur. Que autem, fili dilectissime, super ipsis novitatibus, quas non minui sed augeri displicibiliter nimis percipimus, egeris et intendas agere, rescribere nobis, quesumus, non ommittas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno secundo. »

395 Villeneuve-les-Avignon, 8 sept. 1343.

Bertrando, episcopo Lodovensi, mandat ut personas idoneas ad Curiam mittat, pro sedanda dissentione quæ inter eum et capitulum orta erat, atque pro compositione facienda. (Reg. 137, n° cccl, fol. 97 r°.)

« *Venerabili fratri Bertrando episcopo Lodovensi.* Rumoris displicibilis assercio perduxit hiis diebus ad nostri apostolatus auditum, quod licet tu, frater, et predecessores tui episcopi, ac dilecti filii capitulum Lodovense abhactenus invicem persistere consueveritis tanquam caput et membra in vinculo caritatis et dilectionis uniti, et propterea ecclesia Lodovensis floruisse non parum et incrementa felicia in spiritualibus et temporalibus suscepisse dicatur, inimico tamen homine a paucis citra temporibus inter vos pestifera zizanie semina jaciente, pretextu aliquorum terminorum terrarum vestrarum et quorumdam aliorum que, circumstanciis consideratis eorum, fore satis extimationis modice asseruntur, adeo graves et odiose sunt inter vos invicem suscitate dissentiones et lites, quod ecclesia ipsa que, ut prefertur, statu gaudere solebat prospero, jam incipit subici, nisi de oportunis provideatur remediis, irreparabilibus periculis et jacturis. Nos igitur, quibus ex injuncte desuper apostolice servitutis officio ecclesiarum omnium cura imminet generalis, hujusmodi periculis et dispendiis

ecclesie Lodovensis predicte obviari salubriter paterne solicitudinis studiis cupientes, volumus, et fraternitati tue presentium tenore mandamus, quatenus aliquem vel aliquos viros ydoneos super predictis omnibus et ea tangentibus sufficienter instructos et ydonea potestate suffultos, ut per nos aut illum vel illos quem vel quos super hoc apud Sedem apostolicam deputabimus per viam pacis amicabilis vel justicie semitam terminari dissensiones et lites valeant hujusmodi, ad presentiam nostram destinare procurans, ab eisdem litibus et quibusvis novitatibus ratione vel pretextu dissensionum hujusmodi interim quousque per nos aliud ordinatum super hiis extiterit, abstineas et desistas, cum idem scribamus capitulo supradicto. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno secundo. »

396 Villeneuve-les-Avignon, 8 sept. 1343.

Simili modo scribit capitulo ecclesiæ Lodovensis. (Reg. 137, n° cccii, fol. 97 r°.)

« *Dilectis filiis capitulo ecclesie Lodovensis.* Rumoris displicibilis assertio etc. usque... destinantes a quibusvis novitatibus interim, quousque per nos aliud ordinatum super hiis extiterit, penitus abstinere curetis, cum idem scribamus episcopo memorato. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus septembris anno secundo. »

397 Villeneuve-les-Avignon, 8 sept. 1343.

Cum infrascriptus Jacobus IIII^M V^C florenos auri de bonis quondam Frederici, archiepiscopi Rigensis, Sedi apostolicæ reservatis per Bodratum, fratrem ejus, in villa de Bruges Tornacensis diocesis receptos et assignatos pro parte magistri generalis domus Beatæ Mariæ Theutonicorum, cui per papam mandatum fuerat ut eos ad villam mitteret supradictam, die data præsentium Cameræ duxerit assignandos, de dicta summa assignata papa eum inperpetuum absolvit. (Reg. 137, n° ccccxl, fol. 128 v°.)

« *Dilecto filio Jacobo Malabayla, mercatori Astensi, in Romana Curia commoranti.* Cum tu quatuor —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII idus septembris, anno secundo. »

398 Villeneuve-les-Avignon, 11 sept. 1343.

Reginæ Siciliæ commendat Arnulphum Marcellini, canonicum Agennensem, qui deputatur ad colligenda bona quondam Johannis de Pererio, in partibus regni Siciliæ apostolicæ Sedis nuncii. (Reg. 137, n° cccix, fol. 99 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie.* Noviter intellecto quod — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno secundo. »

Item in eodem modo *carissime in Christo filie Sancie regine illustri.* Dat. ut. supra (n° cccx).

399 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1343.

Philippum regem Franciæ rogat ne ab officialibus regiis Gasbertus archiepiscopus Narbonensis de cætero molestetur. (Reg. 137, n° cccxii, fol. 99 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Exposuit nobis venerabilis frater Gasbertus archiepiscopus Narbonensis, camerarius noster, quod ipse pretextu cujusdam summe pecunie, quam bone memorie Bernardus archiepiscopus Narbonensis, predecessor suus, a quodam Bertrando de Guto vicecomite Lomannie dicitur mutuo recepisse, nunc ad instanciam dilecti filii nobilis viri Johannis comitis Armaniaci et quorumdam aliorum sibi bona dicti vice comitis vendicantium, coram certis commissariis eis per curiam regiam super hiis deputatis multipliciter contra justiciam molestatur. Sane cum ejus predecessor predictus successores et ecclesiam suos obligare nequiverit absque licentia Sedis apostolice speciali, nec eciam idem Gasbertus archiepiscopus ex causis talibus coram judicibus secularibus possit trahi, quod eciam de dicto suo predecessore, dum adhuc tunc in humanis agens racione dicte summe pecunie coram eisdem commissariis vexaretur, per litteras regias expresse inhibitum extitit, sicut fertur, excellenciam regiam deprecamur quatinus prefatum Gasbertum archiepiscopum favorabiliter, sicut honestas persuaserit, pro nostra et apostolice Sedis reverencia super hiis prosequendo, commissariis antedictis et aliis officialibus velit per litteras oportunas regias inhibere, ne, si sit ita, supradictum archiepiscopum aut ecclesiam

suam premissorum occasione molestent, cum nos dicto comiti et aliis quorum intererit, si nos adierint super hoc, parati sumus exhibere justicie complementum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno secundo. »

400 Villeneuve-les-Avignon, 12 septembre 1343.

Infrascriptis mandat ut bona, debita et credita Andreæ tituli Sanctæ Susannæ presbiteri cardinalis olim episcopi Tornacensis, in civitate et diœcesi Tornacensi recolligant et Cameræ apostolicæ mittant. (Reg. 137, n° cccxi, fol. 99 r°.)

« *Dilectis filiis magistris Petro de Quercu, decano et Hugoni de Manipulis cancellario, ecclesie Tornacensis.* Relatu percepimus fidedigno. — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II idus septembris, anno secundo. »

401 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1343.

Odoni, episcopo Paphensi, mandat ut factoribus Francisci Baralhi, civis et mercatoris Avinionensis, mille marchas argenti ab eo recollectas in partibus regni Cipri assignet. (Reg. 137, n° cccIII, fol. 97 v°.)

« *Venerabili fratri Odoni episcopo Paffensi* (*sic*). Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno secundo ».

402 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1343.

Infrascriptis mercatoribus mandat ut prædictam summam recipiant. (Reg. 137, n° cccIIII, fol. 97 v°.)

« *Dilectis filiis Guillelmo Dominici de Montepessulano, Magalonensis diocesis, et Hugoni Adrech, civi Avinionensi, mercatoribus.* Cum dilectus filius —. Datum ut supra. »

403 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Rectori comitatus Venaissini mandat ut nonnulla castra in dicto comitatu existentia, de quibus erat dissensio inter Bertrandum de Baucio matremque dicti Bertrandi, sub manu Ecclesiæ Romanæ ponat. (Reg. 137, n° cccXXII, fol. 102 r°.)

« *Dilecto filio Guillelmo Alisardi, juris civilis professori, curiam generalem comitatus Venaissini regenti.* Infausti rumoris assertione ad nos noviter est perlatum, quod hoste procurante antiquo, qui saluti et quieti humane invidens, tanto callidius inter confederatos et conjunctos suscitare discordias et odia satagit, quanto perniciosius caritatem in eis feriens et extin-g[u]ens, majora estimat se posse pericula procurare, pridem inter dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Baucio ex una parte, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Rascaciam matrem suam ex altera, ratione jurisdictionis Castrorum de Corumbo et de Bedoyno consistencium infra comitatum de Venaissino nobis et Ecclesie Romane immediate subjectum, periculose dissentionis suscitare materiam, sicque ipsos filium et matrem, quos nexus tanti conjungit federis, ad iracundiam studuit concitare quod ommissa via caritatis et pacis ad offensiones hincinde mutuas etiam per hostiles incursus invicem perniciose nimium se disponunt. Nos igitur qui licet insufficientibus meritis vices in terris geramus regis pacifici et excelsi, dissentiones hujusmodi perniciosas et execrandas utique merito detestantes, et cupientes eosdem matrem et filium ad amoris et caritatis priora federa, sopitis per viam pacificam vel justicie semitam ac relegatis et ommissis penitus offensivis insultibus quibuslibet revocari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus jurisdictione dictorum castrorum, ratione cujus mote sunt dissentiones hujusmodi, sub manu nostra et Ecclesie Romane absque prejudicio juris utriusque partis tam super possessione quam proprietate posita et retenta, quousque super hoc aliud debite fuerit ordinatum, eisdem partibus, ex parte nostra precipias et injungas ut infra quindecim dierum spacium per se vel per procuratores suos sufficienter instructos ac ydonea potestate suffultos se coram nobis presentare procurent, subituri tractatum super dissentionibus eisdem pacificum, vel per viam justicie summariam ne per tales perniciosas dissentiones sic enormiter ledatur inter eos ulterius

caritatis debitum, processuri coram nobis aut illo vel illis cui vel quibus duxerimus negocium hujusmodi committendum, eisdem partibus sub penis, de quibus tibi videbitur, districtius nichilominus injungendo, ne ad aliquas offensiones hostiles presumant prorumpere interim quoquomodo, de hiis autem que in hac parte quomodolibet egeris, nos per instrumentum publicum, horum seriem continens, efficere studeas certiores. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno secundo. »

404 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Cum pro defensione fidelium contra Turcos in partibus Romaniæ aliisque insulis adjacentibus et pro dicto subsidio præstando quatuor galeas armatas et munitas Ecclesiæ Romanæ sumptibus tenendas per unum annum transmiserit, Martinum Zachariæ, militem Januensem capitaneum generalem dictarum galearum deputat. (Reg. 137, n° CCCXXIII, fol. 102 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 40 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Martino Zacharie, militi Januensi.* Commotis paterna pietatis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno secundo. »

405 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Cum Martinum Zachariæ, capitaneum generalem dictarum galearum, deputaverit, infrascripto mandat ut si forsan dictus capitaneus ab officio capitaneatus amoveatur, alium deputare valeat capitaneum. (Reg. 137, n° CCCXXIIII, fol. 103 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 40 r°.)

« *Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano, in partibus transmarinis apostolice Sedis legato.* Erga christicolas in —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno secundo. »

406 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Edicit ut omnes capitanei et patroni galearum ei parere et obedire debeant, et ut dictus legatus eos per censuram ecclesiasticam ad id compellere possit. (Reg. 137, n° CCCXXV, fol. 103 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 40 v°.)

« *Eidem legato.* Ut negocium subsidii —. Datum ut supra. »

407 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Infrascriptis mandat ut Henrico patriarchæ Constantinopolitano legato pareant. (Reg. 137, n° CCCXXVI, fol. 103 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 40 v°.)

« *Dilectis filiis universis et singulis capitaneis et patronis ceterisque ad regimina galearum tam per nos quam fideles alios deputatarum secundum ordinationem nostram pro subsidio ac defensione fidelium Romanie ac aliarum transmarinarum partium contra Turchos deputatis.* Ut negocium etc. —. Datum ut supra. »

408 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Regi Cipri mandat ut capitaneos patronosque galearum hortetur, ad obediendum dicto legato. (Reg. 137, n° CCCXXVII, fol. 103 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 41 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.* Ferventibus desideriis et affectibus —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno secundo. »

In eodem modo ...*duci et communi Venetorum* (n° CCCXXVIII), ... *magistro et conventui Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani* (n° CCCXXIX).

409 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Infrascripto legato mandat ut non permittat galearum stolium a recto itinere divertere vel quomodolibet retardari. (Reg. 137, n° CCCXXX, fol. 104 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 41 v°.)

« *Eidem legato.* Volentes quod galearum —. Datum ut supra. »

410 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Ducem Venetorum rogat ut, cum ad portus ditioni eorum subjectos pro victualibus recipiendis galeæ decli-

naverint, dictas galeas benigne tractare velit. (Reg. 137, n° cccxxxi, fol. 104 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 41 v°.)

« *Dilectis filiis... duci et comuni Venetorum.* Non sine mentis —. Datum ut supra. »

411 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Omnibus infrascriptis mandat ut dictas galeas cum honore debito tractent et recipiant. (Reg. 137, n° cccxxxii, fol. 104 v°; — Reg. 62, fol. 41 v°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, necnon nobilibus viris ducibus, principibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, justiciariis et aliis dominis temporalibus ac comunitatibus et universitatibus civitatum, castrorum, villarum et aliorum quorumcunque locorum maritimarum partium, ad quos presentes littere pervenerint.* Non sine mentis —. Datum ut supra. »

412 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Infrascriptos rogat ut legatum et capitaneum generalem adjuvent, si aliqua dissensio periculosa oriretur inter illos qui ad navigandum vel bellandum contra Turchos deputati fuerint, quæ forsan per dictos legatum et capitaneum sedari non posset. (Reg. 137, n° cccxxxiii, fol. 104 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 42 r°.)

« *Dilectis filiis... capitaneo, et patronis galearum per dilectos filios... magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani deputatarum ad defensionem fidelium contra Turchos.* Cupientes galearum subsidium —. Dat. ut supra. »

413 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Infrascripto mandat ut a navigantibus et patronis galearum juramentum recipiat de obedientia prædicto legato exhibenda. (Reg. 137, n° cccxxxiiii, fol. 105, r°; — Reg. Vat. 62, fol. 42 r°.)

« *Dilecto filio magistro Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensi, camere nostre clerico.* Cum nostre intentionis —. Dat. ut supra. »

414 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Cum Janullius Sanuti, dux Agiopelagi, unam galeam armare pro repressione Turcorum intendat, eum rogat ut dictam galeam munitam cœteris galeis unire velit. (Reg. 137, n° cccxxxv, fol. 105 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 42.)

« *Dilecto filio nobili viro Janullio Sanuti, duci Agiopelagi.* Grata venerabilis fratris —. Datum ut supra. »

415 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1643.

Infrascriptam rogat ut galeam quam armare promittit cum alia galea a Georgino Ghysi munita transmittere velit. (Reg. 137, n° cccxxxvi, fol. 105 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 42.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Balzane de Carceribus.* Cum sicut fidedigno —. Dat. ut. supra. »

416 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Similiter Georginum Ghysi hortatur. (Reg. 137, n° cccxxxvii, fol. 105 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 42.)

« *Dilecto filio nobili viro Georgino Ghysi.* Cum sicut fidedigna —. Datum ut supra. »

417 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1343.

Januenses multosque alios rogat ut dicto subsidio contra Turcos exhibendo contribuant. (Reg. 137, n° cccxxviii-cccxlvi, fol. 105 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 42 v°.)

« *Dilectis filiis gubernatori et comuni civitatis Januensis.* Ad vestram non —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xvi kalendas octobris, anno secundo. »

In eodem modo comuni civitatis Pisane, Perusine, Anconitane, Senensis, Florentine.

Item in eodem modo venerabili fratri Johanni archiepiscopo Medolianensi et dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, in civitate comitatu et districtu Mediolanensibus nostris et ecclesie Romane vicariis.

Item in eodem modo dilectis filiis Alberto et Mastino de La Scala in civitate comitatu et districtu Veronensibus nostris et ecclesie Romane vicariis.

Item in eodem modo dilecto filio nobili viro Tadeo de Pepulis jurium fiscalium ad nos et ecclesiam Romanam in civitate comitatu et districtu Bononiensibus spectantium administrationem gerenti.

118 Villeneuve-les-Avignon, 19 septembre 1343.

Infrascripto concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mccv.)

Item in eodem modo dilecto filio Bernardo de Septemfontibus, canonico ecclesie Sancti Vincentii de Monteregali, Carcassonensis diocesis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xiii kalendas octobris, anno secundo..

119 Villeneuve-les-Avignon, 20 septembre 1343.

Cum Gasbertus, archiepiscopus Narbonensis, super bonis Bernardi, prædecessoris ejus, quamdam summam pecuniæ recepisset, ac ab aliquibus in dubium verteretur an dicta summa totaliter ad dictum Gasbertum pertineret, eum absolvit de solutione v^x florenorum auri quos in duobus terminis persolvere promiserat, juxta conventiones cum Camera apostolica factas. (Reg. 137. n° cccliii, fol. 107 v°.)

« *Venerabili fratri Gasberto archiepiscopo Narbonensi, camerario nostro.* Dudum ecclesia Narbonensi —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xii kalendas octobris, anno secundo. »

120 Villeneuve-les-Avignon, 21 septembre 1343.

Edwardum, regem Angliæ, hortatur ut treugas initas cum Philippo VI, rege Franciæ, præsertim in Britannia observari jubeat. (Reg. 137, n° cclxxiii, fol. 88 r°; Rymer, *Record Edition*, II, ii, 1235.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Nimis displicibiliter audivimus hiis diebus quod gentes et subditi tui, fili carissime, in mari et partibus maritimis tam Britannie quam quibusdam aliis, treugas violantes, ad nonnullas agressiones et offensas hostiles proruperunt hactenus, postquam inite fuerunt dicte treuge, ac prorumpere moliuntur per quas, quantum in eis est, easdem infringere treugas periculose non modicum asseruntur. Sane cum nequaquam credamus talia de tua procedere conscientia vel etiam processisse, regiam rogamus excellentiam et in Domino attencius exhortamur quatenus eisdem gentibus et subditis mandet regalis providentia districtius et injungat ut a talibus et similibus, per que treuge predicte viderentur infringi quomodolibet, cessent penitus et desistant, et si qua in contrarium attemptata forsan fuerint, illa quantum erit possibile, studeant revocare, cum carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, cui super similibus alias scripsimus, nobis idem rescripserit se facturum, nosque ad easdem partes Britannie dilectum filium magistrum Stephanum de Mulceone, decanum ecclesie Bituricensis, capellanum et nuncium nostrum ad faciendum ibidem servari per utramque partem dictas treugas et ad id compellendum censura ecclesiastica contradictores quoslibet, providerimus destinandum. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xi kalendas octobris, anno secundo. »

121 Villeneuve-les-Avignon, 23 septembre 1343.

Infrascripto commendat Edwardum, dominum de Bellojoco, qui ad Turcos debellandos cum comitiva hominum armatorum ad insulam Rodi proficiscitur. (Reg. 137, n° ccccliiii, fol. 108 r°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum sicut nuper —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, viii kalendas octobris, anno secundo. »

122 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1343.

Hugoni, regi Cipri, Mariam de Borbonio, viduam quondam primogeniti dicti regis, commendat. (Reg. 137, n° cccclv, fol. 108 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.* Sublimitatis regie litteras nobis per venerabilem fratrem nostrum Lambertinum episcopum Nimociensem et dilectos filios nobiles viros Thomam de Monteolivo et Egidium de Blanchagarda, milites, ambassiatores et nuncios tuos, pridem nostro apostolatui presentatas et nuncios ipsos benigne recepimus, et que in eisdem continebantur litteris et ipsi nuncii nobis explicare curaverunt pro parte regia, favorabiliter audivimus et intelleximus diligenter, tandemque ipsos expedivimus sicut favorabilius cum Deo et honestate fieri potuit, prout ipsi excellencie tue regie referre poterunt viva voce. Ceterum dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Mariam de Borbonio, viduam consortem quondam incliti Guidonis primogeniti tui, ut eam tam sue probitatis meritis super quibus juvari multipliciter dicitur quam consideratione alti sui prosapie generis oportunis et graciosis prosequitur regia celsitudo favoribus, regali benivolencie propensius commendamus. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno secundo. »

123 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1343.

Mariam de Borbonio de morte mariti consolatur. (Reg. 137, n° CCCLVI, fol. 108 v°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Borbonio, relicte quondam Guidonis, primogeniti carissimi in Christo filii nostri Hugonis regis Cipri illustris.* Non sine magna compassione tui, filia in Christo dilecta, percepimus hiis diebus, te quondam incliti viri tui, quem sors humane nature ab hac luce subtraxit, sicut Domino placuit, solatio destitutam. Et licet ex subtractione hujusmodi, te doloris extimemus acerbitate respersam, quia tamen idem vir tuus adeo bene vivere, ut intelleximus, studuit, quod non potuit male mori, sicque devotis orationibus et aliis piis operibus suum exitum asseritur munivisse, quod abisse, non obisse, ac de tenebris mundialibus ad lucem perpetuam et ad quietem perennem de laboribus transivisse in etereis mansionibus, in re, vel certa spe creditur collocatus, sunt procul dubio lamenta mitiganda meroris : immo, si ratio humane voluntatis affectum vinceret, esset profecto sic transeunti congaudendum potius quam dolendum. Rursus defecisse non videtur omnino, cum prolem ex te susceptam nobilem tibi reliquerit, in qua potes et debes in Domino consulari. Rogamus itaque nobilitatem tuam, et paternis affectibus exhortamur, quatenus premissa, necnon quod mortis judicium restitutionis beneficium non admittit, quodque ille qui eundem virum dederat, eum ad se potuit absque cujusquam injuria juxta suum beneplacitum revocare, consideranter et diligenter attendens, teque in hac parte divine voluntati coaptans, mitigatis doloribus, et abstersis suspiriis, in Domino consoleris, plene confisa de nobis, quod super tuis oportunitatibus nos, quantum cum Deo et honestate poterimus, propicios reperies et benignos. Et ecce quod te carissimo in Christo filio nostro Hugoni regi Cipri illustri per alias nostras litteras plenis affectibus commendamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII kalendas octobris anno secundo. »

124 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1343.

Edwardo de Bellojoco concedit altare portatile. (Reg. 137, n° MCLXXXIX, fol. 286 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Eduardo domino de Bellojoco, diocesis Matisconensis.* Sincere devotionis affectus —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris anno secundo. »

125 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut Persivallo de Pergamo, servienti armorum, ad certas partes Italiæ pro negotiis misso, securum conductum præbere velint. (Reg. 137, n° MCLXVII, fol. 282 r°.)

« *Venerabilibus fratribus etc. usque pervenerint.* Cum nos dilectum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno secundo. »

126 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1343.

Infrascripto confert prioratum sancti Petri de Abbatisvilla, vacantem per obitum Guillelmi de Cortonays, et

Sedi apostolicæ reservatum, non obstante quod sit monachus Sancti Johannis Angeliacensis, ordinis Sancti Benedicti, Xanctonensis diœcesis, et quod professor dicti Cluniacensis ordinis non existat, eidemque indulget ut prioratum de Neyriaco, dicto monasterio sancti Johannis Angeliacensis unitum, quem obtinet, retinere possit. (Reg. 137, n° cccLvii, fol. 108 v°.)

« *Dilecto filio... Guillelmo de Agrifolio, priori prioratus conventualis Sancti Petri de Abbatisvilla, ordinis Cluniacensis, Ambianensis diocesis, capellano et familiari nostro.* Religionis zelus, litterarum —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vii kalendas octobris, anno secundo. »

127 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1343.

Infrascriptos prædictæ concessionis exsecutores deputat. (Reg. 137, n° cccLviii, fol. 109 v°.)

« *Dilectis filiis... Sancti Florencii et... Sancti Johannis Angeliacensis, ac... Sancti Richerii monasteriorium abbatibus, Andegavensis, Xanctonensis et Ambianensis diocesium* — Mandamus quatinus vos —. Datum ut supra. »

128 Villeneuve-les-Avignon, 28 septembre 1343.

Generalis et provincialium ministrorum ordinis Minorum nuper Massiliæ congregatorum supplicationi annuens, Heliam Talairandum cardinalem protectorem gubernatorem et correctorem ordinis Fratrum Minorum deputat, loco Jacobi Cajetani de Stephanesci, tituli sancti Georgii ad Velum aureum cardinalis, nuper defuncti. (Reg. 137, n° cccLxv, fol. 111 r°.)

« *Dilecto filio Talayrando, tituli Santi Petri ad Vincula presbitero cardinali.* Petitionis dilectorum filiorum —. Datum apud Villamovam Avinionensis diocesis, iiii kalendas octobris, anno secundo. »

129 Villeneuve-les-Avignon, 29 septembre 1343.

Infrascripto mandat ut ad Sedem apostolicam sine mora se conferat. (Reg. 137, n° cccLxiiii, fol. 111 r°.)

« *Dilecto filio Sancio de Ayerbe, ordinis Fratrum Minorum.* Super certis ad presens occurrentibus tecum loqui et conferre volentes, discretioni tue per apostolica scripta in virtute obediencie districtius injungendo mandamus quatinus, receptis presentibus, te conferre ad presenciam nostram disponens, infra unius mensis spacium a receptione hujusmodi computandum, nostro conspectui personaliter te presentes. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iii kalendas octobris, anno secundo. »

130 Villeneuve-les-Avignon, 30 septembre 1343.

Philippo, regi Franciæ, per cedulam super quibusdam negotiis scribit. (Reg. 137, n° cccLxvi, fol. 111 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super quibusdam occurrentibus volentes celcitudinem regiam effici certiorem, ecce quod ea indicabit sibi plenius cedula presentibus interclusa. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, ii kalendas octobris, anno secundo. »

131 Villeneuve-les-Avignon, 30 septembre 1343.

Johanni, duci Normanniæ, similiter scribit. (Reg. 137, n° cccLxvii, fol. 111 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie.* Super quibusdam occurrentibus volentes nobilitatem tuam effici certiorem, ecce quod ea indicabit sibi plenius cedula presentibus interclusa. Datum ut supra. »

132 Villeneuve-les-Avignon, 30 septembre 1343.

Litteris reginæ Franciæ breviter respondet. (Reg. 137, n° cccLxviii, fol. 111 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Super hiis que nuper scripsit nobis tua, filia carissima, regalis sublimitas, eidem respondemus breviter, prout cedula continet presentibus interclusa. Datum ut supra. »

433 Villeneuve-les-Avignon, 30 septembre 1343.

Infrascriptis archiepiscopis mandat ut contra Turcos proponant publice verbum crucis et illis ejus signum suscipere volentibus indulgentias consuetas concedant. (Reg. Vat. 157, n° xxxv, fol. 7 r°; — Reg. Vat. 62, De negotiis Tartarorum, fol. 52 r°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Mediolanensi ejusque suffraganeis salutem, etc.* Insurgentibus contra fidem —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas octobris, anno secundo.

In eodem modo *archiepiscopis Lugdunensi —, Arelatensi —, Aquensi —, Ebredunensi —, patriarchis Aquilegensi —, Gradensi —, archiepiscopo Pisano, — Januensi —, Tarantasiensi —, universis episcopis per Campaniam et Maritimam constitutis —, Ravennatensi —, Salzeburgensi —, Coloniensi —, Regensi —, universis episcopis in Tuscie partibus constitutis —, Capuano —, Neapolitano —, Bisuntino —, Bremensi —, universis per Marchiam Anconitanam et Massam Trabariam constitutis —, Ragusino —, Jadrensi —, Viennensi —, universis per ducatum Spoletanum et Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis —, Gneznensi —, Regino —, Tarentino —, Spalatensi —, Rossanensi —, Messanensi —, Lundensi —, Upsalensi —, Nidrosiensi —, Treverensi —, Strigoniensi —, Panormitano —, Cusentino —, Brundusino —, Tranensi —, Barensi —, Sancte Severine —, Colocensi —, Turritano —, Acherontino —, Sypontino —, Surrentino —, Beneventano —, Consano —, Salernitano —, Viennensi —, Idrontino —, Arborensi, Montisregalis —, Bracharensi —, Terraconensi —, Pragensi —, Calaritano —, Amalfitano —, Duracensi —, Antibarensi.*

434 Villeneuve-les-Avignon, 30 septembre 1343.

Infrascriptis mandat ut ipsi in eorum civitatibus et diœcesibus prædicent Crucem contra Turcos. (Reg. 161, De Curia, n° xv, fol. 2 v°; — Reg. 215, fol. 3 v°.)

« *Venerabilibus fratribus Henrico patriarche Constantinopolitano Apostolice Sedis legato et... Nicosiensi, Cretensi, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi, Colocensi, Nicxiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopatensi, et Neopatrie archiepiscopis et eorum suffraganeis salutem, etc.* Insurgentibus contra fidem —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas octobris, anno secundo. »

435 Villeneuve-les-Avignon, 1er octobre 1343

Infrascripto mandat ut vadia galearum patronis debita solvi faciat. (Reg. 137, n° cccxix, fol. 111 v°.)

« *Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano, in partibus transmarinis apostolice Sedis legato.* Intellectis diris oppressionibus et afflictionibus gravissimis, quas gens illa nationis Turchorum fetide, christianorum sanguinem sitiens[1], et ad eorum exterminium et confusionem aspirans, intulit hactenus christicolis in Romania et aliis terris christianorum circumadjacentium regionum degentibus, et inferre horrendis et terribilibus ausibus non desistit, nos tacti dolore cordis intrinsecus, et aculeo magne compassionis erga christicolas ipsos paterno more compuncti, una cum ambassiatoribus et nunciis carissimi in Christo filii nostri Hugonis regis Cipri illustris, ac dilectorum filiorum magistri et fratrum Hospitalis sancti Johannis Jerosolomitani et ducis ac comunis Venetorum, ac quorundam fidelium aliorum apud Sedem apostolicam in nostra presencia constitutis, certum galearum sufficienter munitarum subsidium, per nos et ipsos ad repressionem et expugnationem predictorum Turchorum infidelium, ac defensionem christicolarum, et fidei catholice ordinavimus exhibendum : inter quas quidem galeas nos quatuor bene munitas et armatas, per unum annum in partibus predictis teneri disposuimus nostris et Ecclesie Romane sumptibus et expensis, dilecto filio nobili viro Martino Zacharie, milite Januensi, viro utique in talibus prolato et experto, capitaneo deputato. Cumque prefato capitaneo et patronis quatuor predictarum galearum pro primis ejusdem anni quatuor mensibus, quibus cum eisdem galeis in negocio dicti subsidii sufficienter et fideliter servient, duodecim milia octingentos flor. auri de pecunia nostre Camere assignari mandaverimus et exolvi, ac pro residuis anni predicti octo mensibus, viginti quinque milia sexcentos flor. auri, dilectis filiis Berengario, Baroli, locumtenenti dilecti filii Helionis de Villa-

nova magistri Hospitalis predicti, et Isnardo, Capue, domorum Hospitalis ejusdem prioribus, ac Geraldo de Monteaguto ipsius Hospitalis marescallo pridem de hiis partibus ad dictum magistrum, Rodi commorantem, accedentibus, per ipsos penes memoratum magistrum fideliter et integraliter deponendos, et per ipsum magistrum, vel eosdem priores, et marescallum prelibatis capitaneo et patronis, juxta mandatum tuum, ut sequitur, persolvendos, videlicet juxta et ante finem primorum quatuor mensium inchoandorum, prima die quo arripient de Nicia iter suum, pro quibus, ut premittitur, solutio jam est facta, et cum eis per prenominatos capitaneum et patronos, prestito fideliter servicio ut tenentur, pro aliis quatuor mensibus sequentibus, medietas dicte viginti quinque milium sexcentorum flor. auri summe persolvatur capitaneo et patronis predictis, et per prefatos capitaneum et patronos cum eisdem galeis servicio per dictos quatuor menses, vel circa finem illorum impenso sufficienter et fideliter, sicut de aliis quatuor mensibus tunc precedentibus superius est expressum, alia medietas dicte summe pro aliis ultimis quatuor mensibus persolvatur sepefatis capitaneo et patronis; et nichilominus a prefatis prioribus et marescallo de predicta vigintiquinque milium sexcentorum flor. auri summa, prenominato magistro assignanda et deponenda penes eum, faciendisque de illa solutionibus, ut est dictum, recepte fuerunt obligationes sufficientes, et a dictis capitaneo et patronis de serviendo per totum annum predictum cum dictis galeis sufficienter et fideliter nomine nostro volumus recipi, priusquam iter arripiant cum galeis antedictis. Nos, cupientes premissa omnia, prout sic ordinata sunt, ad Dei laudem et gloriam fidei exaltationem catholice, ac christicolarum predictorum consolationem et defensionem compleri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus solutiones hujusmodi fieri facias, prout superius est expressum, ad hoc dictos magistrum, priores, et marescallum et ipsorum quemlibet, si necesse fuerit, auctoritate nostra nichilominus appellatione postposita compellendo. Non obstantibus exemptionis et quibusvis aliis privilegiis et indulgenciis apostolicis variis quoruncunque tenorum existant, aut si eis etc. Volumus autem quod supradictos magistrum priores et marescallum, ac alios quorum intererit, possis absolvere plenius et quitare de hiis que ad mandatum tuum predictum supradictis capitaneo et patronis de dicta summa pecunie, ut premissum est, assignanda duxerint et etiam persolvenda de hujusmodi solutionibus quitationibus et absolutionibus, nos et Cameram nostram redditurus per tuas litteras vel instrumentum publicum nichilominus certiores. Datum apud Villamnovam Avinionensis, diocesis, kalendis octobris, anno secundo. »

1. Ms : *sciciens.*

136 Villeneuve-les-Avignon, 1er octobre 1343.

Reginæ commendat Guillelmum, archiepiscopum Tranensem, collectorem proventuum ad Cameram spectantium in partibus et terris regni Siciliæ. (Reg. 137, n° cccLxxii, fol. 112.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Cum venerabilis frater —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis octobris, anno secundo. »

Item in eodem modo *carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri* (n° cccLxxiii).

137 Villeneuve-les-Avignon, 1er octobre 1343.

Salvi et securi conductus litteras tradit Guillelmo archiepiscopo Tranensi ad partes Siciliæ destinato. (Reg. 137, n° mcLxviiii, fol. 282 v°.)

« *Venerabilibus fratribus, etc., usque pervenerint.* Cum venerabilem fratrem —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis octobris, anno secundo. »

138 Avignon, 9 octobre 1343.

Infrascriptos rogat ut exhortationibus legati acquiescentes, munitas galeas hominesque armatos transmittere velint ad subsidium contra Turcos adaugendum. (Reg. 137, n° cccLxxiiii, fol. 113 r°.)

« *Dilectis filiis potestati consilio et communi de Peira, Constantinopolitane diocesis.* Non sine compassione —. Datum Avinione, VII idus octobris, anno secundo. »

439 Avignon, 9 octobre 1343.

Edwardum III, regem Angliæ, hortatur ut quosdam nobiles captos tempore treugarum per gentes comitis de Northampton restitui jubeat libertati. (Reg. 137, n° CCCLXXXII, fol. 114 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Pridem expositum extitit coram nobis quod dudum tractantibus et mediantibus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrino, et Anibaldo Tusculano episcopis, apostolice Sedis nunciis, inter te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, receptis super guerris vestris sufferenciis seu initis treugis hinc et inde, illisque pendentibus et durantibus, cum dilectus filius nobilis vir, Radulphus de Monteforti et quidam alii nobiles qui cum ipso in exercitu prefati regis Francie fuerant, in lectis de nocte quiescerent, posse morari[1] secure sub confidencia sufferenciarum et treugarum hujusmodi verisimiliter estimantes[2], quidam vocatus Hugo de Wrocelesse, cum nonnullis aliis armatis de comitiva dilecti filii nobilis viri comitis de Norantone latenter et subito venientes, prefatos Radulphum et nobiles cum eo, ut premittitur, existentes nudos et in(h)ermes violenter ceperunt, ipsosque secum ductos captivos memorato comiti tradiderunt, qui eos variis dampnis personarum et rerum affectos, et quamquam etiam ab eodem Radulpho non modicam summam auree pecunie habuisse ac recepisse dicatur, adhuc detinet miserabiliter captivatos. Cum autem premissa, si eis suffragetur veritas, per regalem excellentiam minime debeant tollerari, nec honori ac decentie conveniant comitis supradicti, magnificentiam rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur quatenus super liberatione captivorum ipsorum ac dampnorum reparatione predictorum per eumdem comitem faciendis, sic pie, favorabiliter et benigne velit interponere regia providentia partes suas, quod honestati et justitie honorique regio, et ipsius decentie comitis satisfiat, nosque devotionem regiam exinde laudis et commendationis preconiis attollamus. Dat. Avinione, VII idus octobris, anno secundo. »

[1] Ms : *morati.*
[2] Ms : *exstimantes.*

440 Avignon, 9 octobre 1343.

Guillelmum comitem de Northampton similiter hortatur. (Reg. 137, n° CCCLXXXIII, fol. 114 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti de Norantone.* Pridem expositum etc. Datum Avinione, VII idus octobris, anno secundo. »

441 Avignon, 9 octobre 1343.

Infrascriptum rogat ut certa statuta in Patrimonio beati Petri in Tuscia publicari jubeat. (Reg. 137, n° CCCLXXXIIII, fol. 114 v°.)

« *Dilecto filio magistro Bernardo de Lacu, canonico Ruthenensi, rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia.* Dudum pro statu —. Datum Avinione, VII idus octobris, anno secundo. »

442 Avignon, 13 octobre 1343.

Infrascripto committit plenæ legationis officium in regno Siciliæ. (Reg 157, n° XXXVIII, fol. 8 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato, salutem.* Licet cunctis christicolis —. Dat. Avinione, III idus octobris, anno secundo. »

443 Avignon, 13 octobre 1343

Reginam hortatur ut dictum legatum benigne recipiat et honorifice pertractet. (Reg. Vat. 157, De Curia, n° XLI, fol. 9 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri salutem etc.* Licet cunctis christicolis —. Dat. Avinione, III idus octobris, anno secundo. »

444 Avignon, 14 octobre 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut Armandum de Narsès, archiepiscopum Aquensem, ad partes Aragonum et Majoricarum missum, benigne recipiant, et ei decem florenos diebus singulis pro expensis assignare curent. (Reg. Vat. 157, De Cur., n° xxxi, fol. 5 v°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis... et Calatravensium domorum ad quos presentes littere pervenerint etc.* Cum nos venerabilem —. Datum Avinione, II idus octobris, anno secundo. »

445 Avignon, 14 octobre 1343.

Infrascripto mandat ut ad prædictos reges Aragonum et Majoricarum accedat et tractet inter eos pacis reformationem. (Reg. 157, De cur. n° xxxii, fol. 6 r°.)

« *Venerabili fratri Armando archiepiscopo Aquensi Apostolice Sedis nuncio.* Pacifici regis qui pro —. Datum Avinione, II idus octobris anno secundo. »

446 Avignon, 15 octobre 1343.

Confirmat collationem olim factam Petro Chabrudelli de infrascripto prioratu per Iterium, abbatem monasterii Cluniacensis, Matisconensis diœcesis, tempore quo dictus prioratus per obitum Radulphi de Guichia prioris vacabat. (Reg, 137, n° cccLxxxvi, fol. 115 r°.)

« *Dilecto filio Petro Chabrudelli, priori prioratus conventualis Sancti Marcelli, Cabilonensis diocesis, Cluniacensis ordinis.* Religionis puritas, vite —. Datum Avinione, idibus octobris, anno secundo. »

447 Avignon, 15 octobre 1343.

Infrascriptis mandat ut quasdam moniales prioratus Martiniaci, Cluniacensis ordinis, Eduensis diœcesis, inobedientes, ad obedientiam abbati Cluniacensi debitam reducant. (Reg. 137, n° cccLxxxviiii, fol. 115 v°).

« *Dilectis filiis... Thiernensi et... Sancti Rigaudi monasterorium abbatibus ac... priori de Amberta Claromotensis, Matisconensis, et Lugdunensis diocesium.* Et si Sedes apostolica — Sane nuper per insinuationem dilectorum filiorum... abbatis et conventus monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, percepimus, quod cum olim in prioratu Martiniaci Cluniacensis ordinis, Eduensis diocesis, prefato monasterio immediate subjecto, certi monachi, et nonagintanovem moniales ejusdem ordinis ibidem incluse, pariete inter ipsos monachos et moniales intermedio commorantes consuevissent horas canonicas simul, alio tamen pariete medio, psallere, aliaque divina officia celebrare, dudum diffinitores capituli dicti Cluniacensis ordinis provide, attendentes honestati et juris equitati minime convenire, quod sic simul duo conventus monachorum et monacharum videlicet horas simul canerent supradictas, ad consulendum honestati super hoc, et vitanda periculosa scandala, que inde formidari probabiliter poterant proventura, tandem matura deliberatione previa diffiniverunt, prout ex potestate sibi a Sede apostolica concessa super hiis poterant, et etiam ordinarunt, quod monachi tunc comorantes in eodem prioratu, et qui morarentur imposterum, nequaquam extunc simul cum prefatis monialibus horas predictas psallerent, sed per se ipsos, in una capella dicti prioratus per abbatem predicti monasterii ad hoc specialiter deputanda et adeo a choro monialium predictarum remota, quod propter vocum dissonantiam divinum nequiret officium pertubari, horas predictas diurnas pariter et nocturnas recitarent, et psallerent cum devotione debita reverenter, prefateque moniales in choro suo, medietate ipsarum a dextra, et alia medietate a sinistra parte ipsius chori persistentes, tractim et devote canerent etiam horas hujusmodi per se ipsas, quodque abbas predictus diffinitionem et ordinationem hujusmodi, prout ex consimili potestate Sedis ejusdem poterat per se vel alium seu alios ad executionis effectum deduceret et faceret per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Et licet abbas predictus ad executionem diffinitionis et ordinationis predictarum, sicut tenebatur, procedens, eisdem monachis capellarum in eodem prioratu ad psallendum horas canonicas et celebrandum divinum officium juxta diffinitionem et ordinationem hujusmodi deputarit, et sic aliquandiu extiterit observatum, tamen postmodum quinquaginta ex eisdem monialibus, vel circa, maligno [ins]tigante spiritu,

contra easdem diffinitionem et ordinationem, temere, ac in suarum animarum periculum, et dicti ordinis scandalum veniendo, eas observare penitus absque alia causa rationabili, sed solum pro voluntatis libito recusarunt; propter quod dilecti filii Aymo Salviniaci prioratus dicti ordinis, Claromontensis diocesis, et Petrus Maior dicti monasterii priores, auctoritate dicti abbatis eis in hac parte commissa, easdem moniales rebelles nominatim expressas canonice monuerunt, ut infra certum competentem terminum, et extunc imposterum, diffinitionem et ordinationem hujusmodi observarent, excommunicationis in eas, si hoc facere renuerent, canonice per eos nichilominus promulgata; et deinde quia predicte moniales nominatim expresse parere monitioni hujusmodi contumaciter recusarunt, nullam causam rationabilem super hoc allegantes, prelibati priores eas incurrisse sententiam excommunicationis hujusmodi declararunt. Subsequenter autem, ut processus hujusmodi per prefatos priores, ut prefertur, habitus suum plenius sortiretur effectum, supradicti abbas et conventus litteras apostolicas sub certa forma directas dilecto filio... abbati monasterii Trenorchiensis, Cabilonensis diocesis, impetrarunt, qui quidem abbas Trenorchiensis super contentis in eisdem litteris earum forma servata procedens, declaravit, justicia exigente, dictum processum fore justum, dictasque moniales in predictis litteris nominatas eidem excommunicationis sententie subjacere, ipsasque mandavit et fecit excommunicatas in illis partibus publice nunciari, contra ipsas eandem sententiam, prout earum exigebant contemptus et contumacie, nichilominus agravando. Verum moniales ipse deducentes sententiam et agravationes hujusmodi dampnabiliter in contemptum, eas per duos annos et amplius sustinuerunt presumptione temeraria et dampnanda et adhuc viginti ex eis, ceteris ad obedientiam saniori ductis consilio, redeuntibus, sustinent animis induratis; et quod est dampnabilius, a peccatorum suorum confessione, ac sacramentorum ecclesiasticorum perceptione cessaverunt, quinque annis continue jam elapsis, vel circa, et adhuc cessare non sine gravi suspicione dicuntur. Ac velut date in sensum reprobum, accumulantes continue mala malis, divina officia, cum per obedientes moniales celebrantur ibidem ipsasque obedienter in faciendis peccatorum confessionibus et sacramentorum predictorum receptionibus impedire nefandis et temerariis ausibus moliuntur, alia execranda scandalosa et detestanda quam plurima, sicut habet eadem insinuatio, prodolor! committendo. Nostre igitur provisionis remedio pro parte dictorum abbatis et conventus predicti monasterii Cluniacensis humiliter implorato, nos, attendentes quod talia sic presumptuosa perniciosa et dampnanda, nec tolleranda sunt, nec sine correctione debita, que aliis talia vel similia presumentibus in exemplum transeat relinquenda, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios hujusmodi diffinitionem et ordinationem velut rationi, juri et honestati consonas, facientes tenaciter et inviolabiliter observari, si de hujusmodi excessibus per predictas moniales rebelles, ut superius narratur, commissis, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii constiterit, eas ex parte nostra moneatis et efficaciter inducatis ut infra certum terminum competentem, per vos eis super hoc prefigendum, ab hujusmodi rebellionibus, inobedienciis, et excessibus desistant penitus, et ad ecclesie redeant unitatem, ac infra eundem terminum et extunc etiam dictis ordinationibus et diffinitionibus pareant cum effectu, humiliter et pacifice juxta regulam et statuta dicti ordinis salubria, conversando nichilominus cum aliis et virtutum domino famulando, eisdem apertius predicentes quod si forsan, quod absit, in suis dampnandis rebellionibus et inobedienciis hujusmodi perduraverint et predictis monitionibus et inductionibus salubribus non obtemperaverint reverenter, efficaciter et humiliter, ut tenentur, nos ad transferendum eas de loco illo ad alium, vel ad graviorem penam infligendam, sicut earum excessus exegerit et nobis expediens videbitur, faciemus procedi, quia vitari summopere convenit ne per earum excessus execrabiles inficiantur alie vel turbentur. De hiis autem que per vos et easdem moniales facta fuerint super hiis, nos per instrumenta publica que inde fieri volumus, curetis quantocius efficere certiores. Et ne moniales prioratus predicti, que tamen obedientes fuerint, parendo cum effectu ordinationibus et diffinitionibus supradictis, ob

necessariorum defectum materiam habeant conquerendi vel etiam murmurandi, dilecto filio... priori ejusdem monasterii districtius injungatis ut eis decenter et congrue necessaria, sicut fieri debet et consuevit hactenus, faciat ministrari. Contradictores et etc. Datum Avinione, idibus octobris, anno secundo. »

148 Avignon, 16 octobre 1343.

Regem Franciæ hortatur ut treugas initas apud « Malestroit » in Vasconia et in Britannia observari jubeat. (Reg. 137, n° cccLxxxxi, fol. 117 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super quibusdam attemptatis, ut asseritur, in partibus Britannie contra tenorem treugarum inter te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Edwardum, regem Anglie illustrem, invicem initarum, in quibus quidem treugis sequens clausula continetur : « Item quod si aliqui in Vasconia vel alibi durantibus treugis moveant guerram interim vicino vel inimico suo alterius partis existenti, quod dicti reges se interponere non habeant per se vel alium directe vel indirecte, et quod propter hoc treuge predicte non frangantur, et laborabunt bene absque fraude et diligenter reges predicti, quod subditi unius partis non faciant guerram durantibus treugis predictis subditis alterius partis in Vasconia vel Britannia », certi fuerunt exhibiti articuli coram nobis quos, ut inde regalis prudentia pleniorem habeat notitiam, mittimus presentibus interclusos. Cum autem regi prefato Anglie super observatione treugarum ipsarum et revocandis attemptatis in contrarium, si qua sint, et quibusdam aliis tractatum pacis tangentibus, inserta in litteris, quas inde sibi mittimus, predicta treugarum iparum clausula, seriose scribamus, tuam regiam rogamus excellentiam et in Domino attentius exhortamur, quatinus, contentis in eisdem articulis diligentius intellectis, ea que contra formam predictarum treugarum attemptatá super illis vel aliis fuerint quomodolibet, faciens regia sublimatas revocari, mandet et jubeat eas cum effectu et inviolabiliter observari, sicut etiam tui nuntii qui ea que circa negotium tractatus pacis inter te regemque predictum reformande, facta sunt, referre magnitudini regie poterunt plenius et seriosus promiserunt, per quos super observatione pleniori treugarum ipsarum nobiscum extitit prolocutum, quamquam id concedere noluerint absque tua expressa voluntate regia et consensu, quod nos auctoritate nostra de tuo et regis prefati beneplacito et consensu observari faciamus easdem. Dat. Avinione xvii kalendas novembris, anno secundo. »

149 Avignon, 16 octobre 1343.

Regem Angliæ hortatur ut prorogationi treugarum consentiat, dictasque treugas cum Philippo rege initas observari jubeat. (Reg. 137, n° cccLxxxxiii, fol. 117 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Regalem volumus excellenciam non latere quod in termino quindene festi proximo preteriti Nativitatis Beate Marie Virginis, prorogato super tractatu pacis inter te, fili carissime, ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, quos dispendiosa etpericulosa dissidia invicem disjungere caritatis emulus studuit, divina suffragante gratia reformande, tam tui, quam ejusdem regis nuncii se coram nobis presentare curarunt, et subsequenter mandatis suis exhibitis hinc et inde, prefati tui nuncii quosdam articulos, super quibus petierunt procedi ante omnia, tradiderunt. Tandem vero visis per partem alteram ipsis articulis, et circa tractatum predictum nonnullis per utrosque nuncios propositis et petitis, quia prelibati tui nuncii absque tua consciencia vel consilio aliorum majorum nunciorum tuorum certis ex causis ulterius procedere ommiserunt, et terminus instantis Nativitatis dominice, usque ad quem noster super hiis juxta formam treugarum debebat durare tractatus, sic instet quod minime presumitur posse interim tractatus hujusmodi terminari, cum utrisque predictis nunciis deliberavimus instare apud te dictumque regem super prorogatione ipsius termini ulterius facienda, et medio tempore aliquos ex eis de tuo et dicti regis sanguine descendentes, quousque certificati fuerimus super hoc, retinere in curia, ne forsan vulgaris habeat opinio tractatum fore ruptum, et propterea occasionem aliqui,

qui, pacem odientes, libenter nutrirent discordiam, assumere valeant malignandi. Quocirca regiam rogamus magnificentiam et exhortamur attentius in Domino Jesu Christo, quatenus quot et quanta mala Deo displicibilia et exosa totique christianitati et fidei catholice nociva non modicum produxerint guerre preterite ac producere, nisi pacis Deo grata concordia eo donante supervenerit, imposterum verisimiliter extimentur, intra pectoris claustra regii pia consideratione revolvens, et ad ipsam concordiam affectibus sinceris intendens, ab eodem instanti festo Nativitatis Domini usque ad unum annum velis hujusmodi tractandi terminum prorogare, ac etiam ordinare quod alii solennes nuncii, qui potestate sufficienti suffulti tractatum hujusmodi rationabilem subire ac usque ad felicem exitum prosequi velint et valeant, infra certum terminum ad nostram presentiam transmittantur, super quibus omnibus nos celeriter infra instantia festa beatorum Nicolai vel Thome apostoli ad longius, ut ea possimus significare parti alteri, curet serenitas regia per suas litteras efficere certiores. Sciturus pro certo, fili dilectissime, quod sincere secundum Deum et justiciam et absque sintilla parcialitatis cujuslibet super tractatu pacis ejusdem, quam ferventibus affectamus desideriis, intendimus procedere, sicut etiam tui predicti nuncii evidenter percipere super hiis que acta sunt hiis diebus preteritis potuerunt et nichilominus dilectus filius magister Andreas de Offorde, juris civilis professor, clericus et nuncius tuus, quem pro premissis seriosius et fidelius explicandis ad tue sublimitatis presentiam ire personaliter et ad nos cum responsione redire celeriter voluimus, referre poterit viva voce. Porro, quia treugarum observatio multa potest afferre proculdubio commoda felici prosecutioni et perfectioni tractatus predicti et earum violatio, si, quod absit, contingeret, incommoda varia ministrare, precibus et exhortationibus nostris adicimus ut tua magnitudo regia eas, juxta formam ipsarum, in quibus inter cetera infrascripta clausula est inserta, mandet et faciat inviolabiliter observari et revocari que forsan in partibus Britannie vel alibi fuerint in contrarium attemptata, cum prefato regi Francie super eisdem faciendis et complendis, mittendo sibi articulos nobis per nuncios tuos predictos oblatos cum tenore clausule prelibate scribamus, sicut alias ei super observatione treugarum ipsarum et revocandis attemptatis, si que forent in contrarium, plenis affectibus scripserimus, indubie supponentes quod hec effectualiter complebuntur, et hoc etiam nobis ejusdem regis nuncii promiserunt, et ulterius ibidem inter nos et ipsos extitit prolocutum quod, ut treuge ipse melius et inviolabilius absque violatione qualibet observentur, de voluntate regis ejusdem procedet, et hoc credunt obtinere cum ipso, si ad hoc tua, fili carissime, concurrerit, quod nos eas auctoritate nostra de utrisque vestrum consensu et voluntate observari tenaciter faciamus que tuis prefatis nunciis duximus explicanda. Clausule vero predicte series dinoscitur esse talis : « Item si aliqui in Vasconia, vel alibi durantibus dictis treugis moveant guerram interim vicino vel inimico suo alterius partis existenti quod dicti reges se interponere non habeant per se vel alium directe vel indirecte et quod propter hoc treuge predicte non frangantur et laborabunt bene absque fraude et diligenter regis predicti, quod subditi unius partis non faciant guerram durantibus treugis predictis subditis alterius partis in Vasconia vel Britannia. » Ceterum, fili amantissime, quedam super aliquibus aliis et presertim novitatibus, quas audimus fieri et multiplicari prodolor! contra provisos per Sedem apostolicam in partibus regni tui prefato clerico et nuncio tuo secrete imposuimus tue celsitudini verbotenus explicanda, eandem celsitudinem per Dei misericordiam obsecrantes, ut super reverentia et devotione sacrosancte Romane Ecclesie matris tue progenitorum tuorum clare memorie regum Anglie, qui velut principes catholici et devoti eam honorare laudandis et meritoriis operibus studuerunt, vestigiis inherendo, rejectis et spretis malorum hominum, qui sua super hoc in tue salutis honoris et fame dispendium propria venari commoda satagunt, sinistris et fraudulentis suggestionibus et consiliis venenosis, eaque minus decenter contra honorem Sedis apostolice attemptata quoquomodo fuerint in hac parte, pie, favorabiliter, et benigne revocare procures, prefato clerico et nuncio tuo fidem credulam super hiis et aliis per nos eidem impositis, ut premittitur, nichilominus adhibendo. Dat. Avinione, XVII kalendas novembris anno secundo. »

450 Avignon, 16 octobre 1343.

Henricum, Derbeyæ comitem, rogat ut pro dicta pace inenda sedule laboret, et ad Sedem apostolicam se conferat pro ea stabilienda. (Reg. **137**, n° cccLxxxxiiii, fol. **118** v°).

« *Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye.* Advenisset nobis in magne consolationis et exultationis augmentum, si, ut desideriis prestolabamur intensis, tua venisset ad Sedem apostolicam nobilitas, et interfuisset in hiis que cepta sunt super tractatu reformande Deo placibilis et toti christianitati perutilis mutue concordie inter carissimos in Christo filios nostros... Francie et... Anglie reges illustres, quos nexu conjunctos sanguinis dividere per rancores et odia periculose nimium studuit hostis pacis, quia credimus indubie quod si tu, fili, qui apud Deum et ecclesiam sanctam suam sincera devotione prefulges, ac maturitate probitatis, fidelitatis et prudentie aliisque donis virtutum multiplicibus nosceris insignitus, interfuisses nobiscum, uberiores fructus proculdubio provenissent. Sane, cum laborare circa tractatum concordie hujusmodi sit utile rei publice, sicut tua novit prudentia, in immensum, et multipliciter meritorium apud Deum, nobilitatem rogamus eandem et per Dei misericordiam obsecramus quatenus te meriti hujusmodi participem constituens et consortem, prefatum regem Anglie, ut ad tractatum condescendat rationabilem, et propterea tractatores qui velint et valeant illum subire ac prosequi usque ad consumationem felicem, quorum unus de principalioribus tu, pro bono publico et obtentu tue salutis, existas, ad nostram presentiam, sicut eidem scribimus, destinare procuret. Illam nempe fiduciam habemus in Domino quod si tam illuc cum eodem rege quam istuc nobiscum super eadem reformatione interposueris efficaciter partes tuas, ad Dei laudem et gloriam augmentum et exaltationem catholice fidei, et utriusque regum ipsorumque subditorum et amicorum commodum, felicem exitum negotium reformationis hujusmodi sortietur. Ceterum, super hiis et quibusdam aliis que minus decenter et provide audimus in illis partibus in detrimentum auctoritatis et honoris ejusdem Sedis apostolice, pro dolor ! attempta(ta)ri, dilecto filio magistro Andree de Offorde, prefati regis clerico et nuncio, cui fidem super hiis adhibere poteris credulam, imposuimus tibi verbotenus explicanda, super quibus quidem revocandis novitatibus interponere studeas, quesumus, partes tuas, nobis per eundem ad nos reversurum, ut speramus in proximo, super hiis et aliis que tibi occurrerint rescripturus. Datum Avinione, xvii kalendas novembris, anno secundo. »

451 Avignon, 17 octobre 1343.

Cancellarium regis Franciæ rogat ut litteras salvi et securi conductus concedat Andreæ de Offord et Ricardo Chamberlain, nunciis regis Angliæ ad partes Angliæ redeuntibus. (Reg. **137**, n° cccLxxxxii, fol. **117** r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario Francie.* Cum dilecti filii magister Andreas de Offorde, juris civilis professor, nuncius et Ricardus de Chamberbeyn (*sic*) miles, carissimi in Christo filii nostri Edvardi regis Anglie illustris de Romana Curia, ubi pro certis negociis sue prudencie, ut credimus, non innotis, fuerunt hiis diebus preteritis, recedentes ad partes regni Anglie se conferant, exinde ad eandem Curiam breviter redituri, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus eis et eorum cuilibet, de litteris oportunis regiis pro securo conductu eorum et familiarium suorum, tam eundo, quam redeundo, cum per regnum Francie transitum fecerint, sic prompte, plene ac libere facias provideri, quod ipsi et maxime dictus magister Andreas, qui forte frequentius ire habebit et redire, prosequendo negocium pro quo venerunt ad dictam Curiam, id libere ac secure facere valeant, quocunque itineris impedimento sublato. Dat. Avinione, xvi kalendas novembris anno secundo. »

452 Avignon, 17 octobre 1343.

Cum magister Andreas de Offorde, clericus, juris civilis professor, nuntius, et nobilis vir Ricardus de Chamberlein, miles, carissimi Edwardi regis Angliæ, exhibitores præsentium pro certis negociis a papa sibi commissis ad partes Angliæ se conferant, inde ad Sedem apostolicam in proximo reversuri, omnibus ecclesiasticis personis mandatur ut de salvo et securo conductu eis providere curent. (Reg. **137**, n° mclxx, fol. **283** r°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis etc. ut supra usque pervenerint.* Cum dilecti filii —. Dat. Avinione, XVI kalendas novembris anno, secundo. »

153 Avignon, 17 octobre 1343.

Rectori comitatus Venaissini mandat ut manum amoveat de jurisdictione castrorum quorumdam comitatus Venaissini. (Reg. 137, n° CCCLXXXXV, fol. 118 v°.)

« *Dilecto filio Guillelmo Alisardi, juris civilis professori, curiam generalem comitatus Venaissini regenti.* Dudum displicibiliter intellecto quod ratione jurisdictionis castrorum de Corumbo, et de Bedoyno infra comitatum Venaissini, cujus geris regimen, consistentium, inter dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Baucio ex parte una, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Rascaciam de Baucio ejus matrem ex altera, erat, hoste procurante antiquo, periculosa dissensio suscitata, nos obviari periculis hujusmodi, et lesam inter predictos matrem et filium caritatem reformari et reintegrari paterne solicitudinis studio cupientes, tibi per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis, ut dictorum castrorum jurisdictionem, cujus occasione mota fuerat hujusmodi dissensio, absque prejudicio juris utriusque partis, tam super possessione quam poprietate sub manu nostra, et ecclesie Romane poneres et teneres, quousque aliud foret debite super hoc ordinatum, mandaresque partibus antedictis ut infra certum terminum in eisdem litteris comprehensum per se vel per procuratores suos sufficienter instructos et idonea potestate suffultos se coram nobis presentare curarent, subituri tractatum super hiis amicabilem et pacificum vel per viam justicie summariam ut iminentia tollerentur hinc inde pericula processuri, et ne interim ad offensiones aliquas dicte partes contra se prosilirent ad invicem, eis districtius sub penis, de quibus tibi videretur expediens, inhiberes. Sane, cum postmodum ad mutuam concordiam, divina superhabundante gratia, sicut gratis et fidedignis relatibus percepimus, devenerint partes ipse, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de jurisdictione castrorum predictorum manum nostram per te ibidem occasione premissorum appositam studeas amovere. Dat. Avinione, XVI kalendas novembris, anno secundo. »

154 Avignon, 17 octobre 1343.

Reginæ nuntiat se misisse ad regimen regni sui, legatum, Aymericum de Castrolucii tituli Sancti in Montibus presbiterum cardinalem. (Reg. 137, n° CCCLXXXVII, fol. 115.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Serenitatem regiam volumus non —. Datum Avinione, XVI kalendas novembris, anno secundo. »

Item in eodem modo *carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri.* — **Dat. ut supra** (n° CCCLXXXVIII.)

155 Avignon, 17 octobre 1343.

Ademarium de Agrifolio a Guillelmo Rogerii, fratre papæ Parisius missum, regi Franciæ commendat. (Reg. 137, n° CCCXCVI, fol. 119 r°.)

« *Carissimo in Christo Philippo regi Francie illustri.* Cum dilectus filius nobilis vir Guillelmus Rogerii, miles, germanus noster, pro certis suis apud regiam excellenciam expediendis negociis, dilectum filium nobilem virum Ademarium de Agrifolio, magistrum ostiarium et familiarem nostrum ad regie celsitudinis presenciam providerit destinandum, nos germanum et negocia hujusmodi regali benivolencie plenis affectibus commendantes, eam attentius deprecamur quatinus prefatum familiarem nostrum ad nos velit celeriter remittere super eisdem negociis favorabiliter, prout honeste fieri poterit, expeditum. Datum Avinione, XVI kalendas novembris, anno secundo. »

156 Avignon, 17 octobre 1343.

Reginam Franciæ simili modo deprecatur. (Reg. 137, n° CCCLXXXXVII, fol. 119 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Cum dilectus filius... apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illus-

trem virum tuum, etc. Serenitatem tuam regiam affectuose rogamus quatinus super hiis favorabiliter et benigne velit interponere, sicut honeste fieri poterit, partes suas. Dat. Avinione, XVI kalendas novembri, anno secundo. »

157 Avignon, 17 octobre 1343.

Similibus precibus omnes infrascriptos obsecrat. (Reg. 137, n° CCCXCVIII-CCCCI, fol. 119 r° et v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie.* Cum dilectus etc... ut in proxima, mutato ubi dicitur serenitatem, dicatur nobilitatem. Datum Avinione, XVI kalendas novembris, anno secundo. »

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Bone ducisse Normannie.* Cum dilectus filius et cætera ut supra, omisso genitorem tuum. Datum ut supra. »

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Miloni domino de Noeriis*, verbis competenter mutatis. Dat. ut supra.

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario Francie*, verbis competenter mutatis. Datum Avinione, XVI kalendas novembris, anno secundo.

158 Avignon, 18 octobre 1343.

Infrascriptis mandat ut quasdam pecuniarum summas (4.397 ducatos auri de Veneciis ac 603 florenos auri de Florentia) quas Petrus Gervasii canonicus Aniciensis, nuncius apostolicus in regno Hungariæ, penes eos deposuerat, Jacobo Malabayla seu factoribus ejus assignent. (Reg. 137, n° CCCCIX, fol. 120 r°.)

« *Dilectis filiis Nicolao priori et conventui ecclesie Sanctorum Johannis et Pauli, ordinis fratrum Predicatorum de Veneciis, Castellane diocesis.* Cum dudum dilectus —. Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno secundo. »

159 Avignon, 18 octobre 1343.

Jacobo Malabayla mandat ut dictas pecuniarum summas recipiat et dictos procuratores absolvat, nomine Cameræ apostolicæ. (Reg. 137, n° CCCCX, fol. 120 r°.)

« *Dilecto filio Jacobo Malabayla, civi et mercatori Astensi.* Cum dudum dilectus —. Dat. Avinione, XV kalendas novembris, anno secundo. »

160 Avignon, 18 octobre 1343.

Nicolai Rogerii archiepiscopi Rothomagensis supplicationibus annuens, ei concedit ut ecclesias et monasteria eorumque personas dictæ civitatis et provinciæ, in quibus ei visitationis officium competit de jure, per personas deputandas usque ad biennium visitare, ac procurationes debitas ab eisdem ecclesiis et monasteriis visitatis recipere possit. (Reg. 137, n° MCIII, fol. 271 r°.)

« *Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Rothomagensi.* Probata tue devotionis —. Dat. Avinione, XV kalendas novembris, anno secundo. »

161 Avignon, 18 octobre 1343.

Infrascriptis indulget ut invicem matrimonium contrahere possint, nonobstante quod in quarto consanguinitatis gradu sese attineant. (Reg. 137, n° CCCCLXXXI, fol. 139 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Bartholomeo de Pinibus et dilecte in Christo filie nobili mulieri Mathe, nate dilecti filii nobilis viri Bernardiosii de Lebreto, Condomiensis et Aquensis diocesium.* Graciosa Sedis apostolice —. Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno secundo. »

162 Avignon, 18 octobre 1343.

Infrascriptos dictæ concessionis exsecutores deputat. (Reg. 137, n° MCIIII, fol 271 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Forojuliensi et dilectis filiis.. abbati monasterii Sancti Audoeni Rothomagensis ac...archidiacono Wlgassini Francie in ecclesia Rothomagensi.* Mandamus quatinus —. Dat. Avinione, XV kalendas novembris, anno secundo. »

463 Avignon, 19 octobre 1343.

Stephano Chautardi, canonico Bituricensi, et duobus aliis exsecutoribus infrascriptis mandat ut bona Fulcaudi, archiepiscopi Bituricensis, recipiant ac conservent, debitaque et legata dicti Fulcaudi de Rochechouart collectori deputato persolvant, quæ Isabelles, uxor Johannis de Calvigniaco, domini de Leproso, virtute testamenti dicti archiepiscopi occupaverat seu receperat, quæque idem Johannes et Johannes vicecomes de Ruppecavardi personaliter in Curia Romana constituti, mandato papali obedientes, infra festum Omnium Sanctorum integre restituere et reponere per juramentum promiserant, quamvis terminus usque ad octabas festi beati Andreæ apostoli prorogatus fuisset. (Reg. 137, n° ccccxi, fol. 120 r°.)

« *Dilectis filiis Oliverio de Sanctogeorgio, decano sancti Austrigisilii, Bituricensis et Johanni Boniti archidiacono Borbonesii, ac Stephano Chautardi canonico Bituricensis ecclesiarum.* Super eo quod dilectus filius nobilis vir Johannes de Calvigniaco, dominus de Leproso, Bituricensis diocesis, asserens dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Isabellem uxorem suam per bone memorie Folcaudum archiepiscopum Bituricensem heredem esse testamentariam institutam, ad bona que idem archiepiscopus habebat, manus extendens, nonnulla de bonis eisdem tempore quo ipse archiepiscopus infirmitate detinebatur, qua decessit, et etiam post mortem ejusdem occupavit, et secum duxit seu asportavit per se ac alios suos complices in hac parte; nosque, hiis ad audientiam nostram relatibus fidedignis perductis, procedi mandavimus per certos executores, ad hoc per litteras nostras deputatos, usque ad plenam restitutionem bonorum hujusmodi contra eos, pridem dictus nobilis ad presentiam nostram veniens, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse paratus esset bona predicta juxta mandatum nostrum restituere, benigne agere cum ipso super hiis ac de mansuetudine Sedis apostolice ordinare, quod debita et legata ipsius archiepiscopi, secundum dispositionem quam fecisse dicitur de bonis, persolvantur hujusmodi, dignaremur. Et ut idem nobilis, quod de restitutione dictorum bonorum obtulit, deducat realiter in effectum, tam ipse quam dilectus filius nobilis vir Johannes, vicecomes de Ruppecavardi, personaliter in nostra presentia constituti, ambo et quilibet eorum in solidum sponte ac libere sub obligatione solenni promiserunt et ad sancta Dei evangelia juraverunt, quod ipsi omnia et singula que de bonis predictis, sive sint in pecunia, vasis aureis et argenteis, jocalibus, animalibus, vel quibuscumque rebus aliis per eundem Johannem dominum de Leproso aut quosvis alios nomine vel mandato ipsius vel uxoris sue predicte occupata, capta, seu recepta, vel asportata fuerint, si extant : alioquin precium illorum que non extarent in vestris vel duorum vestrorum, quorum tu, fili Stephane, sis unus, infra instans proximo festum Omnium Sanctorum, realiter et cum integritate restituent et reponent. Nos igitur, volentes de benignitate Sedis apostolice quod debita clara, et legalia, et pia legata ipsius archiepiscopi de bonis eisdem, quantum sufficere poterunt, persolvantur, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, vos vel duo vestrum, quorum tu, Stephane predicte, ut prefertur, sis unus, predictis bonis, receptis prius de illis eis que nobis et Ecclesie Romane ratione visitationum biennalium per prefatum archiepiscopum debebantur, collectori per nostras litteras deputato super hoc et subsequenter alia debita et pia legata hujusmodi, prout mentionis fuerit, persolvatis, residuum bonorum ipsorum, si quod fuerit dispensandum per vos, sicut expedire videbimus, integraliter et fideliter conservantes. Rursus, quia nos, post obligationem super restitutione ac repositione dictorum bonorum factam per nobiles antedictos, dictum Johannem dominum de Leproso multis diebus in Curia Romana certis ex causis duximus retinendum, ita quod per eum non posset commode infra dictum terminum festi Omnium Sanctorum fieri restitutio supradicta, nos sibi et eidem vice comiti dictum terminum sub eisdem obligationibus usque ad octabas instantis festi beati Andree apostoli prorogamus, volentes ut interim contra ipsum nobilem dominum de Leproso et uxorem suam predictam aut eorum in premissis complices, predictorum occasione nullatenus procedatur. Et siqui processus vigore litterarum nostrarum predictarum post obligationem predictam contra eos forsan facti fuerint, illos revocetis, seu revocari per executores deputatos a nobis super predictis, ut premissum est, faciatis. Datum Avinione, xiii kalendas novembris, anno secundo. »

461 Avignon, 20 octobre 1343.

Thesaurarios suos de quadam summa XL^M VIII^C flor. auri persoluta absolvit. (Reg. **137**, n° CCCCXII, fol. **121** r°; Reg. 62, De negotiis Tartarorum, fol. 43, v°.)

« *Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi episcopis thesaurariis nostris.* Cum vos de mandato nostro verbotenus vobis facto tradideritis et assignaveritis de peccunia Camere nostre summas ut sequitur infrascriptas : videlicet pro quatuor galeis munitis et armatis quas in subsidium et defensionem fidelium Romanie ac aliarum transmarinarum partium contra Turchorum et aliorum Infidelium sevitiam tenendas per certum tempus ordinavimus nostris sumptibus et expensis, vigintiquinque milia sexcentos floren. auri dilecto filio Heliono de Villanova magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani pro certis solutionibus... capitaneo et patronis dictarum galearum faciendis transmissos. Item venerabili fratri nostro Henrico patriarche Constantinopolitano in partibus illis apostolice Sedis legato, duo milia florenorum auri pro facto galearum ipsarum. Item dilecto filio magistro Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensi, clerico camere predicte pro facienda certa solutione dictis patronis, decem milia octingentos floren. auri. Item dilecto filio nobili viro Martino Zacharie de Janua, patrono galearum ipsarum, mille octingentos florenos auri. Item dilecto filio Corrado de Labrunha nuncio... despoti Grecie ex dono, centum florenos auri. Item dilecto filio nobili viro Johanni de Sancto Germano, nuncio magnifici principis... Moderatoris Grecorum, ex dono ducentos florenos auri. Item dilecto filio Bartholomeo de Urbe, canonico Nigropontensi, vicario patriarche predicti trecentos florenos auri. Nos volentes vestris indempnitatibus super hiis paterna diligentia providere, de hujusmodi summis per vos sicut superius exprimitur de dicto mandato traditis et assignatis, que in unam reducte summam quadraginta milium octingentorum floren. auri faciunt, vos et omnia bona vestra perpetuo absolvimus et quitamus. Datum Avinione, XIII kalendas novembris, anno secundo. »

465 Avignon, 21 octobre 1343.

Infrascripto mandat ut pacem componat inter Galterum, ducem Athenarum, et illos qui de Magna Societate Romaniæ se vocant, quo melius Christiani Turcos debellare possint. (Reg. **137**, n° CCCCXIII, fol. **121** r°; — Reg. Vat. 62, fol. 43 v°.)

« *Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano, in partibus transmarinis apostolice Sedis legato.* Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII predecessor noster diligenter attendens quod, licet inter fideles ubique optanda sit pacis unitas et fovenda, in illis tamen terris et partibus, quibus hostes adversarii catholice fidei propinqui et vicini ad confusionem et exterminium fidelium aspirare ipsosque molestare oppressionibus et afflictionibus duris non cessant, tanto inter fideles ipsos est amplius procurandum et nutriendum vinculum caritatis et pacis, quanto virtus unita, fortior in eisdem fidelibus, ad propulsandam predictorum infidelium sevitiam furientem fortior esse noscitur, quodque dissensiones et guerre que in partibus Romanie propinquis et vicinis Turchis infidelibus et persecutoribus fidei orthodoxe olim inter dilectum filium nobilem virum Galterum, ducem Athenarum, et predecessores suos, ex parte una, et illos qui de Societate Magna Romanie se vocant ex altera, ratione occupationis nonnullorum castrorum, fortaliciorum, villarum, terrarum, locorum patrimonii et demaniorum ducatus Athenarum ad ipsum ducem, ut asseritur, spectantium, facte seu attemptate, ut fertur, per illos de Societate predicta ingruebant et ingruerant temporibus retroactis, magnam turbationem attulerunt incolis fidelibus partium earumdem, ipsique fideles propter hoc ad resistendum dictis Turchis eos frequenter invadentibus et inferentibus multa dampna efficiebantur et effecti temporibus preteritis fuerant velut divisi et suis ex[h]austi facultatibus propter guerras et dissensiones predictas minus potentes et fortes, prefatique Turchi hoc videntes et sentientes audacius et presumptuosius irruebant et irruerant in fideles predictos; et propterea cupientes guerras et dissensiones hujusmodi sic eisdem dispendiosas fidelibus tolli et inter partes predictas pacis concordiam reformari, ac illis de Societate jamdicta super processi-

bus dudum per Sedem apostolicam contra eos pretextu hujusmodi occupationis habitis, diversas spirituales et temporales penas et sententias continentibus, salubriter provideri, predictum ducem in sua presentia personaliter constitutum paternis et salubribus exhortationibus ad hoc inducere procuravit. Et quia ipsum, tamquam devotionis et obedientie filium ac virum circumspectum et providum, post exhortationes hujusmodi reperit circa hoc tractabilem benivolum et benignum, volens quod inter ipsum ducem et illos de Societate jamdicta super reformatione pacis et concordie hujusmodi tractaretur, et nichilominus prudenter advertens quod per te, qui conditionem et statum dictarum partium docente magistra rerum experientia pleniorem habere notitiam poteras et debebas, poterat concordia hujusmodi melius et utilius procurari, tibi commisit per suas litteras et mandavit ut circa eam reformandam auctoritate ac vice sua, viis et modis quibus tibi videretur expediens, sedulis et fidelibus studiis laborares, et que super hiis ageres eidem intimare curares, ut ad alia, si necessaria forent vel utilia pro fulcimento seu perfectione ipsius concordie, valeret idem predecessor intendere prout cognosceret oportunum. Sane quia, propter supervenientem infirmitatem et mortem, sicut Domino placuit, predecessoris predicti, littere ipsius super premissis confecte tibi non fuerunt, ut intelleximus, presentate, nos qui concordiam hujusmodi velut ex premissis et aliis multis causis utilem et necessariam desiderabiliter affectamus, nolentes dimittere quod ipse in hac parte sic pie conceperat, imperfectum, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vice et auctoritate nostra circa reformandam hujusmodi pacis concordiam fidelibus et diligentibus studiis juxta datam a Deo tibi prudentiam laborare procures, nobis que super hiis egeris, ut quo ad processus predictos et alia dictum negotium tangentia possimus utilius ordinare quod expedire videbimus, nichilominus fideliter intimando. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

466 Avignon, 21 octobre 1343.

Johannem Paleologum rogat ut, rejecta exsecrandi schismatis infectione, ad unionem Ecclesiæ Romanæ revertatur. (Reg. 137, n° CCCCXIIII, fol. 121 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 44 r°; — Raynaldi, *Annales*, VI, 312.)

« *Magnifico viro Johanni Imperatori Grecorum Paleologo, gratiam in presenti per quam obtineat gloriam in futuro.* Magnificentie tue litteras per dilectum filium nobilem virum Philippum de Sancto Germano, nuntium tuum, oriundum de partibus Sabaudie, nostro apostolatui presentatas benigne recepimus, et tam ea que continebantur in eis quam que idem nuncius, sub credentia sibi concessa per dictas litteras, explicare coram nobis pro parte tua curavit verbotenus, pleno collegimus intellectu. Cumque tam per ipsas litteras quam ea que idem nuncius verbo, ut premittitur, explicavit, affectum magne devotionis et reverentie nobis et apostolice Sedi obtuleris, ac expressis diris oppressionibus molestationibus et afflictionibus quas gens illa nationis Turchorum fetide, inimica fidei christiane, ad confusionem et exterminium christianitatis aspirans, tibi et populo Grecorum intulit presumptuosis et terribilibus ausibus hactenus, et inferre crudelius non desistit, prestari tibi et eisdem Grecis adversus Turchorum predictorum infidelium potentiam et malitiam galearum et vasorum navigabilium armatorum et munitorum latinis hominibus subsidium per nos et Romanam Ecclesiam postulasti, eidem magnificentie breviter super hiis respondemus quod nos, dudum non sine compassione magna et ingenti dolore cordis auditis diris et gravibus molestationibus et afflictionibus quas predicti Turchi, omni humanitate postposita, christianis et fidelibus Romanie ac aliarum transmarinarum partium intulerant et etiam inferebant, non valentes pietatis paterne viscera claudere super hiis, nec volentes pro defensione fidelium et christianorum dictarum partium ac repressione prefatorum Turchorum infidelium, certum galearum et vasorum hujusmodi sufficienter armatorum et munitorum ordinavimus subsidium exhibendum, volentes indubie te tenere quod si tu ac Grecorum clerus et populus, rejecta infectione illius execrandi et dampnandi scismatis, quod eos dampnabiliter a sacrosancta Romana ecclesia matre omnium fidelium et magistra divisit per unionem salutarem, Deo placibilem, mundo accepta-

bilem et saluti animarum multipliciter fructuosam ad matrem rediretis eandem; et diligenter attento quod dominus noster Jhesus Christus unicum esse ovile ovium suarum et unum pastorem esse voluit, sicut in evangelio continetur et in Apostolorum simbolo fides profitetur catholica, unam esse catholicam et apostolicam ecclesiam, quam ipse dominus Jhesus Christus in se ipso lapide angulari fundavit et ejus magisterium principi Apostolorum beato Petro videlicet cui, licet insufficientibus meritis, successimus in apostolatus dignitate commisit, vos sub eodem ovili, extra quod non est alicui gratia neque salus, reducere curaretis, nos et ipsa ecclesia vobis gaudiosis amplexibus occurrentes, intra nostra reciperemus precordia et ad defensionem vestram non solum contra Turchos ipsos sed Tartaros et alios nostros et fidei catholice inimicos et hostes, quantum possemus defendere ac tractare tanquam predilectos et carissimos filios amplis favoribus et oportunis gratiis proculdubio studeremus. Et utinam tua et populi Grecorum perpenderet prudentia diligenter quod ex reunione hujusmodi preter commoda spiritualia que vobis affluenter provenirent, exinde multa bona temporalia resultarent : nam, ut communis ac vulgaris habet narratio et antiqua gesta testantur, quamdiu Grecia sub devotione ac unitate ipsius Ecclesie Romane se tenuit tamquam matris, pre aliis mundi nationibus scientiarum floruit et militari potentia victoriose prefulsit. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

167 Avignon, 21 octobre 1343.

Bartholomeum de Urbe, canonicum Nigropontensem, ad infrascriptum mittit, rogans dictum Megaducium ut ad unitatem ecclesiæ revertatur. (Reg. 137, n° ccccxv, fol. 122 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 45.)

« *Nobili viro Megaducii Alexi, spiritum gratie salutaris.* Etsi ut sacre scripture refert eloquium, filius sapiens letificet patrem, nos audita placibilibus et fidedignis relatibus sapientia qua te sic largitor gratiarum omnium edotavit ut, que ad salutem anime tue sint utilia et necessaria, recognocens, ad devotionem sinceram sacrosancte Romane Ecclesie matris tue vota tua ferventer dirigas et convertas, de te gaudemus admodum et ei qui tibi rectum dedit spiritum, in humilitate spiritus vitulum exolvimus labiorum. Ut autem tua hujusmodi crescat devotio et tam tibi quam multis aliis fructuosa operum laudabilium exhibitione probetur, ecce quod per dilectum filium Bartholomeum de Urbe, canonicum Nigropontensem, vel alium quem venerabilis frater noster Henricus patriarcha Constantinopolitanus, apostolice Sedis legatus, ad te providerit destinandum, mittimus quod a nobis devotis precibus postulasti : nobilitatem tuam in domino attentius exhortantes quatenus intra tua precordia diligenter revolvens et absque dubitatione considerans et attendens quod extra unicum ovile dominicum, cujus est unius pastor successor beatri Petri Apostolorum principis, Romanus videlicet Pontifex, vicarius Jhesu Christi, non est alicui gratia neque salus, ut Grecorum populus extra ovile dampnabiliter errans hujusmodi se una cum magnifico principe Johanne Grecorum ipsorum moderatore Paleologo illustri reducat ad illud, prout decenter et utiliter poteris, sic studiosis solicitudinibus elabores, quod inde tibi meritorum acquiras cumulum apud Deum ac nostram et apostolice Sedis habundanter gratiam merearis. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

168 Avignon, 21 octobre 1343.

Omnes Graecorum episcopos hortatur ut ad unitatem ecclesiæ revertantur. (Reg. 137, n° ccccxvi, fol. 122 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 45.)

« *Dilectis in Christo fratribus... patriarche et universis archiepiscopis et episcopis Grecorum, spiritum gratie salutaris.* Salvator noster Dominus Jhesus Christus pro redemptione humani generis, sub forma servi, vestem nostre mortalitatis assumens, reprobata quondam propter ingratitudinem perfidia Judeorum et oblato sinagoge, que tempus visitationis sue non cognovit libello repudii, sacrosanctam ecclesiam non habentem maculam neque rugam, congregatam in unum ex gentibus et Judeis qui, oculos illuminatos habentes, viam veritatis et fidei cognoverunt, ipse lapis angularis utrumque conjungens parietem, et utraque

unum faciens, in sponsam sibi specialiter preelegit, eamque sanctificans et mundans, aque lavacro in verbo vite gloriosam exhibuit, ac sanctam et immaculatam efficit juxta quod in canticis canticorum legitur: una est sponsa mea, electa mea, immaculata mea. Ipse quoque Dominus Jhesus Christus unum esse ovile ovium et unum pastorem in evangelio protestatur, et in Apostolorum simbolo unam esse catholicam ecclesiam fides catholica profitetur, quam ipse Dominus in se ipso lapide angulari, probato, pretioso, vivo, ab edificantibus reprobato, a Deo tamen electo et honorificato fundavit et ejus magisterium Apostolorum principi, beato Petro videlicet, cui, licet insufficientibus meritis in apostolatus successimus dignitate, concessit, inquiens: « tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam » et paulo post subdidit: « et tibi dabo claves regni celorum et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in celis »; et nichilominus ovium suarum curam non solum alicujus gregis determinati, sed omnium ad ovile suum dominicum pertinentium, universaliter verbo tertio repetito commisit, dicens: « pasce oves meas », et quod ejus fides nunquam deficeret se orasse fatetur, loquens ad eum in evangelio: « ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos », ut patenter ostenderet non solum ovium sed etiam pastorum omnium ipsum unicum deputare pastorem quod etiam significanter ostendit cum ipso apparente post resurrectionem discipulis. Petrus per mare, ceteri vero discipuli navigio pervenerunt, cui soli alibi dixisse ipse Dominus legitur: « duc in altum »; cum enim singuli determinatas habeant sibi provincias, soli Petro et ejus successoribus ipsa tota commissa est universalis ecclesia toto orbe difusa. Nempe signum singularis pontificii Petri per quod non navem unam, ut ceteri quique suam, sed seculum ipsum gubernandum suscepit: mare quidem seculum est, naves ecclesie designantur; que quidem Grecorum populus provide non attendens, aliam sibi confinxit ecclesiam, cum sit unica tantummodo, ut est dictum, et ab apostolice Sedis unitate recessit nec constitutionem Domini nec Petri magisterium immitatur et inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium divisione percipit, scindere usque ad hec tempora per frustra conatur, non advertens prudenter quod una Noe tantum extitit archa, intra quam sub uno rectore quicunque fuerunt leguntur in cathaclismo salvati; qui autem extra ipsam inventi sunt omnes in diluvio perierunt. Sane, quia nos libenter ad instar illius pastoris evangelici qui ovem perditam et extra gregem errantem requirens solicite et ipsam repertam imponens super humeros reportavit, ne bestiarum dentibus devoraretur, ad gregem pro Grecorum ipsorum ad eandem unicam ecclesiam reunione Deo placida, mundo acceptabili, et animarum saluti non modicum profutura, si ad hoc gratia preveniente divina disponeretur materia laboraremus studiis operosis super hiis, tam magnifico viro Johanni imperatori Grecorum Paleologo illustri quam principibus, baronibus et nobilibus imperii Grecorum ac populo civitatis Constantinopolitane per litteras scribimus oportunas. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino Jhesu Christo quatenus premissa et quod extra dictum ovile unicum dominicum, cujus est, ut premittitur, unus pastor, non est alicui gratia neque salus, diligentius attendentes, vos qui ejusdem Grecorum populi eminentiam presulatus gerere videmini, ad reunionem predictam vestra studia dirigentes, tam eundem imperatorem quam predictos principes, barones, nobiles et populos vestris monitis et exhortationibus salubribus ad reunionem hujusmodi, ut vobis et ipsis perennis vite patere valeat aditus, inducatis: scituri pro certo quod ex hiis vel aliis vestra vel sua non querimus, sed tantum vestrarum et ipsorum animarum salutem paterna solicitudine sic zelamus quod, si ad unitatem ecclesie predicte redieritis, vestra recipere non intendimus, sed vobis potius dare nostra et etiam si oportuerit nosmet ipsos, ac nos et Sedes apostolica vos et ipsos recipiemus extensis caritatis paterne brachiis in amplexus, privilegiis, gratiis et oportunis favoribus et alias sicut alios fideles ejusdem ecclesie nichilominus prosequendo, necnon assistendo vobis et ipsis, quantum fieri poterit, contra Turchos et alios vestros et ipsorum oppressores et hostes. Dat. Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

169 Avignon, 21 octobre 1343.

Infrascriptos monachos Montis-Sancti (Athos) rogat ut, impedimento schismatis rejecto, ad unitatem Ecclesiæ Romanæ redeant. (Reg. 137, n° ccccxvii, fol. 123 r°; — Reg. 62, fol. 46.)

« *Dilectis in Christo Calogeris de Monte Sancto, spiritum gratie salutaris.* Pro humani redemptione —. Datum Avinione, xii kalendas novembris, anno secundo. »

170 Avignon, 21 octobre 1343.

Universos infrascriptos hortatur ut dictæ reunioni effectualiter consentire velint. (Reg. 137, n° ccccxviii, fol. 123 v°; — Reg. Vat. 62, fol. 46.)

« *Nobilibus viris universis principibus, baronibus ac populis imperii Grecorum, gratiam in presenti que perducat ad gloriam in futuro.* Quot et quanto — Datum Avinione, xii kalendas novembris, anno secundo. »

In eodem modo *populo civitatis Constantinopolitane* verbis competenter mutatis (n° ccccxviii.)

171 Avignon, 21 octobre 1343.

Infrascriptos rogat ut legatum Sedis apostolicæ adjuvare velint. (Reg. 137, litt. ccccxx-ccccxxiii, fol. 124 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 46.)

« *Dilectis filiis... potestati, consilio et communi de Peyra, Constantinopolitane diocesis.* Cum nos qui, licet insufficientibus meritis, illius vices in terris gerimus qui omnes querit salvos fieri et neminem vult perire, circa reductionem cleri et populi Grecorum ad unitatem sacrosancte Romane matris Ecclesie, de qua olim per dampnandi fermentum scismatis recesserunt paternis solicitudinibus intendentes, venerabili fratri nostro Henrico, patriarche Constantinopolitano, apostolice Sedis legato aliqua imposuerimus super hiis, et per nos vel ipsum legatum sicut ad partes illas persone alique super tractanda reunione hujusmodi destinande, universitatem vestram rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus personis eisdem pro divina et nostra dicteque Sedis reverentia sic favorabiliter assistatis quod preter perennis retributionis mercedem vestra possit et debeat devotio merito commendari. Dat. Avinione, xii kalendas novembris, anno secundo. »

In eodem modo *bajulo Venetorum in civitate Constantinopolitana.*

... *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum de Peyra, Constantinopolitane diocesis,*

... *Dilectis filiis gardiano et conventui fratrum ordinis Minorum de Peyra, Constantinopolitane diocesis.*

172 Avignon, 21 octobre 1343.

Johanni Ogerii, decano ecclesiæ Belnensis, Eduensis diœcesis, mandat ut ad Cameram destinet quicquid receperit de fructibus redditibus et proventibus monasterii sancti Bosoli Remensis, tempore vacationis ipsius monasterii. (Reg. 137, n° ccccxxviii, fol. 125 r°.)

« *Dilecto filio Johanni Ogerii decano ecclesie Belnensis, Eduensis diocesis.* Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, tibi commisit per suas litteras et mandavit ut fructus redditus et proventus monasterii Sancti Bosoli Remensis, ordinis Sancti Benedicti, tunc vacantis, qui obvenerunt toto tempore vacationis ipsius monasterii, colligeres, reciperes et fideliter, deductis tamen pro servitoribus et aliis necessitatibus ipsius monasterii expensis et oneribus necessariis, sub manu apostolica conservares. Cum autem nunc de abbate per circumspectionem Sedis apostolice dicto monasterie sit provisum, nos volentes de hujusmodi fructibus redditibus et proventibus quod nobis expedire videbitur ordinare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, quicquid de dictis fructibus redditibus et proventibus receperis, deductis eisdem expensis et oneribus justis et rationabilibus ad nostram studeas cameram destinare, ipsam de predictis certificaturus nichilominus clare, particulariter et distincte. Dat. Avinione, xii kalendas novembris, anno secundo. »

173 Avignon, 21 octobre 1343.

Cum Jacobus Malabayla, civis et mercator Astensis, Romanam sequens Curiam, ad reddendum solvendum

et assignandum cameræ omnes et singulas pecunias tangentes cameram quas infrascriptus eidem, vel ejus nuntio in partibus Anglie assignaverat, se duxerit efficaciter obligandum, mandat ei ut omnes et singulas pecunias collectas et colligendas cameram tangentes quæ penes illum fuerint, quociens expedire viderit, eidem Jacobo assignare procuret. (Reg. 137, n° ccccxxix, fol. 125 r°.)

« *Dilecto filio Ramundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie apostolice Sedis nuncio.* Cum dilectus filius —. Datum Avinione, xii kalendas novembris, anno tercio. »

In eodem modo *Jacobo Malabayla civi et mercatori Astensi, Curiam Romanam sequenti.* Cum ad reddendum — Dat. ut supra (n° ccccxxx).

471 Avignon, 21 octobre 1343.

Cum, non obstante interdicto apposito per Guidonem de Terrena, quondam episcopum Elnensem, propter attentatas novitates per gentes Jacobi regis Majoricarum, quod amicabilis compromissi virtute per Petrum, tunc episcopum suspensum fuerat, eædem gentes episcopum capitulum, et ecclesiam Elnenses iterum in multis casibus molestavissent, et gravassent, rexque ipse hæc gravamina illata emendare denegavisset, eumdem regem rogat ut a prædictis molestationibus vel novitatibus desistere velit, attentata revocari faciat et sine dilatione reparari sacrilegia et nefanda facinora, quæ damnabiliter contra dictam ecclesiam patrata fuissent. (Reg. 137, n° ccccxxxi, fol. 125 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri.* De nostra non excidit memoria, nec a tua, fili carissime, credimus excidisse, qualiter nos dudum attendentes, quod interdictum per bone memorie Guidonem episcopum Elnensem, ex eo quod attemptatas per gentes tuas in civitate Elnensi, castris et locis aliis Elnensis ecclesie, cum omnimoda jurisdictione alta et bassa mero et mixto imperio insolidum ad Elnensem ecclesiam pertinentibus, novitates prejudiciales eidem ecclesie, ut dicebatur, nimium revocare gentes ipse requisite instanter super hoc recusabant, et certis causis aliis in tota terra tua, quam habes infra diocesim Elnensem generaliter appositum in tue confusionis opprobrium et periculum non modicum redundabat, et cupientes paternis et benignis affectibus consulere tuis honoribus et commodis in hac parte, super questionibus que pretextu novitatum hujusmodi vel alias inter te, dilectissime fili, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Elnensem, dicti Guidonis episcopi successorem immediatum, ac dilectos filios capitulum ejusdem Elnensis ecclesie, ex altera, erant seu esse poterant a te ac prefato episcopo et procuratore dicti capituli sub certis modis et formis ad illum finem quod questiones deciderentur utiliter et amicabiliter, in nobis compromisso suscepto, fecimus usque ad certi temporis spacium predictum interdictum suspendi, et ibidem resumi divine laudis organa, sicut prius; que quidem suspensio fuit ter in tuum favorem postmodum prorogata. Sane rumor displicibilis nimium et infestus perduxit noviter ad nostri apostolatus auditum quod, licet tua regalis circumspectio non ignoret eosdem episcopum et capitulum, prefatam civitatem cum suo districtu et territorio, nec non castra, villas et loca quecunque temporalia que habent in tota diocesi Elnensi, tenere, ipsorumque predecessores a temporibus, de quorum contrario memoria hominum non existit, cum omnimoda jurisdictione alta et bassa, mero et mixto imperio sic in francum et liberum allodium, sicut asseritur, tenuisse, quod alicui superiori temporali domino nunquam inde recognitionem fecerunt, aut pro illis homagium fidelitatis vel quodcumque juramentum aliud prestiterunt, nec ratione ressorti vel superioritatis alicujus, nisi dumtaxat ipsi vel officiales eorum aliqui in eisdem civitate, castris, villis et locis ipsorumque districtibus et pertinentiis, aut civibus, habitatoribus et incolis eorundem exercitium habuit quoquomodo, tamen eodem compromisso pendente, nec adhuc decisis questionibus antedictis, nonnulla per te, fili amantissime, gentesque tuas contra prefatos episcopum, capitulum et ecclesiam eisque multum prejudicialia noviter in ejusdem compromissi prejudicium et nostri detractionem honoris, attemptata fore dicuntur, quorum aliqua, prout nobis relata sunt, ut regia providentia melius et consultius, que, ut prefertur, attemptata fuerint, revocare seu reparare valeat, providimus serie presentium explicanda. Primo nam-

que quod licet in personis ecclesiasticis nulla tibi sit atributa jurisdictio nec etiam in illis, quamquam persone non existant ecclesiastice, que in civitate ac terris ejusdem Elnensis ecclesie, sicut premittitur, commorantur, tamen dilectos filios Hugonem de Fenolheto, Petrum Fazene et Petrum Moleres, canonicos Elnenses, nec non decem fratres ordinis Predicatorum in dicta diocesi Elnensi existentes de toto comitatu Rossilionis bannisti de facto, nobis qui de ipsis parati essemus exhibere tibi et cuicumque alii de ipsis conquerenti, aut eos deferenti, vel eodem episcopo cui competebat et competit immediate ipsorum jurisdictio minime requisitis. Item quod, cum quidem homo de Caneto, dicte diocesis, certam quantitatem bladi reposuisset in civitate predicta, causa custodie, cum gentibus armatis de civitate ipsa, non requisitis officialibus predictorum episcopi et capituli, extrahi et ad castrum tuum de Perpiniano, predicte diocesis, fecisti bladum hujusmodi asportari. Quandam domum etiam sitam in civitate predicta, que fuit quondam Malholis Cadan, clerici apud Perpinianum, ut asseritur, interfecti, fecisse diceris per gentes et officiales tuos regios capi, et tibi confiscari, eisdem episcopo et capitulo vel suis officialibus minime requisitis, quod in eorum manifestum prejudicium dicitur redundare; ad hec quamvis homines et subditi ejusdem ecclesie in civitate, castris, villis et locis predictis morantes, in nullo fore asserantur subjecti, nec ad cavalcatas et exercitus tuos ire vel mittere sint astricti, et de hoc in prefato compromisso mentio specialis, sicut asseritur, habeatur, eos tamen, factis pro parte tua proclamationibus publicis in civitate et locis ecclesie predicte, sub pena corporis et averii, cum nulla jurisdictio tibi competat ad eundum, cum armis et exercitu tuo contra... vicecomitem de Insula, fecisti violenter non absque ipsorum hominum gravaminibus et ecclesie predicte prejudicio manifesto compelli, ex quibus propter consuètudines et usus Cathalonie, aliunde dicitur Elnensi ecclesie ac hominibus et subditis suis guerrarum et dissensionum periculum imminere. Preterea tamen ad episcopum Elnensem qui est pro tempore solum et insolidum in civitate et diocesi Elnensibus, quibusdam locis tuis propriis infra dictam diocesim existentibus exceptis, creare notarios publicos, per quos actus legitimi describuntur, tamen mandasse diceris, quod per notarios ipsos in instrumentis et scripturis publicis conficiendis per eos, nomen et annum regiminis et coronationis tuorum ponantur, quamquam hoc abhactenus fier consuetum non fuerit, et in prejudicium episcopi et ecclesie predictorum redundet. Rursus, quod est horrendum auditu, et a fidelibus detestandum, cum pridem populus catholicus ad ecclesiam de Corberia, Elnensis diocesis, die quadam pro missa et audiendis divinis officiis convenisset, et missa celebraretur ibidem, gentes tue regie venientes cum armis, per eas igne portis ipsius ecclesie que clausa erat supposito, violenter intrarunt eandem et graviter Deum offendere, libertatem ecclesiasticam ledere, sacrilegium et rapinam committere, profanare sacra, et alia plurimum execranda, in suarum animarum periculum et plurimorum scandalum non verentes personas existentes infra ipsam ecclesiam et missam audientes predictam, clericos et laicos, matres videlicet et feminas ligaverunt, ac in presbiterum celebrantem missam ipsam, Dei timore postposito, et presumptione plectibili terribiliter irruentes, de ipsius presbiteri manibus calicem, in quo erat sanguis consecratus salvatoris domini nostri Jesu Christi, efuso et sparso, quod cum vehementi dolore cordis referimus, eodem sanguine, rapuerunt, dictumque presbiterum exutum et spoliatum violenter per eos vestibus sacerdotalibus, quibus missam celebrans erat indutus, una cum aliis predictis hominibus et mulieribus ligaverunt, ac sacrilegis manibus calicem et vestes hujusmodi secum nequiter asportarunt, et tam presbiterum ipsum, quam alios ligatos et vinculatos per eos extraxerunt violenter de ipsa ecclesia et secum duxerunt captivos. Et licet pro parte dicti episcopi requisitus instanter fueris, ut premissa faceres emendari, et ecclesiam restitui supradictam, id tamen, prout habet molesta nimis relatio, facere denegasti, et quamquam alia multa gravamina, tam contra libertatem ecclesiasticam quam in eorundem episcopi, capituli et ecclesie prejudicium per te, fili, gentesque tuas, ut intelleximus, illata fore dicantur, ab illorum tamen expressa retractione presentialiter abstinentes. Prudentiam rogamus regiam, et in Domino attentius exhortamur eidem sano paternoque consilio nichilominus suadentes quatinus, consideranter

attendens qualiter tua magnificentia Deum in suis adversitatibus existimet se habere posse propitium, si eum offensis gravibus provocare non cesset, et si regie conveniat decentie sic contra predictum compromissum, quod pro suis honoribus et comodis, ut premittitur, recepimus, facere vel venire, a predictis desistere velit molestationibus et novitatibus, et expectare quod questiones predicte per viam amicabilem, sicut nostre intentionis existit et extitit, sopiantur et decidantur favorabiliter et benigne, faciendo nichilominus que in prejudicium predictorum episcopi, et capituli, et ecclesie attemptata super predictis et ea tangentibus quomodolibet fuerint revocari, ecclesiamque predictam in qua dicta sacrilegia et nefanda facinora commissa fuisse dicuntur, restitui, et quantum tibi possibile fuerit, que sic dampnabiliter patrata ibidem extiterint, reparari : sic te, fili precarissime, super hiis habiturus, quod tua circumspecta devotio exinde commendari merito valeat, nec nos, cogente conscientia et urgente pastoralis officii debito, ad alia juris remedia super hiis procedere, quod utique nobis redderetur admodum displicibile, compellamur. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

175 Avignon, 21 octobre 1343.

Philippo regi Franciæ, Johannæ reginæ Johannique duci Normanniæ scribit per cedulas infrascriptas eosque de eventibus occurrentibus certiores facit. (Reg. 137, n° ccccxxxii, fol. 126 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Volentes de hiis que hic nobis occurrunt presentialiter celsitudinem regiam effici certiorem, ecce quod ea reserabit sibi plenius cedula presentibus interclusa. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno secundo. »

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Volentes etc. ut in alia. Datum ut supra (n° ccccxxxiii).

Dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie. — (n° ccccxxxiiii).

176 Avignon, 22 octobre 1343.

Infrascriptis magistris Cameræ compotorum commendat Ademarum de Agrifolio, qui missus a Guillelmo Rogerii ad Curiam regiam Parisius proficiscitur, pro diversis negotiis expediendis. (Reg. 137, n° ccccii-ccccvi.)

« *Dilecto filio Hugoni de Pomaribus, canonico Parisiensi, magistro camere compotorum carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris.* Cum dilectus filius —. Datum Avinione, XI kalendas novembris anno secundo. »

Item in eodem modo *Petro de Issartis, magistro camere compotorum etc.*,
Johanni Miloni,
Johanni Justicie,
Johanni de Sancto Justo.
Dat. ut supra.

177 Avignon, 22 octobre 1343

Infrascripto commendat Petrum de Verberia clericum secretarium Philippi, regis Franciæ. (Reg. 137, n° ccccviii, fol. 119 v°.)

« *Dilecto filio Egidio, abbati monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.* Super hiis que dilectus filius magister Petrus de Verberia, clericus secretarius carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, tecum habet expedire ut asserit, ipsum clericum, quem dilectionis specialis favore prosequimur et ejus negocia tue benivolentie plenis affectibus commendamus. Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno secundo. »

178 Avignon, 22 octobre 1343.

Episcopum et ecclesiam Biterrenses Philippo regi Franciæ commendat. (Reg. 137, n° ccccxxxvi, fol. 127 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Venerabilis frater noster Guillermus episcopus Biterrensis nuper nobis significare curavit quod, dudum quidam habitatores et incole castri de Casulis, Biterrensis dioecis, ad eundem episcopum et suam Sedem apostolicam pro certis negociis accessisset,

ecclesiam Biterrensem cum omnimoda jurisdictione alta et bassa spectantis, optantes habere in eodem castro, dominandi libidine, consulatum, per vicarium regium Biterrensem secretam informationem fieri super hoc, non vocato eodem episcopo, procurarunt; sed postmodum hiis ad noticiam episcopi memorati aliquorum relatu deductis, ipse illis tanquam sibi et ecclesie sue predicte multum prejudicialibus se opponens, ab eodem vicario ad Curiam regiam appellavit. Quibus non obstantibus, homines ipsi cum informatione hujusmodi ad venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Belvacensem tunc in partibus lingue occitane[1] locumtenentem regium accedentes, et eidem informationem exhibentes eandem, sibi ab eo vice regia concedi consulatum hujusmodi petierunt. Idem vero episcopus Belvacensis attendens provide informationem ipsam minus sufficientem existere, utpote prefato episcopo Biterrensi non vocato, presumptam de facto, quodque dicti homines in castro predicto, ad eosdem episcopum et ecclesiam Biterrensem, ut premissum est, pertinente, consulatum nequaquam obtinere sine consensu eorum debebant, informationem anullavit predictam, et dationem consulatus hujusmodi, sicut juste debebat et poterat, denegavit. Verum predicti homines ad subtractionem et usurpationem jurium et honorum prefatorum episcopi et ecclesie Biterrensis iniquis machinationibus et fraudibus aspirantes, cum informatione predicta sic revocata et anullata se, ut premittitur, ad Curiam regiam conferentes, tacito et suppresso, quod dictum castrum esset episcopi et ecclesie predictorum, et quod eadem informatio existeret anullata, archam communem, et alia insignia consulatus, necnon banna dicti castri, ad sepefatos episcopum et ecclesiam pertinentia, obtinuerunt sibi concedi ab eadem Curia regia fraudulenter : quibus ad noticiam ipsius episcopi Biterrensis perlatis, et recursu super hoc per eum habito ad sepefatum episcopum Belvacensem, idem Belvacensis episcopus premissis omnibus diligentius intellectis, concessionem revocavit et anullavit predictam, et subsequenter easdem revocationem et anullationem predicta Curia regia confirmavit. Postmodum autem cum dilectus filius nobilis vir Guillermus Flote, dominus de Revello, tuus, fili carissime, cancellarius, ac supradicti homines litteras regias ac certos comissarios obtinuerunt ab ipso continentes ut vigore concessionis dicti consulatus, que, ut prefertur, fuerat totaliter revocata, tacito de revocatione ipsa et aliis supradictis, in possessionem inducerentur illius, quarum litterarum pretextu per eosdem commissarios fuerunt ipsi homines de facto in possessionem eandem inducti, que omnia prefatus Belvacensis episcopus, qui de illis pleniorem habebat noticiam, revocavit, sub certa pena inhibendo dictis hominibus ne consulatu hujusmodi quomodolibet uterentur. Demum autem impetratis citationibus, ad dictam Curiam regiam, et in ea aliquandiu litigato, a partibus hinc et inde tandem dictum extitit per arrestum quod coram deputandis commissariis partes ipse facerent facta sua, dicto consulatu sub manu regia medio tempore remanente. Porro deinde memoratus Biterrensis episcopus, videns apertius quod ex hoc sibi et eidem ecclesie sue prejudicium maximum parabatur, excellentie regie fecit humiliter supplicari, sibi et eidem ecclesie de opportuno super hiis remedio provideri, cui quidem supplicationi eadem excellentia, que justiciam colit et diligit ac sequitur in suis actibus veritatem, clementer annuens, veritate hujusmodi negocii plenius intellecta, mandavit arrestum predictum, quousque de veritate cause liqueret plenius, in suspenso teneri. Nos igitur, premissis nobis narratis, sicut exprimitur superius, intellectu pleno collectis super suspensione hujusmodi benigna, mansuetudinem regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, eam rogamus et hortamur attente, quatenus eorumdem episcopi et ecclesie Biterrensis justiciam habere velit super hiis favorabiliter commendatam, et suspensionem predictam: quousque de veritate cause plene discussum fuerit, faciat tenaciter observarii, considerans regia circumspectio nichilominus diligenter, quod in partibus illis, que terra conqueste dicuntur, super potestate dominandi concedenda popularibus, se multum difficilem regalis curia, ubi etiam sine prejudicio cujusvis fieri poterat, hactenus reddere, sicut intelleximus, consuevit. Dat. Avinione, XI kalendas novembris, anno secundo. »

[1] Ms : *occane*.

179 Avignon, 23 octobre 1343.

Johannæ, reginæ Siciliæ, Maynerium abbatem monasterii Cavensis, ordinis sancti Benedicti, Salernitanæ diœcesis, commendat. (Reg. 137, n° ccccxxxvii, fol. 128 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Dilectum filium Maynerium —. Datum Avinione, x kalendas novembris, anno secundo. »

180 Avignon, 23 octobre 1343.

Guillelmo Forojuliensi episcopo thesaurario suo mandat ut, diligenter inquisitione facta, auctoritate apostolica acerbe procedat contra illos qui ausu nefando de thesauraria, infra palacium Avinionense situata, nonnullas pecuniæ summas furtive asportaverant. (Reg. 137, n° ccccxlii, fol. 129 r°.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Forojuliensi, thesaurario nostro.* Quamvis temerarii presumptores, qui nescientes abstinere ab illicitis ad perpetrationem detestandorum excessuum, laxatis rationis et honestatis habenis, ubique currere non verentur, sint per superiores lima justitie, ut inter improbos tuta perseveret innocentia, cohercendi, eorum tamen crimina et delicta qui delinquere in locis illis in quibus major debet esse securitas non expavent, tanto acriori sunt ultione justitie precellendi, quanto facinora talium in ampliorem redundarent aliorum perniciem, si sub dissimulationis neglectu absque correctione debita pertransirent. Sane pridem relatus infestus et displicibilis perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod quidam iniquitatis filii, ausu nefando et presumptuoso nimium extendentes ad illicita manus suas, de thesauraria nostra infra palacium nostrum Avinionense, quod tunc inhabitabamus, sicut et nunc habitamus, consistenti, nonnullas pecuniarum summas furtivis receperunt manibus, et secum nequiter in suarum animarum periculum et detrimentum nostre camere, ad quam spectabant dicte pecunie, asportarunt. Nos igitur rem tam perniciosam et execrabilem nolentes, sicut etiam non debemus, absque correctione debita, ne per impunitatem illius aliis delinquendi pandatur aditus, preterire, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus super premissis et ea quomodolibet tangentibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii diligentius veritatem inquirens, adversus omnes et singulos tam clericos quam laicos cujuscumque status preeminentie, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, de furto hujusmodi culpabiles vel suspectos, aut qui super eo committendo prestiterunt aut in palliatione hujusmodi scelerosi facinoris prestabunt de cetero auxilium consilium vel favorem, publice vel occulte, aut scientes receptabunt vel defendent eosdem vel eorum aliquem, necnon habentes de furibus ipsis vel aliquo ipsorum notitiam et revelare ipsos forsitan ommittentes, ad excomunicationis in personas ac inhabilitatis et privationis beneficiorum illorum ex eis qui clerici fuerint, aut interdicti in civitates, castra, terras et loca ipsorum et cujuslibet eorundem in premissis vel eorum aliquo culpabilium penas et sententias, ac alias modo et forma de quibus excessus et culpe considerata qualitate videris expedire, quousque super premissis competens restitutio et satisfactio sint impense, auctoritate procedas apostolica et exequaris tui officii debitum in hac parte. Contradictores etc..., usque potestatem. Non obstantibus etc..., usque suffragari. Datum Avinione, x kalendas novembris, anno secundo. »

181 Avignon, 23 octobre 1343.

Guillelmo, episcopo Forojuliensi, thesaurario suo, mandat ut, juxta canonicas sanctiones, procedat contra Raymundum Egidii, clericum Narbonensis diœcesis, de sortilegiis, demonum invocationibus aliisque maleficiis magicæ artis suspectum, in carceribus Avinionensibus detentum, cujus confessionem jam audiverat ac in scriptis redegerat. (Reg. 137, n° ccccxliii, fol. 129 v°.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Forojuliensi, thesaurario nostro.* Super eo quod Ramundus Egidii clericus Narbonensis, de sortilegiis, demonum invocationibus et aliis maleficiis per ipsum commissis, ut asseritur, magicis artibus et damnatis vehementer suspectus nostris detinetur et diu detentus extitit carceribus mancipatus, volentes fieri justicie complementum, dudum tibi tunc cantori ecclesie Rothoma-

gensis mandasse ac commisisse meminimus[1] oraculo vive vocis ut eundem clericum super premissis et aliis criminibus, pro quibus detinetur captivus, diligenter in forma judicii examinare curares, et in scriptis redigi faceres confessionem ipsius, ut ulterius et ad condempnationem vel absolutionem ejusdem procedi valeret justitia exigente. Sane cum, sicut tua relatione fideli percepimus, tu confessionem dicti clerici super predictis audiveris, et in scriptis redigeris juxta mandatum per nos verbotenus, ut premittitur, tibi factum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus et committimus quatenus, visa confessione hujusmodi et inquisita super premissis et ea tangentibus ulterius viis et modis quibus expedire cognoveris diligentius veritate, procedas juxta canonicas sanctiones super eodem negotio et exhibeas justitie complementum. Datum Avinione, x kalendas novembris, anno secundo. »

[1] Ms : *memimus*.

482 Avignon, 23 octobre 1343.

Cum Geraldus de Guardia, quondam tituli Sancta Sabinæ presbiter cardinalis, qui de ordine fratrum Minorum ad cardinalatus honorem assumptus fuerat, debitorum oneribus oppressus, summa 3800 florenorum auri diversis creditoribus die obitus teneretur astrictus, Clemens VI Stephano, episcopo Casinensi, thesaurario suo et duobus aliis infrascriptis mandat ut fructus et redditus ad dictum cardinalem spectantes usque ad dictam summam colligi et percipi, ac exsecutoribus videlicet magistro Stephano archidiacono, et Guillelmo de Gardia, canonico ecclesiæ Belvacensis, fratribus supradicti cardinalis, assignari faciant. (Reg. 137, n° cccccxliii, fol. 130 r°.)

« *Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi thesaurario, et dilectis filiis magistro Guidoni de Calma, decano sancti Aredii, notario nostro, ac Stephano de Pinu abbati secularis Dauratensis, ecclesiarum, Lemovicensis diocesis.* Pridem, dum adhuc bone memorie Geraldus, tituli sancte Sabine presbiter cardinalis, in humanis ageret, relatibus percepimus fidedignis quod ipse, qui de ordine fratrum ordinis Predicatorum assumptus extitit ad cardinalatus honorem, pro hiis que sibi necessaria secundum status sui decentiam fuerant, tot debitorum oneribus, que ipsum propterea necessario contrahere oportuit, detinebatur oppressus, quod preter illa que de cardinalatus et quibuscumque beneficiorum suorum proventibus ad eum quoquomodo pervenerant, nonnullis magnis pecuniarum summis diversis creditoribus tenebatur astrictus, ac subsequenter eodem cardinali, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, nobis extitit per personas fidedignas relatum, quod ultra bona sua et alia omnia que ratione cardinalatus et beneficiorum predictorum habebat vel habere poterat obitus sui tempore, vel quocumque modo pertinebant ad eum, adhuc solutis tamen expensis funerariis et quibusdam familiaribus suis qui eidem serviverant, dum viveret, aliqualiter remuneratis, ac quibusdam debitis persolutis, adhuc deductis hiis que de proventibus ratione cardinalatus partem suam secundum morem Romane Curie contingentibus jam perceperat, vel percipere debebat, remanebat usque ad summam trium milium octingentorum florenorum auri eisdem creditoribus obligatus. Nos igitur, volentes anime ipsius cardinalis prospicere salubriter super hiis, et creditorum predictorum indempnitatibus, quantum cum Deo possumus, paterna sollicitudine providere, non obstante quod fructus, redditus et proventus annales beneficiorum ecclesiasticorum vacantium ad dispositionem nostram immediate spectantium ex reservatione dudum de ipsis sub certis modis et formis per nos facta, ad cameram nostram spectare noscantur, volumus et de gratia concedimus speciali, quod fructus redditus et proventus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum cum cura vel sine cura ubicumque consistentium, que idem cardinalis obtinebat, vel ad eum de jure pertinebant tempore mortis sue, vel pertinere poterant quovismodo, in solutionem dictorum debitorum usque ad dictam summam per executores testamenti ejusdem cardinalis convertendi, tamdiu colligantur et recipiantur executorum ipsorum nomine, quousque de predicta summa fuerit creditoribus ipsis integre satisfactum, Proviso tamen quod eisdem beneficiis de fructibus, redditibus et proventibus eorundem sic provideatur decenter, quod beneficia ipsa divinis obsequiis non

fraudentur interim et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, quodque juri dicte camere post solutionem debitorum predictorum, quominus annatam sibi de illis debitam percipere ac habere valeat, derogetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios hujusmodi fructus, redditus et proventus usque ad summam trium[1] milium octingentorum florenorum auri predictam colligi, exigi et percipi prefatorum executorum nomine, ac illos eisdem executoribus, videlicet dilectis filiis magistris Stephano archidiacono et Guillelmo de Gardia canonico ecclesie Belvacensis, germanis dicti cardinalis, vel aliis executoribus predictis, quando et quociens dicti archidiaconus et canonicus aut alter eorum hiis nollent aut non possent vacare, assignari, convertendos in solutionem predictam juxta concessionem nostram hujusmodi faciatis. Contradictores, etc., usque compescendo. Non obstantibus, etc. usque mentionem. Volumus autem ut quibusvis malitiis et fraudibus super hiis [sic] obvietur quod semel in anno per executores eosdem fidelis et integra reddatur ratio coram vobis de omnibus singulis que percepta fuerint de fructibus redditibus et proventibus supradictis. — Datum Avinione, x kalendas novembris, anno secundo.»

[1] Ms : *trescentorum*.

183 Avignon, 24 octobre 1343.

Infrascripto mandat ut colligat bona Bertrandi Senherii, sacristæ ecclesiæ Lomberiensis, quondam Marchiæ Anconitanæ thesaurarii, eorumque inventarium ad Cameram mittat.)Reg. 137, n° ccccxxxviii, fol. 128 r°.)

« *Dilecto filio Johanni de Riparia, priori domorum Urbis et Pisarum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Marchie Anconitane rectori.* Cum in nostra —. Datum Avinione, viii kalendas novembris, anno secundo. »

184 Avignon, 25 octobre 1343.

Edwardum III, regem Angliæ, rogat ut benigne peticionem exaudiat quorumdam mercatorum Januensium qui, causa mercandi, cum sex galeis in mari Britannico versus partes Flandriæ navigaverant atque per gentes regii admiralli spoliati fuerant, non obstantibus litteris gubernatori et communi Januensibus per regem concessis, nunciorumque postulationibus, ad satisfactionem plene obtinendam plurimum factis. (Reg. 137, n° ccccxlviii, fol. 131 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Nuper tuis, fili carissime, ac dilectorum filiorum... gubernatoris et communis civitatis Januensis nunciis apud Sedem apostolicam presentibus. prelibati nuncii dictorum gubernatoris et communis coram nobis exponere curaverunt, quod dudum certi mercatores Januenses qui sub confidentia quarumdam litterarum per te, fili carissime, dictis gubernatori et communi, sicut ex parte ipsorum asseritur, transmissarum, credebant inter gentes tuas posse transire secure, cum sex galeis suis oneratis mercibus et aliis bonis suis, causa mercandi et negociandi, versus partes Flandrie navigarent, in mari Britannico, per illos qui tuorum vasorum navigabilium stolium tenebant ibidem, tam sex galeis predictis quam omnibus bonis suis que habebant ibidem depredati et spoliati fuerunt, quodque licet pro parte dictorum gubernatoris et communis super restitutione de premissis facienda dictis mercatoribus, ad tuam presentiam regiam nuncii fuerint destinati, adhuc tamen nichil obtinere potuerunt, ut dicunt. Nos igitur eorum in hac parte supplicationibus inclinati, celsitudinem regamus regiam et in Domino attentius exhortamur, quatenus eisdem Januensibus favorabiliter et benigne auditis, quod juris et equitatis fuerit, sic effectualiter velit regia magnificentia ordinare, quod in hac parte honori regio et justicie satisfiat, ipsisque Januensibus juste conquerendi materia non supersit. Datum Avinione, viii kalendas novembris, anno secundo ».

185 Avignon, 25 octobre 1343.

Nicolao Rogerii, archiepiscopo Rothomagensi, libratam hospitiorum et domorum, quam tenebat quondam Geraldus de Guardia presbiter cardinalis tituli Sanctæ Sabinæ, concedit, ad inhabitandum in Curia Romana cum familiaribus et comitiva, quamdiu voluerit. (Reg. 137, n° ccccxlix, p. 131 v°.)

« *Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Rothomagensi.* Clara tue fraternitatis merita, quibus nobis et apostolice Sedi te gratum et acceptum reddidisti hactenus, et incessanter non desistis reddere, promerentur, ut te apud Sedem eandem congruis prosequamur favoribus et condignis honoribus atollamus. Hinc est quod nos volentes te, quandiu de tuo beneplacito processerit et expedire videris, in curia Romana decenter et honeste morari, totam illam libratam hospiciorum et domorum, quam tenebat et tenere debebat bone memorie Geraldus tituli sancte Sabine presbiter cardinalis in curia ipsa, dum viveret, tibi ad inhabitandum cum tuis familiaribus et amicis, ac aliis qui de comitiva tua sunt vel erunt, ad vitam tuam concedimus tenore presentium ac etiam assignamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno secundo. »

486 Avignon, 25 octobre 1343.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut salvum et securum conductum assignent Johanni, archiepiscopo Cassellensi, de Romana Curia ad Hiberniam recedenti. (Reg. 137, n° MCLXXI, fol. 283 r°.)

« *Venerabilibus fratribus etc.* Cum venerabilis frater —. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno secundo. »

487 Avignon, 25 octobre 1343.

Philippo VI, regi Franciæ, maximas gratias agit quod competenti judici, videlicet episcopo Parisiensi, restitui fecerit magistrum Guillelmum de Brolio in regali curia advocatum, de crimine lese-majestatis suspectum, rogatque eum ut non permittat per gentes regias liberationem dicti Guillelmi quomodolibet impediri. (Reg. 137 n° CCCCXLV, fol. 130 v°; — Edidit Déprez; *Clément VI et Guillaume du Breuil : Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole française de Rome*, XIX. p. 549-556.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Franciae illustri.* Super eo quod —. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno secundo. »

488 Avignon, 25 octobre 1343.

Simili modo Johannæ. reginæ Franciæ, Johannique primogenito, duci Normanniæ scribit ut pro liberatione supradicti Guillelmi apud regem Franciæ insistant. (Reg. 137, n° CCCCXLVI et CCCCXLVII, fol. 131 r°; — Edidit Eugène Déprez, *op. cit.*)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Dudum super eo quod —. Datum ut supra. »

In eodem modo *dilecto filio nobili viro Johanni primogenito regis Francie, duci Normannie.*

489 Avignon, 27 octobre 1343.

Concedit infrascripto indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° MCCVI.)

« *Dilecto filio Berengario Vesiani et dilecte in Christo filie Galharde ejus uxori, civibus Narbonensibus.* Dat. Avinione, VI kalendas novembris anno secundo. »

490 Avignon, 27 octobre 1343.

Johannam, relictam quondam Andronici imperatoris Græcorum, rogat ut benigne recipiat Philippum de Sancto Germano, quem Johannes Paleologus ad Curiam miserat, cuique ipse papa certa dictæ Johannæ verbotenus explicanda commiserat. (Reg. 137, n° CCCCXXIIII, fol. 124 r°; — Reg. Vat. 62. fol. 47 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne relicte quondam Andronici moderatoris Grecorum.* Pridem dilectum filium nobilem virum Philippum de Sancto Germano, militem de partibus Sabaudie oriundum, quem vir magnificus Johannes, moderator Grecorum, Paleologus illustris, natus tuus, ad nostram presentiam cum suis litteris super certis negotiis destinavit, benigne recepimus, et super hiis que nobis natus tuus scripsit, et idem miles pro parte sua nobis exposuit, favorabiliter duximus, sicut cum Deo per nos fieri potuit, respondendum, et nichilominus eidem militi certa tibi verbotenus explicanda imposuimus, super quibus sibi auditum benignum prebeas, quesumus, et plenum cum executione operis, quantum in te fuerit, accommodes intellectum. Datum Avinione, VI kalendas novembris, anno secundo. »

491 Avignon, 27 octobre 1343.

Infrascriptum rogat ut relatibus Bartholomei de Urbe, canonici Nigropontensis, fidem adhibere velit. (Reg. 137, n° ccccxxv, fol. 124 r° ; — Reg. Vat. 62, De negotiis Tartarorum, fol. 47° r.)

« *Nobili viro Alexio megaduci imperii Romanie, promereri gratiam in presenti que perducat ad gloriam in futuro.* Cum nos audita placibiliter devotione tua quam gratia divina inspirante ad Deum et sanctam Romanam geris ecclesiam, quedam dilecto filio Bartholomeo de Urbe, canonico Nigropontensi, referenda tibi pro parte nostra seriosius, que tue salutem anime respiciunt, duxerimus imponenda, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatenus eidem canonico super eis benignum auditum accommodes et favorabilem prebeas intellectum : de nobis et apostolica Sede fiduciam habiturus quod si te talem, sicut spondet devotio tua, coram nobis gratis admodum relatibus explicata exhibemus, tibi super tuis oportunitatibus assistemus gratiis et favoribus, sicut cum Deo fieri poterit affluenter. Dat. Avinione, vi kalendas novembris, anno secundo. »

492 Avignon, 27 octobre 1343.

Isabellæ de la Rocheta maximas gratias agit de studio impenso pro reversione Græcorum ad unitatem Ecclesiæ Romanæ. (Reg. 137, n° ccccxxvi, fol. 124 v° ; — Reg. Vat. 62, fol. 47 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelle de la Rocheta.* Magne devotionis affectum, quem ad sanctam Romanam matrem ecclesiam et salutiferam reunionem Grecorum ad eam te habere relatibus fidedignis percepimus, multipliciter in Domino commendantes, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus tua devotione hujusmodi non tepescente quomodolibet sed fervente, illam indefessis laboribus et studiosis sollicitudinibus operum exhibitione prosequi, ut inde apud Deum meritorum augearis cumulis non ommittens, super quibusdam que tue nobilitatis sinceritati explicanda pro parte nostra dilectis filiis Bartholomeo de Urbe canonico Nigropontensi et nobili viro Philippo de Sancto Germano militi de partibus Sabaudie oriundo imposuimus, eis et eorum cuilibet benignum auditum prebeas et favorabilem accommodes intellectum. Datum Avinione, vi kalendas novembris, anno secundo. »

493 Avignon, 27 octobre 1343.

Infrascripto indulget ut confessor quem duxerit eligendum plenam remissionem peccatorum concedere valeat. (Reg. 137, n° ccccxxvii, fol. 124 v° ; — Reg. Vat. 62, fol. 47 v°.)

« *Nobili viro Alexio megaduci imperii Romanie, promereri gratiam in presenti que perducat ad gloriam in futuro.* Ingenti devotione, quam ad Deum et sacrosanctam Romanam Ecclesiam habere inspirante tibi gratia divina diceris, letis admodum relatibus intellecta, libenter ad ea que hujusmodi devotionis augmentum et tue salutis anime respiciunt commodum intendimus, tibique paternis favoribus assistimus super eis. Cum itaque per te dimisso penitus execrandi fermento scismatis, per quod Grecorum populus ab unitate ipsius ecclesie dampnabiliter, pro dolor! est divisus, ad unitatem ipsam venire, ut intelleximus, desideres[1], te cum aliis fidelibus ejusdem ecclesie filiis includendo infra ovile dominicum, extra quod non est alicui gratia neque salus, nos ad instar illius patris euvangelici qui filio de regione dissimilitudinis redeunti jocundum paravit convivium, occiso vitulo saginato, volentes tibi occurrere gaudiosis amplexibus teque gratiis spiritualibus prevenire, ut cum ad eandem unitatem veneris, devio relicto scismatis hujusmodi, et rejecto, confessor tuus catholicus quem duxeris eligendum plenam omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrito et ore confessus fueris, remissionem impertiri auctoritate apostolica valeat : sic tamen quod de hiis de quibus alteri fuerit per te satisfactio impendenda, illam tibi dictus confessor faciendam injungat quam tu, dum vixeris, vel heredes tui cum te de hac vita transire contigerit, facere teneamini, tenore presentium indulgemus. Dat. Avinione, vi kalendas, anno secundo. »

[1] Ms : *decideres.*

194 Avignon, 27 octobre 1343.

De adventu reginæ ad partes Siciliæ gaudet, eique ea nuntiat quæ fuerunt cum nuntiis ejus in consistorio coram Humberto dalphino Viennensi concordata. (Reg. 137, n° ccccl, fol. 131 v°.)

« *Carissime in Christo filie Elisabet regine Ungarie illustri.* Regalis celsitudinis tue litteras nec non tuos et carissimi in Christo filii nostri Lodovici regis Ungarie illustris, nati tui, nuncios, una cum aliis carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustris nunciis benigne recepimus, et que in eisdem continebantur litteris et ipsi nuncii explicare pro parte tua et regis ejusdem prudenter et provide curaverunt in nostra presentia, patienter et favorabiliter audivimus, et pleno collegimus intellectu. Sane quia ex contentis in eisdem litteris et gratis nunciorum ipsorum relatibus te, filia carissima, que fulgore devotionis erga Deum et sanctam Romanam ecclesiam claruisti hactenus et clarere continue tanquam filia benedictionis et gratie non desistis, post visitationem liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli et alias peregrinationes devotas ad domum regiam Sicilie percepimus declinasse, nos devotionem tuam hujusmodi multipliciter commendamus in Domino et de tuo ad domum eandem et partes regni Sicilie adventu letamur, sperantes in eo cujus providentia in sui dispositione non fallitur, quod per tuam circumspectam et benivolam solicitudinem domui predicte inclite super hiis que occurrunt presentialiter ex adventu hujusmodi, provenient, divina suffragante gratia, multa bona. Porro super prosecutione negotii pro quo tui, filia dilectissima, ac regis et regine predictorum nuncii venerunt ad Curiam, pridem coram nobis et fratribus nostris solemniter et eleganter propositi, die data presentium in nostra et eorundem fratrum presentia una cum dilecto filio nobili viro Humberto Dalfino Viennensi in consistorio constituti fuerunt et remanserunt omnes prelibati nuncii unanimes et concordes. Nos autem, super illius expeditione felici, quantum cum Deo et justitia poterimus, favorabiliter intendemus, te, amantissima filia, super tuis oportunitatibus gratiis et favoribus, sicut honeste fieri poterit, nichilominus prosequendo. Datum Avinione, vi kalendas novembris anno secundo. »

195 Avignon, 27 octobre 1343.

Reginas certiores facit de negociis inter nuntios Siciliæ et Hungariæ apud Sedem apostolicam tractatis. (Reg. 137, n° ccccli, fol. 132 r°.)

« *Carissimis in Christo filiabus Sancie et Johanne reginis Sicilie illustribus.* Vestram volumus celsitudinem non latere quod negotio, pro quo vestri ac carissimi in Christo filii Ludovici regis et carissime in Christo filie Elisabeth regine Ungarie illustrium nuncii ad nostram pridem venerunt presentiam, proposito, sicut vobis nuper scripsisse meminimus, coram nobis et fratribus nostris in consistorio solemniter et prudenter circa prosecutionem illius prefati nuncii aliqualiter laborarunt. Die vero date presentium, coram nobis et eisdem fratribus, in consistorio, una cum dilecto filio Humberto, Dalfino Viennensi, comparentes super prosecutione hujusmodi et ad finem per vestrum consilium, ut intelleximus, ordinatum, fuerunt unanimes et concordes. Nos enim circa negotii expeditionem predicti vacare intendimus, sicut cum Deo et justitia fieri poterit, favorabiliter et benigne. Datum Avinione, vi kalendas novembris, anno secundo. »

196 Avignon, 29 octobre 1343.

Stephanum Casinensem Guillelmumque Forojuliensem episcopos, thesaurarios suos, absolvit, qui assignaverant et tradiderant, ratione mutui, Raynaldo Balbeti, Philippi regis Franciæ in partibus Agennensibus receptori, summam quinquaginta millium florenorum auri, de pecuniis per thesaurarios Benedicti XII recollectis. (Reg. 137, n° ccccxxxix, fol. 128 v°.)

« *Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi episcopis, thesaurariis nostris salutem etc.* Cum vos nuper, de speciali mandato nostro verbotenus vobis facto, de pecuniis nostris et camere nostre, in rationibus per venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Avinionensem et dilectum filium Jacobum de Broa, archidiaconum Lunatensem in ecclesia Biterrensi, felicis recordationis Benedicti pape XII, predecessoris nostri, thesaurarios, redditis et inventariis inde confectis, contentis et inclusis, summam quinquaginta millium florenorum

auri de Florentia nomine nostro et ejusdem camere, dilecto filio Raynaldo Balbeti, carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, in partibus Agennensibus receptori, ipsius regis mandato, vice et nomine, ac ratione amicabilis mutui eidem regi per nos facti, recipienti, prout in litteris recognitoriis et obligatoriis regis ejusdem suo sigillo munitis, confectis super hoc, quas per vos, donec de summa ipsa per prefatum regem seu alium vel alios ejus nomine nobis et prelibate camere plene satisfactum extiterit, fideliter custodiri volumus, plenius contineri noscitur, tradendam duxeritis et realiter assignandam. Nos vestris providere super hoc indempnitatibus cupientes, traditionem et assignationem de dicta quinquaginta milium florenorum auri summa, per vos quo supra nomine ratione mutui predicti factas, ut predicitur, ratas habentes et gratas, vos et vestrum quemlibet ac bona vestra de illa absolvimus tenore presentium et quitamus : volentes nichilominus et etiam decernentes, quod summa ipsa, quamquam in rationibus et inventariis contineatur predictis, non possit a vobis seu vestrum altero exigi sive peti, nec vos seu alter vestrum ratione ipsius possitis imposterum per aliquem vel aliquos molestari, nec de illa deinceps alicui vel aliquibus teneamini reddere rationem. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno secundo. »

497 Avignon, 29 octobre 1343.

Infrascripto confert prioratum de Bains, ordinis Sancti Benedicti, Claromontesis diœcesis, monasterio Casæ-Dei immediate subjectum, cum prior Amblardus de Murato ad prioratum de Tremolhas dictæ diœcesis promotus fuisset. (Reg. 137, n° CCCCLXXIIII, fol. 137 r°.)

« *Dilecto filio Bertrando, priori prioratus conventualis Portusdei, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis.* Tue merita devotionis —. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno secundo. »

498 Avignon, 1er novembre 1343.

Magistros præsidentes in Parlamento Parisiensi deprecatur ut, ad primam diem juridicam post Epiphaniam terminum prorogare velint, qui ad dies balliviæ Viromandensis jam assignatus fuerat, in causa vertente inter Guidonem de Severiaco et Petrum de Casis, eorumque adhærentes. (Reg. 137, n° CCCCLII, fol. 132 r°.)

« *Dilectis filiis magistris in Parlamento carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris presidentibus.* Dudum super eo quod nos qui ex debito servitutis apostolice nobis injuncte desuper sumus astricti, ut ad concordiam quantum possumus revocemus discordes, inter dilectos filios nobiles viros Guidonem de Severiaco, ejusque fratres, ex parte una, et Petrum de Casis, militem, ac Petrum ejus filium ex altera, dissidentes ad invicem intendebamus sicut adhuc intendimus amicabilem mutuam concordiam reformare, vobis preces nostras meminimus direxisse, ut terminum quem tunc dicte partes in Parlamento Parisius habebant, ad primam diem juridicam post festum Penthecostes proximo preteritum, usque ad diem baillivie Viromandensis, cum hoc de consensu partium ipsarum, prorogare velletis. Et licet vos prorogationem hujusmodi litteris nostris receptis feceritis, super quo vobis gratiarum referimus actiones, quia tamen nos, aliis arduis prepediti negociis, ad reformationem plene nequiverimus intendere dicte pacis, prudentiam vestram adhuc attentius deprecamur quatenus eundem terminum baillivie Viromandensis, usque ad primam diem juridicam, post instans festum Epiphanie Domini, prorogetis, cum id de partium predictarum voluntate procedat. Nos autem medio tempore circa reformationem pacis ejusdem proponimus, pacis auctoris nobis suffragante gratia, laborare. Dat. Avinione, kalendis novembris, anno secundo. »

499 Avignon, 2 novembre 1343.

Philippo regi Franciæ de venatione missa gratias agit. (Reg. 137, n° CCCCLIII, fol. 132 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* De venatione, quam nuper copiose celsitudo regia nobis misit, eidem gratiarum referimus actiones —. Dat. Avinione, III nonas novembris, anno secundo. »

500 Avignon, 2 novembre 1343.

Johanni, primogenito regis Franciæ duci Normanniæ super infirmitate compatitur et de sanitate plurimum

gaudet, eum rogans ut Ademarum de Agrifolio, domicellum magistrumque ostiarium, de status prosperitate certiorem facere velit. (Reg. 137, n° cccclxiii, fol. 132 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie.* Te fili, visitatum a Domino qui flagellando quandoque tangit quos diligit, fuisse febrili afflictione ac sanitati pristine ipsius visitatoris superhabundante gratia restitutum, audivimus letis et tristibus in relatione nobis facta super hiis simul mixtis. Primo namque nobis narratum extitit quod terciana, et postea veracius, quod continua fueras febre afflictus, sed ab ea per Dei gratiam, ut premittitur, liberatus. Nos igitur, tibi super infirmitate compatientes, et de sanitate plurimum in Domino congaudentes, nobilitatem tuam paternis et benivolis affectibus exhortamur, quatenus pro visitatione hujusmodi, quam tam anime, quam corpori tuis esse confidimus in Domino salutarem, eidem visitatori gratias in humilitate spiritus referas, et ejus beneplacitis, ut actus tuos dirigat et votivis successibus in longevum dies tuos protrahat, continue te coaptes. Sane quia de tui status prosperitate consolamur admodum in Domino et letamur, de illo utinam semper prospero et felici, nos per dilectum filium nobilem virum Ademarium de Agrifolio domicellum familiarem et magistrumostiarium nostrum, quem nuper ad partes illas misimus, velis efficere certiores. Datum Avinione, iiii nonas novembris, anno secundo. »

501 Avignon, 2 novembre 1343.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut Gasberto de Septemfontibus, canonico Ilerdensi, scriptori et familiari Curiæ pontificalis, de præbenda in ecclesia Ilerdensi, vacante per obitum Guillelmi de Villarico, providere curent. (Reg. 137, n° dxxxviii.)

« *Venerabili fratri... episcopo Urgellensi et dilectis filiis archidiacono de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi ac... officiali Ilerdensi.* Mandamus quatinus vos —. Datum Avinione, iiii nonas novembris, anno secundo. »

502 Avignon, 3 novembre 1343.

Cum, propter unionem nonnullarum ecclesiarum factam mensæ monasterii de Marcillac O. S. B. Caturcensis diœcesis, ac a Sede apostolica confirmatam, bona dicti monasterii nonnullis concessa fuissent, abbati monasterii mandat ut instrumenta ad Curiam Romanam mittat. (Reg. 137, n° cccclv, fol. 132 v°.)

« *Dilecto filio... abbati monasterii de Marsiliaco, ordinis sancti Benedcti, Caturcensis diocesis.* Perlatum nuper extitit ad nostri apostolatus auditum quod, olim facta quadam unione nonnullarum ecclesiarum Caturcensis diocesis mense tui monasterii per... Caturcensem episcopum, qui tunc erat, ut unio hujusmodi que de jure nequaquam ut asseritur persistebat, robore confirmationis apostolice per Sedem apostolicam fulciretur, quedam bona temporalia tui predicti monasterii alicui vel aliquibus procuranti vel procurantibus confirmationem hujusmodi, non absque pravitate simoniaca et enormi lesione ipsius monasterii, aliis tam circa unionem ipsam quam ea que inde subsecuta fuerunt intervenientibus fraudibus, concessa fuisse dicuntur in perpetuum vel ad tempus: nos igitur, quibus ex officii pastoralis debito competit providere quod ecclesie, monasteria et loca ecclesiastica in suis juribus non fraudentur, volentes super premissis et ea tangentibus plenius informari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus unionem ac confirmationem predictas et alia munimenta, si que sint super hiis, infra unius mensis spacium a die presentationis litterarum nostrarum presentium computandi, exhibere per te vel alium non postponas, ut, si canonice processerint, et enormis ipsius monasterii lesio subsecuta non fuerit ac fraus et dolus, que patrocinari minime debent alicui novo intervenerint, rata remaneant et etiam illibata, alias autem curemus de oportuno remedio, prout rationis equitatis suaserit, providere. Porro de die receptionis presentium nos per tuas litteras vel instrumentum publicum seriem continens presentium, efficere studeas certiores. Dat. Avinione, iii nonas novembris, anno secundo. »

503 Avignon, 3 novembre 1343.

Reginæ commendat Arnaldum de Trian, vicecomitem de Talardo, super recuperatione pecuniæ, quæ Arnau-

dono filio ejus defuncto debebatur, de quadam terra quam Bertrando de Bautio, comiti Monttiscaveosi vendiderat. (Reg. 137, n° cccclviii, fol. 133.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Nuper dilectus filius—. Datum Avinione, iii nonas novembris, anno secundo. »

In eodem modo, *Sancie regine Sicilie illustri* (n° cccclix).

504 Avignon, 3 novembre 1343.

Raymundum Gerardi de Insula, Cavallicensis diœcesis, juris civilis professorem deputat vigerium et judicem castri de Valriaco, Vasionensis diœcesis, in comitatu Venaissini, eique ccc florenos auri pro salario annuo concedit. (Reg. 137, ép. n° cccclx, fol. 133 v°.)

« *Dilecto filio magistro Raymundo Gerardi de Insula, Cavallicensis diocesis, juris civilis professori, vigerio et judici castri de Valriaco, Vasionensis diocesis, ac vigeriatus et pertinenciarum ejusdem.* Peritia litterarum probitas —. Datum Avinione, iii nonas novembris, anno secundo. »

505 Avignon, 3 novembre 1343.

Eumdem Raymundum baillivum et judicem castri Montiliiademari, Valentinæ diœcesis, ejusque pertinentiarum deputat eique pro salario singulis annis xl florenos auri assignat. (Reg. 137, n° cccclxi, fol. 134 r°.)

« *Dilecto filio magistro Raymundo Gerardi de Insula Cavallicensis diocesis, juris civilis professori, castri Montiliiademari districtus et pertinentiarum ipsius Valentinensis diocesis, pro parte ad nos ibidem spectante, bailliro et judici.* Illam de te —. Datum Avinione, iii nonas novembris, anno secundo. »

506 Avignon, 4 novembre 1343.

Infrascriptis mandat ut in provinciis Narbonensi et Tholosana, in quibus proventus ad Romanam ecclesiam spectantes colligunt, clericis et laicis absolutionis beneficium impendere valeant, quando illi summas debitas persolverint. (Reg. 137, n° cccclxviii, fol. 136 r°.)

« *Dilectis filiis Raymundo Flori, canonico Urgellensi et Morerio de Moreriis, rectori parrochialis ecclesie Sancti Stephani Tholosani.* Cum petendi, exigendi—. Datum Avinione, ii nonas novembris, anno secundo. »

507 Avignon, 4 novembre 1343.

Mandat infrascripto ut concessionem medietatis pedagii communis castri Montis flasconis, Balneoregensis diœcesis, pro reparatione murorum per Johannem XXII factam revocet, si reparatio murorum completa sit. (Reg. 137, n° cccclxiv, fol. 36 r°.)

« *Dilecto filio Bernardo de Lacu, canonico Ruthenensi, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia.* Nuper relatibus intelleximus —. Datum Avinione, ii nonas novembris, anno secundo. »

508 Avignon, 4 novembre 1343.

Infrascripto, quamdiu Comitatus Venaissini præerit regimini, unum florenum auri singulis diebus pro stipendio assignat, mandatque Petro de Artisio, archipresbitero Lodovensi, prædicti comitatus thesaurario, ut ei de hujusmodi stipendiis satisfacere non postponat (Reg. 137, n° cccclxxviii, fol. 139 r°.)

« *Dilecto filio Guillelmo Alazardi, juris civilis professori, Arelatensis diocesis, Curiam generalem Comitatus Venaissini regenti.* Dudum bone memorie —. Datum Avinione, ii nonas novembris, anno secundo. »

509 Avignon, 6 novembre 1343.

Mandat infrascripto ut citet apud Sedem apostolicam Michaelem Salverii ad reddendam rationem de administratis per eum in episcopatu Ebroicensi, et in colligendis bonis Johannis episcopi Ebroicensis. (Reg. 137, n° cccclxxvi, fol. 138 v°.)

« *Dilecto filio... officiali Rothomagensi.* Nuper expositum extitit coram nobis, quod dudum bone memorie Johannes episcopus Ebroicensis in sua ultima dispositione, quam de licentia Sedis apostolice dicitur condidisse, residuum bonorum suorum que, solutis debi-

tis suis et expensis funerariis ac aliis ad que tenebatur superessent, in pios usus ordinavit et disposuit convertendos, certis executoribus super hoc deputatis. Verum aliqui ex eisdem executoribus super hiis prout ex forma dispositionis hujusmodi poterant procedentes, et a dilecto filio Michaele Salverii, rectore parrochialis ecclesie de Blanvilla, Rothomagensis diocesis qui per certum tempus bonorum temporalium dicti episcopi et ecclesie Ebroicensis administrationem gesserat, rationes minus sufficientes ac veritati et justicie nequaquam consonas exigentes pro mille trecentis libris Turonensium, quamquam ad longe majorem summam pro premissis teneretur, quitaverunt eumdem. Postmodum autem dilectus filius Johannes de Prato, rector parrochialis ecclesie de Locoveriis, Rothomagensis diocesis, nepos prefati episcopi, unus ex eisdem executoribus, attendens ex rationibus et quitatione predictis erronee, ut asseriret, et indebite factis executionem dispositionis predicte fuisse non modicum defraudatam, et quod error calculi debet ad veritatem et equitatem reduci, a dicto Michaele petiit rationes de predictis per eum receptis et administratis veras et legitimas sibi reddi, et reliqua pro complenda executione dicte dispositionis prestari; sed post multas altercationes hinc inde coram diversis judicibus super premissis habitas inter eos, licet idem Michael promissiset et jurasset bona fide de premissis, rationes veras et legitimas reddere, recepta et administrata per eum explicando particulariter, id tamen efficere recusavit postmodum et recusat, per vias litigiosas et tortuosas circa hec diffugia perquirendo. Nostre igitur provisionis remedio super hiis humiliter implorato, nos, ad quos spectat ex debito pastoralis officii providere quod pie dispositiones decedentium compleantur, volentes super premissis quod veritatis equitatis et justicie fuerit ordinari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, per te, vel alium seu alios, eundem Michaelem peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spacium a die citationis hujusmodi computandum cum omnibus scripturis et munimentis rationes predictas tangentibus, apud Sedem apostolicam in nostra camera personaliter se presentet rationes ipsas in eadem camera redditurus, et reliqua prestiturus ac facturus et recepturus quod justicia suadebit. Diem autem hujusmodi citationem et formam et quicquid inde feceris, nobis et eidem camere per instrumentum publicum harum seriem continens studeas fideliter intimare. Datum Avinione, VIII idus novembris, anno secundo. »

510 Avignon, 6 novembre 1343.

Infrascriptum capellanum pontificalem nominat. (Reg. **137**, n° CCCCLXXXII, fol. **140** r°.)

« *Dilecto filio Gerlato de Nassowia, canonico Maguntino, capellano nostro.* Nobilitas generis, morum —. Dat. Avinione, VIII idus novembris, anno secundo. »

511 Avignon, 7 novembre 1343.

Cum infrascriptus, aliquibus temporibus, exercuisset judicaturam castri de Valriaco, Vasionensis diœcesis, ecclesiæ Romanæ immediate subjecti, eum judicem Curiæ Carpentoratensis cum stipendiis consuetis deputat. (Reg. **137**, n° CCCCLXXXVIIII, fol. **142** v°.)

« *Dilecto filio Johanni de Bastisone, clerico Ruthenensis diocesis, jurisperito, judici Curie nostre Carpentoratensis.* De tue fidelitatis —. Datum Avinione, VII idus novembris, anno secundo. »

512 Avignon, 8 novembre 1343.

Super facto Ludovicum de Bavaria tangente, Philippo VI, regi Franciæ, respondet. (Reg. **137**, n° CCCCLXXI, fol. **137** r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Ad ea que super facto tangente Ludovicum de Bavaria nuper serenitas regia nobis scripsit, eidem respondemus breviter prout cedula continet, presentibus interclusa. Dat. Avinione, VI idus novembris, anno secundo. »

513 Avignon, 8 novembre 1343.

Similiter Johannæ reginæ Franciæ scribit. (Reg. **137**, n° CCCCLXLII, fol. **137** r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Super quibusdam factum Ludovici de Bavaria tangentibus, que nuper carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, vir tuus, nobis scripsit, eidem prout continet cedula presentibus interclusa respondemus. Datum ut supra. »

Dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciæ illustris primogenito, duci Normannie. Super quibusdam, etc... ut in proxima, mutato ubi dicitur vir, dicatur genitor. Datum Avinione VI idus novembris anno secundo (n° CCCCLXXIII).

514 Avignon, 8 novembre 1343.

Commendat regi Franciæ nuntios consulum et universitatis Montispessulanorum. (REG. 137, n° CCCCLXXVII, fol. 139 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum, sicut accepimus, dilecti filii consules et universitas Montispesulani, Magalonensis diocesis, super quibusdam tangentibus ordinationes monetarum et presertim certa juramenta in eis contenta, que, ut ex parte ipsorum asseritur, servari ab eis absque salutis animarum detrimento nequeunt, aliis que suis negociis, certos nuncios suos ad regalem disposuerint presentiam destinare, nos ipsos super hiis regie benivolentie propensius commendamus. Datum Avinione, VI idus novembris, anno secundo. »

515 Avignon, 8 novembre 1343.

Guillelmo, episcopo Forojuliensi, et Nicolao, electo Lemovicensi, concedit ut possint monasteria per procuratores visitare procurationesque debitas recipere. (REG. 137, n° MCV et MCVI, fol. 271 v°.)

« *Item in eodem modo alie due littere graciosa videlicet et executoria pro venerabili fratri nostro Guillelmo episcopo Forojuliensi et dirigatur executoria venerabili fratri episcopo Casinensi et dilectis filiis... preposito Forojuliensis ac Petro Germani canonico Rothomagensis, ecclesiarum.* »

Item pro *Nicolao electo Lemoricensi et dirigatur executoria venerabili fratri episcopo Forojuliensi et dilectis filiis ...decano Brivatensi, Sancti Flor diocesis, ac Guillelmo de Gardia, canonico Aurelianensi.* Datum Avinione, VI idus novembris, anno secundo. »

516 Avignon, 11 novembre 1343.

Supplicationibus Philippi regis Franciæ annuens, Robertum, principem Tarentinum, infrascriptis reginis commendat. (REG. 137, n° CCCCLXXIX, fol. 139 r°.)

« *Carissimis in Christo filiabus Sancie et Johanne reginis Sicilie illustribus.* Cum, sicut intelleximus, dilectus filius nobilis vir Robertus, princeps Tarentinus, attenta sui altitudine generis, non habeat unde ad honorem suum et domus vestre regie de qua traxit, ut nostis, originem, fulcire ac sustentare decenter valeat statum suum, super quo ut vobis precum nostrarum porrigeremus instantiam, pridem carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris affectuosius nobis scripsit, serenitatem vestram attentius deprecamur, quatinus tam precum consideratione nostrarum, quam dicti regis obtentu, necnon contemplatione honoris vestri et domus regie supradicte, prefatum principem super alicujus doni munificentia congrui, pro utiliori et decentiori sustentatione predicti status suis habere velitis gratiosis favoribus commendatum. Dat. Avinione, III idus novembris, anno secundo. »

517 Avignon, 11 novembre 1343.

Robertum episcopum Vaurensem de morte Gastonis comitis Fuxi, fratris ejus, consolatur. (REG. 137, n° CCCCLXXX, fol. 139 v°.)

« *Venerabili fratri Roberto episcopo Vaurensi.* Mentem nostram rumores insipidi nunciantes quondam Gastonem comitem Fuxi, germanum tuum, ab hac luce fuisse subtractum amaritudine resperserunt ; sed quia ipse in prosecutione negocii Dei super quo, catholice fidei zelo fervens, in partibus Ispaniarum ad quas contra perfidos Agarenos ejusdem fidei persecutores et hostes cum commitiva hominum armatorum accesserat, de rebus suis prudenter disposi-

tione condita, et devote receptis sacramentis ecclesiasticis, finivit laudabiliter terminum vite sue, sicque suus transitus sibi felix fuisse, ut ab hujus mundi erumpnosis calamitatibus et miseriis, ad quietem evocatus perennem et collocatus mansionibus ethereis in re vel certa spe merito credi potest, est proculdubio sibi super ejus transitu congaudendum pocius quam dolendum. Ideoque fraternitatem tuam rogamus attentius, et in Domino exhortamur, quatenus super hiis in Domino consolatus, alios caros suos de dicto mestos transitu consoleris. Porro, cum comes prefatus dilectam in Christo filiam nobilem mulierem, Helionoram, comitissam Fuxi, uxorem suam, de cujus circumspectione fideli et provida confidebat, administratricem dilecti filii nobilis viri Gastonis sui et ejusdem comitis primogeniti et heredis ac bonorum et rerum ipsius, reliquisse in suo testamento dicatur, exhortationibus nostris adicimus, ut eam in premissis non turbes in aliquo, quod nobis esset displicibile, nec molestes, nec ab aliis, quantum in te fuerit, perturbari vel molestari permittas, sed ei pocius sicut oportunum extiterit, ut omnia in domo Fuxi succedant, gratia Dei previa, prospere, sic assistere consiliis auxiliis et oportunis favoribus non postponas quod inde tua prudentia commendari valeat non indigne. Dat. Avinione, III idus novembris, anno secundo. »

518 Avignon, 12 novembre 1343.

De vinis sibi recenter missis a Philippo, primogenito Odonis ducis Burgundiæ maximas gratias agit. (Reg. 137, n° CCCCLXXXIII, fol. 140 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Philippo, primogenito dilecti filii nobilis viri Odonis ducis Burgundie.* De vinis optimis, a tua nobilitate nobis missis, et per nos obtentu sincere devotionis intentis gratanter receptis, eidem nobilitati graciarum referimus actiones. Ceterum quia de statu nostro, quem audire prosperum desideras, cercior effici quod ad benivolentiam specialem scribimus postulasti, scire te, fili, volumus quod, licet negociorum sarcinis opprimamur continue, illo tamen faciente qui potest, sospitate corporali letamur, de tuo et parentum tuorum statu utinam prospero et felici certiorari sepius cupientes. Dat. Avinione, II idus novembris, anno secundo. »

519 Avignon, 13 novembre 1343.

Precibus dicti comitis annuere cupiens, eum rogat ut novitatibus nuper in Anglia contra cardinales factis viriliter se opponat. (Reg. 137, n° CCCCLXXXVI, fol. 140 v°.

« *Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye.* Nobilitatis tue litteras, nostro nuper apostolatui presentatas, benigne recepimus et que continebantur in eis intelleximus diligenter. Sane licet attenta devotione sincera, quam ad Deum et nos ac sanctam Romanam ecclesiam gerere dinosceris, cupiamus annuere, quantum cum Deo potest fieri, votis tuis, quia tamen illa que petis per easdem litteras, difficilia multum, presertim propter novitatem ordinis et habitus qui petuntur, dinoscuntur existere, nondum respondere plene potuimus super eis; sed deliberatione plenaria habita, tam in hiis quam in aliis, te tuumque commodum et honorem concernentibus, reperiemur, prout honestas pacietur et suaserit, favorabiles et benigni. Rursus cum novitates cepte in partibus Anglie contra Deum et eandem ecclesiam, super quibus alias nobilitati tue scripsisse meminimus, nondum cessent, sicut habet multorum relatio displicibilis et exosa, nobilitatem rogamus et in Domino exhortamur eandem, quatinus tu, fili, qui prudentia et devotione prefulges, ut novitates ipse, per quas Deus graviter offenditur, libertas ecclesiastica, quam catholici principes non solum observare sed etiam ampliare consueverunt, leditur, et honori non parum detrahitur regio et saluti, cessent et revocentur salubriter, partes tuas pro divina et apostolico Sedis reverentia, tueque anime salutis obtentu efficaciter interponas, carissimo in Christo filio nostro Eduardo regi Anglie illustri, de cujus certa conscientia processisse novitates ipsas non credimus, nichilominus suadendo ut venenosis aliquorum lucra propria in hac parte venantium suggestionibus nullatenus acquiescat. Datum Avinione, idibus novembris, anno secundo. »

520 Avignon, 13 novembre 1343.

Similiter Henricum, comitem Lancastriæ, deprecatur. (Reg. 137, n° ccccLxxxvii, fol. 141 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Lencastrie.* Audivisse te, fili, credimus novitates que contra Deum et sanctam Romanam matrem ecclesiam fuerunt hiis diebus preteritis in partibus Anglie pro dolor! attemptate. Et licet super hoc carissimo in Christo filio nostro Eduardo, regi Anglie illustri, de cujus certa consciencia novitates ipsas processisse minime credimus, attenta devotione quam ipse inclite recordationis progenitorum suorum regum Anglie inherendo vestigiis, ad Deum et eandem ecclesiam habere noscitur, processisse, ut eas revocari faceret, vicibus scripserimus iteratis, tamen, ut habet quorumdam infesta relatio, novitates hujusmodi nondum cessant. Cum autem ex illis divina majestas graviter offendatur, libertas ecclesiastica, quam non solum observari facere consueverunt catholici principes, sed etiam ut exaltarentur a Domino ampliare ledatur opprobriose non modicum et honori detrahatur regio ac saluti, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus tu, fili, qui prudentie maturitate conspicuus, erga eandem ecclesiam matrem tuam sincera devotione prefulges, ac dicti regis zelas honoris et salutis augmentum, ut revocentur et cessent novitates execrande hujusmodi, pro divina et apostolice Sedis reverentia cures efficaciter interponere partes tuas, suadendo regi prefato, quod venenosis aliquorum lucra sua propria in detrimentum honoris sui regii venari satagentium suggestionibus super hiis nec auditum accomodet nec quomodolibet acquiescat. Pro certo sciturus quod, cum te geramus in visceribus caritatis, super tuis oportunitatibus nos, quantum cum Deo et honestate fieri poterit, propicios reperies et benignos. Datum Avinione, idibus novembris, anno secundo. »

521 Avignon, 13 novembre 1343.

Petro Andreæ episcopo Claromontensi concedit ut possit per procuratores visitare ecclesias et monasteria. (Reg. 137, n° mcvii, fol. 271 v°.)

« *Venerabili fratri Petro episcopo Claromontensi salutem.* Devotionis tue probata sinceritas —. Dat. Avinione, idibus novembris, anno secundo. »

Judicibus dilectis filiis Riomi et Menati monasteriorum, Claromontensis diocesis, abbatibus et Johanni Jeremie canonico Laudunensi. Mandanus quatinus vos. —. Datum ut supra (executoria super eodem, n° mcviii).

522 Avignon, 15 novembre 1343.

Devotionem infrascripti erga ecclesiam Romanam collaudat. (Reg. 137, n° ccccxcii, fol. 143 r°; — Reg. Vat. 62, *De negotiis Tartarorum*, fol. 47 v°.)

« *Magnifico viro Demetrio, despoto Grecie, promereri gratiam in presenti que perducat ad gloriam in futuro.* De tua devotione, quam grata litterarum tuarum lectione ac dilecti filii Conradi habitatoris ville de Peyra Constantinopolitane diocesis nuntii tui, verbali relatione, te ad sanctam Romanam matrem ecclesiam habere percepimus spirituali leticie rore perfusi, tuam magnificientiam exhortamur quatinus devotionem eandem, per quam tibi pandi celestis regni aditus poterit, deducere studeas in effectum. Sciturus pro certo quod, si hec feceris, gratia tibi assistente divina, te, sicut eidem nuntio expressimus, paterne caritatis recipiemus amplexibus, ac gratiis et oportunis favoribus prosequemur. Datum Avinione, xvii kalendas decembris, anno secundo. »

523 Avignon, 15 novembre 1343.

Infrascriptos rogat ut Demetrium, Græciæ despotum, adjuvent qui ad unitatem ecclesiæ redire cupit. (Reg. 137, n° ccccxciii, fol. 143 r°; — Reg. Vat. 62, fol. 47 v°.)

« *Dilectis filiis... potestati... abbati et communi de Peyra Constantinopolitane diocesis.* Cum magnificus vir Demetrius despotus Grecie ad sanctam Romanam matrem ecclesiam et fidem catholicam indicium magne devotionis pretendat, universitatem vestram rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus, si pre-

fatus despotus, divina gratia illustratus, venire rejecto scismate voluerit ad ejusdem ecclesie unitatem, eidem necnon dilecto filio Conrado familiari nostro exhibitori presentium circa hec laboranti, assistatis consiliis auxiliis et favoribus oportunis. Dat. Avinione, XVII kalendas decembris, anno secundo. »

524 Avignon, 15 novembre 1343.

Episcopo sancti Flori mandat ut sub custodia ad Sedem apostolicam mittat unum ex hiis qui Robertum Lacassanha, monachum monasterii Casæ-Dei, occiderunt. (Reg. 137, n° CCCCXCIIII, fol. 143 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Sancti Flori.* Nuper expositum extitit coram nobis, quod olim quidam iniquitatis filii Dei timore postposito, in quondam Robertum Lacassanha, monachum monasterii Casedei, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, manus impias et sacrilegas extendentes, ipsum nefandis et execrandis ausibus horribiliter occiderunt, super quibus, quia tunc apprehendi et reperiri nequiverunt homicide predicti, quamvis multa sint lapsa tempora, potsquam fuit perpetratum scelus hujusmodi, exhiberi usque modo non potuit justicie complementum. Cum autem, sicut relatu fidedigno percepimus, unus ex dictis homicidis ad presens tuis detineatur carceribus mancipatus, nos tam propter horribilitatem dicti facinoris, quam rei utilitatem publice, cujus interest, ne maleficia remaneant impunita, volentes super premissis justitiam exhiberi certisque causis propter hoc adduci fideliter ad Sedem apostolicam dictum captum, fraternitati tue per apostolica scripta districtius injungendo mandamus quatinus eundem captum ad dictam Sedem sub fida custodia, quamtotius, una cum confessione ipsius et toto processu quomodolibet inde facto, fideliter mittere non postponas. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno secundo. »

525 Avignon, 15 novembre 1343.

Aimerico de Castrolucii cardinali mandat ut restitui jubeat Maurino de Cabalholis, marescallo ducatus Spoletani, jura et deveria debita quæ olim a Johanne de Amelio, archidiacono Forojuliensi, clerico Cameræ, subtracta fuerant. (Reg. 137, n° CCCCLXXXXVI, fol. 143 v°.)

« *Dilecto filio Aymerico, tituli sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.* Nuper dilectus filius —. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno secundo. »

526 Avignon, 16 novembre 1343.

Mandat episcopo Forojuliensi ut summam M florenorum a canonico et rectore infrascriptis recipiat. (Reg. 137, n° CCCCXCVII, fol. 143 v°.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Forojuliensi, thesaurario nostro.* Relatu percepimus fidedigno, quod olim bone memorie Bartholomeus episcopus Forojuliensis, predecessor tuus, inter cetera que de bonis suis pie disposuit, pro puellis pauperibus civitatis Forojuliensis et castrorum ecclesie sue maritandis, mille florenorum auri erogari, amore Dei, et sue obtentu salutis anime ordinavit; quodque summa florenorum hujusmodi collecta de bonis mobilibus ejusdem episcopi penes dilectos filios Arnaldum Costolani, canonicum Forojuliensem et Berengarium Blasini, rectorem ecclesie de Serviano, Biterrensis diocesis, nondum erogata et distributa in pios usus predictos consistit. Nos igitur ad quos pertinet providere, quod pie dispositiones decedentium compleantur, etc. —. Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno secundo. »

527 Avignon, 16 novembre 1343.

Raymundum de Heremo deputat, loco Berengarii Blasini rectoris ecclesiæ de Serviano, Bitterensis diœcesis, ad colligenda bona quondam Bartholomei Grassy, episcopi Forojuliensis. (Reg. 137, n° CCCCXCVIII, fol. 144 r°.)

« *Dilectis filiis Arnaldo Costolani, canonico Forojuliensi, et Raymundo de Heremo, rectori ecclesie de Fabario, Forojuliensis diocesis.* Dudum tibi, fili —. Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno secundo. »

528 Avignon, 16 novembre 1343.

Infrascripto concedit ut Sepulcrum Dominicum et alia oratoria Terræ Sanctæ visitare valeat, et votum adim-

pleat quod pater ejus, certis impedimentis præpeditus, exsequi non potuerat. (Reg. 137, n° ccccciii, fol. 145 r°.)

« *Dilecto filio Matheo Gayte civi Claromontensi.* Tue devotionis exigentibus —. Datum Avinione, xvi kalendas decembris, anno secundo. »

529 Avignon, 16 novembre 1343.

Eidem concedit ut unam navem sive concham mercibus oneratam, exceptis armis, ferris aliisque prohibitis ad Alexandriæ et alias partes, quæ per Soldanum Babiloniæ detinentur, conducere possit. (Reg. 137, n° ccccciii, fol. 145 r°.)

« *Dilecto filio Matheo Gayte, civi Claromontensi.* Magne devotionis affectus. — Datum Avinione, xvi kalendas decembris, anno secundo. »

530 Avignon, 17 novembre 1343.

De devotione et sollicitudine in partibus Britanniæ impensis nuncio suo gratulatur. (Reg. 137, n° ccccxcix, fol. 144 r°.)

« *Dilecto filio magistro Stephano de Mulceone, decano ecclesie Bituricensis, capellano nostro, in partibus Britannie apostolice Sedis nuncio.* Benigne litteras tuas recepimus, ea que per te super treugis et aliis a nobis tibi commissis in partibus Britanie negociis acta sunt, seriosius inter cetera describentes, quarum serie diligentius intellecta, tuam circumpectam solicitudinem super hiis multipliciter in Domino commendamus, volentes et tuam solicitantes diligentiam ut circa premissa, prout oportunum et expediens fuerit, eadem diligentia non tepescat. Rescripturus nobis que tibi super hiis et aliis de ipsis partibus occurrerint nuncianda. Dat. Avinione, xv kalendas decembris, anno secundo. »

531 Avignon, 17 novembre 1343.

Infrascripto respondet se, circa ea que tangunt factum Ludovici de Bavaria, nondum ad plenum deliberare potuisse, sed inde, deliberatione pleniori habita, scribere ei plenius intendit. (Reg, 137, n° ccccc, fol. 144 v°. — *Monumenta Bohemiæ Vaticana*, n° 263, p. 160; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2171, p. 785.)

« *Dilecto filio nobili viro Carolo primogenito carissimi in Christo filii nostri Johannis regis Boemie illustris, marchioni Moravie.* Solite benignitate receptis. — Datum Avinione, xv kalendas decembris, anno secundo. »

532 Avignon, 17 novembre 1343.

Abbatissam monasterii Fontis Ebraudi rogat ut pro salute papæ preces effundere velit. (Reg. 137, n° cccccci, fol. 144 v°.)

« *Dilecte in Christo filie Isabelli abatisse monasterii Fontisebraudi, ordinis sancti Benedicti, Pictavensis diocesis.* Sincere devotionis tue litteras affectu benigno recepimus tuum statum prosperum de quo letamur more patris benivoli nunciantes. Sane quia per litteras ipsas eadem devotio de statu nostro certior effici postulavit, eam serie presentium volumus non latere, quod licet assiduis solicitudinibus et laboribus, quos injuncte nobis desuper officium apostolice servitutis indicit, pregravemur continue supra vires, illo tamen faciente qui est consolatio laborantium et fragilium fortitudo, corporali sospitate letamur, nostros jactantes cogitatus in ipso et figentes inter undas et fluctuosas turbines pelagi mundi hujus anchoram fiducialiter spei nostre; cumque ad supportandam sarcinam pastoralis regiminis humeris nostris inbecillibus impositi, precibus fidelium egeamus, quesumus ut tu, in Christo dilecta filia, et sorores tue que virtutum Domino in contemplationis altitudine militatis, et jugiter insistitis circa pedes Domini cum Maria, precum devotarum suffragia apud Dominum effundere in humilitate spiritus studeatis, ut ipse, qui nobis sarcinam ipsam imposuit, sic manum benignam et adjutricem dignetur porrigere, quod ad ipsius laudem et gloriam que nobis incumbunt, exercere valeamus continue, ac tandem una cum grege nobis credito post laboriosos decursus presentis vite instabilis et miserabilis, quietis perennis beatitudinem promereri. Datum Avinione, xv kalendas decembris, anno secundo. »

533 Avignon, 17 novembre 1343.

Johanni Rogerii confert canonicatum præbendamque in ecclesia Agennensi, vacantes per obitum Johannis de Casalibus, eique hospitium sive domum in qua defunctus canonicus inhabitabat, ei concedit (Reg. 137, n° cccccxxxvi, fol. 152 r°.)

« *Dilecto filio Johanni Rogerii, canonico Agennensi.* Generis et morum nobilitas. — Datum Avinione, xv kalendas decembris, anno secundo. »

534 Avignon, 17 novembre 1343.

Infrascriptis mandat ut dictam concessionnem exsequantur. (Reg. 137, n° cccccxxxvii, fol. 152 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... Casinensi et... Forojuliensi episcopis ac dilecto filio... priori ecclesie sancti Caprasii Agennensis.* Mandamus quatinus vos —. Dat Avinione, xv kalendas decembris, anno secundo. »

535 Avignon, 18 novembre 1343.

Ludovicum de Sabaudia, dominum de Vaud, rogat ut pacem cum abbate sancti Eugendi Jurensis componere velit. (Reg. 137, n° cccccliii, fol. 145 v°; — Edidit Carlo Cipolla, *Clemente VI e Casa Savoia*, *Miscellanea di Storia Italiana*, série III, t. V. n° xv. p. 12.)

« *Dilecto filio nobili viro Ludovico de Sabaudia, domino Vaudi.* Relatibus percepimus fidedignis, quod super questionibus et controversiis, dispendia et scandalosa discrimina secum trahentibus, que inter te, fili, gentesque tuas, ex parte una, et dilectos filios... abbatem et conventum monasterii sancti Eugendi Jurensis, ordinis sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis, ex altera, ratione vel occasione terrarum tuarum et ejusdem monasterii, que contigue seu vicine in locis aliquibus existere dinoscuntur, tractatus pacis et concordie cepti fuerunt aliquotiens hactenus, quamvis hoste impediente antiquo qui pacem odit et concordiam ac rancores et odia fovet et nutrit, nondum deducti fuerint ad effectum. Sane quia, prout intelleximus, utrique parti multum expedit quod dissensionibus eisdem, et periculis prodeuntibus ex illis, tractatus hujusmodi votivum exitum sortiantur, nobilitatem tuam rogamus in Domino attentius et hortamur, quatenus consideranter attendens, quod Deus pacis viros pacificos diligit, et in eis suam ymaginem utique deferentibus delectatur, quodque non potest offendi ecclesia quominus Deus ipse graviter offendatur, ut predicti tractatus resumantur, vel alii assumantur, per quos inter te ac dictum monasterium pacis Deo grate ac utrique parti perutilis reformetur concordia, taliter te coaptes et reddas placabilem, propicium et benignum, quod cum proximis pacem habeas, sine qua pax Dei non habetur et inde perennis mercedis premium valeas promereri. Datum Avinione, xiii kalendas decembris, anno secundo. »

536 Avignon, 18 novembre 1343.

Infrascripto mandat ut pro reformanda prædicta pace firmiter laboret. (Reg. 137. n° cccccv, fol. 145 v°.)

« *Dilecto filio Francisco decano ecclesie Maurianensis.* Super eo quod circa sedandas et sopiendas per viam pacificam dispendiosas et periculosas discordias, que inter dilectos filios... abbatem et conventum monasterii sancti Eugendi Jurensis, ordinis sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis ex parte una, et nobilem virum Ludovicum de Sabaudia, dominum Vaudi et gentes suas ex altera, hoste procurante antiquo, fuerunt hactenus, tractatus intervenisse dicuntur aliqui, qui eodem hoste impediente, ad effectum minime pervenerunt, prefato nobili per litteras nostras scribimus, ipsum in Domino attentius exhortando, ut ad resumendum tractatus predictos, vel alios inchoandum de novo, per quos inter partes ipsas, pacis Deo grate, ac utrique partium earundem preutilis valeat concordia provenire, se coaptet, ac reddat favorabilem propicium et benignum. Cum autem tua sollicitudo benivola, que alias commendabiliter et laudabiliter, ut intelleximus, super hiis laboravit, sit ad promotionem et perfectionem hujusmodi pacis negotii multipliciter oportuna, discretionem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur, quatenus, pro divina et nostra, Sedisque apostolice reverentia et anime tue salutis obtentu, utiliter et

efficaciter circa reformationem pacis hujusmodi studeas laborare. Datum Avinione, XIII kalendas decembris, anno secundo. »

537 Avignon, 19 novembre 1343.

Gasberto, archiepiscopo Narbonensi indulget, ut cimiteria et ecclesias diœcesis reconciliare cum aqua benedicta possit. (Reg. **137**, n° cccccvi, fol. **146** r°.)

« *Venerabili fratri Gasberto archiepiscopo Narbonensi.* Tue devotionis precibus —. Datum Avinione XIII kalendas decembris, anno secundo. »

538 Avignon, 20 novembre 1343.

Litteris ab infrascripto missis respondet. (Reg. **137**, n° cccccvii. fol. **146** r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Jacobo infanti, nato nclite memorie Alfonsi regis Aragonum, comiti Urgellensi.* Ad ea que super vocatione personali dilecti filii Sancii de Ayerbe, ordinis fratrum Minorum, ad presentiam nostram continebant presentate nobis super tue nobilitatis littere, respondemus, quod dudum litteras nostras apostolicas, super eadem vocatione confectas, certo nuntio clare memorie Philippi, regis Navarre, tradi fecimus deferendas; sed, ut postmodum intelleximus, idem nuncius regi predicto tunc ad partes regni Granate proficiscenti contra perfidos Sarracenos litteras portavit easdem : quamobrem hiis subsequenter ad notitiam nostram perlatis, litteras ipsas refici fecimus, et venerabili fratri nostro Armando archiepiscopo Aquensi, apostolice Sedis nuncio, deferendas assignari pro complenda ipsarum executione, sicut expediens videretur, sibi nostram intentionem super hoc verbotenus nichilominus explicando et nunc etiam eidem scribimus oportune. Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno secundo. »

539 Avignon, 20 novembre 1343.

Armando, archiepiscopo Aquensi, mandat ut prædictas litteras dicto infanti præsentet. (Reg. **137**, n° cccccviii, fol. **146** r°.)

« *Eidem archiepiscopo.* Super vocatione personali dilecti filii Sancii de Ayerbe, ordinis fratrum Minorum, ad presentiam nostram tibi pridem explicasse intentionem nostram verbotenus meminimus et fecisse litteras apostolicas oportunas super hoc assignari. Cumque nos dilecto filio nobili viro Jacobo infanti nato clare memorie Alfonsi regis Aragonum, comiti Urgellensi, qui nobis scripsit super hoc, rescribimus, sicut vidimus, expedire volumus quod litteras predictas presentes dicto Sancio vel facias presentari; proviso tamen prudenter et provide quod principale negocium, pro quo te ad partes illas misimus, propterea turbari nequeat vel quomodolibet impediri. Rescripturus nobis nichilominus que super hiis et aliis occurrerint nuncianda. Dat. Avinione, XII kalendas decembris, anno secundo. »

540 Avignon, 20 novembre 1343.

Litteris Johannæ reginæ Franciæ respondet. (Reg. **137**, n° cccccix, fol. **146** v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie et Navarre illustri.* Ad ea que continebant littere a tua celsitudine filia carissima nobis misse, breviter respondemus, prout cedula continet presentibus interclusa. Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno secundo. »

541 Avignon, 20 novembre 1343.

Commendat infrascriptis Johannem de Respes, priorem conventus de Monte Carmelo Londoniensis. (Reg. **137**, n° DX, fol. **146** v°.)

« *Dilectis filiis abbati et conventui monasterii Westmonasterii, ordinis sancti Benedicti, Londoniensis diocesis.* Porrecte nobis supplicationi dilecti filii Johannis de Respes, prioris conventus fratrum ordinis Beate Marie de Montecarmelo Londoniensis, capellani nostri, quantum cum Deo possumus, annuentes, sinceritatem vestram rogamus quatinus super hiis, que a vobis honeste petierit, ipsum habere velitis sicut comode poteritis favorabiliter comendatum. Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno secundo. »

542 Avignon, 22 novembre 1343.

Cum contulisset Hugoni la Valada prioratum de Vallelandrici O. S. B., Andegavensis diœcesis, monasterio Sancti Sergii prope Andegavas subjectum, quem Reginaldus Amaluini de Veyronio obtinuerat, cumque dictus Hugo super assecutione dicti prioratus per Benedictum le Salvage, monachum ipsius monasterii, molestaretur, propter quod Annibaldus, episcopus Tusculanus, in regnis Franciæ et Angliæ apostolicæ Sedis nuntius, dictum prioratum eidem Benedicto concessisset, infrascriptis mandat ut, si fructus et redditus dicti prioratus de Vallelandrici collati valorem xv librarum Turonensium parvorum annuum excedere reperiant, eundem Hugonem in possessionem dicti prioratus inducant, amoto quolibet illicito detentore. (Reg. **137**, n° mclxv, fol. **281** r°.)

« *Dilectis filiis... cantori Andegavensi et Geraldo ac Petro de Guilhosio, canonicis ecclesie Andegavensis.* Olim felicis recordationis —. Datum Avinione, x kalendas decembris anno secundo. »

543 Avignon, 22 novembre 1343.

Guidoni, episcopo Cameracensi, et Johanni, episcopo Tornacensi, mandat ut quemdam presbiterum capiant et ad Sedem apostolicam transmittant, qui bullas quasdam et supplicationes falsas fabricaverat. (Reg. **157**, *De Curia*, fol. 6 v°, n° xxxiii.)

« *Venerabilibus fratribus... Cameracensi et Tornacensi episcopis et dilectis filiis... eorum officialibus.* Habet dilecti filii Johannis dicti Zuetknecht, clerici Cameracensis diocesis, expositio facta nobis quod olim ipse in apostolatus nostri primordiis, tempore quo pauperibus clericis generales gratias duximus concedendas, ad apostolicam Sedem accedens, supplicationem suam simul cum aliis pauperibus clericis examinatoribus ipsorum pauperum per nos in Remensi provincia, de qua idem Johannes fore dinoscitur, presentavit et per ipsos examinatores de litteratura examinatus extitit diligenter. Et demum, cum petitiones clericorum dicte provincie in cancellaria restituerentur cum collationibus assignatis in eis, et ipsius Johannis supplicatio non appareret inter illas, Johannes dictus Wlpes de Vivertschen, presbyter, dicte Cameracensis diocesis, ipsum clericum, quem invenit multipliciter desolatum, de supplicatione sua hujusmodi que minime apparebat extitit allocutus et figens se sibi multum compati et cum dictis examinatoribus et clericis ac familiaribus eorum magnam familiaritatem habere, ac propterea sibi posse subvenire, quamdam supplicationem ipsius clerici nomine de novo composuit eamque falsis signis et sigillis sub nomine dictorum examinatorum signavit super quadam collectione quam ipse clericus affectabat habere, ipsamque supplicationem quinta die post dicta verba per eum cum ipso clerico habita sic falso modo signatam prefato clerico aportavit et ab ipso clerico simplice et falsitatem hujusmodi ignorante quinque florenos auri pro suis, ut dicebat, laboribus et expensis extorsit; dictusque clericus credens supplicationem hujusmodi veram esse super illa notam confici et litteras grossari fecit et cum ad examinatores pro signis et sigillis in littera grossata, ut moris est in talibus, ponendis accessisset et reperiretur per regesta dictorum examinatorum dicta supplicatio falsa, prefatus clericus de mandato dilecti filii Helie abbatis monasterii sancti Florentii de Salmuro, ordinis sancti Benedicti, Andegavensis diocesis, tunc cancellarii sancte Romane Ecclesie gerentis officium, captus fuit et carceri mancipatus, dictusque presbyter, scita captione ipsius clerici, et causa hujusmodi captionis statim tamquam male conscius, se a Romana curia absentavit. Cum autem idem clericus diligenter super premissis examinatus confessus fuerit se dictam supplicationem a prefato presbytero aliter habuisse et pro eo quod ipse in falsitate hujusmodi culpabilis alias repertus non extitit, de mandato venerabilis fratris nostri Petri episcopi Penestrini sancte Romane ecclesie vicecancellarii a dicto carcere fuerit relexatus, sub arresto quod Romanam curiam non exiret, dictusque presbyter propter fugam suam hujusmodi de falsitate ipsa reddiderit non modicum se suspectum et per diversa loca propterea discurrere et latitare etiam asseratur, et propterea nolentes tante perversitatis audatiam conniventibus oculis pertransire, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos vel quilibet vestrum, in cujus jurisdictione prefatum presbyterum reperiri continget, tam ex vestro officio quam

ad requisitionem pro parte complices veritatem diligentius inquiratis et ipsum cum processu per vos contra ipsum habendo ad sedem eandem studeatis sub fida custodia destinare, de falsitate hujusmodi prout justum fuerit puniendum. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Dat. Avinione, x kalendas decembris, anno secundo. »

544 Avignon, 24 novembre 1343.

Philippo regi Franciæ Ludovicum de Pictavia commendat. (Reg. 137, n° cccccxii, fol. 147 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Quedam super negocio dilectorum filiorum nobilium virorum Caroli de Blesis, ducis Britannie, et Johannis, comitis Montisfortis, et certis aliis, dilecto filio nobili viro Ludovico de Pictavia, verbotenus expressimus per ipsum magnificentie regie oraculo vive vocis seriosius explicanda ; super quibus ipsum regalis providentia, quesumus, audiat, sibique fidem credulam adhibeat in hac parte. Dat. Avinione, viii kalendas decembris anno secundo. »

545 Avignon, 25 novembre 1343

Reginam Navarræ de morte mariti consolatur. (Reg. 137, n° cccccxiiii, fol. 147 r°. — Raynaldi, *Annales*, VI, 320.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Navarre illustri.* Non sine cordis anxietate mentisque amaritudine nuper audivimus clare memorie Philippum regem Navarre, virum tuum, fuisse, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingressum. Et licet suarum virtutum magnitudine, devotionisque altitudine, quibus in hoc mundo prefulgebat rex ipse conspicuus, intenta consideratione pensatis, de tanti tamque devoti ecclesie filii subtractione fuerimus juxta possibilitatem conditionis humane doloris acerbitate respersi, dum tamen diligenter attendimus ipsius felicem transitum, qui tanquam devotus ipsius ecclesie filius, et zelator fidei catholice fervidus, in Dei et ejusdem fidei prosecutione negocii, pro quo ad partes Ispaniarum contra perfidos Sarracenos profectus fuerat, et in ejusdem confessione fidei rebus suis prudenter, ut intelleximus, dispositis, et sacramentis ecclesiasticis devote receptis, evocatus de hujus mundi calamitatibus et miseriis ad perpetuas et lucidas, ut creditur, mansiones, sic clausit laudabiliter terminum vite sue, multipliciter in Domino consolamur. Sane, filia carissima, quia te de subtractione dicti viri meroris repletam mestitudine non sine compassione paterna cordis oculis contemplamur, celsitudinem tuam regiam attentius in Domino exhortamur, quatenus consideranter attendens, quod ille supernus conditor et creator omnium, qui dedit, regem ipsum ad se, absque tui et cujusquam alterius injuria potuit juxta sue voluntatis beneplacitum revocare, quodque mortis judicium restitutionis beneficium non admittit, attentis hiis que premisimus, abstersis lacrimis, subductis suspiriis, et doloribus mitigatis, te coaptare dispositioni et voluntati divine in hac parte studeas, et in eo consolationem assumas, qui totius consolationis est pater, ut tua regalis magnanimitas, non demissa, sed fortior et virtuosior, sicut statum decet regium appareat in adversis. De nobis fiduciam habitura quod super tuis ac tuorum et regis predicti liberorum oportunitatibus nos, quantum cum Deo poterimus, propicios reperies et benignos. Datum Avinione vii kalendas decembris, anno secundo. »

Item in eundem modum *carissime in Christo filie Johanne regine Francie et Navarre illustri*, mutato ubi dicitur virum, quod dicatur germanum, et ommissa ultima clausula : De nobis (n° dxv, fol. 147 v°.)

546 Avignon, 25 novembre 1343.

Philippum VI, regem Franciæ, rogat ut quasdam conventiones factas inter Johannam, Siciliæ reginam, Humbertumque, dalphinum Viennensem, observari jubeat. (Reg. 137, n° cccccxvi, fol. 147 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Pro parte carissime in Christo filie nostre Johanne regine Silicie illustris nuper exposito coram nobis quod certe terre, quas in partibus Vapincensibus et aliis in comitatu suo Forcalquerii dilectus

filius nobilis vir, Humbertus Dalfinus Viennensis, tenet ab eadem regina, et a suis progenitoribus predecessores dicti Dalfini ab antiquis temporibus in feudum tenuerunt, tam jure feudali, quam ex certis conventionibus et pactis inter progenitores ejusdem regine ac predecessores dicti Dalfini olim initis, in casu quo Dalfinum predictum absque legitimo herede de suo descendente corpore contingeret decedere, ad reginam debent pervenire predictam, nobisque instanter et humiliter supplicato, ut tue regali celsitudini super hiis scribere, ac precum instanciis insistere apud eam, quod per aliquas conventiones habitas pro parte regia cum Dalfino predicto honoribus et juribus ejusdem regine neptis tue, fili carissime, que de tuis favoribus et auxiliis multum confidere se non immerito asserit, nullatenus sineres circa hoc quomodolibet derogari. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, magnificentiam regiam exhortamur quatenus ejusdem regine indempnitatibus super premissis, prout rationi et equitati regiisque honoribus conveniens fuerit, velit regia benivolentia providere. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno secundo. »

517 Avignon, 25 novembre 1343.

Cum contentio fuisset exorta apud Sedem apostolicam inter Petrum Rogerii, de Montepessulano, et Conradum de Labrina, civem Januensem, super quibusdam reliquiis, Johanni Paleologo nuntiat se quasdam ex hiis reliquiis custodivisse, videlicet frustrum Crucis digitumque beati Johannis Baptistæ. (Reg. 137, n° CCCCCXVII, fol. 147 v°.)

« *Magnifico principi Johanni Grecorum imperatori et moderatori Paleologo illustri, graciam in presenti que perducat ad gloriam in futuro.* Magnificentie tue litteris de quibusdam reliquiis et rebus aliis, super quibus dudum inter dilectos filios Petrum Rogerii, de Montepessulano, Magalonensis diocesis, et Conradum de Labrina, civem Januensem, fuerat contentio coram nobis, facientibus mentionem, benigne receptis, et contentis in eis plenius intellectis, tuam volumus excellentiam non latere quod, postquam propter contentionem hujusmodi prefatorum Petri et Conradi penes venerabilem fratrem nostrum Bertrandum, episcopum Ostiensem, sancte Romane ecclesie cardinalem, deponi custodiendas fecimus, prout continetur in quibusdam nostris litteris, reliquias et res ipsas, nos, retentis nobis de ipsis reliquiis ex causa devotionis dumtaxat, quodam frustro vivice Crucis dominice, ac particula uncie digiti beati Johannis Baptiste, precursoris Salvatoris nostri Domini Jhesu Christi, cetera omnia que magni valoris secundum extimationem nostram et aliorum qui aderant tunc temporis non existunt, prefato Conrado restitui mandavimus et integraliter assignari. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno secundo. »

518 Avignon, 25 novembre 1343.

Angelum Senensem de Brundusio, thesaurarium Piedimontis, Johannæ, reginæ Siciliæ, commendat. (Reg. 137, n° CCCCCXVIII, fol. 148 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Exposuit nobis dilectus filius Angelus Senensis de Brundosio, thesaurarius regius Pedimontis, quod ipse, qui per inclite memorie Robertum, regem Sicilie, avum tuum, deputatus thesaurarius extitit in partibus Pedimontis, in eodem officio per quatuor annos et ultra fideliter et diligenter laborans, tam pro conservando honore regio quam stipendiariis ibidem existentibus, quibus pro parte regia non prestabatur, ut dicit, sufficiens satisfactio, retinendis, preter solicitudines et labores proprios nonnulla de suis bonis expendit. Nostre igitur intercessionis presidio apud te, filia carissima, super hiis per ipsum humiliter implorato, nos eum, de quo laudabile testimonium audivimus, tue serenitatis benivolentie commendamus. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno secundo. »

Item in eundem modum *carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri*, **mutato ubi dicitur avum, dicatur virum. Dat. ut. supra** (n° CCCCCXIX).

519 Avignon, 25 novembre 1343.

Aimerico de Castrolucii, tituli SS. Silvestri et Martini cardinali prædictum thesaurarium commendat. (Reg. 137, n° CCCCCXX, fol. 148 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.* Cum carissimis in Christo filiabus nostris Sancie et Johanne reginis Sicilie illustribus super serviciis que dilectus filius Angelus Senensis de Brundosio, thesaurarius regius Piedimontis, exhibuisse domui regie dicitur, ut eum favorabiliter respiciant super eisdem serviciis, per litteras nostras scribamus, ipsum super hiis et aliis suis oportunitatibus, sicut honeste fieri poterit, tue benivolentie commendamus. Dat. Avinione, VII kalendas decembris, anno secundo. »

550 Avignon, 25 novembre 1343.

Infrascriptæ et viginti monialibus dicti monasterii de Coyros indulget ut absolutionem in mortis articulo a confessore recipiant, quem duxerint eligendum. (Reg. **137**, n° MCCXVI, fol. 289 v°.)

« *Dilecte in Christo filie Beatrici Bessia, moniali monasterii de Coyros, ordinis Cisterciensis, Lemovicensis diocesis.* Prudentes virgines que —. Dat. Avinione, VII kalendas decembris, anno secundo. »

551 Avignon, 28 novembre 1343.

Committit infrascripto officium vicariatus sive bajulatus regni Siciliæ. (Reg. **137**, *De Curia*, n° XLII, fol. 10 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato, ac vicario seu gubernatori et bajulo regni Sicilie pro Romana ecclesia constituto salutem etc.* Sacrosancte Romane ecclesie —. Datum Avinione, IIII kalendas decembris, anno secundo. »

552 Avignon, 28 novembre 1343.

Ratificat conventiones quas infrascriptus fecerat cum heredibus Hugonis de Engolisma, canonici Xanctonensis. (Reg. **137**, n° CCCCCXXI, fol. **148** r°.)

« *Dilecto filio Bernardo Fornerii, succentori ecclesie Narbonensis.* Pro parte tua nuper expositum extitit coram nobis, quod dudum per cameram felicis recordationis Benedicti papa XII, predecessoris nostri, de cujus genere descendisse nosceris, unus liber Decreti, qui fuisse dicebatur de bonis quondam Hugonis de Engolisma, canonici Xanctonensis, in Romana curia decedentis, tibi traditus extitit et etiam assignatus, et subsequenter quia per ipsam cameram ordinatum fuisse certis ex causis dicebatur, quod bona Hugonis predicti, que per cameram apostolicam capta fuerant, heredi restituerentur ipsius, tibi pro parte camere nostre mandatum fuit, ut de dicto libro cum herede predicto convenire rationabiliter procurares. Cum autem tu, sicut asseris, cum eodem herede concordaveris de certa summa pecunie pro eodem libro per te sibi solvenda, et timeas quod per cameram predecessoris predicti ratione ipsius libri, dum tibi traditus et assignatus, ut premittitur, extitit, de ipso vel precio illius restituendo, a te obligatio sit recepta, nos tuis supplicationibus super hiis inclinati, volentes tibi de oportuno cautele remedio providere, quancumque obligationem per cameram ipsam, aut pro parte ipsius, ratione vel occasione dicti libri a te sub quacumque forma vel expressione verborum receptam, dummodo dicto heredi pro dicto libro satisfactionem, de qua contentetur, impenderis vel impendas, tenore presentium tollimus et totaliter relaxamus, volentes et decernentes eandem nullius existere de cetero roboris vel momenti. Datum Avinione, IIII kalendas decembris, anno secundo. »

553 Avignon, 28 novembre 1343.

Infrascripto concedit ut possit per procuratores ecclesias visitare, procurationesque debitas recipere, et quosdam exsecutores dicti privilegii deputat. (Reg. **137**, n°s MCVIIII et MCX, fol. 272 r°.)

« *Venerabili fratri Petro episcopo Valentino et Diensi.* Devotionis tue probata sinceritas —. Dat. Avinione, IIII kalendas decembris, anno secundo. »

« *Judicibus... venerabili fratri... episcopo Carnotensi et dilectis filiis... Sancti Flori Claromontensis ac Guidoni de Combornio, Vallispirii, Elnensis, archidiaconis, ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos —. Dat. Avinione, IIII kalendas decembris, anno secundo. »

554-555 Avignon, 28 novembre 1343.

Eidem episcopo indulget ut plures ecclesias in una die usque ad biennium per procuratores visitare possit, exsecutoresque deputat. (Reg. 137 n° MCXXXVI, et MCXXXVII fol. 276 r°.)

« *Venerabili fratri Petro episcopo Valentino et Diensi.* Devotionis tue probata sinceritas —. Datum Avinione, III kalendas decembris, anno secundo. »

« *Judicibus venerabili fratri epicopo Carnotensi et dilectis filiis... Sancti Flori Claromontensis ac... Guidoni de Combornio, Vallispirii, Elnensis archidiaconis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra. »

556 Avignon, 29 novembre 1343.

Reginæ Siciliæ commendat Fortanerium, ministrum generalem ordinis fratrum Minorum. (Reg. 137, n° CCCCCXXV, fol. 149 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Cum dilectus filius Fortanerius, minister generalis ordinis fratrum Minorum, sacre theologie professor, ad partes illas accedat, nos ipsum, quem velut virum profunditate scientie puritate religionis et aliis virtutibus a Domino insignitum prosequimur specialis prerogativa favoris, tue regie benivolencie propensius commendamus. Dat. Avinione, III kalendas decembris, anno secundo. »

557 Avignon, 29 novembre 1343.

Eidem ministro concedit ut fratres idoneos ad Parisiense Studium mittere valeat. (Reg. 137, n° CCCCCXXVI, fol. 149 v°; — Denifle et Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. II, n° 1077, p. 542.)

« *Eidem ministro* [*Fortanerio generali ministro fratrum ordinis Minorum*]. Volentes tuis claris —. Datum ut supra. »

558 Avignon, 29 novembre 1343.

Infrascripto, qui per Raymundum de Valle, archidiaconum de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi, idoneus repertus fuit, tabellionatus officium concedit. (Reg. 137, n° MCLXXXVI.)

« *Item in eodem modo dilecto filio Johanni Girardini de Delus clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Virdunensis diocesis, mutato ubi dicitur per venerabilem fratrem Gasbertum et cœtera, dicatur per dilectum filium magistrum Raymundum de Valle archidiaconum de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi, cui tuam examinationem et cœtera.* Datum Avinione, III kalendas decembris, anno secundo. »

559 Avignon, 1er décembre 1343.

Infrascriptis archiepiscopis mandat ut deciman triennalem omnium beneficiorum ecclesiasticorum in provinciis suis existentium colligi jubeant ad subsidium contra Turcos adaugendum. (Reg. Vat. 157, *De Curia*, n^os L à CXIV, fol. 16 v°; — Reg. Vat. 62, *De negotiis Tartarorum*, fol. 55 r°.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo Pisano ejusque suffraganeis salutem.* Gustamus amaritudinis calicem —. Dat. Avinione, kalendis decembris, anno secundo. »

In eodem modo archiepiscopis *Aquensi* —, *Trecerensi* —, *Januensi* —, *Lugdunensi* —, *Mediolanensi* —, *Arelatensi* —, *Tarantasiensi* —, *Gradensi* —, *Salzeburgensi* —, *Ebredunensi* —, *Coloniensi* —, *Capuano* —, *Ravennatensi* —, *Jadrensi* —, *Bisuntino* —, *patriarche Aquilegensi* —, *archiepiscopo Cusentino* —, *Panormitano* —, *Ragusino* —, *Viennensi* —, *Gneznensi* —, *Strigoniensi* —, *Spalatensi* —, *Sancte Severine* —, *Magdeburgensi* — *Brundusino* —, *Tarentino* —, *Messanensi* —, *Barensi*, *Bremensi* —, *Salernitano* —, *Beneventano* —, *Idrontino* —, *Surrentino* —, *Calaritano* —, *Sipontino* —, *Rossanensi* —, *Acherontino* —, *Turritano* —, *Consano* —, *Montisregalis* —, *Bracharensi* —, *Arborensi* —, *Terraconensi* —, *Ispalensi* —, *Colocensi* —, *Cesaraugustano* —, *Pragensi* —, *Amalfitano* —, *Antibarensi* —, *Duracensi* —, *Neapolitano* —, *Henrico patriarche Constantinopolitano* —, *Nicosiensi* —, *Patracensi* —, *Cretensi* —, *universis episcopis per ducatum Spoletanum constitutis* —, *archiepiscopo Regino* —, *Upsalensi* —, *Lundensi* —, *Nidrosiensi* —, *universis episcopis per Marchiam Anconitanam et patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.*

560 Avignon, 1er décembre 1343.

Episcopo Caturcensi mandat ut excommunicet Raymundum Bernardi de Caciata de Podiocorneti prope

Molerias ejusque complices qui horrendos excessus in dicta diœcesi perpetraverant. (Reg. 137, n° ccccxxxi, fol. 150 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Caturcensi.* Horrenda et perniciosa scelera per viros sceleratos et impios audivimus displicenter nimis fuisse hiis diebus preteritis in tua Caturcensi diocesi perpetrata. Habet siquidem rumor implacidus et infestus per clamorem infamie publice in partibus illis, ut asseritur, et usque ad Sedem apostolicam, prodolor! divulgatus, quod Raymundus Bernardi de Calciata, de Podiocorneti prope Molerias, clericus, gestans tamen habitum laicalem, ut fertur, tue predicte diocesis, Deum et Sedem predictam graviter offendere, libertatem et immunitatem ecclesiasticam ledere, ac humane societatis federa et bonos mores corrumpere in sue salutis status et fame dispendium et plurimorum scandalum non formidans, pridem de mense octobris proximo preterito, cum dilectus filius Guillelmus, abbas monasterii Vallismagne, Cisterciensis ordinis, Agathensis diocesis, esset in monasterio Gardedei, ejusdem ordinis predicte tue diocesis, cujus abbatiali regimini aliquibus temporibus prefuerat, ordinatus et dispositus cum familiaribus et rebus suis pro suis certis expediendis negociis ad Sedem veniendi predictam, idem Raymundus Bernardi una cum nonnullis suis nequam in hac parte complicibus clericis et laicis venit ad dictum monasterium Gardedei et cum eodem abbate ac dilecto filio Johanne, abbate monasterii sancti Marcelli, ordinis prelibati, tue sepefate diocesis existente simul ibidem, cum prefato Guillelmo abbate amicicias simulans et configens reverentias, deinde ipse dictique complices sumptis cibo et potu in abbatia ejusdem monasterii, quamvis non ignorarent prefatum Guillel-abbatem in itinere constitutum et dispositum ad eandem Sedem apostolicam veniendi, subito ceptas collocutiones reverentiales et amicabiles, in injuriosas et hostiles offensas instigatione diabolica convertentes, in predictos abbates et familiares eorum tam monachos quam clericos et laicos hostiliter immaniter et proditorie, cum ipsi abbates et familiares de prefatis Raymundo Bernardi et complicibus propter amicabilia verba preterita confiderent, irruentes, et manus sacrilegas et violentas temere, non deferentes eorum statui aut ordini vel immunitati dicti monasterii, loci utique religiosi, sed ferali dementia et omni reverentia retrojecta inicientes in eos, supradictos abbates ac nonnullos monachos dicti ordinis necnon clericos et laicos qui erant infra septa dicti monasterii et etiam socios et familiares dictorum abbatum, invasos ab eis et affectos contumeliis, offensis et injuriis variis percusserunt, fugaverunt, eundemque Guillelmum abbatem ac quosdam ex suis sociis et familiaribus clericis et laicis adeo graviter vulnerarunt quod de vita ipsius abbatis et aliquorum ex eisdem familiaribus extitit non immerito dubitatum; nec tot et tantis atrocibus ac proditoriis excessibus et delictis contenti, prenominati Raymundus Bernardi et complices, sed tamquam venundati, ut malum facerent, ad ulteriora delicta et scelera, diabolico exagitati spiritu prorumpentes, et dirruptis rationis habenis per campum licentie in suum precipicium discurrentes effrenes, fractis violenter per eos ferris et clausuris cofinorum ejusdem Guillelmi abbatis et aliorum vasorum in quibus erant res et bona ipsius et etiam monasterii supradicti, vestes, vasa aurea et argentea, jocalia pecunias et alia bona ibidem reperta, que magni valoris, ut asseritur, existebant, modis furtivis et predonicis rapuerunt, et ea secum una cum equis, equitaturis et saumeriis ac saumeriorum arnesiis repertis infra septa monasterii prelibati, raptis et captis per eos modis similibus, asportarunt nequiter, et duxerunt, ex quibus sacrilegiis, excessibus, manuum injectionibus, ac impedimento et turbatione dicti abbatis in suo itinere ad Sedem memoratam, ut premittitur, veniendi, eosdem Raymundum Bernardi et complices ac omnes et singulos qui eis in premissis vel circa ea prestiterunt auxilium consilium vel favorem, excomunicationis sententiam latam a canone, preter alias penas tam a jure quam constitutionibus et processibus apostolicis adversus talia vel similia perpetrantes promulgatas et inflictas non est dubium incurrisse. Sane quia rei utilitatis publice multum expedit quod maleficia et maxime sic detestanda et enormia non remaneant incorrecta, nos, volentes quod tot et tantorum execrandonum scelerum temeraria et presumptuosa patracio in succedentium temporum secula et perniciem aliorum absque correctione debita neglectui relinquantur, fra-

ternitati tue per apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatinus per te vel alium seu alios, si premissa sint in partibus illis, sicut asseritur, notoria, vel alias simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii de illis constiterit, super quibus diligentiam adhibere studeas operosam, eosdem Raymundum Bernardi et complices ac omnes et singulos clericos et laicos, cujuscumque status vel conditionis existant, qui super eis perpetrandis prestiterunt publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, nominatim illos de quibus constiterit, ut prefertur, et generaliter omnes alios excommunicatos publice, tam in tuis civitate et diocesi, quam Burdegalensi, Tholosana et Auxitana provinciis facias nunciari et nichilominus super eisdem excessibus et eorum singulis similiter et de plano, et simpliciter sine strepitu et figura judicii veritatem inquirens, adversus omnes et singulos clericos et laicos, cujuscumque status, preminentie, dignitatis ordinis vel conditionis existant, de predictis rapinis, furtis, excessibus, criminibus et delictis, culpabiles vel suspectos, aut qui super eis committendis vel rebus et bonis raptis et asportatis hujusmodi vel aliquibus de illis retinendis prestiterunt aut in palliatione hujusmodi facinorosorum scelerum, quominus exigente justitia puniantur, prestabunt de cetero auxilium consilium vel favorem publice vel occulte, aut scienter receptabunt vel defendent malefactores eosdem vel eorum aliquem, necnon habentes notitiam de ipsis vel aliquo ipsorum, de quibus tamen publice in illis partibus non est notum, et revelare ipsos forsitan ommittentes, vel habentes aliqua de bonis et rebus hujusmodi raptis et asportatis, secumque retinentes et non restituentes abbati et monasterio memoratis, aut scientes eos qui habent et non revelantes tibi vel abbati predicto, ad excommunicationis in personas, ac inhabilitatis et privationis beneficiorum illorum ex eis qui clerici fuerint, et nichilominus interdicti in civitates, terras et castra et loca ipsorum ac cujuslibet eorundem in premissis vel eorum aliquo culpabilium penas et sententias, ac alias modo et forma de quibus excessuum et culparum hujusmodi, considerata qualitate, videris expedire, quousque super premissis emenda competens prestita, et justitie satisfactum fuerit, auctoritate procedas apostolica et exequaris tui officii debitum in hac parte, contradictores quoslibet et rebelles auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem quod patratores eorundem scelerum, ac fautores, auxiliatores, consiliatores et receptatores eorum, ac alios clericos et laicos, de quibus tibi videbitur expedire, citare aut citari, aut monere seu moneri facere coram te generaliter vel specialiter ubicumque valeas per publice citationis vel monitionis edictum, seu alias prout et quociens expediens fuerit vel etiam oportunum. Et, ut hujusmodi citationis vel monitionis edictum, tuique processus habendi super hiis plenum et debitum sortiantur effectum, et impedimentum nullius objectus vel obstaculi possit obici quomodolibet contra eos, eadem auctoritate nichilominus decernimus hujusmodi citationis seu monitionis edictum in loco vel locis publicis affigendum per inde valere ac citatos et monitos ipsos per illud arctari, ac si citatio vel monitio hujusmodi presentialiter ipsos aprehendisset et quemlibet eorundem. Et insuper agravandi processus et sententias quos per te haberi vel promulgari presentium auctoritate contigerit, ac illos et agravationes hujusmodi eorumque declarationes exequendi auctoritate predicta, plenam tibi concedimus potestatem. Non obstantibus, etc... usque volumus suffragari. Ceterum per premissa quibusvis processibus per te vel officiales tuos auctoritate ordinaria factis super premissis vel etiam imposterum, prout tibi videbitur expediens faciendis, non intendimus in aliquo derogare, nec tibi adimere quomodolibet super hiis potestatem. Demum volumus quod processus auctoritate presentium faciendos non solum in eisdem tuis civitate et diocesi, sed in provinciis supradictis et locis vicinis aliis de quibus expedire videris, ad majorem exagerationem et detestationem tam execrandorum et detestandorum criminum, et ne aliquis pretextu ignorantie possit super premissis, vel ea quoquomodo tangentibus velamen excusationis assumere, facias sollemniter publicari; nos redditurus de hiis que in hac parte quomodolibet egeris nichilominus certiores. Datum Avinione, kalendis decembris, anno secundo. »

561 Avignon, 1er décembre 1343.

Eidem episcopo mandat ut contra prædictos malefactores et scelerum patratores dure sæviat. (Reg. 137, n° ccccccxxxii.)

« *Eidem episcopo.* Audisti, frater, et odisti, ut credimus, perniciosa, execrabilia et detestanda scelera per illum nequam hominem Raymundum Bernardi de Calciata, de Podiocorneti, et suos complices pridem in abbatia monasterii Gardedei, Cisterciensi ordinis, tue Caturcencis diocesis, presumptuosis et temerariis ausibus, ut divulgat rumor infestus et displicibilis, perpetrata. Cum autem nos, sicut expedit rei utilitatis publice, cupientes super eisdem sceleribus et delictis exhiberi justitie complementum, nostras tibi patentes litteras super hoc destinemus, fraternitatem tuam attentius exhortamur, quatenus circa solertem executionem earum, operosam, prout oportunum et expediens fuerit, diligentiam adhibere procurans, de quibusdam ex malefactoribus ipsis, quos ad manus tuas pervenisse audivimus, ac aliis quos pervenire contigerit, super quo tua prudentia sedulis studiis elaboret, sic plenam et exemplarem exhibeas justitiam quod inde possis et debeas merito commendari. Datum Avinione, kalendis decembris, anno secundo. »

562 Avignon, 1er décembre 1343.

Petro, duci Borbonesii, mandat ut novitates per officiales ejus in comitatu Marchiæ et diœcesi Lemovicensi factas revocari jubeat. (Reg. 137, n° ccccccxxxiii, fol. 151 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Petro duci Borbonii.* Infausti rumoris assertio hiis diebus perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod tui officiales in comitatu Marchie et aliis terris tuis infra diocesim Lemovicensem consistentibus deputati, nonnullas novitates, alias inauditas, in gravem Dei et ecclesie sancte sue injuriam et offensam lesionemque libertatis ecclesiastice, contra dilectos filios... electum et capitulum, ac ecclesiam Lemovicenses attemptare[1] hiis preteritis temporibus pro libito eorundem officialium presumpserunt, et frequenter presumunt, quarum quidem novitatum esset nimis prolixa recitatio si eas, ut nobis explicate sunt, series presentium recitaret. Cum autem attenta devotione sincera, quam progenitorum tuorum laudabilibus inherendo vestigiis gerere dinosceris ad Deum et ecclesiam sanctam suam, talia de tua, fili, conscientia nequaquam procedere indubie supponamus, nobilitatem tuam rogamus et attentius in Domino exhortamur quatinus, prefatorum electi et capituli procuratoribus super hiis pacienter et plene auditis, ea que in hac parte facta et attemptata indebite fuerint, sic effectualiter prompte ac benivole faciat eadem nobilitas revocari, et prout fieri poterit, emendari, prohiberique ne talia vel similia in eisdem comitatu et terris de cetero attemptentur, quod Deum proinde magis tibi constituas propicium, tuaque circumspectionis devotio apud nos et sedem apostolicam possit et debeat merito commendari. Datum Avinione, kalendis decembris, anno secundo. »

[1] Ms. : *attemptatare.*

563 Avignon, 1er décembre 1343.

Similiter infrascriptis ducissæ et dominæ de Sulliaco scribit. (Reg. 137, n° cccccxxxiiii et cccccxxxv, fol. 152 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne, ducisse Britannie, vicecomitisseque Lemovicensi.* Infausti rumoris assertio etc —. Dat. ut supra. »

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite de Borbonio domine de Suliaco.* Infausti rumoris. Dat. Avinione, kalendis decembris, anno secundo. »

564 Avignon, 2 décembre 1343.

Thesaurario et rectori Comitatus Venaissini mandat ut venditiones et investituras terrarum in dicto Comitatu factas stabiliant et confirment. (Reg. 137, n° cccccxl, fol. 153 r°.)

« *Dilectis filiis Petro de Artisio, archipresbitero ecclesie Lodovensis thesaurario, et Guillelmo Alasardi, juris civilis professori, Arelatensis diocesis regenti curiam generalem comitatus Venaissini nobis et ecclesie Romane immediate subjecti.* Cum, sicut

intelleximus, nonnullis vendentibus et ementibus, terras, vineas, prata, domos et alias possessiones et bona immobilia, que in comitatu Venaissini nobis et ecclesie Romane immediate subjecto, sub dominio nostro et ecclesie memorate tenentur, redderetur sumptuosum et difficile si pro singulis laudimiis, investitionibus bonorum hujusmodi, eos ad nos et Sedem apostolicam oporteret habere recursum, nos volentes eorum in hac parte parcere laboribus et expensis, ut terras, vineas, prata, domos et alias possessiones hujusmodi, fraude ac prejudicio ecclesie predicte cessantibus, jam vendita et vendenda, dummodo non sint jurisdictiones alte vel basse, aut mera seu mixta imperia, emptoribus laudare, ac eos investire de illis postquam de venditionibus ipsis vobis constiterit, receptis per te, fili thesaurarie, juribus ad nos et ecclesiam memoratam exinde spectantibus, vel pro nobis et eadem ecclesia retinere, si expediens et utile fuerit, usque ad nostrum beneplacitum, vel quousque rectorem in eodem comitatu deputaverimus, valeatis juxta modum et formam hactenus in talibus observatos, plenam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, III nonas decembris, anno secundo. »

565 Avignon, 5 décembre 1343.

Petri ducis Borbonesii supplicationibus annuens, infrascriptis mandat ut assignent quasdam pecuniæ summas, dicto duci debitas. (Reg. 137, n° CCCCLXX, fol. 136 r°.)

« *Dilectis filiis Raymundo Flori canonico Urgellensi et Morerio de Moreriis, rectori parrochialis ecclesie Sancti Stephani Tholosani.* Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, attendens quod pie memorie Johannes papa XXII, predecessor suus immediatus, volens quondam Ludovico duci Borbonesii super quibusdam suis necessitatibus subvenire, primo vigintiquinque, ac postmodum sex milia florenorum auri eidem duci sub certis modis, formis et conditionibus concesserat gratiose, easdemque florenorum summas que in universo summam triginta unius milium florenorum auri faciebant, de bonis et fructibus ecclesie Auxitane, que tempore vacationis ipsius per obitum bone memorie Amanevi archiepiscopi Auxitani obvenerant, quorum dispositionem idem Johannes papa, predecessor noster, sibi et camere apostolice certis causis reservaverat, prefato duci vel ejus certo procuratori ejus nomine per certos executores seu collectores super collectione dictorum bonorum et fructuum ab eodem Johanne papa deputatos per diversas litteras suas exsolvi mandaverat et etiam assignari, quodque adhuc tunc temporis de predicta trigintaunius milium florenorum auri summa, mille septingenti sexaginta sex floreni auri, sicut apparere dicebatur per rationes venerabilis fratris nostri Arnaldi episcopi Magalonensis, tunc decani ecclesie sancti Pauli de Fenolhedesio, Ilerdensis diocesis, unius ex dictis collectoribus, restabant solvendi et assignandi duci predicto, idem Benedictus papa quondam Guillelmo Medici, canonico Electensi, dedit per suas litteras in mandatis, ut ipse, quem collectorem residuorum fructuum ac bonorum et debitorum predicti archiepiscopi similiter reservatorum deputaverat, dictos mille septingentos sexaginta sex florenos auri, si et cum eos de dictis bonis et fructibus juxta tenores litterarum apostolicarum super hoc collegisset, supradicto duci vel ejus procuratori assignare curaret, non obstante quod ipse Benedictus papa sextam partem residuorum et debitorum predictorum, que possent ex tunc recuperari commode, prefato duci de speciali gratia concessisset, quam quidem sextam partem residuorum ipsorum de illis intellexit et intelligi voluit dumtaxat residuis ipsi duci fore concessam, que pro parte camere predecessoris ejusdem inde justis modis et licitis recuperari et haberi valerent, quodque dux prefatus aliud ratione vel occasione residuorum predictorum ab eis qui ad illa tenebantur solvenda, vel a predecessore ipso et ecclesia Romana non posset petere vel sibi quomodolibet vendicare; voluit insuper predecessor predictus, quod super assignatione, que de dicta mille septingentorum sexaginta sex florenorum auri summa memorato duci vel procuratori suo fieret, publica conficerentur instrumenta prelibate camere, cui de predictis memoratus collector teneretur rationem reddere, postmodum fideliter assignanda, sicut hec in litteris ipsius

predecessoris inde confectis plenius continentur. Sane cum, sicut petitio dilecti filii nobilis viri Petri ducis Borbonesii, filii et heredis Ludovici ducis predicti, nobis exhibita continebat, adhuc de dicta summa mille septingentorum sexaginta sex florenorum auri nichil, et sexta parte residuorum predictorum, parum ad suas vel dicti ducis patris sui, dum viveret, manus pervenerit quoquomodo, nos ipsius ducis supplicationibus super hiis inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos et quilibet vestrum, de fructibus, bonis et residuis hujusmodi, qui exigi, recuperari et haberi commode poterunt, dictam summam restantem, ut premittitur, et sextam partem predictas, eidem duci vel ejus certo procuratori, si quando et prout ad manus vestrum vel alterius vestrum pervenerint, vel pervenire poterunt, ut prefertur, absque difficultate qualibet assignetis. Volumus autem et nostre intentionis ad instar dicti predecessoris existit, quod idem dux ab illis qui ad bona et residua predicta solvenda tenentur, vel a nobis aut camera nostra, nichil aliud possit exigere vel petere de premissis aut ratione vel occasione ipsorum, nisi de hiis solum que pro parte dicte camere justis modis et licitis exigi poterunt et haberi, quodque de singulis assignationibus, quas de predictis memorato duci vel ejus procuratori continget fieri, publica instrumenta confici faciatis, dicte camere, cui exinde rationem habebitis reddere fideliter, exhibenda. Datum Avinione, nonis decembris, anno secundo. »

566 Avignon, 5 décembre 1343.

Litteras ducis recepit factum Ludovici de Bavaria tangentes, devotionem ejus collaudat, nuntiosque ejus qui ad Sedem apostolicam venient, favorabiliter audire promittit. (Reg. 137, n° dxlviiii, fol. 155 v°; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2174, p. 786.)

« *Dilecto filio nobili viro Radulpho duci Lothoringie.* Solite benignitatis affectu, litteras nobilitatis tue recepimus de nunciis Ludovici de Bavaria et negocio reconciliationis ipsius, mentionem inter cetera facientes, et nichilominus devotionem sinceram quam ad nos et sanctam Romanam Ecclesiam gerere tanquam benedictionis et gratie filius dinosceris, cum oblatione tuorum obsequiorum devotissima, delectabiliter recensentes, quarum serie diligentius intellecta, devotionem hujusmodi cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus; nobilitatem scire volentes eandem quod nuncios ipsos, cum ad nostram venerint presentiam, favorabiliter audiemus, et si ex hiis que proponent et offerent, viam aperiri viderimus, per quam ad honorem Dei et ecclesie predicte ac animarum salutem procedi valeat ad hujusmodi reconciliationis tractatum, eam proculdubio, sicut debite juste ac honeste fieri poterit, prosequemur. Et licet tua circa hec devotis affectibus oblata presentia esset in omnibus nobis grata, prius tamen nuncios ipsos audire volumus et tibi tunc scribere, ut venias, si te adesse viderimus oportunum. Verum si pro hiis et aliis, presertim negotio te ac venerabilem fratrem nostrum... episcopum Metensem tangente, circa instans festum Purificationis Beate Marie Virginis ad nostram presentiam te conferres, gratum et acceptum nobis procul dubio redderetur. Dat. Avinione, nonis decembris, anno secundo. »

567 Avignon, 10 décembre 1343.

Cum nonnulli, jura, jurisdictiones, proventus et bona in castro de Montilioademari, Valentinæ diœcesis, usurpassent ac occupassent indebite, multos excessus committendo, incolasque multipliciter lædendo, infrascripto mandat ut ausus temerarios dictorum usurpatorum refrenet. (Reg. 137, n° ccccclii, fol. 156 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Vivariensi.* Inter sollicitudines varias —. Datum Avinione, iiii idus decembris, anno secundo. »

568 Avignon, 15 décembre 1343.

Cum Bertrandus, Tusculanus episcopus, et Neapoleo Ursinus, Sancti Adriani diaconus, cardinales, mortui essent, infrascriptis mandat ut colligant bona Petri de Arreblayo, Portuensis episcopi. (Reg. 137, n° dlv fol. 157 r°.)

« *Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris.* Expositum nuper extitit —. Datum Avinione, xviii kalendas januarii, anno secundo. »

569 Avignon, 15 décembre 1343.

Ad monasterium Casæ-Dei citius construendum monachis dicti loci omnia bona quondam Armandi prioris prioratus Sanctæ Gemmæ, Xanctonensis diœcesis, concedit. (Reg. 137, n° cccccLVI, fol. 157 v°.)

« *Dilecto filio Rigaldo, abbati monasterii Casedei, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Cum tuum monasterium Casedei, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, quod prerogativa dilectionis specialis prosequimur, constructione seu reparacione indigeat, nos volentes peculium et bona mobilia Armandi, quondam prioris prioratus sancte Gemme ejusdem ordinis, Xanctonensis diocesis, moventis ab eodem monasterio Casedei, que habebat vel ad eum pertinebant, tempore quo decessit, constructioni et reparacioni hujusmodi applicari, discretioni tue petendi et exigendi per te vel alium peculium et alia bona in constructionem et reparacionem convertendi, contradictores etc... non obstante... plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno secundo. »

570 Avignon, 17 décembre 1343.

Nicolao Rogerii canonico Rothomagensi confert archipresbiteratum de Yricione, Bituricensis diœcesis, quem Rogerius archiepiscopus Bituricensis jam ei concesserat, hanc collationem confirmando. (Reg. 137, n° cccccLVII, fol. 157 v°.)

« *Dilecto filio Nicolao Rogerii, canonico Rothomagensi et archipresbitero archipresbiteratus de Yricione, Bituricensis diocesis.* Merita tue devotionis etc. Tenor vero litterarum predicti archiepiscopi, de quibus supra fit mentio, talis est :

Rogerius permissione divina Bituricensis archiepiscopus, dilecto nostro Nicolao Rogerii clerico, salutem in Domino. Vobis de cujus fidelitate et industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, regimen archipresbiteratus nostri de Yricione vobis committimus, ac eundem per presentes conferimus et donamus, quamdiu vitam duxeritis in humanis, mandantes vobis ac tenore presentium committentes, quatenus officium predicti presbiteratus per vos, vel per alium, seu alios a vobis substitutos ydoneos exercere possitis, prout alii archipresbiteri hactenus facere et exercere consueverunt, emolumentaque ipsius archipresbiteratus recipere, et alia que officio ipsius archipresbiteratus incumbunt facere et exercere, prout jura volunt, et secundum curiam Bituricensem ac preceptorum provincialium et sinodalium seriem et tenorem. Mandantes omnibus et singulis personis archipresbiteratus nostri predicti, ut vobis seu substitutis vel substituendis a vobis in premissis et ea tangentibus pareant efficaciter et intendant. Datum sub sigillo nostro. Datum apud Cornuciam, domum nostram, die vicesima octobris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio.

Nulli ergo etc. Datum Avinione, XVI kalendas januarii, anno secundo. »

571 Avignon, 19 décembre 1343.

Cancellario ecclesiæ Parisiensis mandat ut ad magisterium in theologia promoveat Stephanum Doublel, rectorem parrochialis ecclesiæ de Clesseyo Baiocensis diœcesis, bacallarium in theologia. (Reg. 137, n° cccccLVIII ;— Reg. Avenion., *Clem. VI.*, vol. XIX, fol. 154 ; — Edidit., *Chartul. Univ. Parisiensis*, t. II, n° 1079, p. 543.)

« *Dilecto filio... cancellario ecclesie Parisiensis salutem, etc.* Sua nobis dilectus —. Dat. Avinione, XIIII kalendas januarii, anno secundo. »

572 Avignon, 20 décembre 1343.

Infrascriptis mandat ut non molestent Johannem, vicecomitem de Rupeca vardi, qui accusatus erat quod bona Folcaudi, quondam archiepiscopi Bituricensis, dilapidavisset, si dictus vicecomes innocens vere repertus fuerit. (Reg. 137, n° cccccLIX, fol. 158 v°.)

« *Dilectis filiis Oliverio de Sanctogeorgio, decano Sancti Austrigisilii Bituricensis, et Johanni Boniti archidiacono Borbonesii ac Stephano Chautardi canonico Bituricensis ecclesiarum.* Perlato dudum ad nostri apostolatus auditum, quod dilectus filius nobilis vir Johannes de Calvigniaco, dominus de Leproso, Bituricensis diocesis, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Isabellis ejus uxor ad bona mobilia bone memorie Folcaudi archiepiscopi Bituricensis, que tam in civitate Bituricensi quam aliis locis illarum partium, tempore quo idem archiepiscopus

detinebatur infirmitate, qua decessit, et post ipsius obitum existebant, extendentes indebite manus suas, cum suis in hac parte complicibus, nonnulla de bonis eisdem occupaverant temere, et secum asportaverant seu duxerant violenter. Nos occupationes, captiones et asportationes hujusmodi, perniciosas utique non modicum et injustas, non immerito detestantes, et nolentes, sicut nec debemus, tante presumptionis excessum sub dissimulationis neglectu pertransire, adversus occupatores et asportatores predictos clericos et laicos procedi usque ad plenam restitutionem et repositionem bonorum predictorum in locis de quibus occupata et asportata fuerant, per censuram ecclesiasticam mandavimus justitia exigente. Postmodum autem prefatus Johannes, dominus de Leproso ac dilectus filius nobilis vir Johannes, vicecomes de Ruppecavardi, ad nostram presentiam venientes, ac nobis humiliter supplicantes, ut super premissis benigne agere ac ordinare vellemus, quod debita et pia legata dicti archiepiscopi de bonis solverentur eisdem, ibidem super restitutione ac repositione bonorum predictorum ac aliis eadem bona tangentibus certas promissiones et obligationes coram nobis fecerunt et juramentis propriis firmaverunt, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane cum, sicut pro parte ipsius vicecomitis nuper expositum extitit coram nobis, ipse de bonis predictis nichil occupaverit aut asportaverit, nec occupari aut asportari mandaverit, aut occupationes et asportationes de illis factas, ut premittitur, ratas habuerit, nobis humiliter supplicavit, ut providere indempnitati sue, declarando quod promissiones, obligationes aut juramenta predicta, quod ad restitutionem bonorum predictorum non extendantur ad ipsum, paterna diligentia curaremus : nos igitur attendentes, quod si prefatus vicecomes ab eisdem occupationibus et asportationibus bonorum hujusmodi, ut ex parte ipsius asseritur, sit immunis, non est ad restitutionem compellendus ipsorum, tenore presentium declaramus nostre intentionis non existere nec etiam extitisse quod promissiones, obligationes ac juramenta predicta se extendant ad ipsum, in quantum concernunt restitutionem bonorum ipsorum; volumus tamen, quod si vicecomes prefatus reperiatur aliquid de bonis habuisse predictis ad plenam et integram restitutionem vobis faciendam teneatur, et si necesse fuerit compellatur ipsorum. Quocirca discretioni vestre apostolica scripta mandamus quatinus eum contra intentionem nostram hujusmodi nullatenus molestetis. Datum Avinione, XIII kalendas januarii anno secundo. »

573 Avignon, 20 décembre 1343.

Eisdem scribit super eodem negotio. (Reg. 137, n° DLX, fol. 159 r°.)

« *Dilectis filiis Oliverio de Sancto Georgio, decano Sancti Austrigisilii Bituricensis, et Johanni Boniti archidiacono Borbonesii ac Stephano Chautardi canonico Bituricensis, ecclesiarum.* Dudum fidedignis relatibus —. Dat. Avinione, XIII kalendas, januarii anno secundo. »

574 Avignon, 21 décembre 1343.

Prioribus Florentinæ civitatis commendat Alamannum, episcopum Mutinensem, et Johannem Moris, jurisperitum, civem Florentinum, nuncios per Galterum ducem Athenarum, dum civitatis Florentinæ regimini præsidebat, et per dictam civitatem missos ad Sedem apostolicam. (Reg. 137, n° DLXII, fol. 160 r°.)

« *Dilectis filiis prioribus consilio et communi civitatis Florentine.* Cum venerabilis frater —. Dat. Avinione, XII kalendas januarii, anno secundo. »

575 Avignon, 21 décembre 1343.

Cum dissensio inter infrascriptos Hugonemque regem Cipri orta fuisset, rogat eos ut ab omni commotione se abstineant nunciosque transmittant, ad concordiam reformandam, quoniam regis supradicti nuncii jam venerant paratique erant voluntati sanctæ Sedis obtemperare. (Reg. 137, n° DLXIII, fol. 160 r°.)

« *Dilectis filiis gubernatori et communi civitatis Januensis.* Nuper relatibus percepimus —. Datum Avinione, XII kalendas januarii, anno secundo. »

576 Avignon, 21 décembre 1343.

Gaudet quod regina Franciæ ex morbo nuper convaluerit. (Reg. 137, n° dlxiiii, fol. 160 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie et Navarre illustri.* Non sine compassione mentis audivimus, filia carissima, te, visitante Domino, fuisse hiis diebus preteritis infirmitate corporali gravatam; et deinde letanter precepimus, te, gratia superhabundante divina, esse sanitati pristine restitutam. Sane, filia dilectissima, quia ei, qui frequenter corripiendo flagellat quos diligit, ac percutit, vulnerat, et medetur, te dignatus est misericorditer visitare, tibique de sue pietatis clementia incolumitatem restituere post flagellum, exinde multum regraciari tota cordis devotione teneris; tuam in Domino magnificentiam exhortamur, quatenus piis semper intenta operibus in ejus gratiarum actione permaneas, et illa exerceas continue, que grata fore suis beneplacitis crediderís et accepta. Porro de caseis optimis nobis a tue celsitudinis liberalitate copiose transmissis, quos attenta sincera benivolentia, et devotione mittentis, gratanter recepimus, eidem celsitudini gratiarum referimus uberes actiones, prompti, quantum cum Deo poterimus, ad ea que regium concernerent beneplacitum et honorem. Datum Avinione, xii kalendas januarii, anno secundo. »

577 Avignon 22 décembre 1343.

Infrascriptum in locum Johannis Bertrandi canonici Bituricensis, in Bituricensi et Lemovicensi diocesibus, subrogat. (Reg. 137, n° dlxvi, fol. 161 r°.)

« *Dilecto filio Stephano Chautardi, canonico Bituricensi.* Cum, sicut intelleximus, dilectus filius Johannes Bertrandi, canonicus Bituricensis, cui dudum tam super collectione fructuum, reddituum et proventuum annalium beneficiorum ecclesiasticorum, vacantium ad dispositionem apostolicam immediate spectantium, per nos vel felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, sub certis modis et formis reservatorum et apostolice camere applicatorum pro suis necessitatibus utilius supportandis, quam diversis aliis negotiis, nos et ecclesiam Romanam ac cameram ipsam in Bituricensi et Lemovicensi civitatibus et diocesibus tangentibus diverse commissiones tam per nos quam per eundem predecessorem vel eandem cameram hactenus facte fuerunt ad exequendum et complendum commissiones predictas, seu ea que de illis restant complenda necessitate tui proprii corporis et aliis negociis prepeditus, commode vacare non possit, nos super hiis utiliter et salubriter providere volentes, et de tue circumspectionis et fidelitatis industria gerentes in Domino fiduciam pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, omnia et singula contenta in litteris commissionum predicto Johanni super premissis et ea tangentibus quoquomodo directis, vel ea que restant complenda de illis, resumendo processus per ipsum Johannem auctoritate litterarum ipsarum inchoatos vel factos, seu novos faciendo, sicut utilius videris expedire, juxta seriem et tenorem litterarum ipsarum et cujuslibet earundem, ac si tibi specialiter et expresse directe fuissent, quas per eundem Johannem tibi volumus assignari, exequi fideli et solerti adhibita diligentia studeas et complere. Contradictores etc. Non obstante, etc. Datum Avinione, xi kalendas januarii, anno secundo. »

578 Avignon, 27 décembre 1343.

Cum aliqui de provinciis Terraconensi et Cæsaraugustana ac Majoricensi et Elnensi civitatibus contra prohibitiones et processus, ad Alexandriæ, Syriæ et Egypti partes accessissent, mercedesque portavissent prohibitas, et ideo sententias excommunicationis incurrissent, infrascriptis commendat ut, compositionibus factis, absolutionem prædictis impendere valeant. (Reg. 137, n° dlxvii, fol. 161 r°.)

« *Venerabili fratri Ferrario episcopo Barchinonensi, et dilecto filio Almeracio de Cabrespina, canonico Ilerdensi.* Habet fidedignorum relatio —. Datum Avinione, vi kalendas januarii, anno secundo. »

579-580 Avignon, 27 décembre 1343.

Petro de Luc, archiepiscopo Burdegalensi, concedit ut possit ecclesias et monasteria per procuratores visitare,

procurationesque debitas recipere. (Reg. 137, n° mcxxx et mcxxxi, fol. 275 r°; et n° mcxiii, fol. 272 r°.)

« *Venerabili fratri Petro archiepiscopo Burdegalensi.* Devotionis tue probata —. Datum Avinione, vi kalendas januarii, anno secundo. »

« *Judicibus, dilectis filiis... Sancte Crucis Burdegalensis et... Sancti Romani de Blavia ac... de Faysia Burdegalensis diocesis, monasteriorum abbatibus.* Mandamus quatinus vos — Dat. ut supra. »

581 Avignon, 31 décembre 1343.

Nuntios Edwardi III, regis Angliæ, qui ad Sedem apostolicam pro tractatu pacis reformandæ sunt venturi, sub protectione speciali suscipit eisque securum et salvum conductum concedit. (Reg. 137, n° dlxxii, fol. 163 [1].)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vicesgerentibus, capitulis quoque, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Sancte Marie Theutonicorum, Calatravensium et Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus, necnon nobilibus viris, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justitiariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bajulis, officialibus, ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum, et aliis universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint.* Dudum carissimus in Christo filius noster Eduardus, rex Anglie illustris, nobis per suas litteras significare curavit, quod ipse pro tractatu pacis inter ipsum et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, dissidentes invicem, divina suffragante gratia, reformande, juxta conventiones inter reges eosdem, intervenientibus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrino et Anibaldo Tusculano, episcopis, apostolice Sedis nunciis, ad eosdem reges per nos dudum propterea destinatis habitas, nuncios suos solennes, videlicet dilectos filios nobiles viros Henricum de Lancastria Derbeye, Riccardum Arundellie, Thomam Warwykye, Robertum Suffolchie, Willelmum Huntingdonie, comites, Hugonem Le Despenser dominum de Glomergan, Radulphum de Nevyle, Bartholomeum de Borgherssh, Reginaldum de Cobhan, Thomam de Bradeston, barones, magistros Willelmum de Norwico decanum Lincolniensis, Johannem de Offorde Eliensis, Henricum de Chadesden, Stowengensis Lincolniensis, Robertum Heroward Tauntoniensis Wellensis archidiaconos ecclesiarum, et quosdam alios suos nuncios in prefixo super hoc tunc termino ad nostram disposuerat presentiam destinandos; sed proceres et communitas regni sui Anglie missioni nunciorum ipsorum et quod extra regnum proficiscerentur predictum, difficultatem opponebant, nisi eisdem nunciis in eundo, morando, et redeundo de securo provideretur conductu. Quare nobis supplicavit humiliter rex predictus, ut prefatos nuncios et alligatos sibi et nuncios eorundem cum familiis, rebus et bonis suis ad Sedem apostolicam et eandem presentiam, ratione dicti tractatus, simul vel separatim venientes ibidemque morantes et recedentes exinde, sub nostra et Sedis predicte protectione suscipere, quodque ipsi et eorundem alligatorum nuncii et iidem alligati ac familiares ipsorum, hujusmodi tractatus negocii prosecutione durante, in curia Romana vel alibi ex quacumque causa beneficiali, civili, vel criminali, personali, reali, aut mixta, seu alia quacumque, ad instantiam partis vel ex officio cujuscumque obligationis seu contractus, delicti vel quasi, non citarentur, monerentur, arrestarentur, caperentur, excommunicarentur, suspenderentur, aut contra ipsos quovismodo alio procederetur, per litteras apostolicas gratiose concedere dignaremur. Et licet a predicta Sede, apud quam patent et vigent et vigere debent securitas et libertas, et per quam adversus injuriatores, perturbatores, captivatores et spoliatores illorum, qui ad curiam Romanam predictam veniunt et recedunt ab ipsa, et in ea moram trahunt, graves excommunicationis et alie pene et sententie fore promulgate nos-

cuntur, securus conductus hujusmodi nequaquam postulari consueverit nec concedi per eam, nos tamen qui summis desideriis inter prefatos reges ac utriusque ipsorum amicos et subditos reformari pacis et unitatis Deo gratam et eis accomodam concordiam affectabamus, sicut adhuc affectamus, nolentes quod super materia tractatus predicti ex causa quacumque posset impedimentum vel obstaculum quomodolibet interponi, prefati regis Anglie in hac parte supplicationibus inclinati, nostras litteras concessimus super hiis oportunas. Sane quia prefati nuncii, tunc certis impedimentis eis occurrentibus, venire ad nostram presentiam nequiverunt, et in certo alio prorogato super predictis termino, aliqui ex eisdem nunciis, videlicet prefati Henricus de Lancastria Derbeye, Thomas Warwykye, Robertus Suffolchye, Willelmus Huntindonie, comites, Bartholomeus de Borgherssh, Thomas de Bradeston, barones, magistri Willelmus de Norwico, decanus Lincolniensis, et Johannes de Offord archidiaconus Eliensis ecclesiarum, ac quidam alii sui nuncii ad eandem presentiam sint venturi, nos iteratis ejusdem regis Anglie supplicationibus inclinati, omnes et singulos nuncios ipsos clericos et laicos ex causa tractatus hujusmodi ad nostram presentiam destinandos, volentes cum omnibus familiis rebus et bonis suis, que secum deferent in veniendo ad Sedem predictam et eandem presentiam, ibique morando et inde recedendo, plena securitate gaudere, ipsos sub nostra et ejusdem Sedis protectione suscepimus speciali : statuentes ac etiam decernentes quoscumque injuriatores, molestatores, offensores, captivatores, aut spoliatores eorum, quamdiu in itinere veniendi et recedendi predicto, etiam pace predicta reformata vel non reformata fuerit, aut moram in eadem curia propter hoc traxerint, excommunicationis et alias penas et sententias, que adversus illos qui venientes ad Sedem prefatam vel recedentes ab ea injuriis seu dampnis afficiunt, aut captivatores, spoliatores vel detentores eorum per nos et predecessores nostros Romanos pontifices promulgate sunt generaliter incursuros. Et insuper eisdem nunciis, presentium auctoritate, concedimus quod, durante prosecutione negocii antedicti, ipsi vel familiares, commensales eorum, clerici vel laici ex quacumque causa beneficiali, civili vel criminali, personali, reali seu mixta, vel alia quacumque, sub quovis colore, ex officio seu ad partis instantiam, occasione promissionum, obligationum, contractuum, delictorum vel quasi, que ante iter eorum arreptum, facta, habita vel commissa dicerentur, nullatenus citentur, conveniantur, moneantur, arrestentur, capiantur, excomunicentur, suspendantur, vel interdicantur, aut contra eos quomodolibet procedatur, sed ab omni molestatione ac vexatione in sic veniendo, morando et recedendo, tam in eadem Romana curia, quam alibi, sint liberi penitus atque quieti. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, requirimus et attentius in Domino exhortamur, quatenus supradictos nuncios et singulos eorundem, cum per terras, districtus, portus et loca vestra simul vel separatim transiverint, benigne recommendatos habentes, eis in personis aut rebus et bonis suis vel familiarium eorundem, que secum habebunt vel deferent, iniurias, offensas, molestationes vel impedimenta quecumque nullatenus inferatis nec deferri ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis, sed eis pocius de securo conductu, si a vobis illum petierint, sic providere libere sicut in vobis fuerit, pro nostra et ejusdem Sedis reverentia procuretis, quod nos devotionem vestram exinde possimus merito in Domino commendare. Datum Avinione, II kalendas januarii, anno secundo. »

[1] Cette pièce n'est pas numérotée dans le registre, mais son numéro doit être 572.

582 Avignon, 2 janvier 1344.

Robertum de Houdetot hortatur ut Amanevum de Fargis, episcopum Agennensem, molestare cesset. (Reg. **137**, n° DLXXIII, fol. **164** v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto de Haudetoto, senescallo Agennensi pro carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri.* Pro parte venerabilis fratris nostri Amanevi, episcopi Agennensis, fuit nuper expositum coram nobis, quod ipse dudum fidelitatis juramentum, et homagium, necnon et unum oustorium ad que ratione medietatis jurisdictionis civitatis et monete Agennensis carissimo in Christo

filio nostro Philippo, regi Francie illustri, prestare ac solvere in mutatione domini dumtaxat tenetur, quondam Johanni de Blanvilla, tunc senescallo Agennensi prestiterit et solverit de mandato regis recipienti predicti, et de hiis coram te offerat facere plenam fidem, tu tamen eum ad prestandum et solvendum premissa iterum, quamquam postmodum mutatio domini non contigerit, compellere satagens, ipsum et ecclesiam suam facis propterea multipliciter molestari : quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus, si est ita, quid equitati et justicie conveniat diligenter attendens, ab hujusmodi molestatione desistas, prefatos episcopum et ecclesiam habiturus pro nostra et apostolice Sedis reverentia super hiis et aliis, prout honestas suaserit, nichilominus favorabiliter commendatos. Datum Avinione, IIII nonas januarii, anno secundo. »

583 Avignon, 2 janvier 1344.

Armandi archiepiscopi Aquensis, insinuatione percepit quod eumdem archiepiscopum pro reformanda mutua concordia inter Petrum Aragonum fratrem ejus et Jacobum Majoricarum, reges illustres, missum infrascriptus benigne recepit. Hortatur infrascriptum ut quoad prædictam reformandam concordiam, utilem, et toti patriæ fructuosam tangit, adjuvet præfatum nuntium. (Reg. **137**, n^{os} DLXXIIII-DLXXVI, fol. **164** v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Jacobo infanti [nato] clare memorie Alfonsi regis Aragonum, comiti Urgellensi.* Placibili admodum venerabilis. — Dat. Avinione, IIII nonas januarii, anno secundo. »

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Petro infanti nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Riparturcie,* mutato ubi dicitur germanum, dicatur nepotem.

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Raymundo Berengarii, infanti nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Empuriarum.* Dat. ut supra,

584 Avignon, 2 janvier 1344.

Grata Armandi archiepiscopi Aquensis nuntii insinuatione percepit quod infrascriptus archiepiscopus dictum nuntium super reformanda mutua concordia inter Petrum Aragonum et Jacobum Majoricarum reges invicem dissidentes, benivole recepit, et eum rogat ut dictum nuntium pro dicta concordia et pace adjuvet. (Reg. **137**, n^{os} DLXXVII-XXVIII, fol. **165** r°.)

« *Venerabili fratri Petro archiepiscopo Cesaraugustano.* Grata venerabilis fratris. — Dat. Avinione, IIII nonas januarii, anno secundo. »

In eodem modo *venerabili fratri Arnaldo archiepiscopo Terraconensi.*

585 Avignon, 2 janvier 1344.

Attenta discordia, quæ orta est inter Petrum, regem Aragonum, et Jacobum Majoricarum regem, optat ut unitas et concordia stabiliatur, intellexitque quod multis modis laboraverit in eis infrascriptus, cui mandat ut fideliter et diligenter Armando, archiepiscopo Aquensi nuntio, efficacibus et studiosis consiliis et favoribus assistere velit. (Reg. **137**, n°DLXXIX, fol. **165** v°.)

« *Dilecto filio Sancio electo Tirasonensi.* Attentis variis personarum —. Dat. Avinione, IIII nonas januarii, anno secundo. »

586 Avignon, 2 janvier 1344.

Prudentiam et sollicitudinem Armandi, archiepiscopi Aquensis, nuntii sui, magnifice laudat. (Reg. **137**, n° DLXXX, fol. **165** v°.)

« *Venerabili fratri Armando archiepiscopo Aquensi, apostolice Sedis nuncio.* Benigne receptis fraternitatis —. Dat. Avinione, IIII nonas januarii, anno secundo. »

587 Avignon, 2 janvier 1344.

Quæ Thomas de Bradeston apud Edwardum III, regem Angliæ, fecerit, mirifice laudat. (Reg. **137**, n° DLXXXI, fol. **166** r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Thome de Bradeston.* Nobilitatis tue litteras animo leto recepimus, et ea que continebantur in eis pleno collegimus intellectu.

Cumque per eas, qualiter litteras, quas per te carissimo in Christo filio nostro Edwardo, regi Anglie illustri, direximus, presentasti, ea que sibi per te referenda verbotenus imposuimus, eidem regi super illis reperto prompto et benivolo retulisti, nobis intimare curaveris, et quod ad fovendam et augendam devotionem regiam erga nos et Romanam ecclesiam tue sollicitudinis adhibuisti studia et studiosius adhibere proponis, nos ex hiis Deo et nobis gratis admodum et acceptis, tuam devotionem et prudentiam multipliciter in Domino commendamus : sciturus pro certo, quod super predictis reperiemur propicii et benigni, quare tue diligentie studium super hiis, quesumus, non tepescat. Porro cum te ac tuos geramus in visceribus caritatis, dilectum filium Thomam de Hatfeld, pro quo scripsisti specialiter, dicti regis et tua consideratione habere intendimus favorabiliter commendatum. Tu vero, que scribenda videris de illis partibus, nobis intimare procures. Datum Avinione, III nonas januarii, anno secundo. »

588 Avignon, 3 janvier 1344.

Infrascriptæ concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° MCCXI.)

« *Item in eodem modo dilecte in Christo filie Rixendi Miquaele, civi Aquensi.* — Datum Avinione, III nonas januarii, anno secundo. »

589 Avignon, 4 janvier 1344.

Hortatur Johannem, ducem Brabantiæ, ut magistrum Henricum Cocke, decanum ecclesiæ Beatæ Mariæ Terremundensis, Cameracensis diœcesis, qui ad Sedem apostolicam venerat et nunc ad ducem revertitur, benigne audire, et infra quindenam instantis festi Resurrectionis dominicæ respondere velit. (Reg. 137, n° CCCCCLXXXII, fol, 166 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni duci Brabancie.* Nuper dilecto filio —. Dat. Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

590 Avignon, 4 janvier 1344.

Petrus de Verberia clericus secretarius regius mittitur ad Philippum regem Franciæ, quem hortatur ut eumdem Petrum credat super eis quæ dictus Petrus narraverit. (Reg. 137, n° DLXXXIII, fol. 166 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super quibusdam te, fili carissime, et dilectum filium nobilem virum Johannem ducem Brabantie tangentibus, certa dilecto filio magistro Petro de Verberia, clerico, secretario regio imposuimus regie celsitudini plenius explicanda, cui adhibere velit fidem credulam celsitudo regia super eis. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

591 Avignon, 4 janvier 1344.

Pro defensione fidei ac propulsandis Turcorum excessibus, certa vasorum navigabilium munitorum et armatorum et alia subsidia duxit ordinanda. Et ad dicta subsidia augenda, Christi fideles, tam Lombardiæ quam aliarum partium, per prædicationem verbi Crucis ac assumptionem signi ejus providit invitandos. Et quia, frementibus Turcis et malitia eorum sæviente, acceleratio dicti negocii est valde oportuna, Venturinum de Pergamo, ordinis fratrum Prædicatorum in civitate et dioecesi et provincia Mediolanensibus, ad prædicationis prædictæ ministerium exercendum, mittit, et Johanni Visconti, archiepiscopo Mediolanensi mandat ut libere in dicta provincia dictum fratrem admittere velit. (Reg. 137, n° DLXXXIIII, fol. 166 v°.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi.* Non sine mentis amaritudine —. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

592 Avignon, 4 janvier 1344.

Reginam hortatur ne fidem adhibere velit quibusdam suggerentibus quod papa nonnulla secreta detegere vellet. (Reg. 137, n° DLXXXV, fol. 166 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Serenitatis tue litteras —. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

593 Avignon, 4 janvier 1344.

Philippum regem Franciæ rogat ut salvum securumque conductum nuntiis regis Angliæ ad Sedem apostolicam venientibus concedere velit. (Reg. 137, n° dcxxviii, fol. 173 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super hiis que dudum carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri, presertim de prorogando termino infra quem nos tractare possemus de reformatione pacis mutue inter te, carissime fili, et ipsum regem statuto, qui terminari debebat infra festum Nativitatis dominice proximo preteritum, necnon et observandis treugis scripseramus, litteras regis ejusdem responsales recepimus inter cetera continentes, quod ipse, quantum tangebat eundem, ab eodem festo usque ad unum annum continuum hujusmodi terminum prorogabat, ac fecerat et facere intendebat predictas treugas observari, et si qua essent attemptata, in contrarium revocari, suosque solennes nuncios super tractatu dicte pacis sufficienti potestate munitos infra vigiliam instantis dominice, Ramis Palmarum, ad nostram presenciam destinare, dummodo per te, fili dilectissime, fieret illud idem; nichilominus de quibusdam attemptatis in partibus Britannie, et alias, ut in eisdem subjungebat litteris, conquerendo. Cum autem ante festum predictum pro parte tue celsitudinis per dilectum filium nobilem virum Humbertum, Dalphinum Viennensem, nuncium regium, predictus terminus usque ad unum annum fuerit similiter prorogatus, regiam eccellentiam attente rogamus, quatenus litteras de securo conductu pro predictis nunciis dicti regis in forma eis alias concessa, liberaliter et absque morosa dilatione mandans fieri celsitudo regia, et exhibitori presentium assignari, nos de ratificatione prorogationis predicte, ac nunciorum tuorum missione ad dictum terminum vigilie Ramis Palmarum, velit efficere quantocius cerciores, ut inde cerciorare regem prefatum hoc petentem in suis litteris valeamus. Insuper precibus et exhortationibus nostris adicimus ut treugas observari mandet et faciat regalis magnificentia, et revocari debite, si qua forsan attemptata fuerint contra eas, ne tractatus pacis Deo placibilis, mundo desiderabilis, utrique parti perutilis, et toti christianitati multum necessarie occasione hujusmodi possit quomodolibet impediri. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

594 Avignon, 4 janvier 1344.

Cancellario regis Franciæ super dictæ pacis tractatu scribit. (Reg. 137, n° dcxxix, fol. 113 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.* Cum terminus infra quem per nos tractari de concordia mutua inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie et Edwardum Anglie reges illustres, qui debebat in festo Nativitatis dominice proximo preterito terminari ab inde usque ad unum annum continuum fuerit prorogatus, et idem rex Anglie suos solennes nuncios infra vigiliam dominice Ramis Palmarum debeat ad nostram presentiam propter hoc destinare, nobilitatem tuam rogamus attente quatenus litteras regias de securo conductu pro ipsis nunciis et aliis ad nos propterea venientibus, juxta formam concessam alias ordinari celeriter facias, et... exhibitori presentium assignari. Super hiis autem prefato regi Francie per litteras nostras, quas ei presentes, scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Porro quia, sicut dilectus filius magister Andreas de Offorde, clericus et nuncius dici regis Anglie, nobis exposuit, ipsius regis nuncii ad nostram presentiam in prefixo termino vigilie dominice Ramis Palmarum intantis proximo non venirent, nisi de consensu memorati regis Francie, tam super hoc quam prorogatione facta de termino ad tractandum nobis concessso usque ad unum annum a festo Nativitatis Domini proxima jam transacto fierent cerciores, velit tua prudentia ordinare celeriter, quod juxta formam, quam alia cedula continet presentibus similiter interclusa, fiant littere regie super hoc prefato nuncio assignande. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

595 Avignon, 4 janvier 1344.

Edwardo regi Angliæ nuntiat treugas pro tractatu dictæ pacis reformandæ cum Philippo rege Franciæ

de consensu communi prorogatas fuisse. (Reg. 137, n° DCXXX, fol. 173 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Eduardo regi Anglie illustri.* Regalis excellentie tue litteras recepimus, inter cetera continentes, quod tu, fili carissime, receptis litteris nostris pridem regie sublimitati directis, et attento quod tractatus pacis inter te et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, auctore Domino reformande, infra terminum nobis a partibus super illo concessum, qui debebat in festo Nativitatis dominice proximo preterito terminari, fieri quoquomodo nequibat, terminum ipsum ab eodem festo usque ad unum annum continuum prorogaras, intendens nichilominus tuos certos solennes nuncios sufficienti potestate munitos super tractatu predicto infra vigiliam dominice Ramispalmarum instantis, destinare ad nostram presentiam, ac treugas observari facere ac revocari attemptata in contrarium, dummodo rex prefatus faciat illud idem, quarum quidem litterarum serie diligentius intellecta, circumspectionem et devotionem regiam exinde multipliciter cum gratiarum actionibus commendamus. Et ecce, fili dilectissime, quod mox post receptionem litterarum ipsarum dilectum filium nobilem virum Humbertum Dalphinum Viennensem unum ex principalioribus nunciis dicti regis vocavimus coram nobis, qui similem fecit prorogationem termini supradicti, nostrasque de securo conductu pro prefatis tuis nunciis, et aliis pro negotio dicti tractatus ad Sedem apostolicam venientibus fieri juxta formam alias concessam fecimus, et dilecto filio magistro Andree de Offorde clerico regio, quem super hiis, que pro parte regia nobis explicare voluit, favorabiliter et benigne audivimus, assignari; et nichilominus predicto regi scribimus, ut super ratificatione dicte prorogationis et suorum missione nunciorum ad dictum terminum, nos statim certificet, dictasque treugas observari faciat, et attemptata in contrarium similiter revocari, ac litteras de securo conductu, prout concesse sunt alias, tradi et liberari quantotius facere nuncio non ommittat : supponentes indubie gratam et votivam super hoc responsionem habere, et si forsan contrarium, quod extimandum quomodolibet non existit, contingeret, e vestigio curaremus tue magnificentie intimare, ac intendentes nichilominus circa tractatum hujusmodi, aliis postpositis negociis, laborare sedulis studiis, et habere ante mentis nostre oculos solum Deum. Rogamus itaque serenitatem regiam et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus quot et quanta spiritualia et temporalia commoda, tam tibi et eidem regi, ac utriusque amicis et subditis, quam toti Christiani, quam in diversis mundi partibus Infideles pagani, videntes ex tuis et ejusdem regis guerris turbatum et divisum populum catholicum, durius et periculosius solito impugnare in divine majestatis opprobrium hiis temporibus moliuntur, poterunt ex tua et ipsius regis concordia provenire, quamque reprehensionem terribilem a Domino ille, per quem stabit quominus ipsa subsequatur concordia, habebit proculdubio formidare, intra regii claustra pectoris pia meditatione revolvens, ad pacem ipsam regium habilites animum et inclines, ut hujusmodi reprehensione vitata, illam consequaris beatitudinem, quam viris pacificis veritas repromittit. Datum Avinione, II nonas januarii, anno secundo. »

596 Avignon, 4 janvier 1344.

Cum Petro Rogerii archidiacono Blesensi in ecclesia Carnotensi multa privilegia et indulgentias concessisset et ea illibata servari cuperet, de mera liberalitate motuque proprio mandat ne conservatores et judices, eidem Petro efficacis et oportune protectionis auxilio assistentes, permittant eumdem Petrum super eis libertatibus a Sede apostolica jam concessis vel concedendis molestari. (Reg. 137, n°s MCLV-MCLX, fol. 279 r° et 280 r°.)

« *Judicibus venerabili fratri... episcopo Forojuliensi et dilectis filiis... Parisiensis ac... Lemovicensis decanis ecclesiarum.* Devotionis et virtutum merita —. Dat. Avinione, II nonas januarii anno secundo. »

Item in eumdem modum pro *dilecto filio Guillelmo Rogerii canonico Narbonensi*, — *Johanne Rogerii canonico Turonensi*, — *Hugone, Rogerii, thesaurario ecclesie Anitiensis*, — *Nicolao Rogerii, canonico Rothomagensi, Hugone Judicis, canonico Carnotensi.*

597 Avignon, 5 janvier 1344.

Legato infrascripto mandat ut securum conductum Francisco de Ordelaffis concedat qui ad Sedem apos-

tolicam venire desiderat. (Reg. 137, n° dlxxxvi, fol. 167 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato.* Pridem pro parte —. Datum Avinione, nonis januarii, anno secundo. »

598 Avignon, 6 janvier 1344.

Gaufrido episcopo Regensi concedit licentiam testandi. (Reg. 137, n° mclxxxxvii, fol. 288 r°.)

« *Venerabili fratri Gaufrido episcopo Regensi.* Quia presentis vite —. Datum Avinione, viii idus januarii, anno secundo. »

599 Avignon, 9 janvier 1344.

Infrascriptis mandat ut informationem faciant super quodam deposito facto penes societatem de Bonsegnoribus de Senis, nomine Nicolai papæ IIII. (Reg. 137, n° dlxxxvii, fol. 167 v°.)

« *Dilectis filiis magistris Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensis et Bernardo de Lacu, canonico Ruthenensis, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia ac Petro Vitalis primicerio Lucane, ecclesiarum* —. Datum Avinione, v idus januarii, anno secundo. »

600 Avignon, 9 janvier 1344.

Philippo de Melun archiepiscopo Senonensi concedit ut per procuratores possit visitare ecclesias, exsecutoresque deputat. (Reg. 137, n° mcxxv et mcxxvi, fol. 273 v°.)

Venerabili fratri Philippo archiepiscopo Senonensi. Affectus devotionis sincere — Dat. Avinione, v idus januarii, anno secundo. »

« *Judicibus dilectis filiis... abbati monasterii Sancte Columbe Senonensis diocesis et... Sancti Aredii ac... Brivatensis Lemovicensis et Sancti Flori diocesis decanis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra. »

601 Avignon, 9 janvier 1344.

Infrascripto concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mccxii.)

« *In eodem modo dilecto filio nobili viro Petro de Marcone Caturcensis diocesis, verbis competenter mutatis.* Datum Avinione, v idus januarii, anno secundo. »

602 Avignon, 11 janvier 1344.

Richardo abbati monasterii de Fontaneto concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam sexcentorum florenorum auri, tam pro expensis propriis quam pro diversis negotiis expediendis. (Reg. 137, n°s dlxxxviii, et dlxxxix, fol. 168 r° et v°.)

« *Dilecto filio Richardo abbati monasterii de Fontaneto, ordinis Sancti Benedicti, Baiocensis diocesis.* Cum sicut in —. Datum Avinione, iii idus januarii anno secundo. »

« *Item similis littera pro dilecto filio Willelmo abbate monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis usque ad summam mille florenorum auri.* Dat. Avinione, iii idus januarii, anno secundo. »

603 Avignon, 13 janvier 1344.

Francisco de Grandimonte concedit licentiam se transferendi de ordine sancti Augustini ad ordinem militiæ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. (Reg. 137, n° dxcii, fol. 170 r°.)

« *Dilecto filio Francisco de Grandimonte, canonico monasterii Sancti Antonii, ordinis Sancti Augustini, Viennensis diocesis.* Romana mater ecclesia de salute filiorum solicita, super hiis que commodum animarum respiciunt, se propitiam humiliter et devote petentibus exhibet et benignam. Sane tua nobis exhibita petitio continebat quod tu, dudum existens monachus ordinis Sancti Benedicti et ipsum ordinem expresse professus, obtinensque prioratum conventualem sancti Johannis

Gebennensis, ordinis supradicti, te in quodam bello tunc in illis partibus ingruente, in quo strages et mutilationes membrorum diverse secute fuerunt, deferendo prelibati ordinis habitum, non erubuisti presentialiter exhibere, ac deinde propter hoc te irregularitatis laqueo innodatum attendens, eodem relicto habitu et seculari assumpto, in diversis guerris tam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris quam nonnullorum baronum interfuisti cum armis, te sevis et bellicis actibus immiscendo, quodque subsequenter per felicis recordationis Benedictum papam XII predecessorem nostrum, tecum sub certa forma super his dispensato, tibique concessa licentia te ab eodem ordine ad ordinem sancti Augustini in monasterio sancti Antonii, ejusdem ordinis, Viennensis diocesis, transferendi, receptus in ipso monasterio, ad predictum ordinem sancti Augustini fuisti in canonicum et in fratrem, et nichilominus preceptoriam Burgi in Breysia, ipsius ordinis, Lugdunensis diocesis, ex concessione dilecti filii abbatis ejusdem monasterii, quam obtines, extitisti pacifice assecutus. Cum autem tu qui, sicut eadem petitio subjungebat, antequam te immiscuisses sevis et bellicis actibus supradictis, ad diaconatum et alios inferiores ordines te feceras promoveri, conspiciens diligenter quod nec ministrare in eisdem susceptis ordinibus, nec ad presbiteratus ordinem ascendere poteras, cum tecum super hiis non extiterit dispensatum, tam ex hiis quam certis causis aliis conscientiam tuam remordentibus, nequeas, ut asseris, absque tue lesione conscientie in ordine sancti Augustini et monasterio remanere predictis, nobis humiliter supplicasti, ut tibi transeundi ad ordinem militie Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, ad quem habere devotionem singularem asseris, concedere licentiam dignaremur. Nos igitur qui, licet insufficientibus meritis vices illius in terris gerimus, qui errantibus, ut ad viam possint redire justitie, veritatis lumen ostendit, anime tue saluti consulere paterna sollicitudine cupientes, tibi ut ad prefatum ordinem militie Hospitalis predicti sancti Johannis, in quo speras et intendis, ut asseris, per laudabilium exercitium operum placere altissimo, valeas, non obstantibus premissis et quibuscumque constitutionibus contrariis, te transferre, licentiam tenore presentium elargimur. Nulli ergo, etc... Datum Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

604 Avignon, 13 janvier 1344.

Rogat Helionum de Villanova ut Franciscum de Grandimonte benigne recipere velit. (Reg. 137, n° dxciii, fol. 170 v°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum nos dilecto filio Francisco de Grandimonte, canonico monasterii Sancti Antonii Viennensis, ordinis Sancti Augustini, Viennensis diocesis, ad domum et ordinem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani singularem et sinceram devotionem, sicut nobis exponi fecit, habenti, licentiam se transfferendi ad ipsum ordinem certis ex causis ad hoc nos moventibus duxerimus concedendam, idemque Franciscus qui de nobilibus traxit originem, ad tuam presentiam et partes illas, ut intelleximus, dirigat gressus suos, ipsum tue benivolentie, ut eum prosequaris, quantum cum honestate commode poteris, favorabiliter, commendamus. Dat. Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

605 Avignon, 13 janvier 1344.

Archiepiscopo Tholosano et episcopo Nemausensi mandat ut heredes Raymundi Bernardi compellant ut Petro de Palude de bonis dicti Raymundi summam mille denariorum auri assignent. (Reg. 137, n° dxciii, fol. 170 v°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Tholosano et... episcopo Nemausensi.* Nuper dilectus filius nobilis vir Petrus de Palude, dominus Varembonis, Lugdunensis diocesis, nobis significare curavit, quod quondam Raymundus Bernardi de Duroforti, Tholosane diocesis, ad passagium[1] transmarinum gerens magne devotionis affectum, in quodam codicillo suo disposuit et mandavit quod de bonis suis traderentur et assignarentur eidem nobili mille denarii auri ad agnum, per ipsum in eodem passagio, cum illud fieri contingeret, pro salute anime ipsius Raymundi-Bernardi per eundem nobilem expendendi, nobis

humiliter supplicando ut, cum ad nos pertineat providere quod pie voluntates decedentium compleantur, dignaremur ordinare, quod eidem summa denariorum hujusmodi assignetur. Nos igitur supplicationi hujusmodi benignius inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, si vobis simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, heredes seu bonorum detentores ejusdem Raymundi Bernardi jam defuncti monere ac inducere studeatis, ut infra certum competentem peremptorium terminum per vos eis super hoc prefigendum, prefato nobili secundum dispositionem dicti defuncti predictam summam dictorum denariorum studeant assignare, ipsos ad hoc, si necesse fuerit, auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstante etc. Volumus autem quod super assignatione hujusmodi pecunie duo conficiantur consimilia publica instrumenta, quorum unum nostre camere pro cautela dicti passagii conservandum fideliter transmittatur. Datum Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

[1] Ms : *passatgium*.

606 Avignon, 13 janvier 1344.

Commendat infrascripto Vastinum de Casleto canonicum Leodiensem collectorem in dicta diœcesi. (Reg. 137, n° dlxxxxv, fol. 171 r°.)

« *Venerabili fratri Walframo archiepiscopo Coloniensi.* Cum dudum fructus —. Datum Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

607 Avignon, 13 janvier 1344.

Magister Guillelmus de Norwico mittitur ad Edwardum regem Angliæ. (Reg. 137, n° dxcvii, fol. 171 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Ecce, fili carissime, quod dilectum filium magistum Guillelmum de Norwico, decanum ecclesie Lincolniensis, capellanum nostrum, causarum apostolici palatii auditorem tuumque specialem clericum et fidelem super certis tue celsitudini seriosius explicandis ad te specialiter et fiducialiter destinamus, quem benigne recipere ac audire velit plenarie regia celsitudo, nosque de hiis et illis, que per cedulam eidem celsitudini secrete scribimus, curet juxta intentionis et voluntatis sue beneplacitum efficere, quesumus, certiores. Dat. Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

608 Avignon, 13 janvier 1344.

Rogat Philippam reginam Angliæ atque infrascriptos ut Guillelmum de Norwico ad Edwardum regem missum, benigne recipiant, eique fidem credulam adhibere velint. (Reg. 137, n°s dxcviii à dcxxi, fol. 171 r°.)

« *Carissime in Christo filie Philippe regine Anglie illustri.* Cum nos dilectum filium magistrum Guilelmum de Norvico, decanum ecclesie Lincolniensis, capellanum nostrum, causarum apostolici palatii auditorem, quem virum litterarum scientia, circumspectionis et probitatis maturitate conspicuum et fidelitate probatum novimus ac honoris et commodi carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris viri tui non ambigimus existere fidelem et fervidum zelatorem, ad explicandum eidem regi et tibi, filia carissima, sincere dilectionis affectum, quem ad ipsum regem et regnum suum teque gerimus precordialiter et quedam alia honorem et commodum contingentia regium, ad ipsius regis tuamque presentiam et partes illas providerimus specialiter et fiducialiter destinandum, serenitatem tuam regiam rogamus et in Domino attentius exhortamur, quatenus eundem decanum benigne recipiens, ipsum habere velit tua sublimitas pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatum, sibique super exponendis pro parte nostra tue celsitudini fidem adhibere credulam ac super hiis et ea tangentibus assistere favoribus oportunis. Datum Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

In eodem modo *carissime in Christo filie Isabelli regine Anglie illustri mutato ubi dicitur virum dicatur natum.* — *Edwardo carissimi Edwardi regis Angliæ primogenito principi Wallie* —, *Hugoni de Dispensariis* —, *Roberto de Morle*, — *Willelmo de Kerdeston* —, *Radulpho de Nevill* —, *Henrico de Percy* —, *Radulpho de Ufforde* —, *Henrico comiti Derbeye* —, *Willelmo comiti Northamptonie* —, *Thome comiti Warwikye* —,

Roberto comiti Suffolchie —, *Willelmo comiti Huntingdonie*[1] —, *Johanni comiti Warenne* —, *Ricardo comiti Arundellie* —, *Bartholomeo de Burghatch* —, *Thome de Bradestan* —, *Radulpho de Stafforde* —, *Willelmo comiti Saresbiriensi* —, *magistro Johanni de Offorde archidiacono Eliensi, dicti regis clerico* —, *magistro Thome de Neby, canonico Londoniensi, consiliario dicti regis* —, *Johanni Darci seniori* —, *Johanni Darci juniori*. Dat. ut supra.

[1] Ms. : *Hrtigrvine*.

609 Avignon, 13 janvier 1344.

Infrascriptos rogat ut novitates in regno Angliæ contra Romanam ecclesiam attemptatas revocare curent Guillelmoque de Norwico fidem adhibeant. (Reg. 137, n^{os} DCXXII-XXVII, fol. 172 v°.)

« *Venerabili fratri archiepiscopo Cantuariensi*. Novitates contra Deum —. Datum Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

In eodem modo *Ricardo episcopo Dunelmensi* —, *...archiepiscopo Eboracensi* —, *Thome episcopo Lincolniensi* —, *Johanni episcopo Exoniensi*.

610 Avignon, 13 janvier 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut magistro Guillelmo de Norwico, decano ecclesie Lincolniensis, capellano, causarum apostolici palatii auditori, qui ad Edwardum regem Angliæ et partes Angliæ pro certis arduis negociis destinatur, IIII florenos auri per diem assignare et securum conductum concedere velint. (Reg. 137, n° MCLXXIII, fol. 283 v°.)

« *Venerabilibus fratribus universis patriarchis episcopis* etc. Cum nos dilectum —. Dat. Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

611 Avignon, 13 janvier 1344.

Judicibus injungit ut Universitatem Parisiensem inducant ne amplius Guillelmo de Lumbris, sacræ theologiæ doctori, nuntio Universitatis, molestias inferat. (Reg. Vat. 157, n° XLVIII, fol. 15 v°; — *Chartularium Universitatis Parisiensis*, n° 1080, p. 544.)

« *Dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Victoris Parisiensis et... decano Cameracensis ac cantori Parisiensis ecclesiarum*. Gravem dilecti filii —. Dat. Avinione, idibus januarii, anno secundo. »

612 Avignon, 16 janvier 1344.

Odonem ducem Burgundiæ rogat ut instet apud Philippum comitem Boloniæ et Alverniæ ejus filium, qui homagium quoddam in præjudicium Bertrandi domini de Turre receperat. (Reg. 137, n° DCXXXIII, fol. 174 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Odoni duci Burgundie*. Dudum pro parte dilecti filii nobilis viri Bertrandi domini de Turre nobis exposito, quod dilectus filius nobilis vir Philippus, natus tuus, comes Bolonie et Arvernie, de quodam feudo aliisque bonis et rebus que ab ipso domino de Turre debent, et a predecessoribus suis per dilectum filium nobilem virum Eblonem, comitem Saniarum, suosque predecessores teneri consueverunt in feudum, recognitionem seu homagium in magnum et manifestum ejusdem domini de Turre prejudicium receperat, cum recognitione seu homagio dicti feudi dissasiendo de novo, quodque licet idem dominus de Turre nobilitati tue de premissis conquerens, instanter tibi et humiliter supplicasset quod hujusmodi receptionem recognitionis seu homagii sibi prejudiciales et injuriosas non modicum, tua faceret circumspectio revocari, tuque voluisses ordinasses et consentisses quod dilectus filius nobilis vir Guillelmus Flote, dominus de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellarius, inquisita per se vel alium seu alios super hiis veritate, quod videret justicie consonum ordinaret, nichil tamen exinde penitus erat factum; nos attendentes quod nobilitatem non decebat eandem in exheredationem et prejudicium prefati domini de Turre qui tibi alias in arduis et magnis negotiis, non parendo persone sue periculis et rerum dispendiis, obsequiosus fuerat, quique potens, promptus et devotus erat et est ad ulteriora tibi obsequia impendenda, premissa quomodolibet tolerare, presertim quia prefatus comes natus tuus ignoranter recognitionem et homagium hujusmodi dicebatur et dicitur recepisse, talesque recognitiones per statuta regni Francie, ad que ob-

servanda magnates et nobiles ejusdem regni astricti sunt, ut tua novit prudentia, prohibeantur expresse, nobilitatem eandem duximus attentius deprecandam, ut eundem dominum de Turre, quem nos certis causis favore dilectionis prosequimur specialis, habendo super hiis et aliis suis negociis propensius commendatum, receptionem hujusmodi recognitionis seu homagii, sicut in ipsius prejudicium facta extitisset, faceret ut premittitur revocari. Sane quia, ut intelleximus, ex hujusmodi precibus et exhortationibus nostris nullum fructum idem dominus de Turre collegit, easdem tanto affectuosius, quanto sepius iterantes, prefatam nobilitatem rogamus attente quatenus, que premissa sunt, necnon quod quondam Ludovicus dux Borbonii, qui de predicto feudo recognitionem seu homagium a prelibato comtore receperat, considerans et attendens quod in manifestum prejudicium dicti domini de Turre ac contra statuta predicta receptio hujusmodi erat facta, et equitate pocius quam potentia, sicut expediebat sue saluti et fame proculdubio volens uti, a se penitus receptionem rejecit eandem, tua velit facere ac ordinare magnificentia, quod dictus comes natus tuus ab eadem recedens similiter permittat quod dictus dominus de Turre super eodem feudo, sicut ad ipsum pertinere, suosque predecessores pertinuisse ab antiquo asserit, uti valeat jure suo, hec quidem cordi gerimus, et nobis facta que fient pro eodem domino de Turre super hiis ascribemus. Datum Avinione, XVII kalendas februarii, anno secundo. »

613 Avignon, 16 janvier 1344.

Philippo comiti Boloniæ et Alverniæ super prædicto negotio scribit. (Reg. 137, n° DCXXXIIII, fol. 175 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Philippo nato dilecti filii spectabilis viri Odonis, ducis Burgundie, comiti Bolonie et Arvernie.* Super recognitione seu homagio per te, fili, de quodam feudo ac bonis aliis que dilectus filius nobilis vir Eblo, comtor Saniarum, a dilecto filio nobili viro Bertrando domino de Turre, tenet ut asseritur, sicut a predecessoribus suis tam ipse quam predecessores ejusdem ab antiquo tenuisse dicuntur, receptis, ut intelleximus, in ipsius domini de Turre prejudicium manifestum, dilecto filio nobili viro Odoni duci Burgundie genitori tuo, alias scripsimus et nunc scribimus etiam cordialiter iterato, eundem rogantes et hortantes attente ut receptionem hujusmodi, que secundum statuta regni Francie, ad que observanda magnates et nobiles ejusdem regni tenentur, sicut idem genitor tuus non ignorat, astricti, fieri non debuit, sicut fertur, revocari faceret et prefatum dominum de Turre, qui genitori eidem in arduis negociis obsequiosus extitit et devotus, uti super eodem feudo permitteret jure suo. Sane quia te, fili, non decet, nec tuis saluti et honori expedit novas recognitiones seu avoationes recipere in exheredationem et prejudicium aliorum, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur, quatenus ea, que premissimus, necnon devotionem, quam dictus dominus de Turre habet et habuit ad prefatum genitorem tuum ac suam et tuam domum, operis exhibitione, proprie persone periculis et rerum dispendiis non parcendo, probatam consideranter attendens et revolvens etiam intra tua precordia diligenter quod quondam Ludovicus dux Borbonii, qui de dictis feudo et bonis similem recognitionem receperat, videns quod in exheredationem et prejudicium sepefati domini de Turre manifestius vertebatur, eam a se rejecit omnino, tu similiter, tam consideratione nostri, qui eundem dominum de Turre certis considerationibus prosequimur prerogativa favoris, quam tui honoris obtentu, ab eadem receptione recedas, non impediendo eundem dominum de Turre quominus uti super eis valeat jure suo, hec quidem etc. ut supra. Datum Avinione, XVII kalendas februarii, anno secundo. »

614 Avignon, 16 janvier 1344.

Infrascripto concedit ut ecclesias per procuratores visitare possit. (Reg. 137, n° MCXIIII, fol. 272 v°.)

« *Item in eodem modo alie due littere graciosa videlicet et executoria pro venerabili fratre Guillermo archiepiscopo Auxitano et dirigatur executoria dilectis filiis Raymundo Flori Urgellensis et Andree de Pistorio Meldensis ac Johanni Vavassoris Suessionensiis canonicis ecclesiarum.* Dat. Avinione, XVII kalendas februarii, anno secundo. »

615 Avignon, 16 janvier 1344.

Archiepiscopo Senonensi concedit ut possit plures ecclesias in una die visitare. (Reg. 137, n° mcxxvii, fol. 274 r°.)

« *Venerabili fratri Philippo archiepiscopo Senonensi.* Sincera fraternitatis tue. — Datum Avinione, xvii kalendas februarii, anno secundo. »

616 Avignon, 16 janvier 1344.

Archiepiscopo Auxitano licentiam visitandi plures ecclesias per procuratores concedit. (Reg. 137, n° mcxxxii, fol. 275 v°.)

« *Item in eodem modo alie due littere graciosa videlicet et executoria pro venerabili fratre Guillelmo archiepiscopo Auxitano et dirigatur executoria dilectis filiis Raymundo Flori Urgellensis et Andree de Pistorio Meldensis ac Johanni Vavassoris Suessionensis canonicis ecclesiarum.* Dat. Avinione, xvii kalendas februarii, anno secundo. »

617 Avignon, 17 janvier 1344.

Regem Scotiæ rogat ut nuncios pro tractatu pacis reformandæ inter Franciæ et Angliæ reges ad Sedem apostolicam in termino præfixo transmittere velit. (Reg. 137, n° dcxxxv, fol. 175 v° ; Raynaldi, VI, 369.)

« *Carissimo in Christo filio David regi Scocie illustri.* Excellentie regalis litteras devotionis et reverentie erga Deum ac nos et sanctam Romanam ecclesiam, plenitudinem, sub pulcris et decenter ornatis verborum sermonibus, describentes, leto recepimus animo et earum intelleximus seriem diligenter; super quibus Deo et nobis ac Sedi apostolice gratis admodum et acceptis, sinceritatem regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, tuam regalem magnificentiam exhortamur, quatenus ad illum qui est via, veritas et vita, et per quem regnas et regeris, dirigens jugiter studia mentis tue, prelatorum regni tui et aliorum sapientum virorum, qui avaritiam odiant, justitiam, pacem et veritatem diligant, tueque salutis et fame fervidi zelatores existant, nec tuam contra Deum et justitiam vereantur faciem, utaris in tuis actibus consiliis, et eis in timore et amore divinis te tenendo continue acquiescas. De nobis certam fiduciam habiturus quod, cum te tanquam precarissimum filium paterne dilectionis prosequamur affectibus et geramus in visceribus caritatis, in tuis oportunitatibus, nos, quantum cum Deo et honestate poterimus, propicios reperies et benignos, et illum clericum quem multis virtutum titulis extollendo, nobis recommendasti, cordialiter habere favorabiliter tui consideratione, ipsiusque meritorum exigentia intendimus commendatum. Porro cum carissimi in Christo filii nostri Philippus Francie et Edwardus Anglie reges illustres super tractanda coram nobis mutua ipsorum concordia, debeant, ut pro firmo credimus, infra vigiliam instantis dominice Ramis Palmarum ad presentiam nostram, suos solennes nuncios destinare, si tui, fili dilectissime, nuncii viri utique prudentes et pacifici, sufficienter instructi, et idoneo mandato suffulti, tunc ad eandem, prout tibi et regno tuo predicto expedire omnino credimus, venerint presentiam, eos admittemus gratanter, ac super pace tuique status tranquillitate, quantum cum Deo et honestate poterimus, interponere curabimus partes nostras. Datum Avinione, xvi kalendas februarii, anno secundo. »

618 Avignon, 17 janvier 1344.

Devotionem reginæ Scotiæ collaudat. (Reg. 137, n° dcxxxvi, fol. 176 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Scocie illustri.* Advenerunt nobis in spiritualis exultationis augmentum rumores placidi fidedignis fulti relatibus delectabiliter nunciantes, quod tu, filia carissima, progenitorum tuorum laudandis inherendo vestigiis et cepta laudabiliter continuando virtuosius ad Deum et sanctam Romanam matrem ecclesiam gerens sincere devotionis affectum ad eaque divinum et ipsius ecclesie concernunt honorem et beneplacitum sedulis et devotis studiis te impendis, super quibus Deo et nobis ac Sedi apostolice gratis admodum et acceptis, serenitatem tuam regiam cum graciarum actionibus multipliciter in Domino commendamus, serenitatem

exhortantes eandem quatinus in hiis et aliis sui operibus, per que divine majestati fies semper acceptior, stabiliter perseveres, scitura, filia dilectissima, quod si te in amore ac timore divino, ut cepisti, pietatis operibus, quibus placatur altissimus et acquiritur in presenti gratia, et in futuro gloria, intendendo, nos et Sedem predictam, super tuis oportunitatibus reperies, quantum cum Deo et honestate nostra fieri poterit, propicios et benignos. Dat. Avinione, XVI kalendas februarii, anno secundo. »

619 Avignon, 17 janvier 1344.

Thesaurariis suis mandat ut officia exsequantur, non obstante quod Guillelmo Amici, episcopo Carnotensi, aliquas commissiones fecerit super causis Cameram apostolicam tangentibus. (Reg. 137, n° DCCX, fol. 196 r°.)

« *Venerabilibus fratribus Gasberto archiepiscopo Narbonensi camerario, et Stephano Casinensi, ac Guilelmo Forojuliensi episcopis thesaurariis nostris.* Quamvis ad cultum justitie in nostra camera purius confovendum, et subditorum gravamina utilius relevanda, dudum venerabili fratri nostro Guillelmo, episcopo Carnotensi, de cujus fidelitate ac circumspectione fiduciam in Domino gerimus specialem, certam commissionem super causis cameram ipsam tangentibus, per nostras litteras providerimus, sicut in eis continetur plenius, faciendam, intentionis tamen nostre nequaquam extitit nec existit quod per commissionem ipsam vel aliqua contenta in ea vobis seu vestrum alicui super hiis que ad vestra spectant officia, vel per nos vobis commissa sunt, vel committentur specialiter, nisi expressam mentionem faceremus, super hoc derogetur, nec quod idem episcopus vigore commissionis predicte de aliis quam de gravaminibus indebitis, si que per vos vel aliquem vestrum in officiis vestris illata vel inferenda forsitan per viam appellationis vel simplicis querele defferentur coram ipso, se quomodolibet intromittat. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, super omnibus et singulis, que ad vestra spectant officia vel per nos vobis, ut prefertur, commissa sunt vel committentur specialiter, non obstante commissione predicta, libere procedatis. Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno secundo. »

620 Avignon, 17 janvier 1344.

Eisdem licentiam concedit causas audiendi quæ ad Sedem apostolicam deferuntur, pro factis Cameram apostolicam tangentibus. (Reg. 137, n° DCCXI, fol. 196 v°.)

« *Venerabilibus fratribus Gasberto archiepiscopo Narbonensi, camerario, et Stephano Casinensi, ac Guillelmo Forojuliensi episcopis, thesaurariis nostris.* Cum sepe, sicut intelleximus, contigerit hactenus et frequenter contingat, nonnullos asserentes per collectores et subcollectores proventuum ad cameram nostram spectantium, in diversis partibus deputatos, se gravatos contra justitiam et oppressos, per viam appellationis vel querele simplicis ad Sedem apostolicam habere recursum. Nos volentes eisdem appellationibus et conquerentibus celerem super hiis justitiam, ut eorum parcatur expensis et laboribus exhiberi, fraternitati vestre, ut vos vel duo vestrum quasvis querelas et causas, que occasione premissorum ad eandem Sedem delate sunt hactenus, super quibus non extiterit justitia ministrata, vel deferentur per viam appellationis vel querele simplicis, imposterum audire, examinare ac terminare super eis alias justitiam exhibere simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, vocatis qui fuerint evocandi, usque ad nostrum beneplacitum valeatis, etiam si coram quibusvis auditoribus essent in Romana Curia super eis inchoati processus, eos in statu quo fuerint resumendo, sicut rationabiliter videritis faciendum, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Per hoc autem officiis vestris quominus vos et quilibet vestrum ea que spectant ad officia vestra exercere super hiis et aliis valeatis libere sicut prius, non intendimus in aliquo derogare. Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno secundo. »

621 Avignon, 17 janvier 1344.

Infrascripto concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° MCCX.)

« *In eodem modo dilecto filio magistro Johanni Andree, canonico Venetensi, scriptori nostro.* Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno secundo. »

622 Avignon, 17 janvier 1344.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 137, n° MCLXXXXVI, fol. 288 r°.)

« *Item in eodem modo dilecto filio magistro Johanni Andree, canonico Venetensi, scriptori nostro.* Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno secundo. »

623 Avignon, 18 janvier 1344.

Infrascripto mandat ut quamdam pecuniæ summam Guichardo de Combornio restituere velit. (Reg. 137, n° DCXXXVII, fol. 176 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Bruno, domino de Claveriis, Claromontensis diocesis.* Exponente nobis dilecto filio nobili viro Guichardo de Combornio, domino de Trainhaco, Lemovicensis diocesis, percepimus quod quondam Guichardus de Combornio, pater suus, certos redditus annuos centum librarum Turonensium parvorum pro dote seu parte dotis dilecte in Christo filie nobilis mulieris Mathe, uxoris tue, sororisque ipsius Guichardi, quondam Ebloni de Ventedoro, cui eam primo tradidit in uxorem, ad certam pecunie summam extimatos, sub pactis et conditionibus assignavit, quod idem Eblo pro illa summa pecunie, ad quam extimati erant dicti redditus, ut prefertur, illos sibi vel heredibus suis restituere teneretur. Cum autem prefatus Eblo, dum adhuc ageret in humanis, certam partem dictorum redditum restituerit et alia pars ad manus tuas pervenerit cum eadem Matha uxore tua predicta, et per te, sicut intelleximus, teneatur, nobilitatem tuam plenis affectibus deprecamur quatenus illam partem redditum predictorum, que a te tenetur, ut premittitur, cum illa pecunia tibi solvenda que pro eadem parte redditum ipsorum secundum extimationem predictam solvi et assignari debet rationabiliter, velis prefato domino de Trainhaco restituere prompte, favorabiliter et benigne. Hec autem, quamvis equitatis et rationis justitie conveniant, prefatus dominus de Trainhaco reputabit ad gratiam, et nos qui certis causis, que tuam non latent prudentiam, eidem et domui sue afficimur, tibi reddemur super tuis oportunitatibus promptiores, super quibus nobis rescribere, quesumus, tue voluntatis et intentionis propositum non ommittas. Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno secundo. »

624 Avignon, 18 janvier 1344.

Supplicationibus annuens concedit infrascriptis, ut ecclesias et monasteria usque ad biennium per procuratorem visitare et procurationes ratione hujusmodi visitationis recipere moderatas. (Reg. 137, n° MCXV-MCXXIIII, fol. 272 v°.)

« *Venerabili fratri Nicolao archiepisco Rothomagensi.* Sincera fraternitatis tue —. Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno secundo. »

In eodem modo *Arnaldo archiepiscopo Terraconensi —, Egidio archiepiscopo Toletano —, Petro archiepiscopo Cesaraugustano —, Hugoni archiepiscopo Bisuntino —, Nicolao electo Lemovicensi —, Guillelmo episcopo Forojuliensi —, Petro episcopo Valentino et Diensi.*

625 Avignon, 19 janvier 1344.

Priori domorum Alverniæ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani Guidonem de Mauriaco commendat. (Reg. 137, n° DCXXXIX, fol. 176 v°.)

« *Dilecto filio Odoni de Monteacuto, priori domorum Arvernie, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Noviter intellecto quondam Olivarium de Sancto Amantio preceptorem domorum de Bellovidere, de Acento, et de Anglata, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Lemovicensis diocecis, pro quo tibi preces apostolicas jamdudum direxisse meminimus, viam fuisse universe carnis ingressum, et propterea domos predictas preceptoris regimine destitutas, sinceritatem tuam attente rogamus quatenus dilectum filium Guidonem de Mauriaco fratrem Hospitalis ejusdem, quem certis considerationibus prosequimur prerogativa favoris, habere velis super preceptoria domorum pre-

dictarum, tam sue probitatis obtentu super qua commendatur multipliciter apud nos quam precum consideratione hujusmodi favorabiliter, sicut honeste fieri poterit, commendatum —. Datum Avinione, XIIII kalendas februarii, anno secundo. »

626 Avignon, 19 janvier 1344.

Infrascripto mandat ut colligat bona quondam Raymundi, abbatis monasterii Psalmodiensis, ordinis Sancti Benedicti, Nemausensis diœcesis. (Reg. 137, n° DCXL, fol. 177 r°.)

« *Dilecto filio Raymundo Flori canonico Urgellensi.* Pridem pro parte camere —. Dat. Avinione XIIII kal. februarii, anno secundo. »

627 Avignon, 19 janvier 1344.

Supplicationes præsentatas recepit, Andream honore regii tituli insignire vult et edicit ut cum eadem regina coronetur et inungatur. (Reg. 137, n° MCCXXI, fol. 291 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.* Summi et eterni regis. — Datum Avinione XIIII kalendas februarii, anno secundo. »

628 Avignon, 20 janvier 1344.

Infrascripto regi commendat procuratores Guillelmi de Judice, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, cui papa multa beneficia contulerat. (Reg. 137, n° DCXLII, fol. 177 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle.* Dudum volentes dilecto —. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno secundo. »

629 Avignon, 20 janvier 1344.

Officiali Claromontensi mandat ut Petrum Archambaudi, clericum Claromontensis diœcesis, ad Sedem apostolicam transmittat qui, ut dicebatur, Robertum Lacassanha, monachum monasterii Casæ Dei, interfecerat. (Reg. 137, n° DCXLIII, fol. 177 v°.)

« *Dilecto filio... officiali Claromontensi.* Super quodam facinoroso homicidii scelere olim in personam quondam Roberti Lacassanha, monachi monasterii Casedei ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, per quosdam iniquitatis filios horribiliter et sacrilege, ut intelleximus, perpetrato, de quo Petrus Archambaudi, clericus Claromontensis, filius Archambaudi Cordonis, qui pro delictis et excessibus suis detineri dicitur tuis carceribus mancipatus, esse asseritur culpabilis et suspectus, scire volentes cum eodem clerico plenius veritatem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum clericum ad Sedem apostolicam absque tarditatis cujusvis obstaculo, sub fida custodia mittere non postponas, de presentatione autem presentium tibi facienda publicum confici volumus instrumentum earum seriem continens, nobis evestigio destinandum. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno secundo. »

630 Avignon, 21 janvier 1344.

Dijudicat quamdam controversiam quæ orta erat inter Johannem, comitem Armaniaci Bertrandumque, dominum de Turre. (Reg. 137, n° DCXLIIII, fol. 177 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni comiti Armaniaci.* Sicut novit tue nobilitatis prudentia, dudum super quadam questione que ratione assignationis de certis terris dilecto filio nobili viro Bertrando, domino de Turre, facte inter te, fili, dictumque nobilem, super eo videlicet quod idem nobilis asserebat non esse completam assignationem predictam, te contrarium asserente, mota erat, te ac ipso coram nobis presentibus, tractatum extitit et concorditer ordinatum quod duo probi viri tunc communiter electi solerter et fideliter viderent et cognoscerent super hiis, quod justum et rationi consonum existeret, infra certum terminum tunc prefixum, in quo quidem termino referre deberent nobis ea que super hiis essent facta, ut, si qua restarent dubia, nos tractare possemus vobiscum super hoc, ac vos ad concordiam sicut veritatis et justitie suaderet equitas, revocare. Sane, sicut habet assertio nobilis supradicti, licet ad quosdam terminos assignatos coram deputatis predictis, ipse sufficienter miserit et

ut ad expeditionem ejusdem negocii juxta formam tractatus procederetur predicti, fecerit posse suum, pro parte tamen tua extitit super hoc nichil factum, immo ultimum terminum absque prefixione seu receptione alterius eidem contramandare curasti. Optantes igitur sic negotium hujusmodi terminari quod veritati et justitie satisfiat, ac tu et idem nobilis, sicut estis nexu conjuncti sanguinis, sic semper remaneatis animorum et voluntatum indemptitate uniti, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatenus, non obstante quod dictus terminus in quo coram nobis esse tu et ipse pro predictis debebatis, ut premittitur, sit elapsus, velis pro parte tua facere cum effectu, quod prefati deputati super eodem negocio celeriter secundum formam dicti tractatus procedant, cum sepefatus nobilis hoc idem pro parte sua facere, prout coram nobis asseruit, sit paratus. Nobis autem gratum existeret admodum et acceptum, si premissa infra quindenam instantis festi Penthecostes completa per deputatos predictos existerent, et cum plena et fideli relatione illorum essetis coram nobis in hujusmodi termino tu et ipse, ut ea que pro honore, commodo et concordia utriusque partis super premissis viderentur expedientia, tractari per nos possint. Demum que tue voluntatis et beneplaciti fuerint super hiis, nos cures, quesumus, efficere per tuas litteras certiores. — Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno secundo. »

631 Avignon, 23 janvier 1344.

Aymericus, tituli Sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, ordinatur et constituitur vicarius, bajulus et administrator et gubernator generalis regni Siciliæ. (Reg. **161**, *De Curia*, n° XVI, fol. 3 r°; — Reg. **215**, fol. 4 v°.)

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Si Romanus pontifex —. Dat. Avinione, X kalendas februarii, anno secundo. »

632 Avignon, 23 janvier 1344.

Aymerico mandat ut processus factos contra impedientes eum ordinationi et constitutioni vicariatus regni Siciliæ vacantem, in locis dicti regni et aliis terris et partibus vicinis, clero et populo, sollemniter faciat publicare. (Reg. **161**, *De Curia*, n° XVII, fol. 4 r°; — Reg. **215**, fol. 6 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato ac vicario et bajulo regni Sicilie pro Romana ecclesia constituto salutem.* Nuper pro efficaciori —. Dat. ut supra. »

633 Avignon, 24 janvier 1344.

Willelmum Bateman, quem Edwardus rex Angliæ jam elegerat, ad episcopatum Norwicensem promovet. (Reg. **137**, n° DCLII, fol. 179 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Nuper ad noticiam nostram —. Dat. Avinione, VIII kalendas februarii, anno secundo. »

634 Avignon, 24 janvier 1344.

Archiepiscopo Tholosano mandat ut Guillelmum Farinerii, ordinis fratrum Minorum, Aquitaniæ provinciæ provincialem ministrum, sub Jordano Curti ordinis ejusdem, theologicæ facultatis professore, ad statum et honorem magisterii ejusdem facultatis, servata solemnitate debita, promovere procuret. (Reg. **137**, n° DCLIII, fol. 180; — *Chartul. Univ. Parisiensis*, II., n° **1083**, p. 546; — Wadding, *Annales Minorum*, 2e éd., VII, 534.)

« *Venerabili fratri... archiepiscopo Tholosano.* Fidedignorum nobis relatio —. Dat. Avinione, VIII kalendas februarii, anno secundo. »

635 Avignon, 25 janvier 1344.

Nuntio suo mandat ut in partibus Britanniæ remaneat, si Carolus de Blesis, dux Britanniæ, id voluerit. (Reg. **137**, n° DCLIIII, fol. 180 r°.)

« *Dilecto filio Stephano de Mulceone, decano ecclesie Bituricensis, capellano nostro, apostolice Sedis nuncio.* Benigne receptis litteris tuis et contentis in eis diligentius intellectis, volumus quod si dilectus

filius nobilis vir Carolus de Blesio, dux Britannie, te adhuc voluerit in illis partibus moraturum, ibidem remaneas, que tibi per nos commissa sunt prudenter et fideliter exequendo. Nolumus tamen quod personam tuam exponas propter hoc imminentibus periculis quoquomodo. Dat. Avinione, VIII kalendas februarii, anno secundo. »

636 Avignon, 26 janvier 1344.

Infrascriptæ abbatissæ mandat ut munus benedictionis concedat Heliadi et Margaritæ de Ruppecavardi, monialibus infrascripti monasterii, nepotibus Agnetis olim abbatissæ, quæ, duodecim annis jam elapsis, dictam benedictionem non receperant. (Reg. 137, n° DCLV, fol. 180 r°.)

« *Dilecte in Christo filie Ive, abbatisse monasterii beate Marie Xanctonensis, ordinis sancti Benedicti.* Si filias tuas —. Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno secundo. »

637 Avignon, 28 janvier 1344.

Edicit statutum ad beneficia cardinalibus concessa pertinens, et ad excessus a procuratoribus commissos. (Reg. 137, n° DCLVI, fol. 180 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Querulosa quorundam insinuatio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod cum nos dudum quibusdam ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus, pro utiliori sustentatione status sui, de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, etiam dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis in diversis provinciis ac civitatibus et diocesibus consistentibus tunc vacantibus et in antea vacaturis, sub certis modis, formis, conditionibus, in litteris nostris confectis super hoc contentis plenius et expressis, gratias fecerimus speciales, nonnulli procuratores seu negotiorum gestores eorundem cardinalium ad prosequendum gratias hujusmodi deputati, cum de prioratibus, administrationibus et aliis beneficiis et locis ecclesiasticis a monachis vel personis religiosis aliis conferri seu assignari consuetis vigore gratiarum predictarum eisdem cardinalibus provideri contingit, ad bona mobilia per priores, administratores vel alios religiosos per quorum cessum vel decessum prioratus, administrationes, beneficia et loca ipsa vacabant dimissa, extendentes avidas manus suas, ea occupare ac eisdem appropriare cardinalibus moliuntur, super quibus questiones et scandala in aliquibus partibus, sicut intelleximus, sunt exorta. Nostre igitur provisionis remedio super hiis humiliter implorato, nos, volentes hujusmodi obviare scandalis, ac cujusvis dissensionis et dubii materiam super hiis amputare, tenore presentium declaramus bona per priores, administratores, vel alios quosvis religiosos, cujuscumque fuerint ordinis, ut prefertur, dimissa, quecumque sint et in quibuscumque rebus mobilibus vel se moventibus quoquomodo consistant, ad cardinales predictos nullatenus pertinuisse vel etiam pertinere, ac quoslibet occupatores et detentores bonorum huiusmodi ad restitutionem integram exinde faciendam teneri. Eos vero cujuscumque conditionis, ordinis, status vel dignitatis existant, qui bonorum occupatorum et detentorum hujusmodi restitutionem plenam et integram infra quadraginta dies, postquam hujusmodi nostra declaratio in audientia litterarum nostrarum contradictarum fuerit publicata, facere omiserint, excommunicationis sententia innodamus. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, V kalendas februarii, anno secundo. »

638 Avignon, 30 janvier 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi, ad partes Angliæ, Scociæ, Walliæ et Hiberniæ nuncio pro quibusdam ecclesiæ Romanæ negotiis misso, septem solidos sterlingorum singulis diebus assignet. (Reg. 137, n° DCLXIII.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis... etc. et Calatravensium domorum per partes Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie constitutis.* Cum nos dilectum —. Dat. Avinione, III kalendas februarii, anno secundo. »

639 Avignon, 1er février 1344.

Hospitium, quod infrascriptus in civitate Avinionensi acquisiverat, ab omni servitute eximit. (Reg. 137, n° DCLXVIII, fol. 183 v°.)

« *Dilecto filio magistro Gasberto de Septemfontibus, canonico Ilerdensi, scriptori et familiari nostro.* Grata tue familiaritatis obsequia, que apostolice Sedi fideliter impendisti hactenus et adhuc continue nobis et eidem Sedi sedulis et devotis studiis non desistis impendere, promerentur ut nos in exhibitione favoris et gratie reperias liberales. Tuis itaque supplicationibus inclinati, hospicium quod acquisivisti de substantia propria in civitate Avinionensi, in qua cum Romana curia residemus, consistens prope portam vocatam Aqueriam in parrochia ecclesie sancti Stephani Avinionensis, inter carrerias dictas de Fustaria majori et de Lascrotas, habens introitus et exitus in utraque carreriarum ipsarum, confrontatum ab una parte cum hospiciis Guillelmi Johannis draperii et Raymundi Fulconis sartoris, et ab alia parte cum hospiciis Francisci Porcelli et Michaelis Deodati, alias dicti de Montelauro, ab omni servitute cujuscumque librate venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium, qui nunc sunt et fuerint in posterum, et alia quacumque prorsus eximimus perpetuo et etiam liberamus. Ita quod hospicium ipsum nunquam deinceps te, vel alio, seu aliis habentibus a te causam invitis, de librata alicujus dictorum cardinalium vel alicujus alterius possit esse vel debeat occasione quacumque nec etiam aliquam taxationem, que super hospiciorum sive domorum pensionibus, sive conductionibus in dicta curia de more consuevit fieri, habeat seu debeat quoquomodo subire, dummodo inter te vel predictos a te causam habentes et hospites, qui hospicium inhabitabunt predictum pro tempore, super dicta pensione ratione mansionis sive inhabitationis hujusmodi, mutua concordia intercedat. Non obstantibus, etc. —. Datum Avinione, kalendis februarii, anno secundo. »

640 Avignon, 1er février 1344.

Infrascriptis mandat ut dictum privilegium ad effectum deduci jubeant. (Reg. **137**, n° dclxix, fol. **184** r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Avinionensi et dilectis filiis... abbati monasterii sancti Andree ac... priori de Montealto, Avinionensis diocesis.* Judicibus mandamus quatinus —. Dat. Avinione, kalendis februarii, anno secundo. »

641 Avignon, 1er février 1344.

Infrascripto tabellionatus officium concedit. (Reg. **137**, n° mclxxxv.)

« *Dilecto filio Johanni Fronardi, clerico Biterrensi non conjugato nec in sacris ordinibus constituto* —. Dat. Avinione, kalendis februarii, anno secundo. »

642 Avignon, 2 février 1344.

Hospitium quod infrascriptus in civitate Avinionensi acquisiverat ab omni servitute eximit. (Reg. **137**, n° dclxx et dclxxi, fol. **184** r°.)

« *Dilecto filio Michaeli Magistri Ruffini de Pistorio, servienti nostro armorum, salutem et apostolicam benedictionem.* Ex tue devotionis et probitatis provenit meritis ut nos, quantum cum Deo possumus, in exhibitione favoris et gratie reperias liberales. Tuis itaque supplicationibus inclinati, hospicium quod cum quadam curti acquisivisti, quodque etiam in solo per te acquisito construxisti de substantia propria in civitate Avinionensi, in qua cum curia Romana residemus, consistens in parochia ecclesie sancti Agricoli, confrontatum ab una parte cum carreria publica, ab alia parte cum quadam transversia, ac ab alia parte cum hospiciis sive domibus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, que olim fuerunt quondam ordinis Templi, nec non et ab alia parte cum hospicio Guigonis de Castronovo, canonici Vivariensis, quod quidem hospicium cum solo et curte per te, ut predicitur, acquisitum de librata alicujus ex venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus nunquam hactenus asseris extitisse, ab omni servitute cujuscumque librate ipsorum cardinalium presentium et futurorum et alia quacumque prorsus eximimus et etiam liberamus. Non obstantibus, etc. Nulli ergo etc. Datum Avinione, iiii nonas februarii, anno secundo. »

« *Judicibus*, mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra. »

643 Avignon, 2 février 1344.

Andreæ, regi Siciliæ, indulget ut titulo regio utatur et per Aymericum tituli Sancti Martini presbiterum cardinalem legatum coronetur. (Reg. 137, n° dclxxii; — Raynaldi, VI, p. 356.)

« *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.* Multiplicatas devotarum precum —. Dat. Avinione, iiii nonas februarii, anno secundo. »

644 Avignon, 2 février 1344.

Johannæ, reginæ Siciliæ, nunciat se concessisse ut Andreas titulo regio utatur, Guillelmumque de Turre, nepotem suum, ei mittit. (Reg. 137, n°s dclxxiii-dclxxv, fol. 185 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Multiplicatas devotarum precum —. Datum Avinione, iiii nonas februarii, anno secundo. »

Item in eundem modum *Sancie regine Sicilie*, verbis competenter mutatis. Dat. ut supra.

Item in eundem modum *regine Ungarie*, verbis competenter mutatis. Dat. ut supra.

645 Avignon, 2 février 1344.

Eidem reginæ nunciat se misisse ad partes Siciliæ Aymericum legatum qui ipsam coronet et ab ipsa recipiat fidelitatis juramentum. (Reg. 137, n° dclxxvi, fol. 186 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Serenitatem tuam, filia —. Dat. Avinione, iiii nonas februarii, anno secundo. »

646 Avignon, 4 février 1344.

Ambassiatores regis Siciliæ, qui ad Sedem apostolicam venerant et nunc revertuntur, eidem regi commendat. (Reg. 137, n°s dclxxvii-dclxxx, fol. 186 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.* Dudum ad nostram venientes presentiam venerabilis frater noster Guillelmus, archiepiscopus Brundusinus, et dilecti filii nobiles viri Guillelmus de Sabrano, Ariani, Hugo de Baucio, Provincie regius senescallus, comites, Petrus de Cadeneto, curiam vicarie regni regens, Johannes de Revesto, magister rationalis, milites, Guillelmus de Johya, civilis, et Nicolaus de Aquila canonici jurium professores, nuncii et ambassiatores regii per nos, tam consideratione mittentium quam ipsorum missorum probitatis obtentu, favorabiliter et benigne recepti, tam patentes quam clausas diversas litteras nobis presentare ac exponere causa missionis et ambassiate sue, prudenter, eleganter et provide curaverunt, et deinde tam in camera quam consistoriis nostris negocia, pro quibus missi fuerunt, ut premittitur, extiterunt fideliter et sedule prosecuti. Cum autem negociis hujusmodi, super quibus nos, quantum cum Deo et honestate fieri potuit, repererunt benignos et favorabiles, expeditis, sicut per alias patebit tam clausas quam patentes litteras, et ipsi nuncii etiam tue celsitudini referre plenius poterunt viva voce, ad tuam presentiam revertantur, nos ipsorum et cujuslibet eorumdem fidelitatem et circumspectam diligentiam super hiis que coram nobis super predictis egerunt probabiliter, necnon et ipsos tue regali benivolentie propensius commendamus, volentes indubie te tenere quod ipsi vel aliquis ipsorum in secreto vel publico, quod scire potuerimus, nunquam tractaverunt vel procuraverunt aliqua hiis contraria, que ambassiata eis a tua celsitudine imposita continebat. Dat. Avinione, ii nonas februarii, anno secundo. »

Item in eundem modum *Johanne regine Sicilie illustri —, Sancie regine Sicilie illustri —, Elisabeth Ungarie regine illustri*, ommissa dicta clausula volentes. — Dat. ut supra.

647 Avignon, 5 février 1344.

Reginæ Siciliæ commendat Guillelmum de Joyha, juris civilis professorem, Magnæ Curiæ magistrum rationalem, qui negotia ardua cum aliis nunciis tractaverat, (Reg. 137, n° dclxxxi, fol. 187.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Cum sicut facti. — Dat. Avinione, II nonas februarii, anno secundo. »

648 Avignon, 4 février 1344.

Johannam, reginam Siciliæ, rogat ut non credat eis qui scripserant, certos tractatus apud Sedem apostolicam ea intentione factos fuisse, ut commissio Aymerico legato data restringeretur; sed cum benigne ambassiatores reginæ receperit, videlicet Hugonem de Baucio, comitem Avellini et senescallum Provinciæ, Talayrandum tituli sancti Petri ad Vincula presbiterum cardinalem, Petrum de Cadeneto et Johannem de Reverto militem, hortatur reginam ut decenter audiat eumdem Johannem de Reverto, qui ad partes Siciliæ revertitur. (Reg. 137, n° DCLXXXII, fol. 187 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Non sine admiratione —. Dat. Avinione, II nonas februarii, anno secundo. »

649 Avignon, 4 février 1344.

Johannæ, Siciliæ reginæ, de dono quod Guillelmo Rogerii, germano papæ, fecerat, mirificas gratias agit. (Reg. 137, n° DCLXXXIII, fol. 187 r°.)

« *Eidem regine.* De doni liberalitate magnifici quod mera benivolentia et motu proprio a te, filia carissima, dilecto filio nobili viro Guillelmo Rogerii, militi, domino de Cambono, germano nostro ejusque posteritati utriusque sexus factum audivimus hiis diebus, regali magnificentie tue graciarum uberes referimus actiones. Dat. Avinione, II nonas februarii, anno secundo. »

650 Avignon, 5 février 1344.

Infrascripto mandat ut colligat bona Petri quondam prioris sancti Vigoris prope Baiocas, ordinis Sancti Benedicti. (Reg. 137, n° DCLXXXV, fol. 187 v°.)

« *Dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi.* Cum nos pridem —. Dat. Avinione, nonis februarii, anno secundo. »

651 Avignon, 5 février 1344.

Omnibus infrascriptis mandat ut salvum securumque conductum concedere velint Guillelmo de Turre, familiari papæ, ad partes regni Siciliæ pro certis negotiis misso. (Reg. 137, n° MCLXXVI, fol. 284 v°.)

« *Venerabilibus, fratribus patriarchis, archiepiscopis etc. ut supra, usque pervenerint.* Cum nos dilectum filium —. Dat. Avinione, nonis februarii, anno secundo. »

652 Avignon, 5 février 1344.

Confirmat donationem quam Petrus Andreæ episcopus Claromontensis Bertrando de Salguis fecerat. (Reg. 137, n° MCCXXII, fol. 292 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Bertrando de Salguis, Tutellensis diocesis.* Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur ut tibi super tuis oportunitatibus nos, quantum cum Deo possimus, propicios reperias et benignos. Sane venerabilis frater noster Petrus, episcopus Claromontensis, nuper exposuit coram nobis quod ipse, nuper attendens tue merita probitatis et grata obsequia que sibi et ecclesie tue Claromentensi impenderes, et te in posterum impensurum sperabat, tibi castellaniam seu custodiam castri sui et ecclesie sue predicte de Alneza, Sancti Flori diocesis ad vitam tuam donavit, meliori jure quo potuit, et concessit, nobis humiliter supplicando ut donationem et concessionem hujusmodi aprobare ac confirmare de benignitate apostolica ex certa scientia dignaremur. Nos igitur supplicationi hujusmodi benignius inclinati, easdem donationem et concessionem ex certa scientia confirmamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, nonis februarii, anno secundo. »

653 Avignon, 6 février 1344.

Custodem monetæ apud Pontem Sorgiæ cudendæ infrascriptum deputat. (Reg. 137, n° DCLXXXVI, fol. 188 r°.)

« *Dilecto filio Petro Barravi, clerico, de Martello, Caturcensis diocesis.* Intendentes pro utilitate reipu-

blice monetam auream sub certis lege ac pondere cudi facere apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis infra comitatum Venaissini nobis et ecclesie Romane immediate subjectum, cupientesque quod moneta ipsa fideliter et recte, prout cum magna et matura deliberatione consilii extitit ordinatum, procedat, te de cujus fidelitate in omnibus et pericia in talibus confidimus, custodem ejusdem monete usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium deputamus, faciendi, gerendi et exercendi omnia et singula que ad officium custodie hujusmodi pertinent, tibi potestatem plenariam concedentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus in officio hujusmodi sic te geras, quod exinde possis et debeas merito commendari. Datum Avinione, VIII idus februarii, anno secundo. »

654 Avignon, 7 février 1344.

Mercatores et socii societatis Azayalorum de Florentia, tunc in Romana curia commorantes, tanquam principales ac procuratores commercatorum, ad solvendum et restituendum cameræ omnes et singulas pecunias quas receperunt, se dictamque societatem ac omnia bona obligarunt. Cumque dicti mercatores diversas pecuniarum summas in diversis mundi partibus receperint et de magna parte ipsarum quæ in diversis monetis ad summam septemmillium quadringentorum septuaginta quinque florenorum auri de Florentia ascendunt, nondum satisfecerint cameræ, quamvis requisiti, mandat infrascriptis ut dictos mercatores concives, quibus tam in Romana curia quam alibi consuevit fides hactenus dari, ad satisfaciendum inducant. (Reg. **137**, n° DCLXXXVIIII.)

« *Dilectis filiis prioribus artium, confalonerio justicie, consilio et communi civitatis Florentine.* Dudum dilecti filii —. Dat. Avinione, VII idus februarii, anno secundo. »

655 Avignon, 7 février 1344.

Reginæ Franciæ super iis, quæ Petrus Andreæ, episcopus Claromontensis, exposuit, respondet. (Reg. **137**, n° DCLXXXX, fol. **188** v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Super hiis que nobis venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis pro parte celsitudinis tue, filia carissima, sub credentia eidem per litteras concessa regias exposuit, per nos favorabiliter et plenius intellectis, breviter respondemus, prout continet cedula presentibus interclusa. Dat. Avinione, VII idus februarii anno secundo. »

656 Avignon, 7 février 1344.

Infrascripto, qui jam a Benedicto papa XII ad colligendos fructus, redditus et proventus tempore vacationis monasterii sancti Basoli, ordinis Sancti Benedicti, Remensis diœcesis, deputatus fuerat, mandat ut dictos fructus recipiat et colligat, non obstantibus obstaculis et impedimentis per abbatem recenter electum appositis. (Reg. **137**, n° DCLXXXXI, fol. **189** r°.)

« *Dilecto filio Johanni Ogerii, decano ecclesie Belnensis, Eduensis diocesis.* Olim felicis recordationis, etc. —. Datum Avinione, VII idus februarii anno secundo. »

657 Avignon, 7 février 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut Guillelmo, episcopo Norwicensi, apostolicæ Sedis nuncio, ad Edwardum regem Angliæ misso, VIII florenos auri singulis diebus assignare velint. (Reg. **137**, n° MCLXXIIII, fol. **283**.)

« *Venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis etc., ut supra, etc.* Pridem dilectum filium Guillelmum, electum Norwicensem, tunc capellanum nostrum, causarum nostri palatii auditorem, apostolice Sedis nuncium, ad carissimum in Christo filium nostrum Edwardum, regem Anglie illustrem, et partes regni sui pro certis arduis negociis destinantes, universitatem vestram rogandam duximus et hortandam, vobis nichilominus injungentes ut eundem Guillelmum, cum per terras et partes vestras transitum faceret, ob reverentiam apostolice Sedis et vestram benigne recipientes et honeste tractantes, sibi diebus singulis quibus, eundo ad dictas partes Anglie ac morando in eis pro negociis pro quibus ipsum mittebamus et ad nos etiam redeundo laboraret, in quatuor florenis auri vel valore

illorum de moneta in partibus vestris currente pro suis et familie sue expensis et necessariis ac de securo conductu, cum super hiis per ipsum vel ejus nuncium essetis requisiti providere liberaliter curaretis, sicut in litteris vestris inde confectis plenius continetur. Cum autem deinde, postquam ipse iter suum ad easdem partes Anglie arripuit, nos eum ecclesie Norwicensi tunc vacanti de consilio fratrum nostrorum prefecerimus in episcopum et pastorem, et propterea ipsum oporteat subire majores expensas, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta mandantes quatenus eundem electum, cum per terras et partes vestras transiverit, ob reverentiam dicte Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, sibi, a die date presentium in antea, singulis diebus quibus eundo ad dictas partes Anglie ac morando in eis pro negotiis antedictis et ad nos redeundo laboraverit, in octo florenis auri vel illorum valore de moneta in partibus vestris currente pro suis et familie sue expensis et necessariis et de securo conductu, etc. Datum Avinione, VII idus februarii, anno secundo. »

658 Avignon, 8 février 1344.

Infrascriptis altare portatile concedit. (Reg. 137, n^os MCLXXXX-MCLXXXXII, fol. 287 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Hugoni, domino de Ruppe, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Mathe ejus uxori, Lemovicensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Dat Avinione, VI idus februarii anno secundo. »

Item in eodem modo *dilecto filio nobili viro Hugoni de Ruppe, militi, Lemovicensis diocesis, Romane curie marescallo.* Dat. ut supra.

Item in eodem modo *dilecte in Christo filie nobili mulieri Dalphine, uxori dilecti filii nobilis viri Hugonis de Ruppe, militis, Romane curie marescalli.* Dat. Avinione, VI idus februarii anno secundo.

659 Avignon, 10 février 1344.

Infrascriptis mandat ut controversiam dijudicent quæ orta erat inter Isabellem de Villepesque, Parisiensis diœcesis et Johannem de Poisiaco, militem Meldensis diœcesis, quia propter impotentiam et frigiditatem mariti dicta conjux ad secundas nuptias convolare cupiebat. (Reg. Vat. 157, *De curia*, fol. 16 v°, n° XLVIIII.)

« *Venerabili fratri... episcopo Parisiensi et dilectis filiis Raymundo Bernardi, archidiacono Bononiensis, Parisius commoranti, ac... cantori Parisiensis, ecclesiarum.* Oblata nobis pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Isabellis de Villa Peyscle, Parisiensis diocesis, petitio continebat quod, licet olim ipsa cum dilecto filio nobili viro Johanne de Poissiaco, milite Meldensis diocesis, matrimonium de presenti legitime contraxisset, et per sex annos cum eo quasi continue habitasset, ac dedisset pro posse opem et operam copule conjugali, quia tamen ipse Johannes propter suam impotentiam et frigiditatem eam carnaliter cognoscere non valebat, ipsa Isabella cupiens esse mater et sobolem procreare, super hoc petendo ferri divortii sententiam inter eos et sibi dari licentiam cum alio in domino contrahendi, eique provideri de expensis pro prosecutione cause hujusmodi oportunis super bonis suis dotalibus, que magna et multa, ut asserit, fore noscuntur, et que ipse miles tenebat et possidebat, coram... officiali Meldensi, non ex delegatione apostolica, traxit in causam; et quod eadem ipsa Isabelli de mandato ipsius officialis per matronas expertas in talibus diligenter inspecta et integra comperta et virgine, ipsoque Johanne similiter per medicos et aliis modis ad experiendum, si potens esset ad copulam antedictam, examinato, et impotenti reperto, idem officialis, hiis non obstantibus, pronunciavit eosdem Johannem et Isabellim per certum tempus et in certo loco insimul habitare debere, ac decrevit et ordinavit eidem Isabelli provisionem ducentarum librarum Parisiensium fore super dictis bonis, durante hujusmodi prosecutione negotii, annis singulis faciendam, a quibus quidem assignatione loci et provisione dictus miles, asserens se gravatum, ad Sedem apostolicam appellavit et super appellatione sua hujusmodi apostolicas ad venerabilem fratrem nostrum... episcopum Silvanectensem et duos alios ejus in hac parte collegas sub certa forma litteras impetravit; quodque cum interim carissimus in

Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, motu proprio, non ad ipsius Isabellis instantiam, terram ipsius Isabellis, ut Isabelli predicte ministraretur provisio memorata, ad manum suam poni fecisset, prefatus miles minus veraciter asserens prefatam Isabellim, manum in eisdem bonis poni, procurasse, eandem Isabellim super hoc petendo manus positionem in bonis eisdem tamquam attemptatum revocari coram episcopo et collegis predictis pretextu litterarum ipsarum ad judicium evocari qui, perperam in hac parte procedentes, per eorum iniquam interlocutoriam pronunciarunt manus positionem per eundem regem in dictis bonis factam tanquam attemptatam indebite revocandam, eamque revocari debere ipsius Isabellis sumptibus et expensis, propter que pro parte ipsius Isabellis fuit ad Sedem appellatum eandem. Quare pro parte ipsius Isabellis fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum idem miles tenens ipsius Isabellis bona, et sciens se, sicut est, se penitus impotentem, non querat nisi diffugia, ut fructus percipiat dicte dotis et flos ipsius Isabellis transeat juventutis, providere sibi et statui suo super hiis de benignitate apostolica dignaremur, nos igitur qui litigiorum anfractus non immerito detestamur, cupientes liti hujusmodi finem poni, ac gerentes de vestre circumspectionis industria in hiis et aliis fidutiam in Domino specialem, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, omissis quarumlibet appellationum causis, et eis ac omnibus et singulis supradictis, necnon constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, que incipit : « statutum » et omnibus contentis in ea nequaquam obstantibus legitime coram eodem officiali Meldensi in causa hujusmodi habito servato processu, de causa principali hujusmodi simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, juxta instituta canonica cognoscatis illamque terminetis auctoritate apostolica et etiam decidatis ac dictam provisionem pro prosecutione cause hujusmodi per eundem officialem Meldensem statutam, faciatis eidem Isabelli, durante hujusmodi prosecutione negotii, prout justum fuerit, exhiberi. Contradictores, etc. Non obstantibus. Dat. Avinione, III idus februarii, anno secundo. »

660 Avignon, 11 février 1344.

Infrascriptis mandat ut excommunicent omnes illos qui Jacobum Lunardi, priorem Sancti Honorati de Rocafraudosa, Aquensis diœcesis, violenter ceperant. (Reg. 137, n° DCLXXXXII, fol. 189 r°.)

« *Dilectis filiis magistris Petro Alamanni, decano Brivatensis, Sanctiflori diocesis, et Petro de Probavilla, archidiacono de Occa Ebroicensis, ecclesiarum, capellanis nostris.* Ad hec rectitudo justitie presidentis officio est servanda ut humana nocendi coherceatur audacia, et tuta inter improbos innocentia perseveret. Nuper siquidem nedum gravis querela dilectorum filiorum Raymundi abbatis et conventus monasterii Montismajoris, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis, sed et rumor nimis implacidus et infestus nostrum et apostolice Sedis pulsavit auditum, quod licet ipsi abbas et conventus super nonnullis excessibus, sacrilegiis, invasionibus, injuriis et dampnis variis pro parte dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Baucio, domini de Berra, ipsis abbati et conventui pluribusque suis familiaribus et hominibus castri de Miromari, dicte diocesis, spectantis cum omnimoda jurisdictione ad dictum monasterium in eodem castro ejusque territorio et extra, in personis et bonis suis multipliciter irrogatis, recursum olim habuerint, ad felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, et subsequenter eodem predecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio, ad nos deinde ad apicem summi apostolatus assumptos, indeque pro ministranda sibi super eis justitia, diversas obtinuerint commissiones factas in scriptis, quibusdam nostri palacii apostolici auditoribus et etiam viva voce dilectis filiis nostris Talayrando sancti Petri ad Vincula, et Stephano sanctorum Johannis et Pauli tituli presbiteris cardinalibus, quarum commissionum vigore auditores et cardinales ipsi diversos inchoarent processus non absque ipsorum abbatis et conventus multis laboribus et expensis. Et demum predicti abbas et conventus ex parte una, et dictus nobilis ex altera, super querelis et questionibus, quas inter se habebant adinvicem, quovis modo seu causa, in dictos cardinales compromiserint de nostre voluntatis beneplacito, nichilo-

minus tamen hujusmodi processibus et compromisso pendentibus, quidam familiares et homines ejusdem nobilis, pluresque alii nobiles et potentes comitatuum Provincie et Forcalquerii, qui inter se ligam adversus et contra quoscumque et maxime ecclesias et ecclesiasticas personas, aliquid ab eisdem vel ipsorum aliquo contra suum velle petentes, seu etiam defendentes, prefato nobili consentiente, mandante consilium, auxilium seu favorem prestante, fecisse dicuntur, usque ad numerum quingentorum equitum et peditum vel circa, turba coadunata more hostili, cum diversis patentibus armis, de mense decembris proximo lapso, quandoque simul et plerumque divisim, diversis vicibus et diebus, territorium dicti castri de Miromari adeuntes, vim publicam inferendo, vineas, ortos et diversas alias possessiones ipsius abbatis et plurium hominum castri ejusdem depopularunt, vites, oliveta, nuces et alias arbores fructiferas juxta terram totaliter incidendo, grangias quoque, domos, curtes, molendina, aliaque loca et edificia in eodem territorio existentia destruentes, ignis incendio etiam consumpserunt, et deinde castrum predictum ejusque habitatores et custodes more hostili et predonico pluribus diebus et vicibus invadere occupare nisi sunt, et auferre, quibusdam ex hominibus defensoribus et habitatoribus dicti castri per dictos invasores graviter vulneratis, et aliquibus [h]orribiliter interfectis. Et insuper quod quidam ex eisdem malefactoribus, premissis sic patratis nequiter non contenti, ad prioratum sancti Honorati de Rocafraudosa, Aquensis diocesis, subjectum predicto monasterio, dirigentes gressus suos iniquos pariter et dampnatos, dilectum filium Jacobum Lunardi, prefati monasterii monachum et prioratus ejusdem priorem, in prioratu eodem seu juxta ipsum, manibus ceperunt sacrilegis et captum violenter ad castrum de Vitrola, dicte Arelatensis diocesis, subjectum dicti nobilis ditioni, una cum equo et quibusdam aliis bonis prioris ejusdem per eos captis et depredatis asseruntur duxisse, quem quidem priorem adhuc contra libertatem ecclesiasticam detinent captivatum, excommunicationis sententias, adversus talia perpetrantes latas a canone, in suarum animarum grande periculum et multorum scandalum, incurrere non verentes. Cum autem tot et tam horrendi excessus et detestanda scelera, que, si veritas suffragatur relatibus, in divine majestatis offensam, nostrique ac ecclesie Romane predicte, cui dictum monasterium immediate subesse noscitur, injuriosam contumeliam, libertatis ecclesiastice lesionem, pacifici status turbationem, dictorumque abbatis et conventus ac hominum et subditorum suorum grande prejudicium et plurimorum perniciem redundare noscuntur, non sint ulterius sub dissimulationis pretereunda neglectu, presertim cum plura de gravioribus commissis hujusmodi adeo in partibus dicantur esse notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari; discretioni vestre, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum insolidum omnes et singulos clericos et laicos, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, qui prefatum priorem ceperunt et captum detinent aut in captione seu detentione ejusdem prestiterunt seu prestant, directe vel indirecte, publice vel occulte, per se vel alium seu alios, auxilium, consilium vel favorem, seu captionem ac detentionem ipsius ratas habuerunt vel habent, excommunicationis sententiam latam a canone contra talia committentes incurrisse, illisque subjacere tam in Romana curia quam alibi, ubi expedire videritis, tamdiu faciatis publice nunciari, quousque idem prior restitutus fuerit pristine libertati, restitutis sibi nichilominus raptis et depredatis hujusmodi bonis suis, vel eorum valore, si forsitan non extarent, ac de injuriis super hoc ipsi priori et monasterio predicto illatis debita satisfactione previa meruerint absolutionis beneficium obtinere; rursus cum ignorari dicatur ubi nunc dictus prior detinetur captivus, monere canonice omnes et singulos, qui aliquid super captione et detentione dicti prioris sciverint aut sciant, generaliter studeatis, ut vobis seu alteri vestrum, vel alii per quem ad vestram pervenire valeat noticiam, infra competentem terminum per vos eis super hoc prefigendum, quod in hac parte sciverint integre revelare procurent. Alioquin in singulares personas eorum monitioni eidem parere cum effectu contempnentium seu recusantium excommunicationis, et in ipsorum terras, castra et loca interdicti sententias promulgetis. Ceterum ne sacrilegia, incendia, homicidia, invasiones, incur-

sus hostiles, depopulationes, dampnaque et delicta, que circa premissa tam in dictis castro de Miromari et ejus territorio quam extra in locis diversis commissa fuisse narrantur, in rei publice detrimentum et aliorum exempli perniciem, remaneant incorrecta, vos vel alter vestrum ad partes et ad loca, de quibus expedire videbitis, vos personaliter conferentes, ac super premissis excessibus, injuriis et dampnis vos simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, solerter et fideliter informantes, si per facti evidentiam aut alias de illis vobis constiterit, prefatum nobilem omnesque alios tam clericos quam laicos, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, generaliter eos et specialiter et nominatim quos per hujusmodi informationem deliquisse constiterit, super premissis vel aliquo eorundem, etiam per edictum in locis publicis, de quibus vobis videbitur, et sit verisimilis presumptio quod inde ad eoram notitiam deducti valeat effigendum, et alias ut rationis equitas suadebit, ex parte vestra canonice monere curetis, ut infra certum peremptorium terminum competentem sibi per vos super hoc prefigendum, de hujusmodi excessibus injuriis et dampnis abbati et conventui predictis, aliisque propterea lesis et dampna passis, condignam satisfactionem impendant. Alioquin in singulares personas talium excommunicationis et in ipsorum terras, castra et loca interdicti sententias canonice proferatis, et alias super et de predictis culpabiles, juxta sua demerita, taliter mediante justitia corrigatis, quod ipsorum pena certis similia facere presumentibus transeat in exemplum. Contradictores etc. Invocato, etc. Porro colligationes et pactiones predictas, que contra libertatem ecclesiasticam, bonum pacis, honestatem rei publice, summique Regis offensam et grave periculum animarum presumpte dicuntur, etiam si adjectione penarum et juramentorum, que vinculum iniquitatis esse non debent, suffulte fuerint, nullas, irritas et cassas fuisse et esse declarantes et quatenus de facto processerunt, cassantes, irritantes et anullantes, omnes et singulos tam clericos quam laicos cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, hujusmodi colligationibus seu pactionibus utentes in posterum, studeatis excommunicationis sententia innodare, civitates nichilominus, terras, castra et loca ipsorum interdicto ecclesiastico supponendo. Demum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod monitiones et citationes, quas super premissis seu aliquo premissorum a vobis vel altero vestrum per edicti publici propositionem fieri continget, perinde valeant et eos, quorum intererit, artent, roburque obtineant firmitatis, ac si presentibus hiis quos tales monitiones vel citationes tangent, facte fuissent. Constitutione quacumque contraria et aliis omnibus non obstantibus supradictis, seu quibusvis aliis commissionibus alias inter partes predictas auctoritate Sedis ejusdem factis, nec non compromissis et quibuscumque processibus vel aliis inde secutis et habitis et contentis in eis in quocumque statu, causa vel cause inter dictas partes pendentes sint, coram auditore vel auditoribus supradictis, aut aliis quibuscumque, seu quod dicte cause non sint de sui natura in Romana curia agitande, ac constitutionibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII, predecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur. Seu ne judices a Sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eandem trahere presumat et tam de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis, quam de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis que vestre possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercicio, quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avinione, III idus februarii, anno secundo. »

661 Avignon, 11 février 1344.

Eisdem mandat ut controversiam dijudicent quæ vertitur inter Guillelmum de Baucio, dominum castri de

Berra, et conventum monasterii Montismajoris. (Reg. 137, n° DCLXXXXIII, fol. 191 r°.)

« *Eisdem.* Moleste sunt nobis admodum dissensiones dudum inter dilectos filios Raymundum abbatem et conventum monasterii Montismajoris, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis, ex parte una, et nobilem virum Guillelmum de Baucio, dominum castri de Berra, ejusdem diocesis, ex altera suscitate, presertim cum gravia personarum excidia, rerum dispendia et animarum amarius plangenda pericula produxerint, ut displicenter audivimus, pro dolor, et producant. Verum quia incertitudo et dubietas districtuum et limitum castrorum de Miromari ad dictum monasterium, et de Istrio, dicte Arelatensis et Aquensis diocesium, ad prefatum nobilem spectantium, et quedam territoria seu patua inter eos in districtibus castrorum predictorum communia, pro majori parte, fuerunt hactenus et adhuc sunt occasio et causa dissensionis et dissidii inter dictos abbatem et nobilem habitorum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos vel alter vestrum, vocatis evocandis, res et loca dubia hujusmodi vestris subicientes aspectibus, de limitibus territoriorum hujusmodi, usu pategandi, abeurandi, lenhayrandi ac depascendi inter dictos abbatem et nobilem suosque homines antiquitus habitis et obtentis ac aliis circumstantiis circa talia oportunis vos informetis simpliciter, et de plano, et absque strepitu judicii et figura, receptaque informatione territorii dictorum castrorum, dicta territoria seu districtus et eadem etiam patua seu territoria communia inter eos, prout melius et utilius, utriusque partis jure servato, fieri poterit, per limites lapideos, seu alia certa patentia signa, per que perpetuo territoriorum ipsorum divisio noscatur evidens, distingatis, ad hoc per viam mutue concordie, circa quam curetis sedule laborare, alias vero super eisdem limitibus et aliis querelis per dictas partes vel earum alteram coram vobis expositis facturi summarie justicie complementum, super premissis omnibus et singulis in Romana curia vel extra, ubi vobis melius et tutius fieri posse videbitur, procedendo. Si vero hujusmodi negotium per viam pacis vel justitie totaliter expedire, sicut premissum est, forsitan non possetis, nobis que inde feceritis et facienda restabunt, referre cum plena instructione ipsius negocii studeatis, ut super sedandis dissensionibus et dissidiis prefatis, valeamus, prout nobis expedire secundum Deum videbitur, utilius interponere partes nostras. Ut autem ad premissa melius et quie(s)cius per vos procedi valeat, cessantibus interim quibusvis commotionibus et dissensionibus offensivis, partibus eisdem suisque officialibus et subditis ex parte vestra districtius inhibere curetis, ne, hujusmodi negocii examinatione seu prosecutione durante, ad aliquas novitates indebitas vel offensas seu injurias hinc inde quoquomodo prosiliant seu prorumpant. Contradictores, etc. Non obstante etc., usque, mentionem. Datum Avinione, III idus februarii, anno secundo. »

662 Avignon, 11 février 1344.

Episcopo Morinensi concedit ut monasteria et ecclesias per procuratores visitari facere possit, exsecutoresque deputat. (Reg. 137, n° MCXXVIII et MCXXIX, fol. 274 v°.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Morinensi.* Devotionis tue probata sinceritas. Dat. Avinione, III idus februarii, anno secundo. »

« *Judicibus venerabili fratri episcopo Carnotensi et dilectis... cantori ecclesie Morinensis, ac... officiali Atrebatensi.* Judicibus mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra. »

663 Avignon, 12 février 1344.

Infrascriptis episcopis licentiam per procuratores visitandi concedit. (Reg. 137, n° MCXXXVIII et MXXXIX, fol. 276 v°.)

« *Item alie due littere gratiosa videlicet et executoria pro Guillelmo episcopo Redonensi et dirigatur executoria venerabilibus fratribus... Carnotensi et... Engolismensi, ac... Dolensi episcopis.* Dat. Avinione, II idus februarii anno secundo. »

« *Item pro Guidone episcopo Tutellensi; sed post illa verba eorumque personarum tuarum et eciam aliarum civitatum et diocesis sibi subjecta...; et dirigatur executoria dilectis filiis... abbati monasterii de Maymaco, Lemovicensis diocesis, et Lemovicensis ac ., Sancti Aredii ejusdem Lemovicensis diocesis decanis ecclesiarum.* »

664 Avignon, 13 février 1344.

Infrascriptos *sententiatores* monetæ apud Pontem Sorgiæ cudendæ deputat. (Reg. 137, n° dclxxxvii, fol. 188 r°.)

« *Dilectis filiis Marcho Laudi de Senis et Helie de Nexonio.* Cum pro utilitate rei publice, nuper provida et matura deliberatione prehabita, certam monetam auream in castro Pontissorgie, Avinionensis diocesis, infra comitatum Venaissini nobis et ecclesie Romane inmediate subjectum, sub certis modo, forma, lege ac pondere fabricandam ordinaverimus et cudendam, nos de fidelitate vestra et peritia, quam in talibus habere dicimini, plenius in Domino confidentes, vos sentenciatores ejusdem monete usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium deputantes, vobis faciendi, exercendi et exequendi omnia et singula que ad officium sentenciandi eandem monetam pertinent, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Avinione, idibus februarii, anno secundo. »

665 Avignon, 13 février 1344.

Eidem Marcho de Senis mandat ut instrumenta necessaria ad dictam monetam cudendam fabricet. (Reg. 137, n° dclxxxviii, fol. 188 r°.)

« *Eidem Marcho.* Utilitati rei publice, quantum cum Deo possumus, diligentibus studiis intendentes, magna et matura deliberatione previa, nuper pro utilitate hujusmodi certam novam monetam auream in castro Pontissorgie, Avinionensis diocesis, infra comitatum Venaissini nobis et curie Romane immediate subjectum sub certis modo, forma, lege ac pondere fabricandam ordinavimus et cudendam. Cum autem ad hec certa instrumenta, cum quibus cudatur ipsa moneta, necessaria esse noscantur, nos, attendentes quod tu sufficientem habere periciam diceris instrumenta hujusmodi fabricandi, ut eadem instrumenta de forma, litteris et sculptura super hoc ordinatis et in quodam instrumento publico super custodia dicte monete ac instrumentorum predictorum fabricatione confecto plenius designatis, ad mandatum dilecti filii Petri Barravi, clerici de Martello, Caturcensis diocesis, custodis dicte monete fabricare valeas, eademque instrumenta, dum ipsa fabricaveris, excepta tamen certarum litterarum sculptura, quas in venerabilium fratrum nostrorum Gasberti archiepiscopi Narbonensis camerarii, et Stephani Casinensis, ac Guillelmi Forojuliensis episcoporum, thesaurariorum nostrorum, presentia et non aliter, sculpere debeas, dicto custodi et magistris prefate monete in eadem tradere possis presentia, postquam, ut premittitur, completa fuerint et perfecta, plenam tibi concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione, idibus februarii, anno secundo. »

666 Avignon, 13 février 1344.

Cum infrascriptus legatus ad partes regni Siciliæ accedat, eum rogat ut Aymericum Rolandi, militem Sancti Flori diœcesis, Romandiolæ rectorem deputet. (Reg. 137, n° dclxxxxv.)

« *Dilecto filio Aymerico, legato, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.* Pridem diligentius attendentes —. Datum Avinione, idibus februarii anno secundo. »

667 Avignon, 13 février 1344.

Infrascripto mandat ut colligat bona quondam Bertrandi de Baucio, prioris prioratus de Bolena, Tricastrinensis diœcesis. (Reg. 137, n° dcciii, fol. 195 r°.)

« *Dilecto filio Petro de Artisio, canonico Mimatensi, comitatus Venaissini nostro et ecclesie Romane thesaurario.* Dat. Avinione, idibus februarii, anno secundo. »

668 Avignon, 13 février 1344.

Reginæ commendat Guillelmum, archiepiscopum Tranensem, cui certa negotia cameram contingentia in partibus regni Siciliæ commissa sunt. (Reg. 137, n° dccix, fol. 196.)

« *Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri.* Cum venerabili fratri —. Dat. Avinione, idibus februarii, anno secundo. »

669 Villeneuve-les-Avignon, 15 février 1344.

Philippum, regem Franciæ, rogat ut compositionem factam cum Ademaro, episcopo Vivariensi, observari jubeat revocetque novitates per officiales regios attentatas. (Reg. 137, n° dccxii, fol. 196 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Dudum, ex parte venerabilis fratris nostri Ademarii, episcopi Vivariensis, exposito coram nobis quod gentes et officiales regii eundem episcopum et ecclesiam suam Vivariensem ac vassallos et subditos eorundem, contra tenorem et formam compositionis olim inter clare memorie... progenitores tuos reges Francie ac... episcopos et ecclesiam Vivariensem facere ac per te, fili, ut asseritur, confirmare, pretextu quorundam subditorum molestabant multipliciter, et molestare continue non cessabant, eis in bonis et rebus ipsorum gravamina et dampna multiplicia inferendo, nos, quibus ex suscepte apostolice servitutis officio cura generalis omnium ecclesiarum incumbit, eisdem episcopo et ecclesie super hujusmodi molestationibus et gravaminibus benigno compatientes affectu, preces et exhortationes excellentie regie meminimus direxisse, ut episcopum et ecclesiam memoratos pro divina et nostra Sedisque apostolice reverentia, necnon et proprie salutis obtentu, vellet reccommendatos habere, non permittendo eos, aut ipsorum vassallos et subditos contra compositionem predictam vel alias indebite molestari, et super hujusmodi molestationibus et gravaminibus, ut asserebatur, illatis, eisdem faciendo celerem justitiam exhiberi. Sane, sicut habet assertio episcopi memorati, licet regalis sublimitas favorabiliter et benigne precibus et exhortationibus nostris predictis annuens, super observanda compositione hujusmodi et eisdem molestationibus et gravaminibus revocandis, oportunas regias litteras suis directas super hoc officialibus duxerit concedendas, ipsi tamen officiales eas exequi recusantes, molestationes et oppressiones contra formam et tenorem compositionis predicte, non solum continuare sed multiplicare in ipsorum episcopi et ecclesie ac vassallorum et subditorum suorum grave dispendium et elusionem ac enervationem compositionis hujusmodi moliuntur. Ideoque serenitatem regiam iteratis precum et exhortationum instanciis deprecamur quatenus circa observationem dicte compositionis et revocationem oppressionum et gravaminum, que contra ea reperientur illata, sic velit providere de oportuno remedio regia celsitudo, quod Deo et justitie super hiis satisfiat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas marcii, anno secundo. »

670 Villeneuve-les-Avignon, 16 février 1344.

Regi Hungariæ Vitum de Castroferreo, episcopum Nitriensem, commendat, qui ad Curiam venerat pro tractandis quibusdam negotiis, Andream, Siciliæ regem, tangentibus. (Reg. 137, n°s dccxiiii-dccxvii, fol. 197 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri.* Quia venerabilis frater —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xiiii kalendas marcii, anno secundo. »

In eodem modo *Elisabeth regine Hungarie —, Johanne regine Sicilie —, Andree regi Sicilie.*

671 Villeneuve-les-Avignon, 16 février 1344.

Infrascripto mandat ut ad civitatem Tricastrinensem se conferat civesque dictæ civitatis hortetur ne de cætero Hugonem episcopum molestare velint. (Reg. 137, n° dccxviiii, fol. 197 v°.)

« *Dilecto filio Helioto de Buffenos, servienti nostro armorum.* Pertulit infestus rumor et implacidus ad nostri apostolatus auditum, quod licet dudum nos fortalitium civitatis Tricastrine et ipsam civitatem posuerimus, et ante per aliquos dies civitas eadem cum territorio suo, sub salvagardia nostra per dilectum filium magistrum[1] Ludovicum de Petragrossa, archipresbiterum Vivariensem, procuratorem nostrum fiscalem, affixis ibidem penonsellis in signum hujusmodi salvegardie posita extitisset, quamquam etiam ipsa civitas et tota terra episcopatus Tricastrini sub generali salva Sedis apostolice guardia, pro qua civitas et terra predicte certum solvunt camere nos-

tre servitium, ut intelleximus, annis sexaginta vel circa continuis permansisse, adhucque permanere dicatur, tamen cives et habitatores civitatis predicte, non attendentes proinde quantum nos et ecclesiam Romanam offendere, ac quantis se periculis exponere poterant, ex temeraria invasione dicte manus, et violatione salvegardie supradicte, ad offensas et injurias contra venerabilem fratrem nostrum Hugonem, episcopum Tricastrinum, ac homines et subditos suos inferendas, inconsultis motibus, hiis diebus preteritis, invadendo manum predictam, et dictam violando salvamgardiam proruperunt. Nam, ut habet rumor predictus, nuper cum armis publicis, hostiliter, diversis vicibus, per terram ejusdem episcopi captos per ipsos mactaverunt, et inter se more predonico diviserunt, duobus hominibus ipsius episcopi quos adhuc detinent, captivis secum ductis, et hiis non contenti, predictum castrum Sancti Restituti, quod est prefati episcopi et ecclesie Tricastrine, hostiliter expugnarunt et faciendo posse suum demoliendi et destruendi castrum ipsum, arbores domesticas et fructiferas territorii ejusdem castri depopularunt enormiter, ac etiam inciderunt, et demum nichilominus quoddam nemus dicti episcopi seu vivarium cuniculorum, situm prope civitatem predictam, eis assistente Bernardo Mancipii, bajulo nostro in civitate predicta, devastarunt, magnum cuniculorum numerum capientes et secum asportantes, deinde arboribus dicti nemoris seu vivarii per eosdem incisis. Quamquam autem excessus predictos in nostram et ejusdem Sedis contumeliam ac episcopi et hominum suorum prejudicium et injuriam, si veritas suffragetur relatibus, redundantes, non intendamus sub dissimulationis neglectu relinquere incorrectos, quia tamen, si de dampnis datis, ut prefertur, prestetur per eosdem cives et habitatores satisfactio competens dampna passis, et a similibus abstinere procurent, per nos mitius et graciosius agi debebit et poterit cum eisdem, discretioni tue per apostolica scripta commictimus et mandamus quatenus ad civitatem Tricastrinensem et castrum Sancti Restituti predicta te personaliter et incunctanter conferre procurans, tam civibus dicte civitatis nobilibus et plebeis quam ejusdem castri habitatoribus ex parte nostra sub penis, de quibus tibi videbitur, precipias et injungas ut a quibusvis invasionibus, commotionibus, violentiis, offensis et injuriis personalibus et realibus hinc inde cessent penitus, et desistant, ac de dampnis predictis et aliis illatis per partem alterutram eis, quorum interest, rationabiliter satisfacere non ommittant, ita quod nos super aliis, oleo misericordie temperata justitia, graciose possimus agere cum eisdem, alias autem eis per te predici volumus quod nos de tali disponimus, actore Domino, remedio super hiis providere, quod eorum correctio debita transibit ceteris talia vel similia presumentibus in exemplum. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII kalendas martii, anno secundo. »

[1] Ms : *magnum*.

672 Villeneuve-les-Avignon, 16 février 1344.

Infrascriptos rogat ut mandatis apostolicis per Heliotum de Buffenos præsentatis obedire velint. (Reg. 137, n° DCCXX, fol. 198 r°.)

« *Dilectis filiis nobilibus et plebeis civibus civitatis Tricastrine.* De vobis miramur admodum quod, cum non ignoretis fortalicum civitatis Tricastrinensis et ipsam civitatem, nec non terram episcopatus Tricastrinensis sub manu et salvagardia nostra manere ac diutius prestitisse, non absque temeraria invasione dicte manus et fractione seu violatione salvegardie, multos excessus orribiles contra venerabilem fratrem nostrum Hugonem, episcopum Tricastrinensem, et terram ac homines subditos suos, hiis diebus preteritis, nos et Sedem apostolicam offendendo graviter, ac episcopum terram et subditos suos dampnificando non leviter, dicimini commisisse. Vos igitur paterna mansuetudine ab hiis nobis periculosis non parum utrique retrahere cupientes, dilectum filium Heliotum de Buffenos, servientem nostrum armorum, cum litteris nostris excessus predictos, sicut nobis expositi sunt, exprimentibus, ad partes illas providimus specialiter propter hoc destinandum, universitatem vestram requirentes, vobisque nichilominus sano et paterno consilio suadentes quatinus eidem servienti ac contentis in eisdem litteris exhibendis per eum, sic plene ac cum effectu parere curetis, quod providere super hoc de

alio remedio, quod aliter deesse nequibit, proculdubio non sit opus, sed potius vestra devotio promereri debeat gratiam apud nos et vos etiam de prompta possitis obedientia commendari. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII kalendas marcii, anno secundo. »

673 Villeneuve-les-Avignon, 17 février 1344.

Confirmat concessionem quam Bertrandus, prior monasterii de Briva, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diœcesis, fecerat monasterio sanctæ Claræ de Briva, quia dictum monasterium paupertate gravabatur. (Reg. 137, n° DCCCCLXXXVIII, fol. 240 v°.)

« *Dilecte in Christo filie Margarite de Sanctoamantio, moniali monasterii Sancte Clare de Briva, ordinis ejusdem sancte, Lemovicensis diocesis.* Religionis zelus vite etc. —. Tenorem autem litterarum predictarum presentibus inseri fecimus, qui talis est :

Bertrandus, humilis prior Brive, nobili ac religiose domine sorori Margarite de Sanctoamantio, moniali monasterii Minoretarum Brive, ordinis sancte Clare, Lemovicensis diocesis, salutem in Domino. Religionis zelus, morum honestas, generis nobilitas et amicorum contemplatio, sepius multos inducunt ad gratias liberales. Hinc est quod, cum monasterium vestrum careat facultatibus, adeo quod attento numero sororum et religiosarum Deo ibidem militantium, victus non potest ibidem necessarius ministrari, nos vobis amicorum nostrorum contemplatione, vestro statui compatientes, damus et concedimus per presentes, quamdiu vixeritis in humanis, prebendam seu portionem consuetam ab olim uni ex canonicis claustralibus vestri monasterii assignari, quam prebendam ad opus vestri percipiendam per vos vel alium in vestro monasterio vobis assignamus. Dantes officialibus vestris hiis nostris litteris in mandatis, quatenus de prebenda supradicta, prout supra concessa est, vobis diebus singulis respondeant juxta donationem nostram seu concessionem predictam. Datum et sigillo nostro sigillatum Avinione, ultima die mensis januarii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

Nulli ergo, etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII kalendas martii, anno secundo. »

674 Villeneuve-les-Avignon, 22 février 1344.

Regem Franciæ deprecatur ut permittat a Petro de Palude, qui ad partes Romaniæ proficiscitur senescalliam Bellicadri retineri posse, licentiamque ei concedit per idoneam personam eam gubernandi. (Reg. 137, n° DCCXLIIII, fol. 203 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper dilectus filius nobilis vir Petrus de Palude, dominus de Varambono, senescallus regius Bellicadri, nobis exponere procuravit, quod ipse catholice fidei zelo fervens, ad partes Romanie, contra Turcos ejusdem fidei crudeles persecutores et hostes, qui ad extinguendum nomen christianitatis de illis partibus nequiter aspirantes, degentes ibidem christicolas, diris afflictionibus persequi et affligere continue non desistunt, libenter si de tuo, fili carissime, beneplacito procederet, se conferret. Sane quia circa negocium hujusmodi ex eo potissimum utilis videretur, quia cum dilecta in Christo filia nobili muliere Johanna de Sabaudia, matre magnifici principis Johannis moderatoris Grecorum magnam habere noticiam se asserit, et multa utilia cum eadem ad expugnationem Turchorum et defensionem christianorum predictorum posse ordinare confidit, magnificentiam regiam deprecamur quatenus, si ob causas hujusmodi vel alias rationabiles accessum dicti nobilis ad easdem partes expedire circumspectio regalis viderit, et de suo beneplacito processerit, eidem nobili velit super hoc licentiam concedere gratiosam, cum retentione sui officii per personam ydoneam suo periculo interim sufficienter et utiliter gubernandi. Ei nempe ad regiam presentiam accedenti aliqua imposuimus, celsitudini regie super hiis vive vocis oraculo seriosius explicanda. Datum apud Villamnovam Avinionensi diocesis, VIII kalendas marcii, anno secundo. »

675 Villeneuve-les-Avignon, 22 février 1344.

Infrascriptis super eodem negotio scribit. (Reg. 137, n°s DCCXLV-DCCXLVI, fol. 204 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Nuper dilectus filius etc... usque confidit, verbis competenter mutatis, serenitatem regiam

deprecamur quatinus, si ob causas predictas vel alias rationabiles accessum dicti nobilis ad easdem partes expedire prudentia regia cognoverit et de beneplacito processerit dicti regis, ut licentiam cum sui retentione officii per personam ydoneam suo periculo interim gubernandi habeat graciosam velit, sicut expedierit, regalis benevolentia interponere partes suas. Dat. ut supra. »

« *Dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie, in eundem modum, verbis competenter mutatis.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas marcii, anno secundo. »

676 Villeneuve-les-Avignon, 22 février 1344.

Episcopo Valentino et Diensi mandat ut quorumdam clericorum excessus in dicta diœcesi viriliter corrigat. (Reg. 137, n° DCCXLVII, fol. 204 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Valentino et Diensi.* Perduxit nuper infausti rumoris assertio ad nostrum et apostolice Sedis auditum quod, licet Narmandus Ramundi, et Jordanus Robioli, ac alii nonnulli clerici ecclesie ac ville de Romanis, Viennensis diocesis, transgredi limites justitie ineffrenatis motibus non verentes, postquam villam predictam sub manu nostra et ejusdem Sedis fecimus certis causis rationabilibus gubernari, contra nostros et ipsius Sedis officiales in villa deputatos predicta, et alias etiam, nonnullos horrendos comisissent excessus, super quibus nequaquam extitit justitia ministrata, pridem tamen de presenti mense februarii, cum dilecti fili... judex et alii officiales ville predicte auctoritate nostra et Sedis prefate ibidem deputati, Periolum Gibellini, filium quondam Johannis Gibellini, burgensem ejusdem ville, pro eo cepissent et duci ad curiam suam captum fecissent, quia ipse in platea communi ejusdem ville dilectum filium Thellinum de Sufframa, clericum, notarium juratum ejusdem curie, invaserat et graviter vulnerarat, prefati Narmandus et Jordanus cum multitudine hominum dicte ville clericorum et laicorum ad dictam curiam eundem sequendo Periolum accesserunt, ibidemque rumorem et tumultum adversus curiales, populum concitando, fecerunt, prelibatique Narmandus et Jordanus curie predicte ostia obsidendo, non permiserunt quod dictus Periolus in carcere pro facienda de ipso justitia clauderetur, sed ad injurias verbales varias multaque opprobria et convicia contra dictos officiales presumptuosis et temerariis ausibus proruperunt. Nolentes igitur excessus hujusmodi relinquere in aliorum perniciem, si veritas suffragetur relatibus, incorrectos, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium, seu alios super premissis omnibus et singulis excessibus et delictis, vocatis evocandis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, solerti et fideli adhibita diligentia veritatem inquirens, eos quos repereris culpabiles de eisdem clericos et laicos, sic secundum qualitatem excessus et delicti cujuslibet, corrigere mediante justitia studeas et punire, quod eorum debita correctio, ceteris talia vel similia facere presumentibus, transeat in exemplum, et tua discretio possit et debeat merito commendari. Contradictores etc... Si vero aliquos ex eis adeo inobedientes repereris vel etiam contumaces, quod coram te parere super hiis justitie recusarent, illos ex eis, de quibus tibi videbitur citandi perhemptorie, ut infra certum perhemptorium terminum competentem per te sibi super hoc prefigendum, apostolico conspectui personaliter se presentent, facturi, responsuri et recepturi quod justitia suadebit; nosque de die hujusmodi citationis et forma et aliis, que inde feceris, per tuas litteras vel instrumentum publicum harum seriem continens, certiores efficiendi plenam eidem fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas marcii, anno secundo. »

677 Villeneuve-les-Avignon, 22 février 1344.

Henrico, archiepiscopo Lugdunensi, visitandi ecclesias per procuratores licentiam concedit. (Reg. 137, n° MCXXXIIII, fol. 275 v°.)

« *Item in eodem modo alie due littere graciosa et executoria, pro venerabili fratre Henrico archiepiscopo Lugdunensi; et dirigatur executoria venerabi-*

libus fratribus... archiepiscopo Viennensi et... Aniciensi ac... Grationopolitano episcopis. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas martii, anno secundo. »

678 Avignon, 23 février 1344.

Quædam privilegia Guillelmo de Judice, tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali concedit. (Reg. 137, n° DCCXLVIII, fol. 204 v°.)

« *Dilecto filio Guilelmo, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali.* Attendentes dudum equitati et decentie convenire, quod tu, qui Romanam ecclesiam tamquam ipsius membrum honorabile, tuorum honoras magnitudine meritorum, laboresque nobis pro universalis ecclesie regimine incumbentes, nobiscum fideli sedulitate partiris, super tuis oportunitatibus nos liberales et propicios reperires, prioratus etiam conventuales, decanatus, prepositures, archidiaconatus, archipresbiteratus et quascumque alias dignitates, non episcopales seu abbatiales, regulares, necnon personatus et officia, canonicatus ac prebendas, parrochiales ecclesias, cappellanias, prestimonia et prestimoniales portiones, et quecumque alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, secularia et regularia, Cluniacensis, Cisterciensis, Premonstratensis, Grandimontensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Camaldulensis, aut aliorum quorumlibet ordinum, aut status, preminentie vel cujuscumque conditionis, et etiam si in cathedralibus vel quibusvis aliis ecclesiis aut monasteriis existerent, etiam si unum, duo, vel plura, vel quodcumque et qualiacumque fuerint, et etiam si ad beneficia ipsa per electionem consuevisset quis assumi, dummodo dignitates ipse in cathedralibus majores post pontificalem, et in collegiatis secularibus ecclesiis non fuerint principaliores, ad cujuscumque seu quorumcumque collationem, provisionem, electionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem in provincia Tholosana communiter vel divisim, spectantes seu spectantia, quorum seu quarum fructus, redditus et proventus mille librarum Turonensium parvorum, secundum taxationem decime, valorem annuum non excederent, si qui vel si que aut si qua in eadem Tholosana provincia tunc vacabant vel cum simul aut successive vacare contingeret, quos vel quas, seu que per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illorum vel illarum vacatione constaret, duceres acceptandos vel acceptandas, seu acceptanda, conferendos, aut conferendas, vel conferenda, tibi post acceptationem hujusmodi, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, donationi apostolice duximus cum inhibitione ac decreto specialiter reservanda, tibi ad providendum de illis post acceptationem hujusmodi, certis executoribus deputatis, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane quia, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, obstantibus reservationibus, inhibitionibus et decretis per nos et predecessores nostros Romanos pontifices de nonnullis ex eisdem prioratibus, prepositures, archidiaconatibus, archipresbiteriatibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, prebendis, ecclesiis, capellaniis, prestimoniis et prestimonialbius portionibus ac beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus et regularibus, in eadem provincia Tholosana consistentibus, factis hactenus adhuc modicum ex gratia nostra hujusmodi commodum reportasti, nos volentes tibi, ne propter premissa frustreris, commodo gratie hujusmodi de oportuno remedio providere, tibi quod quecumque dignitates, personatus, officia et quevis beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, que tibi virtute dicte gratie, nisi obstarent reservationes, inhibitiones et decreta hujusmodi, deberentur vel debebuntur deinceps in provincia supradicta, quandocumque ac quotienscumque occurrerit vacatio eorundem. Non obstantibus, etc... Datum Avinione, VII kalendas martii, anno secundo. »

679 Villeneuve-les-Avignon, 23 février 1344.

Cum, ut ex petitione audivit, infrascriptus defectum natalium patiatur, de religioso ordinem S. Benedicti expresse professo et tunc in subdiaconatus ordine constituto et conjugata genitus, indulget ei ut ad omnes minores et sacros ordines promoveri valeat. (Reg. 137, n° MCCXXIII, fol. 292 r°.)

« *Dilecto filio Johanni de Agrifolio alias de Magoteria, monacho monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis.* Sedis apostolice immensa —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII kalendas martii, anno secundo. »

680 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Philippo regi Franciæ Guidonem de Calma mittit, qui de reconciliatione Ludovici de Bavaria cum rege loquetur. (Reg. 137, n° DCCXLVIIII, fol. 205 r°; — analysé dans Riezler, *Vat. Akten*, n° 2179, p. 788.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri.* Pro quibusdam te, fili carissime, ac negocium reconsiliationis Ludovici de Bavaria tangentibus, excellentie regie seriosius et secretius explicandis, dilectum filium magistrum Guidonem de Calma, decanum ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notarium nostrum, virum utique litterarum scientia conspicuum, probitatis maturitate, fidelitatis et circumspectionis probatum industria, honoris et commodi regii fervidum zelatorem, ad presentiam regiam specialiter destinamus, cui fidem super exponendis hujusmodi credulam adhibeat regalis circumspectio, quesumus, ipsoque audito, favorabiliter et plene, ac deliberatione provida et matura prehabita, nobis per ipsum respondeat super eis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI kalendas marcii, anno secundo. »

681 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Philippo regi Franciæ scribit super quibusdam Guillelmum Rogerii, militem, fratrem papæ, tangentibus. (Reg. 137, n° DCCL, fol. 205 v°.)

« *Eidem regi.* Super quibusdam dilectum filium nobilem virum Guilelmum Rogerii, militem, dominum de Çambono, germanum nostrum, tangentibus, certa, dilecto filio magistro Guidoni de Calma, decano ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notario nostro, quem pro quibusdam negociis ad regiam destinamus presentiam, imposuimus celsitudini regie verbotenus explicanda, super quibus eum velit audire benigne, quesumus, regalis excellentia, seque propiciam, sicut honeste fieri poterit, exhibere. Datum ut supra. »

682 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Eidem regi scribit super facto beneficiorum quæ cadunt in regaliis. (Reg. 137, n° DCCLI, fol. 205 v°.)

« *Eidem regi.* Cum super quibusdam collationes beneficiorum que cadunt in regaliis tangentibus, ex quibus posset inter ecclesiam Romanam, et te, fili carissime, dissensio, pro tempore, quod avertat misericordiarum Dominus exoriri, dilecto filio magistro Guidoni de Calma, decano ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notario nostro, quem pro certis negociis ad regiam presentiam destinamus, certa explicanda circumspectioni regie duxerimus imponenda, magnificentiam regiam deprecamur attente, quatenus ipsum velit plene, pacienter et benigne audire super hoc, tale, tamque salubre remedium adhibere, quod animarum periculis que non parum versantur circa hoc, obvietur utiliter, et aliis claudatur aditus incomodis quibuscumque. Datum ut supra. »

683 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Johannæ reginæ Franciæ similiter scribit. (Reg. 137, n° DCCLII, fol. 205 v°; — Riezler, n° 2179, p. 788.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Super quibusdam carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, virum tuum, et negocium reconsiliationis Ludovici de Bavaria tangentibus, eidem regi et tibi, filia carissima, seriosius et secretius explicandis, dilectum filium magistrum Guidonem de Calma, decanum ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notarium nostrum, virum utique fidelem, providum, et discretum, honoris et comodi regii fervidum zelatorem ad ipsius regis et tuam presentiam specialiter destinantes, serenitatem regiam attentius deprecamur quatinus eidem notario benigne super predictis audito velit assistere prudentia regia, sicut decens et honestum fuerit, favoribus oportunis. Datum ut supra. »

684 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Simili modo super facto Guillelmi Rogerii eidem reginæ scribit. (Reg. 137, n° DCCLIII, fol. 205 v°.)

« *Eidem regine.* Cum dilecto filio magistro Guidoni de Calma, decano ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notario nostro, quem ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, virum tuum, et te, filia carissima, pro certis negociis destinamus, quedam tangentia dilectum filium nobilem virum Guillelmum Rogerii, militem, dominum de Cambono, germanum nostrum, duxerimus imponenda, serenitatem regiam deprecamur quatinus super eis, ut votivum exitum sortiantur, velit regalis benignitas, prout decens et honestum fuerit, interponere partes suas. Dat. ut supra. »

685 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Cum Guidonem de Calma ad Philippum regem Franciæ mittat, reginam hortatur ut dictum nuntium adjuvet. (Reg. 137, n° dcclviii, fol. 206 r°.)

« *Eidem regine Francie.* Quedam ex quibus animarum redundant pericula, et inter ecclesiam Romanam et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, virum tuum, posset dissensio pro tempore, quod avertat dominus, exoriri, dicto regi seriosius et secretius explicanda, dilecto filio magistro Guidoni de Calma, decano ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notario nostro, quem ad ejusdem regis destinamus presentiam, providimus imponenda. Quocirca sublimitatem rogamus regiam et in Domino exhortamur quatenus, eodem notario super hiis plene audito, ut premissa corrigantur et dirigantur secundum Deum et justitiam salubriter, velit sedule regia providentia laborare. Datum ut supra. »

686 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Similiter duci Normanniæ scribit. (Reg. 137, n° dcclv, fol. 206 r°.)

« *Item tres alie similes littere, sicut regine, verbis competenter mutatis, dilecto filio nobili viro Johanni carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenito, duci Normannie.* Datum ut supra. »

687 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Infrascriptis mandat ut dictum nuncium adjuvent. (Reg. 137, n°s dcclvi-lvii, fol. 208 r°)

« *Dilecto filio nobili viro Miloni, domino de Noeriis, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.* Cum nos dilectum filium magistrum Guidonem de Calma, decanum ecclesie sancti Aredii Lemovicensis diocesis, etc. super certis negociis per nos eidem impositis destinemus, nobilitatem tuam attente rogamus quatinus prefato notario velis super premissis tibi secrete per eum explicandis assistere consiliis auxiliis et favoribus oportunis. Datum ut supra. »

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.* Dat. ut supra.

688 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Johannem, Belvacensem episcopum, rogat ut Guidonem de Calma adjuvare velit. (Reg. 137, n° dcclviii, fol. 206 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi.* Ad explicandum plenius et secretius carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, quedam regem ipsum et negotium reconsiliationis Ludovici de Bavaria tangentia, nec non et alia collationes beneficiorum, que cadunt in regaliis, concernentia, ex quibus animarum redundant pericula, et inter ecclesiam Romanam et regem eumdem posset pro tempore, quod Deus avertat, dissensio exoriri, et super aliquibus negociis dilecti filii nobilis viri Guilelmi Rogerii, domini de Cambono, germani nostri, dilectum filium magistrum Guidonem de Calma, decanum ecclesie sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notarium nostrum, ad ejusdem regis presentiam, cum diversis credentie litteris eidem regi ac carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francie illustri, et dilecto filio nobili viro Johanni eorum primogenito, duci Normannie, directis litteris destinamus : volentes quod tecum super predictis et eorum singulis deliberet et

de tuo procedat consilio, et presertim super presentandis vel subticendis litteris que tangunt collationes predictas. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attente quatenus, eodem notario super premissis plene audito, et deliberatione habita cum eodem, circa ea que de illis erunt agenda, sibi cures assistere consiliis et favoribus oportunis et interponere, prout expediens fuerit, partes tuas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI kalendas martii, anno secundo. »

689 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Infrascripto mandat ut ab illis de societate Azayalorum diversas pecuniæ summas recipiat, in quibus cameræ apostolicæ tenentur. (Reg. 137, n° DCCLIX, fol. 206.)

« *Dilecto filio Petro Vitalis, primicerio ecclesie Lucane, in Tuscia et certis aliis partibus proventuum ad cameram nostram spectantium collectori, auctoritate apostolica deputato.* Dudum dilectus filius Franciscus Montis de Azayolis, mercator et socius societatis Azayalorum de Florentia cum pleno et sufficienti mandato societatis predicte tanquam principalis, et nomine procuratorio mercatoris et societatis predictorum promisit ac se dictosque mercatores et societatem nec non sua et eorum bona apostolice camere sollempniter et efficaciter obligavit ad solvendum, reddendum et restituendum eidem camere omnes et singulas pecuniarum summas, que per ipsum vel mercatores predictos aut alios nomine ipsorum in quacumque parte mundi reciperentur, nomine camere supradicte, prout in quodam instrumento publico inde per manum dilecti filii Rigaldi de Albofolio, clerici Caturcensis diocesis, auctoritate apostolica notarii publici, confecto plenius continetur. Cum autem postmodum per eosdem mercatores receptis diversis pecuniis ad prefatam cameram spectantibus, facta ratione inter cameram ipsam et dictum Franciscum super pecuniis hujusmodi sic receptis, constet et appareat evidenter quod eadem societas ac socii et mercatores eidem camere in summis infrascriptis tenentur : videlicet in duobus milibus ducentis viginti octo Pavalhonibus auri decem octo Turonensibus grossis argenti, quinque denariis parve monete, receptis in villa de Brugis Tornacensis diocesis, a certis personis civitatis Cracoviensis. Item in mille sexcentis florenis auri a quodam Johanne de Pererio, canonico Forojuliensi, collectore pro dicta camera in partibus Tuscie deputato ac in mille florenis auri a quondam Bernardo de Sistre, nuncio apostolice Sedis in Anglia, et mille triginta uno florenis auri a venerabili fratre nostro... episcopo Olonensi in Romania et Venetiis, nec non in mille ducentis libris Turonensis monete, cujus quidem monete florenus valebat quadraginta quinque solidos, Parisius, a dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi, in Senonensi et Rothomagensi provinciis ejusdem camere collectore receptis. Nos volentes camere nostre indempnitatibus super hiis providere, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus predictas pecuniarum summas ab eisdem mercatoribus et sociis et societate predicta nomine dicte camere petere, exigere ac recipere cum integritate procures, ipsos et eorum singulos ad easdem summas sibi solvendas dicto nomine per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Invocato adhoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus etc... Volumus autem quod eosdem mercatores et socios, societatemque ipsorum possis dicto nomine absolvere plenius et quitare de hiis que receperis, ab eisdem faciendo super solutione inde tibi facienda duo confici consimilia publica instrumenta quorum, uno penes ipsos solventes dimisso, reliqum ad prefatam mittere cameram non postponas. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI kalendas martii, anno secundo. »

690 Villeneuve-les-Avignon, 24 février 1344.

Cum magistrum Guidonem de Calma, decanum ecclesiæ sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, notarium, ad Philippum regem Franciæ destinet pro quibusdam arduis negociis, omnibus ecclesiasticis personis mandat ut ei in eundo, morando et redeundo octo florenos auri pro ejus et familiæ expensis assignare procurent. (Reg. 137, n° MCLXXVII, fol. 284B.)

« *Venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis etc. ut supra.* Cum nos dilectum —.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI kalendas martii, anno secundo. »

691 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Philippum regem Franciæ rogat ut ecclesiam Aniciensem contra cives, jura ejus usurpantes, protegere et defendere velit. (Reg. **137**, n° DCCLX, fol. 207 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Exponente nobis venerabili fratre nostro Johanne episcopo Aniciensi nuper intelleximus quod, licet olim in pariagio super jurisdictione civitatis Aniciensis et pertinentiarum ipsius facto et inito, inter clare memorie regem Francie, qui tunc erat, et ecclesiam Aniciensem, ad quam dicta jurisdictio tunc temporis insolidum pertinebat, inter cetera contineatur expresse, quod per reges Francie qui essent pro tempore, libertas vel quicquam aliud de juribus ejusdem civitatis ipsiusque pertinentiarum communibus, nullatenus posset vel deberet concedi alicui, vel aliquibus sine consensu episcopi Aniciensis expresso; tamen cives civitatis ejusdem a tua curia, fili carissime, regia, hiis diebus, consulatum, quo olim privati suis demeritis exigentibus fuisse dicuntur, et quedam alia in civitate predicta, obtinuerunt absque consensu episcopi supradicti et etiam lite pendente in curia regia super eis, seque in possessionem posuerunt illorum. Cum autem, sicut regalis circumspectio plene novit, consulatus presertim in locis magnis et insignibus, etiam ubi sine prejudicio cujusquam fieri poterat, nequaquam, nisi cum magna difficultate, ac previa deliberatione matura, concedi consueverint, propter pericula que interdum prodire magistra rerum experientia manifestat ex illis, predictaque concessio facta de consulatu et aliis juribus civibus ante dictis, nedum episcopo et ecclesie memoratis, absque quorum consensu et voluntate nequivit, ut asseritur, ipsa concessio fieri, sed et tue regie celsitudini prejudicialis nonparum dicatur existere, tanquam absorbens pro magna parte jura inter te ac ecclesiam prefatam communia plurimum et confundens, eandem rogamus celsitudinem et in Domino attentius exhortamur, quatenus premissa, necnon quod concessio per dictos cives, hiis suppressis, procurata fuisse dicitur, prefato episcopo vel defensore alio ipsius ecclesie non vocato, intra precordia regia consideratione debita premeditans et attendens, que contra formam dicti pariagii, ac in suum et ecclesie prelibate prejudicium facta vel attemptata in hac parte fuerint, revocari, et ad statum debitum reduci vel saltem effectum illius suspendi, et prohiberi ne consulato predicto utantur, quousque de predictis per regalem curiam cognitum fuerit et discussum, predictumque observari pariagium faciat regia celsitudo, eosdem episcopum et ecclesiam habendo super hiis et aliis pro divina et nostra dicteque Sedis reverentia propensius commendatos. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V kalendas martii, anno secundo.

692 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Similiter reginæ Franciæ scribit. (Reg. **137**, n° DCCLXI, fol. 207 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Exponente nobis et cætera — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis V kal. marcii, anno secundo. »

693 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Regi Hungariæ commendat Dionisium, de Ordine Fratrum Minorum, qui ad Sedem apostolicam venerat pro tractandis negotiis Andreæ regis Siciliæ. (Reg. **137**, n° DCCLXV, fol. 208 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri.* Celsitudinem tuam regiam —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V kalendas martii, anno secundo. »

694 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Reginæ Siciliæ commendat mercatores societatis Bardorum de Florentia. (Reg. **137**, n°s DCCLXVI-LXVIII, fol. 208 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Significaverunt nobis dilecti filii mercatores

et socii societatis Bardorum de Florentia quod ipsi olim, de mandato et beneplacito clare memorie Roberti regis Sicilie, avi tui, diversas ejusdem regis pecunias receperunt, et tam illas quam nonnullas alias suas proprias in negociis et oportunitatibus regiis expenderunt, tandemque facto super hiis inter gentes regias et mercatores predictos fideli computo, et finali, repertum extitit et finatum quod ultra predictas pecunias regias, quas receperant mercatores prefati, summa decem milium unciarum monete Carlenorum argenti vel circa per eundem regem debebatur eisdem; sed deinde suadentibus aliquibus consiliariis regiis et procurantibus, de hujusmodi summa decem milium unciarum medietatem detraxit rex predictus, ita quod noluit eis teneri, nisi tantum in quinque milibus unciarum monete predicte, in eorumdem mercatorum et sociorum grave prejudicium, sicut dicunt. Cum autem adhuc paratos se dicant reddere vel exhibere rationes predictas, per quas de suo predicto gravamine posse apparere asserunt manifeste, nostrarumque precum suffragium apud te duxerint humiliter implorandum, regalem tuam excellentiam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus, quid saluti anime dicti regis et honori regie domus expediat super hiis, diligenter attendens, si premissa vera sint, ut ponuntur, quod equitatis et rationis fuerit ordinari et exequi regalis serenitas faciat in hac parte, habendo mercatores eosdem pro nostra et apostolice Sedis reverentia favorabiliter super hiis commendatos. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas martii anno secundo. »

In eodem modo *Sancie regine illustri* —, *Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.*

695 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Johannam, reginam Siciliæ, rogat ut comiti Armaniaci jus super aliquibus castris in comitatibus Provinciæ ac Forcalquerii sitis restitui jubeat. (Reg. 137, n° dcclxviiii, fol. 208 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Johannis comitis Armaniaci, nuper expositum extitit coram nobis, quod olim clare memorie Robertus rex Sicilie, avus tuus, quondam Bertrandum de Guto, vicecomitem Lomannie, volens dono regie munificentie honorare, de Pertusio et quedam alia castra seu loca [in] Provincie ac Forcalquerii comitatibus tuis consistentia, dedit et concessit eidem Bertrando et successoribus suis, sicut in litteris regiis inde confectis plenius asseritur contineri, que quidem castra prefatus vicecomes, quamdiu vixit, pacifice tenuit et possedit; sed eodem sublato de medio, et unica filia sua, uxore dicti comitis Armaniaci herede universali relicta, gentes regie dicentes quod filia in rebus donatis predictis succedere non debebat, ad manum regiam receperunt, et licet dictus comes, qui ejusdem uxoris sue jam defuncte heres existit, asserens ad se pleno jure castra pertinere predicta, sibi super restitutione illorum fieri justitiam sepius petiisse dicatur, adhuc tamen quia nolebat contra regem prefatum litem agredi, sed sperabat per viam cognitionis summarie justitiam consequi, nichil aliud super hiis penitus fuit factum. Cum autem comes ipse cupiens adhuc a te, filia carissima, jus quod in eisdem castris se habere asserit, per hujusmodi viam examinationis et cognitionis summarie consequi, litigiosis amfractibus evitatis, nostre intercessionis suffragium apud te super hoc duxerit humiliter implorandum, regalem tuam excellentiam attentius exhortamur quatenus per aliquos viros discretos et fideles examinari, et videri litteras donationis predicte, ac alia negotium hujusmodi contingentia summarie, dictoque comiti exhiberi justitiam faciat regia circumspectio in hac parte. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas martii anno secundo ».

696 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Gaudet de felici liberatione partus Mariæ ducissæ junioris Duratii, sororis reginæ Siciliæ. (Reg. 137, n° dcclxx, fol. 209 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Serenitatis regie litteras —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas martii, anno secundo. »

697 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Carolum, ducem Britanniæ, certiorem facit de novitatibus contra treugas recenter in dictis partibus attentatis. (Reg. 137, n° dcclxx *bis*, fol. 209 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Carolo duci Britannie.* Nobilitatis tue litteras recepimus quosdam rumores infestos nobis et displicibiles admodum continentes, videlicet quod quidam perversi et stolidi homines, adversarii tui, ad civitatem Venetensem, que secundum ordinationem venerabilium fratrum nostrorum Petri Penestrinensis, et Anibaldi Tusculanensis episcoporum, nunciorum Sedis apostolice, ac formam treugarum per cohoperationem et ministerium ipsorum nunciorum, inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie et Edwardum Anglie reges illustres invicem initarum, sub manu nostra, eisdem durantibus treugis, tenebatur, ac teneri debet et regi, prodiciose, more hostili et predonico accedentes, expulsis violenter exinde illis qui nomine nostro dictam civitatem regebant, commissisque per eos ibidem multis excessibus, et horrendis sceleribus perpetratis, civitatem ceperunt eandem, et eam detinent occupatam. Nos igitur, contentis in litteris ipsis plenius intellectis, mox prefatis Penestrino et Tusculanensi episcopis mandavimus et commisimus quod ipsi, super predictis, processus faciant oportunos, per quos processibus dilecti filii magistri Stephani de Mulceone, decani ecclesie Bituricensis, capellani nostri, apostolice Sedis predicte in partibus illis nuncii, factis exinde, vel faciendis etiam imposterum, nullatenus derogetur. Intendentes nichilominus ulterius ordinare ac procedere circa hec, prout nobis videbitur expedire, ac cancellarium tuum, pro quo nos per easdem rogasti litteras, habere, cum facultas se nobis obtulerit, favorabiliter commendatum. Porro prefato capellano nostro super hiis que nobis scripsit negocium hujusmodi tangentibus, rescribimus, et eidem mandamus, ut solerter et fideliter procedere non omittat, remanendo in illis partibus, quandiu tibi placebit, et cognoveris oportunum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas marcii, anno secundo. »

698 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1344.

Magistro Stephano de Mulceone, decano ecclesiæ Bituricensis, capellano papæ, mandat ut processus factos continuet et remaneat in Britannia, quamdiu Carolo duci placuerit. (Reg. 137, n° dcclxxi, fol. 209 v°.)

« *Eidem nuntio.* Litteras tuas et quamdam informationem, novitates attemptatas in civitate Venetensi et illis partibus recepimus describentes, quarum serie diligentius intellecta, mandavimus et commisimus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrino et Anibaldo Tusculanensi episcopis, qui negotiorum illorum statum et qualitatem, magistra rerum experientia docente, noverunt, ut ipsi processus super predictis faciant oportunos, factis tamen per te processibus et etiam faciendis in sua remanentibus firmitate. Tu vero, circa illa exercenda et exequenda, que tuum in hac parte concernunt officium, non tepescas, sed potius ferveas, quantum rationis equitas suaserit, et videris expedire, in partibus predictis propter ea, quamdiu dilecto filio nobili viro Carolo duci Britanie placuerit, nichilominus remansurus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v kalendas marcii, anno secundo ».

699 Villeneuve-les-Avignon, 27 février 1344.

Nuncios reginæ Siciliæ Ludovico, regi Hungariæ, commendat. (Reg. 137, n° dcclxii-lxiiv, fol. 207 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri.* Cum dilectus filius Gregorius, prepositus ecclesie Chasinensis, Zagabriensis diocesis, qui dudum antequam tui, fili carissime, ac carissimorum in Christo filiorum nostrorum Andree regis Sicilie germani ac Elisabeth regine Ungarie illustrium genitricis, tuorum, et alii nuncii aplicuissent, ad curiam super negocio tangente dictum regem Sicilie ad nostram presentiam venerat, tam nunc quam post etiam cum aliis predictis nunciis circa dictum negocium diligenter prudenter et fideliter laboraverit, nuncque post aliorum nunciorum recessum, eodem expedito negocio, habeat de mandato dicte regine, ut asserit, in eadem curia remanere, nos ipsum tue regie benevolentie commendamus. Datum

apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII kalendas marcii, anno secundo. »

In eodem modo, *eidem Andree regi Sicilie*—, *Elisabeth regine Ungarie.*

700 Villeneuve-les-Avignon, 27 février 1344.

Infrascripto mandat ut fructus et proventus prioratuum de Tinto et de Burgeto Viennensis et Grationopolitanæ provinciarum ad manum Cameræ apostolicæ ponat. (Reg. 137, DCCLXXII, n° fol. 209 v°.)

« *Dilecto filio Geraudo de Arbento, thesaurario ecclesie beate Marie Escoyarum, Rothomagensis diocesis, proventuum ad cameram nostram in Lugdunensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntinensi et Treverensi provinciis spectantium deputato.* Relatus assertione percepimus fidedigni quod, licet olim priores prioratuum de Tinto, et de Burgeto, Cluniacensis ordinis, Viennensis et Grationopolitane diocesium, requisiti et moniti per processus auctoritate apostolica factos, excommunicationis et alias spirituales penas et sententias continentes fuerint, ut residua sexennalis et triennalis decimarum per Sedem apostolicam impositarum, in quibus ratione dictorum prioratuum tenebantur, infra certos competentes peremptorios terminos sibi prefixos super hoc, collectoribus auctoritate deputatis predicta solvere procurarent, dicti tamen priores id contumaciter complere omiserunt hactenus et ommitunt adhuc, excommunicationis sententias contra ipsos per processus promulgatas predictos, quas animis induratis sustinuerunt diutius, deducentes in suarum animarum periculum et plurimorum scandalum in contemptum. Cum autem excommunicatis sint poventus ecclesiastici subtrahendi, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus fructus, redditus et proventus prioratuum predictorum et cujuslibet eorundem, ad manum camere nostre ponas, recipias, colligas et teneas in solutionem residuorum hujusmodi convertendos, quousque de illis plene fuerit satisfactum. Contradictores, etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii, anno secundo. »

701 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1344.

Infrascripto mandat ut II^c florenorum auri summam ab heredibus quondam Philippi de Chaveriaco, baillivi Matisconensis, recipiat, eamque Ludovico de Vilars et Chaberto Hugonis exsecutoribus testamenti quondam Guillelmi, archiepiscopi Lugdunensis, pro erigendo supradicti archiepiscopi tumulo tradat. (Reg. 137, n° DCCLXXII *bis*, fol. 210 r°.)

« *Dilecto filio Geraudo de Arbento, thesaurario ecclesie beate Marie Escoyarum, Rothomagensis diocesis.* Nuper expositum extitit coram nobis quod dudum, post obitum bone memorie Guillelmi archiepiscopi Lugdunensis, bona ipsius mobilia et debita, que ad eum pertinebant tempore mortis sue, pro parte camere apostolice per dilectum filium Johannem Ogerii, decanum ecclesie de Belna, Eduensis diocesis, ad hoc auctoritate apostolica deputatum, et alios quibus ipse commisit vices suas, exacta et collecta pro magna parte fuerunt, quodque dilectus filius Guillelmus de Varey, prior prioratus sancti Benedicti de Seyssiaco, ordinis ejusdem sancti, Lugdunensis diocesis, familiaris ipsius archiepiscopi, supplicaverat, ut aliqua summa pecunie de bonis vel debitis hujusmodi concederetur pro fabricando tumulo[1] archiepiscopi supradicti. Nos igitur, premissis diligentius intellectis, et nichilominus relatu fidedigno percepto quod dilectus filius Petrus de Pomperio, civis Lugdunensis, de mandato dicti archiepiscopi, dum viveret, et de pecunia ipsius, quondam Philippo de Chaveriaco, militi, tunc ballivo Matisconensi, ducentos florenos auri sub nomine mutui tradidit, et idem miles eos sub obligatione sui et bonorum promisit reddere ac solvere dicto Petro, sicut in litteris inde confectis dicitur plenius contineri; pie volentes agere in hac parte, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus predictas litteras ab eodem Petro nostre camere nomine et dictos ducentos florenos ab heredibus seu bona tenentibus prefati militis, vel aliis quos ad eos solvendos teneri noveris, petere, exigere ac recipere cum integritate procures, prefatum civem ad restituendum et assignandum tibi dictas litteras, et supradictos heredes seu bona tenentes, vel illos qui ad solutionem dictorum ducentorum florenorum tenentur, ad eos tibi dicto

nomine persolvendos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante, etc. usque mentionem. Volumus autem quod eos, qui tibi dictos florenos assignaverint et solverint, necnon prelibatum civem, quantum ipsum contingit, possis absolvere plenius et quitare de hiis que inde recipere te continget, quodque dictos ducentos florenos, cum eos recuperaveris, dilectis filiis Ludovico de Vilars, archidiacono Majoris, et Chaberto Hugonis, obedienciario Sancti Justi Lugdunensis, ecclesiarum, executoribus ultime depositionis dicti archiepiscopi, infra certum competentem terminum per te sibi super hoc prefigendum, convertendos fideliter in opus fabrice dicti tumuli, super quo sufficientem obligationem ab eis recipias, assignare procures, faciendo super assignatione ac obligatione hujusmodi confici publicum instrumentum, illud ad eandem cameram transmissurus. Cum autem dictos ducentos florenos in fabricatione dicti tumuli dispensaverint executores predicti, tibique super hoc fidelem reddiderint rationem, ipsos de dictis ducentis florenis quittes nichilominus et absolvas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii, anno secundo. »

[1] Ms : *tumolo*.

702 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1344.

Infrascripto potestatem concedit personæ idoneæ conferendi quamdam capellaniam perpetuam, olim in monasterio sancti Johannis Angeliacensis O. S. B., Xanctonensis diocœsis, ad missas pro defunctis celebrandas institutam, ad collationem prioris prioratus de Neriaco pertinentem, vacantem, quia Petrus de Malosicco, monachus præfati monasterii, qui dictam capellaniam obtinebat, ad prioratum de Galano, prædicti ordinis, Auxitanæ diœcesis, promotus fuerat. (Reg. 137, n° DCCLXXIII, fol. 210 v°.)

« *Dilecto filio Guilelmo de Agrifolio, priori prioratus de Neriaco, ordinis sancti Benedicti, Xantonensis diocesis, capellano et familiari nostro.* Meritis tue probitatis. — Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii, anno secundo. »

703 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1344.

Guidonem de Mauriaco, militem, magistro et conventui Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani commendat. (Reg. 137, n° DCCLXXIIII, fol. 211 r°.)

« *Dilectis filiis... magistro et conventui Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Pridem ad notitiam nostram perducto, quondam Olivarium de Sanctoamantio, preceptorem domorum de Belveyre, de Anglata et de Haento, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Lemovicensis diocesis, fuisse viam universe carnis ingressum, dilectum filium Guidonem de Mauriaco, militem ejusdem Hospitalis, nepotem dicti defuncti, super eisdem domibus, que valorem trecentarum quadraginta librarum Turonensium annuum excedere non dicuntur, dilecto filio... priori Alvernie Hospitalis predicti duximus commendandum. Cum autem dictus prior responderit quod certe domus sui prioratus, inter quas fuit domus superius nominate, non ad suam, sed ad nostram dispositionem spectare noscuntur, sinceritatem vestram attente rogamus, quatenus eundem Guidonem habere velitis super eisdem domibus, sicut decenter et honeste poteritis, pro nostra et apostolice Sedis reverentia favorabiliter commendatum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii, anno secundo. »

704 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1344.

Roberto, cancellario ecclesiæ Parisiensis injungit, ut Petrum de Luperciaco, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, in sacræ theologiæ facultate baccalarium, ad magisterii honorem in eadem facultate, si sit idoneus, promoveat. (Reg. Vat. 137, n° DCCCXL, fol. 226; — *Chartularium Univ. Paris.*, II, n° 1086, p. 547.)

« *Dilecto filio... cancellario ecclesie Parisiensis.* Habet fidedignorum assertio. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii anno secundo. »

705 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1344.

Cancellario ecclesiæ Parisiensis similiter scribit pro Rogerio de Palhariis, Ordinis Fratrum Minorum, in sacræ theologiæ facultate baccalareo. (Reg. Vat. 137

n° DCCCXLI, fol. 226 r°; — WADDING, *Ann. Min.*, 2e éd., VII, 536; — BULAEUS, IV, 280; — *Chartul. Univ. Paris.*, n° 1087, p. 548.)

« *Dilecto filio... cancellario ecclesie Parisiensis.* Habet fidedignorum —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III kalendas marcii, anno secundo. »

706 Villeneuve-les-Avignon, 29 février 1344.

Philippo, regi Franciæ, per nuncium respondet. (REG. 137, n° DCCLXXVII, fol. 211 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super hiis que per exhibitorem presentium excellentia regia nobis scripsit, per certum nuncium vestrum breviter ad ejus presentiam destinandum, plene intendimus respondere. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas martii, anno secundo ».

707 Villeneuve-les-Avignon, 29 février 1344.

Philippum, regem Franciæ, de negotiis in partibus Britanniæ certiorem facit. (REG. 137. n° DCCLXXVIII, fol. 211 v°.)

« *Eidem.* Antequam nobis littere regie, novitates attemptatas in civitate Venetensi hiis diebus describentes, presentate fuissent, novitates audiveramus easdem, et venerabilibus fratribus nostris, Petro Penestrino et Anibaldo Tusculano episcopis, sancte Romane Ecclesie cardinalibus, mandaveramus et commiseramus expresse quod processus facerent super hoc, exigente justicia, rigorosos; et nichilominus dilecto filio magistro Stephano de Mulseone, decano Bituricensi, capellano nostro, in partibus illis apostolice Sedis nuncio, scribimus ut processus suos inde factos continuet et procedat etiam ulterius, citando Henricum de Bellomonte ac alios, sicut fuerit oportunum. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II kalendas marcii, anno secundo. »

708 Villeneuve-les-Avignon, 1er mars 1344.

Infrascriptis commendat Petrum de Palude, dominum Varamboni, senescallum Bellicadri, qui ad partes Romaniæ ad Turcos debellandos proficiscitur, et eos rogat ut dictum Petrum adjuvare velint. (REG. 137, n° DCCLXXIX-LXXX, fol. 212 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Miloni, domino de Noeriis, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris consiliario.* Super eo quod dilectus filius nobilis vir Petrus de Palude, dominus Varamboni, senescallus Bellicadri, magnam devotionem habere asserit se conferendi ad partes Romanie contra Turchos infideles, qui christicolas in illis [partibus] degentes, diris afflictionibus invadere ac molestare durius solito moliuntur, et ejus accessus ad partes illas ex eo presertim creditur utilis, quia ipse cum dilecta in Christo filia nobili muliere Johanna de Sabaudia, matre magnifici viri... moderatoris Grecorum noticiam habere asseritur specialem, nos carissimis in Christo filiis nostris Philippo regi ac Johanne regine Francie illustribus ac dilecto filio nobili viro Johanni, eorum primogenito, duci Normannie, super concedenda eidem senescallo super premissis cum retentione officii senescallie licentia, periculo suo interim gubernandi, per diversas litteras scribimus oportunas. Quocirca nobilitatem tuam attente rogamus, quatenus prefato senescallo super hiis, que circa hec pro parte nostra tue prudentie duxerit explicanda, fidem adhibens, sibi velis assistere consiliis et favoribus oportunis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, kalendis marcii, anno secundo. »

Item in eundem modum *dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.*

709 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1344.

Andream, regem Siciliæ, rogat ut inhibeat subditis ne civitates vel castra provinciæ Campaniæ et Maritimæ indebite occupent. (REG. 137, n°s DCCLXXXIII-LXXXIIII, fol. 213 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.* Perlatum nuper extitit. — Dat. ut supra. »

In eodem modo *Johanne regine Sicilie.*

710 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1344.

Infrascriptis commendat Johannem Moris, de Florentia, jurisperitum, qui ad Sedem apostolicam pro arduis expediendis negociis venerat. (Reg. 137, n° dcclxxxvi-lxxxviii, fol. 214 r°.)

« *Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato.* Dilectum filium magistrum. — Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, vi nonas marcii, anno secundo. »

In eoden modo *Andree regi Sicilie* —, *Johanne regine Sicilie.*

711 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1344.

Priori domorum Franciæ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et aliis infrascriptis prioribus mandat ut quartam partem responsionum procuratori magistri dicti Hospitalis in subsidium pro repressione Turcorum solvere non postponat. (Reg. 137, n° dcclxxxviiii-dccc, fol. 214 r°; — *Monumenta Bohemiæ Vaticana*, n° 316, p. 190.)

« *Dilecto filio... priori domorum Francie Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Tuam prudentiam supponimus indubie non latere, quod dudum rumore horribili et displicibili ad Sedem apostolicam et communem notitiam fidelium deducente, quod gens illa ferocissima nationis abhominabilis Turchorum videlicet infidelium, ad effundendum Christianorum sanguinem et exstirpandum de partibus transmarinis nomen christianitatis aspirans, Romanie ac alias transmarinas partes eis vicinas, in quibus catholice fidei viget cultus, et christicolas habitatores earum invadere, molestare, offendere, capere ac alias affligere durius et crudelius solito, in nostri Salvatoris opprobrium et fidei catholice detrimentum, moliti suis temerariis et presumptuosis ausibus fuerant et moliebantur etiam incessanter. Nos eisdem christicolis paterno compacientes affectu, et cupientes fidem eandem in illis partibus, sicut multum toti christianitati expedit, deffensari, presentibus apud Sedem eandem quorundam regum ac principum et communitatum ambasciatoribus, necnon certis prioribus et proceribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, et tunc in nostra presentia constitutis, certum galearum sufficienter munitarum et armatarum subsidium pro reppressione dictorum hostium fidei et tuitione fidelium, per nos et ecclesiam Romanam et ipsos ordinavimus exhibendum. Sane cum in hujusmodi subsidio hospitale predictum sex galeas sufficienter munitas et armatas tenere debeat et habere, pro illisque tenendis extiterit per prefatos priores et proceres ordinatum, quod tu et alii priores Hospitalis predicti quartam partem responsionum vestrarum dilecto filio... magistro predicti Hospitalis, vel ejus procuratoribus solvere debeatis, quod adhuc per te, sicut asseritur, non est factum; discretionem tuam requirimus et hortamur, tibique nichilominus districtius injungendo mandamus, quatenus hujusmodi quartam partem procuratori dicti magistri sic prompte ac libere, cessante dilationis obstaculo, solvere non postponas, quod tua possit et debeat inde commendari devotio, et nos proinde de alio remedio super hiis, quod aliter nequiremus ommittere, non sit opus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, iiii nonas marcii, anno secundo. »

Item in eundem modum *dilecto filio priori domorum Anglie, Ibernie, Alamannie, Bœmie, Portugalie, Castelle, Catalonie, castellano Emposte, priori Venetiarum Hospitalis Sancti Johanni Jerosolimitani, priori Lombardie, priori Urbis et Pisarum.*

712 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1344.

Cum Johannes de Nantolio, in prioratu Aquitaniæ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani locumtenens, de responsione solita satisfacere recuset, Philippum regem Franciæ rogat ut officialibus regiis partium illarum mandet, ut super prædictis procuratori magistri dicti Hospitalis assistere velit. (Reg. 137, n° dccci, fol. 215 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Pro parte dilecti filii Helionis de Villanova, magistri Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, nuper expositum extitit coram nobis, quod dilectus filius Johannes de Nantolio, Hospitalis ejusdem, qui dudum nostre tue, fili carissime, voluntatis beneplacitum in prioratu Aquitanie Hospitalis predicti factus extitit locumtenens, de responsione solita et aliis

oneribus prioratui predicto juxta mores et consuetudines dicti Hospitalis incumbentibus, recusat satisfacere, ac certam cameram pro dicto magistro retentam detinens occupatam, eam procuratori dicti magistri restituere contradicit, se sub presidio regio super hiis, ut asseritur, defendendo. Cum autem decens et rationis equitati consonum videatur quod ipse locumtenens de bonis dicti prioratus, cujus administrationem gerit, ut premittitur, ipsius prioratus supportet onera, et ea que ratione prioratus ejusdem debentur, persolvat, et ab injuria inferenda super camera predicta prelibato magistro, cui noscitur subesse, desistat, excellentiam regiam deprecamur, quatenus officialibus regiis partium illarum velit mandare, ut super predictis procuratori dicti magistri justis remediis et favoribus oportunis assistant. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII nonas marcii, anno secundo. »

713 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1344.

Cum Guillelmo, tituli Sancti Stephani in Cœliomonte presbitero cardinali, prioratum de Yena O. S. B., Bellicensis diœcesis, contulisset, dictusque cardinalis possessionem dicti prioratus apprehendere non potuisset, Petro de Ameyziis, monacho monasterii Sancti Regaberti, ejusdem ordinis, Lugdunensis diœcesis, et quibusdam clericis et laicis temere resistentibus, episcopo Bellicensi mandat ut ad prioratum prædictum se personaliter conferens, operosam et efficacem diligentiam adhibeat, ita ut cardinalis pacificam possessionem dicti prioratus assequatur. (Reg. 137, n° DCCCIII, fol. 216 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Bellicensi.* Pridem volentes dilecto —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII nonas marcii, anno secundo. »

714 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1344.

Infrascriptos rogat ut dictam rebellionem amoveant, cum in apostolicæ Sedis contumeliam, dictique cardinalis offensam necnon et honoris detractionem domus Sabaudiæ redundet. (Reg. 137, n° DCCCIIII-DCCCV, fol. 216 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Amadeo, comiti Gebennensi, gubernatori et administratori comitatus Sabaudie.* Displicibili admodum insinuatione —. Dat. ut supra. »

In eodem modo *dilecto filio nobili viro Ludovico de Sabaudia, domino Vaudi, gubernatori et administratori comitatus Sabaudie.*

715 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1344.

Cum Guillelmo, episcopo Carnotensi, visitandi per procuratores licentiam concesserit, infrascriptis mandat ut prædicto episcopo procurationes debitas exhiberi jubeant. (Reg. 136, n° MCXLV, fol. 277 r°.)

« *Dilectis filiis... decano Lemovicensi et... Drocensi Carnotensis, ac Antwerpiensi, Cameracensis archidiaconis ecclesiarum.* Pridem volentes venerabilem —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, nonis marcii anno secundo. »

716 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1344.

Infrascriptum rogat ut stipendia rectoris persolvat (Reg. 137, n° DCCXXI, fol. 199 r°.)

« *Dilecto filio Arnulpho Marcellini, canonico Ebredunensi, Campanie Maritimeque nostro et ecclesie Romane thesaurario.* Sua nobis dilectus —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI nonas marcii, anno secundo. »

717 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1344.

Jacobum, regem Majoricarum, rogat ut gravamina quæ contra ecclesiam Elnensem attentata fuerant, celeriter revocari jubeat. (Reg. 137, n° DCCCX, fol. 217 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri.* Paterne dilectionis affectu cupientes per viam rectitudinis dirigi gressus tuos, teque abstinere ab illis, que offenderent divine majestatis oculos et lacerarent graviter famam tuam, dudum super revocandis quibusdam gravaminibus, que per gentes et officiales tuos tam Elnensi quam aliis ecclesiis ac

personis ecclesiasticis, in comitatu Rossilionis consistentibus, nec non hominibus et subditis ecclesiarum ipsarum, multum prejudicialiter dicebantur illata, eosdemque officiales et gentes faciendo ulterius cessari a talibus, litteras nostras exhortatorias et deprecatorias tue magnificentie regie meminimus direxisse; sed, sicut nuper intelleximus displicenter, eisdem paternis exhortationibus et precibus de caritatis radice prodeuntibus, obauditis, ad gravaminum revocationem hujusmodi nequaquam processum extitit, ymmo alia pejora prioribus superaddita et annullata fuerunt, de quibus aliqua, prout infestis relatibus nobis pridem, presente tuo cancellario, fuerunt exposita, serie presentium recitatione non indigne displicibili providimus explicanda. Habet siquidem expositio sepefata, quod pro parte regia districte prohibitum extitit et mandatum, ne in contractibus, quos in diocesi Elnensi inter laicos, aut clericum et laicum fieri contingeret, apponeretur quomodolibet juramentum, et hoc factum fore verisimiliter extimatur, ne possent contrahentes ad forum ecclesiasticum super hujusmodi contractibus conveniri. Rursus tu, et gentes tue asserere nitimini, de quo miramur admodum, si est ita, quod illi, qui ad ecclesias confugiunt, absque sacrilegio et fractione libertatis et immunitatis ecclesie violenter exinde possunt extrahi, dum tamen vita et membra salventur eisdem. Preterea quod, licet ab antiquis temporibus in diocesi predicta Elnensi et partibus illis observatum extiterit inconcusse, quod clerici auctoritate litterarum apostolicarum, quas contingebat ab eis impetrari super actionibus realibus, et ecclesiarum possessionibus coram delegatis a Sede apostolica judicibus contra suos adversarios poterant experiri, modo tamen non absque detractione honoris dicte Sedis, id in dictis tuis ditionibus asseritur prohiberi. Fertur etiam quod in terris tuis, interdicto ecclesiastico durante, fecisti continue, non sine dampnabili contemptu clavium, coram te solempniter et publice celebrari divina officia, seu potius prophanari. Insuper ad finem, quod clericos et personas ecclesiasticas ac homines et subditos ejusdem Elnensis et aliarum ecclesiarum predictarum, contra privilegia, jura et immunitates ecclesiarum ipsarum et ecclesiasticarum personarum, ac hominum et subditorum predictorum, que ab antiquis habuerunt et obtinuerunt temporibus, nove et insolite subiciens servituti, retrodecimam et quasdam novas exactiones per te seu gentes tuas impositas, quamquam ad eas nullatenus tenerentur, exegisti et exigis ab eisdem, novos et alias inauditos modos, pedagiorum seu vectigalium, quo ad omnes qui terras tibi subjectas cum sellis, bastis vel rebus suis, equitando seu peditando intrabant, vel ab eis exibant, aut morabantur ibidem, prout clamoris multorum validi habet assertio, imponi fecisti, que ab eisdem hominibus et subditis Elnensis, et aliarum ecclesiarum predictarum, sicut ab aliis vel fortius et rigidius extiterant exacta, et etiam exiguntur. Cumque hiis diebus preteritis, tuo predicto cancellario in nostra presentia constituto, nobis pro parte tua regia supplicaretur humiliter et instanter, ut interdictum dudum in terris tuis appositum propter nonnulla alia gravamina, que illata eidem Elnensi ecclesie dicebantur, suspendere usque ad temporis alicujus spatium de speciali gratia dignaremur, tuncque assereretur quod ex eo quia, nec ex nostris precibus et exhortationibus, nec alias quoquomodo, priora gravamina revocata fuerant, ymmo potius alia multiplicata extiterunt, ut est dictum, gratiam suspensionis hujusmodi concedere minime debebamus, idem cancellarius nobis dixit quod libenter tecum procuraret pro posse, quod specialiter tria de dictis gravaminibus que secuntur, effectualiter absque dilatione aliqua revocares, videlicet quod prohibitio facta de non apponendo juramentum in contractibus, et impositio ac exactio vectigalis novi predicti tollerentur, et ecclesia de Corberia, ejusdem Elnensis diocesis, ad immunitatem suam et statum pristinum et debitum restitueretur omnino. Nos confidentes quod hec, sicut promittebantur, complerentur realiter et perfecte, interdictum predictum gratiose duximus usque ad octabas instantis festi Resurrectionis dominice suspendendum. Nunc autem, non sine mentis turbatione percepto, quod de hiis que dictus cancellarius nobis, ut premittitur, promiserat, nichil penitus factum extitit, sed potius mala malis et gravamina gravaminibus adversus eandem Elnensem et alias predictas ecclesias ac homines et subditos ecclesiarum ipsarum, in divine magestatis offensam, ac nostram et apostolice Sedis contumeliam et ecclesiarum, hominum et subditorum ipsorum manifestam

injuriam, asseruntur agregata, pro dolor, et etiam cumulata : nam, ut eadem habet assertio, gentes tue regie a civibus et habitatoribus civitatis et aliorum locorum Elnensis ecclesie bladum cum portabatur ad molendinum, vel farinam cum inde reportabatur, occisione vectigalis predicti frequenter auferebant, asserentes ea tibi fore, quia vectigal non solvebant hujusmodi, confiscata, et idem de animalibus eorundem, cum intrabant terras regias ad pascendum, non permittentes etiam dicte gentes regie quod vina, quibus eadem indigebat et indiget civitas, prout fieri consuevit ab antiquis temporibus, defferrentur ad eam, personas quoque de locis ejusdem Elnensis ecclesie ad forum dicte civitatis Elnensis venientes et recedentes ab inde, quamvis per terras ecclesie et non regias transitum facerent, etiam infra territorium et districtum civitatis et locorum ejusdem ecclesie, vexare moliebantur ac durissime molestare, ad illum finem, ut asseritur, ut homines et subditi ejusdem ecclesie, sic variis modis afflicti, retrodecimam solvere cogerentur, ac alia subire honera que regiis subditis imponuntur, quod etiam subsecutus satis declaravit effectus, cum ipsa retrodecima, licet ab aliquibus sub alio nomine, jam asseratur, habita et exacta, sed adhuc gentes ipse regie premissis gravaminibus non contente, ad pejora prorupisse dicuntur, quamvis enim civitas Elnensis predicta cum mero et mixto imperio, alta et bassa et omnimoda jurisdictione ipsius temporali, in omnes et singulos incolas et habitatores civitatis ejusdem ipsiusque civitatis et incolarum et habitatorum eorundem, liberum regimen dicteque civitatis portarum et clavium earundem custodia ad prefatam ecclesiam Elnensem solum et insolidum a tempore et per tempus, cujus contrarii memoria hominum non existit, pertinuisse et pertinere noscatur, fueritque ipsa ecclesia in possessione jurium hujusmodi per tempus proxime dictum, ut fertur, tu tamen ab incolis et habitatoribus predictis prefate ecclesie subditis, in premissis fidelitatis juramentum et homagium recepisti de novo, capitaneo per te ad exercendum regimen memoratum cum certis armigeris deputato in civitate predicta, quamquam pro parte venerabilis fratris nostri Petri episcopi et dilectorum filiorum capituli Elnensis contradictiones et protestationes pro indempnitate jurium et libertatum suorum et ejusdem ecclesie, prout de jure facere poterant et debebant, facta fuisse dicantur contra premissa, ut premittitur, attemptata, et oblatum nichilominus per eosdem, se paratos ponere capitaneum in eadem civitate providum et fidelem. Quiquidem capitaneus per te, ut premittitur, deputatus, claves portarum civitatis predicte, illis quibus per vicarios et gentes ejusdem ecclesie tradite fuerant, quique nomine ecclesie sepedicte claves et portas custodiebant easdem, abstulit et recepit, portas ipsas faciens custodiri, et insuper servientes seu *Sagiones*, ut illius patrie verbis utamur, in ipsa civitate auctoritate tua creavit, per quos ibidem fecit executionem de facto; preconemque constituit publicum, per quem in dicta civitate preconizari publice ex parte sua mandavit et fecit, quod nullus sub pena quinquaginta solidorum bladum extraheret de civitate predicta, ex quibus ipsa ecclesia, et civitas, et homines supradicti, qui antea in pace ac treuga existebant, ut nosti, sunt in guerra constituti, non absque magnis eorum periculis et jacturis. Quamobrem pro parte episcopi et capituli predictorum, conspicientium dictam ecclesiam predictis juribus pro parte tua, ut premittitur, usurpatis, tam prejudicialiter spoliari, et ad servitutem cum intollerabili prejudicio de facto et de novo deductam, requisitiones et protestationes juri et rationi consone facte fuisse dicuntur, sed tamen ob hoc cessatum a premissis, ut asseritur, non extitit, sed jugum nove servitutis hujusmodi contra ecclesiam et homines supradictos super predictis et aliis potius aggravatum. Nos autem, non sine admirationis stupore, tot et tantis auditis gravaminibus, tanto de illis dolemus amarius, quanto te, quem affectu caritatis paterne prosequimur, Deum et ecclesiam sanctam suam offendere proculdubio gravius arbitramur; desideriis optantes intensis, quod sic te Deo per opera laudabilia ipsi grata acceptabilem, sicut alias tibi suasisse caritate paterna meminimus, redderes, quod ipsum tibi constitueres magis propicium in tuis adversitatibus adjutorem, quod utique vereri potes merito, si offendas in prelatis et personis ecclesiasticis sacrosanctam ecclesiam dilectissimam et unicam sponsam suam. Excellentiam tuam rogamus, monemus et in Domino attentius exhortamur, sano paternoque tibi consilio suadentes, et tenore presen-

tium mandantes expresse, quatenus predicta gravamina nova et vetera, et presertim illa que te revocaturum dictus cancellarius dixit, nobis se procuraturum pro posse, ut est dictum, et alia postmodum attemptata, sic provide, celeriter et realiter cum effectu facias revocari, et exacta a subditis ecclesie memorate restitui integraliter supradictis, quod, offensa Dei et apostolice Sedis vitata, te amplioribus nostris et ejusdem Sedis favoribus et gratiis reddas dignum. Sciturus, fili dilectissime, quod nisi precibus, exhortationi, monitioni et precepto nostris hujusmodi parere absque morosa cunctatione curaveris, nos, qui ex officio injuncte nobis desuper apostolice servitutis cunctas ecclesias in suis libertatibus et juribus, ac contra injuriosos oppressores earum tueri tenemur, quin remedia in premissis adhibeamus salubria, non intendimus ulterius sub dissimulatione transire, ymmo cum ab ingratis beneficia eis collata merito debeant revocari, ad revocationem suspensionis supradicte procedemus, et alia, prout et quando nobis visum fuerit, expedire. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno secundo. »

[1] Ms. : *Resurrexionis.*

718 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1344.

Infrascripto mandat ut bona Guillelmi quondam abbatis monasterii sanctæ Sophiæ Beneventanæ colligat. (Reg. **137**, n° DCCCIX, fol. **217** r°.)

« *Dilecto filio Arnulpho Marcellini, canonico Ebredunensi, rectori civitatis Beneventane* Dudum felicis recordationis —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis, V idus martii, anno secundo. »

719 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1344.

Infrascripto committit jurisdictionem temporalem civitatis Tricastrine. (Reg. **137**, n° DCCCXI, fol. **219** r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Hugoni Ademari, domino de Gardia, Tricastrine diocesis.* Cum civitas Tricastrina —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis V idus marcii, anno secundo. »

720 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1344.

Infrascriptum, judicem prædictæ civitatis, quoad temporalem jurisdictionem, deputat. (Reg. **137** n° DCCCXII, fol. **219** v°.)

« *Dilecto filio magistro Ramundo Gerardi de Insula, Cavallicensis diocesis, juris civilis professori, judici civitatis Tricastrine.* Cum civitas Tricastrina. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V idus marcii, anno secundo. »

721 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1344.

Infrascriptis mandat ut quosdam excessus corrigant qui a nonnullis civibus Tricastrinis contra Sedem apostolicam commissi fuerant. (Reg. **137**, n° DCCCXIII, fol. **219** v°.)

« *Dilectis filiis nobili viro Hugoni Ademari, domino de Gardia, Tricastrinensis diocesis, gubernatori, et magistro Ramundo Gerardi de Insula, Cavallicensis diocesis, juris civilis professori, judici civitatis Tricastrine, auctoritate apostolica deputatis.* Tam venerabilis fratris nostri Hugonis episcopi Tricastrini, quam multorum insinuatione clamosa, nuper extitit ad audientiam nostri apostolatus perlatum, quod nonnulli cives et habitatores civitatis Tricastrine nos et Sedem apostolicam, sub quorum manu et protectione speciali terra ecclesie Tricastrine consistit, ac ipsos episcopum et ecclesiam, quibus spiritualiter et temporaliter subesse immediate noscuntur, offendere graviter non verentes, homines et habitatores castri Sancti Restituti et quorundam aliorum locorum ad episcopum et ecclesiam memoratos spectantium, et ipsa castrum et loca et ipsum episcopum gentesque suas, turba coadunata, cum armis hostiliter invadere, offendere, ac animalia et alia bona predictorum hominum et habitatorum subditorum episcopi et ecclesie prefatorum, more predonico capere, secumque adducere ac asportare nequiter, et loca depopulare seu devastare predicta, necnon molendina et nemora ipsorum episcopi et ecclesie destruere ac dissipare, damnaque diversa alia et injurias eisdem inferre multipliciter temerariis et dampnandis ausibus presumpserunt; et quamquam pro parte vestra requi-

siti et moniti fuerint, eisdem nichilominus sub certis penis injucto, ut de predictis competentes satisfactiones et emendas eis, quorum intererat, prestare ac exibere curarent, et a talibus et similibus de cetero prorsus desisterent, ut nos mitius super eisdem excessibus cum ipsis agere valeremus, ipsi tamen, deductis hujusmodi nostris requisitionibus, monitionibus et mandatis, protervis presumptionibus, sicut asseritur, in contemptum eis obtemperare irreverenter et contumaciter recusarunt. Nolentes igitur excessus et inobedientias hujusmodi, que in divinam et nostram dicteque Sedis contumeliam, ac episcopi et ecclesie, necnon et hominum predictorum injuriam et plurimorum perniciem redundant, si veritas suffragatur relatibus, incorrectos sub dissimulationis pertransire neglectu, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus super premissis et ea quoquomodo tangentibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, vocatis evocandis, veritatem diligentius inquirentes, tam nobis et Sedi apostolice, quam episcopo, ecclesie ac hominibus predictis et aliis, quorum interest, condecentes emendas et satisfactiones prestari faciatis exinde, aliasque predictos excessus taliter, mediante justitia, corrigatis, quod tam ipsis, quam aliis claudatur super similibus aditus delinquendi. Nos autem ea que in hac parte juste ordinaveritis et decreveritis, observari debite spiritualiter et temporaliter, sicut nobis expediens videbitur, faciemus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus marcii, anno secundo. »

722 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1344.

Philippo, regi Franciæ, transcriptum litterarum ab Edwardo rege Angliæ missarum mittit, eumque rogat ut sine mora respondere velit. (Reg. 137, n° MLXXIX, fol. 260 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Venientes ad presentiam nostram noviter duo milites carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris nobis ejusdem regis presentarunt litteras, quarum transcriptum tue regali excellentie mittimus presentibus interclusum, ut regia circumspectio plenius et consultius super contentis in litteris ipsis deliberet et videat quod agendum, nobisque rescribat, quod sue deliberacionis et intentionis fuerit in hoc parte. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v idus marcii, anno secundo. »

723 Villeneuve-les-Avignon, 12 mars 1344.

Reginam Siciliæ rogat ut quamdam supplicationem a prælatis et aliis comitatuum Provinciæ et Forcalquerii præsentatam benigne exaudiat. (Reg. 137, n° DCCCXIIII, fol. 220 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Habet nonnullorum tam prelatorum quam aliorum de comitatibus tuis Provincie et Forcalquerii relatio querulosa quod, licet quedam ordinatio, quam inclite memorie Robertus, rex Sicilie, avus tuus, dudum fecisse dicitur, usque ad suum beneplacitum duraturam, quod nullus, cujuscunque conditionis existeret, absente de dictis civitatibus rege ipso, de questionibus seu causis curiam suam regiam mediata vel immediate, directe vel indirecte tangentibus, sine licentia et mandato regio speciali, pecuniariis condempnationibus dumtaxat exceptis, aliquam ferret sententiam, revocata seu extincta per ipsius regis obitum videatur; quia tamen officiales dictorum comitatuum adhuc eidem ordinationis adherere, ac eam observare nituntur, grandia eis proveniunt dispendia et provenirent etiam in futurum, si pro singulis questionibus et causis hujusmodi, eos ad te, filia carissima, recurrere in tam remotis partibus oporteret, et inde possent etiam pericula, sicut asseritur, non levia suscitari. Nos igitur prelatorum ipsorum supplicationibus super hiis inclinati, serenitatem rogamus regiam attentius et hortamur quatinus super hiis, deliberatione previa, provida et matura, sic velit regalis circumspectio salubriter et utiliter providere, quod subditorum dispendiis et quibusvis in hac parte periculis obvietur. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII idus martii, anno secundo. »

724 Villeneuve-les-Avignon, 12 mars 1344.

Philippum, episcopum Cavallicensem, rogat ut super prædicto negocio apud prædictam reginam instare velit. (Reg. 137, n° DCCCXV, fol. 220 v°.)

« *Venerabili fratri Philippo episcopo Cavallicensi, vicecancellario regni Sicilie.* Ad supplicationem quorundam prelatorum comitatuum Provincie et Forcalquerii super quadam ordinatione, que dudum per clare memorie Robertum, regem Sicilie, prelatis et ecclesiis ac nonnullis aliis de comitatibus Provincie et Forcalquerii non parum gravis, ut asserunt, et intollerabilis facta fuisse dicitur, carissime in Christo filie nostre Johanne regine Sicilie illustri scribimus, juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Quocirca fraternitatem tuam hortamur attente quatenus, cum premissa te tam ratione patrie quam officii tangere non mediocriter videantur, circa hoc, prout cum honestate tua expedire videris, partes tue sollicitudinis interponas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III idus martii, anno secundo. »

725 Villeneuve-les-Avignon, 12 mars 1344.

Infrascriptum rogat ut, in absentia Guillelmi, comitis Hanoniæ, ecclesiæ Cameracensi quædam castra restitui jubeat, quæ dictus comes injuste occupaverat. (Reg. 137, n° DCCCXX, fol. 221 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johannis de Hanonia, vicecomiti Bellimontis.* Dudum ad audientiam nostri apostolatus perducto, quod quedam castra, loca et bona, que ad venerabilem fratrem nostrum Guidonem, episcopum, et ecclesiam Cameracenses pertinent pleno jure, per dilectum filium nobilem virum Guillelmum comitem Hanonie seu gentes suas detinebantur in eorundem episcopi et ecclesie prejudicium occupata, eidem comiti, ut hujusmodi castra, loca et bona restitui memorato episcopo cum fructibus inde perceptis tempore detentionis predicte faceret, preces et exhortationes direxisse meminimus inculcatas[1]. Sane quia nondum hujusmodi preces et exhortationes juri et rationis equitati congrue, fore dicuntur introducte ad exauditionis effectum, quamplurimum admiramur presertim cum, sicut relatibus percepimus fidedignis, dum preteritis temporibus, vacante Cameracensi ecclesia, castra, loca et bona capiebantur predicta, statim restituebantur episcopo promoto noviter, postquam erat per suum capitulum ecclesie predicte Cameracensi receptus. Estimantes igitur propter absentiam dicti comitis, presentialiter in remotis agentis, fore tamdiu restitutionem hujusmodi protelatam, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus tu, qui regimini comitatus Hanonie superintendis, in absentia comitis prelibati, restitutionem predictam fieri facias absque alia dilatione morosa, te taliter super hoc habiturus, quod inde possit tua circumspecta devotio commendari; nec nos providere de alio in hac parte remedio, quod deesse nequiret aliter, sit necesse. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II idus marcii, anno secundo. »

[1] Ms. : *incultatas*

726 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1344.

Petrum, episcopum Atrebatensem, qui ad cardinalatus honorem assumptus fuerat, rogat ut ad Sedem apostolicam, sine morosa cunctatione, veniat. (Reg. 137, n° DCCCXXI, fol. 221 v°.)

« *Dilecto filio Petro, Sancte Romane Ecclesie presbitero cardinali, olim episcopo Atrebatensi.* Moysi legislatoris qui, Jetro cognati utili adherendo consilio, viros prudentes et Deum timentes circa regendam plebem Israeliticam elegisse testatur, exemplo ducti laudabili, ad onus spiritualis regiminis, quod ex injuncte desuper apostolice servitutis officio noscitur incumbere, auxiliatores et coadjutores nobis viros utique potentes in opere et sermone, qui veritatem et justitiam diligant et avaritiam odiant, nos profundis meditationibus perquirentes, pridem ad personam tuam, quam largitor bonorum omnium multis virtutibus insignivit, direximus intuitum nostre mentis; et tandem, matura deliberatione cum fratribus nostris prehabita, te pridem a vinculo, quo ecclesie Atrebatensi tenebaris astrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad cardinalatus honorem de dictorum fratrum consilio duximus assumendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter, ad nostram et apostolice Sedis presentiam absque cunctatione morosa studeas, divina previa gratia, te conferre, una nobiscum et eisdem fratribus divinis obsequiis et

Ecclesie Romane serviciis vacaturus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus marcii, anno secundo. »

727 Villeneuve-les-Avignon, 17 mars 1344.

Infrascriptis concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mccviii-mccix.)

« *Dilecto filio Petro Fabri, familiari nostro et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, ejus uxori, Lemovicensis diocesis* —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xvi kalendas aprilis, anno secundo. »

Item in eodem modo *dilecto filio Johanni de Betino et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie ejus uxori, Lemovicensis diocesis*. Dat. ut supra.

In eodem modo *dilecto filio Stephano Fabri, canonico Ruthenensi*. Dat. ut supra.

728 Villeneuve-les-Avignon, 18 mars 1344.

Infrascripto licentiam concedit de ordine beatæ Mariæ de Montecarmelo ad ordinem sancti Benedicti transeundi, et in dicto ordine beneficia obtinendi. (Reg. 137, n° dcccxxiii, fol. 222 r°.)

« *Dilecto filio Petro de Viminerio, fratri ordinis Beate Marie de Montecarmelo*. Cum sicut pro parte —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas aprilis, anno secundo. »

729 Villeneuve-les-Avignon, 18 mars 1344.

Cum Petrus de Viminerio, frater ordinis beatæ Mariæ de Montecarmelo de prædicto ordine, quem professus fuerat, ad sancti Benedicti ordinem se transferre cuperet, et in monasterio de Mauriaco O. S. B, Claromontensis diocesis, Domino famulari, infrascriptis mandat ut dictum fratrem in monachum recipiant illique regularem habitum juxta dicti monasterii consuetudinem exhibeant. (Reg. 137, n° dcccxxiiii, fol. 222 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Grassensi et... sancti Johannis Angeliacensis, ac... Aureliacensis, Xanctonensis et Sancti Flori diocesis monasteriorum abbatibus*. Judicibus. Cum sicut pro —. Dat. ut supra.

Villeneuve-les-Avignon, 18 mars 1344.

Infrascripto indulget ut missam, antequam diem illucescat, celebrare valeat. (Reg. 137, n° mclxxxxiii, fol. 287 r°.)

« *Dilecto filio magistro Raymundo de Valle, archidiacono de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi*. Sincere devotionis affectus quem —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas aprilis, anno secundo. »

731 Villeneuve-les-Avignon, 18 mars 1344.

Infrascripto indulget ut horas canonicas, juxta morem ecclesiæ Romanæ, quam hactenus observavit, dicere valeat; proviso quod Ilerdensis, cujus existit canonicus, et aliarum ecclesiarum in quibus beneficiatus existit, ac aliorum beneficiorum, quæ alibi obtinet, consuetudinem in dictis horis dicendis observet, quotiens inibi horis dicendis canonicis cum aliis contigerit interesse. (Reg. 137, n° mclxxxxiiii, fol. 287 v°.)

« *Dilecto filio magistro Gasberto de Septemfontibus, canonico Ilerdensi, scriptori et familiari nostro*. Meruit tue devotionis sinceritas —. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, xv kalendas aprilis anno secundo. »

732 Avignon, 20 mars 1344.

Abbati monasterii sancti Dionysii in Francia Petrum de Verberia, Philippi, regis Franciæ, secretarium, iterum commendat. (Reg. 137, n° dcccxxviii, fol. 223 r°.)

« *Dilecto filio Egidio, abbati monasterii sancti Dionysii in Francia, Parisiensis diocesis*. Pro dilecto filio magistro Petro de Verberia, clerico, secretario carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustri, ut ipsum clericum super hiis, que a te petebat sibi concedi, recommendatum haberes, favorabiliter preces nostras dudum tibi meminimus direxisse, quas, si et quantum cum honestate tua fieri poterit, admitti cupientes ad exauditionis effectum eo affectuosius quo sepius iteramus. Dat. Avinione, xiii kalendas aprilis, anno secundo. »

733 Avignon, 20 mars 1344.

Episcopo Urgellensi visitandi per procuratores procurationesque debitas recipiendi licentiam concedit. (Reg. 137, n° mcxl, fol. 276 v°)

« *Item alie due littere gratiosa videlicet et executoria pro venerabili fratre nostro Petro episcopo Urgellensi; et dirigatur executoria dilectis filiis... abbatibus monasterii Bellipodii, Urgellensis diocesis, et Aymerico de Montealto, Vaurensis, ac Petro Raymundi de Savinhaco, Gerundensis, canonicis, ecclesiarum.* Datum Avinione, xiii kalendas aprilis, anno secundo. »

734 Avignon, 20 mars 1344.

Ayquelino, episcopo Engolismensi, visitandi per procuratores licentiam concedit. (Reg. 137, n° mcxli, fol. 276 v°.)

« *Item in eodem modo pro venerabili fratre Ayquelino episcopo Engolismensi, et dirigatur executoria venerabilibus fratribus archiepiscopo Sipontino et... episcopo Redonensi, ac dilecto filio... abbati monasterii de Corona, Engolismensis diocesis.* Dat. Avinione, xiii kalendas aprilis, anno secundo. »

735 Avignon, 21 mars 1344.

Gerardo Casali, comitatus Venaissini judici, Ramundum Gerardi de Insula, juris civilis professorem, subrogat. (Reg. 137, n° dcccxxix, fol. 223 r°.)

« *Dilectis filiis Ramundo Gerardi de Insula, juris civilis professori, castri de Montilioademari Valentinensis diocesis, pro parte nos ibidem contingente, et Johanni de Bastisone, Carpentoratensis curiarum judicibus.* Dudum ex dilecti filii nobilis viri Ludovici de Pictavia conquestione percepto, quod nostri officiales in castro de Montilioademari, Valentinensis diocesis, pro parte nos contingente in eodem castro, ipsiusque mandamento, territorio et districtu deputati, stilum sigilli et curie dicti castri, pro sue libito voluntatis immutantes de novo, ad subditos et terras dicti nobilis stilum ipsum extendere ac eo uti contra morem solitum, in ejusdem nobilis terrarum et subditorum suorum prejudicium et oppressionem non modicam, aliaque inferre gravamina indebita, eis de novo et indebite nitebantur : nos, qui sic jura nostra et Ecclesie Romane illesa observari cupimus, quod aliorum jura propter hoc contra justitiam non ledantur, tibi, fili Johanne, Valriaci, et dilecto filio Gerardo Casalis comitatus Venaissini, curiarum tunc judicibus, committendum duximus per nostras litteras et mandandum, ut vos et quilibet vestrum, vocatis evocandis, super premissis et ea tangentibus, de plano, simpliciter, sine strepitu et figura judicii, veritatem diligenter et fideliter inquirentes, ea que per eosdem officiales in prejudicium dicti nobilis ac terrarum et subditorum reperiretis indebite attemptata, revocari et reduci ad statum pristinum et debitum, mediante justitia, faceretis, sicut in litteris predictis inde confectis plenius continetur. Cum autem dictus Gerardus Casalis sit ab officio judicature curie comitatus predicti ammotus, nos eidem te, fili Ramunde, super premissis tenore presentium subrogantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum insolidum, contenta in eisdem litteris juxta formam et continentiam earundem studeatis exequi et complere. Datum Avinione, xii kalendas aprilis, anno secundo. »

736 Avignon, 21 mars 1344.

Dijudicat questionem quæ orta erat inter Johannem, vicecomitem de Rupecavardi, et Johannem de Calvigniaco, dominum de Leproso, dissensionemque inter eos sopit. (Reg. 137, n° mlxxxvii, fol. 264 r°.)

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* — Inter solicitudines varias, que nobis ex officio injuncte desuper apostolice servitutis incumbunt, illa merito solicitant studia mentis nostre ut revocare discordes ad concordiam, quantum cum Deo possumus, procuraremus. Sane rumore displicibili et infesto perlatum extitit ad nostri apostolatus auditum quod, hoste procurante humani generis qui discordias nutriens, rancores fovens et odia, humane quietis deli-

cias amaricare non cessat, inter dilectos filios nobiles viros Johannem, vicecomitem de Rupecavardi ex parte una, et Johannem de Calvigniaco, dominum de Leproso, Lemovicensis et Bituricensis diocesium ex altera, adeo ad invicem proximo vinculo affinitatis conjunctos quod amicabilibus et caritativis colloquiis deberent sua negotia pertractare, fuerat gravis dissentionis materia super infrascriptis, que secum non modicum trahebant periculum suscitata: nos, cupientes ipsos sic disjunctos, precisis rancorum odiis, ad pacem et unitatem mutuam reducere, suscitatis inter ipsos questionibus per viam tractatus amicabilis rationabiliter terminatis, eos ad nostram presentiam propterea fecimus evocari; quiquidem deinde in eadem presentia constituti, petitiones et rationes suas, quarum occasione suscitate fuerunt dissentiones hujusmodi, proponere modo qui sequitur curaverunt: idem namque Johannes, dominus de Leproso, asserens ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Isabellam, uxorem suam, sororemque dicti vicecomitis, medietatem omnium bonorum hereditariorum, que quondam Simon, vicecomes de Rupecavardi, pater, et bone memorie Folcaudus de Rupecavardi, archiepiscopus Bituricensis, patruus prefatorum Johannis vicecomitis et Isabelle habebant, dum viverent, necnon et quorundam aliorum de genere ipsorum, que ad eos equis positionibus pervenerant pertinere, illa sibi nomine uxoris sue predicte restitui ab eodem Johanne vicecomite postulavit. Prefatus vero vicecomes contrarium ibidem asseruit, et adjecit quod premissa per eundem nobilem peti non poterant nec debebant, cum dictus Symon vicecomes, pater suus et ejusdem Isabelle, ipsum vicecomitem heredem universalem instituerit in suo ultimo testamento, certa portione bonorum suorum eidem Isabelle jure institutionis dumtaxat relicta; et prelibatus archiepiscopus terram, quam sicut privata persona tenebat, eidem vicecomiti dederit donatione firma et solida inter vivos, eamque postmodum confirmaverit in suo ultimo testamento, ipsum vicecomitem suum instituendo universalem heredem; dicens etiam ulterius ad fulcimentum fortius juris sui quod eadem Isabella portioni sibi per dictum patrem suum relicte, ut premissum est, et omni paterne ac cujuslibet persone alterius successioni, eandem Isabellam ex directa vel obliqua consanguinitatis linea contingenti, ex causa et ratione quinque milium librarum Turonensium parvorum, de quibus per eundem vicecomitem fratrem suum dotata extitit, prout constare asseruit, publicis documentis renunciavit expresse, medio juramento. Ad que prefatus Johannes, dominus de Leproso, replicando respondit quod testamentum predictum prefati Symonis, in quo prenominatum Johannem vicecomitem heredem instituisse dicitur, fuit inofficiosum et nullum, quodque Isabella predicta, uxor sua, super hujusmodi renunciatione facienda illecta fuerat et decepta, cum nos hujusmodi petitionibus responsionibus et replicationibus plenius intellectis, partes ipsas monuerimus, eis paterno nichilominus consilio suadendo, ut, omissis quibusvis litigiosis amfractibus, per tractatus amicabiles et rationabiles se ad pacem mutuam inclinarent, ipsi vicecomes de Rupecavardi et Johannes, dominus de Leproso, nostris acquiescentes monitis et persuasionibus salubribus in hac parte ibidem super premissis omnibus et singulis, videlicet idem vicecomes pro se ac suis, et dictus dominus de Leproso pro se ac uxore sua predicta, se voluntati et ordinationi vestre totaliter summiserunt, promittentes hinc inde tenere observare ac teneri et observari facere quicquid super predictis et ea tangentibus duxerimus ordinandum; et insuper dictus dominus de Leproso promisit se curaturum et facturum quod sepefata Isabella, uxor sua, hujusmodi summissionem ratam habebit et gratam. Post hec autem nos, qui bonum pacis non solum inter eos, sed etiam inter cunctos ecclesie filios affluenter cupimus habundare, hujusmodi summissione recepta, volentes ante omnia de jure ac intentione ipsarum partium plenius, ut questiones predicte utilius per nos decidi possent, informari, dilectis filiis nostris Guidoni Sancte Cecilie[1] et Stephano Sanctorum Johannis et Pauli tituli presbyteris cardinalibus vive vocis oraculo dedimus in mandatis, ut, vocatis coram se dictis partibus, de jure ipsarum super predictis se plenius informantes, et de earum intentione ac voluntate super reformanda mutua inter eas concordia perscrutantes, nobis referre que facerent et reperirent super hiis fideliter procurarent. Subsequenter autem eorundem cardina-

lium, qui circa premissa juxta mandatum nostrum hujusmodi exequenda solerter laborarunt, et prudenter super eis fideli relatione audita, et intellectis nichilominus et attentis questionum meritis predictarum, eas decidendas et sopiendas duximus, eisque finem imposuimus pro bono pacis et concordie in hunc modum : scilicet quod memoratus vicecomes det et solvat ac dare et solvere teneatur dicto Johanni, domino de Leproso, nomine dicte Isabelle uxoris sue sororisque ipsius vicecomitis, pro omni jure quod eidem Isabelle competere poterat seu competiturum ipsa vel dictus vir suus ejus nomine contendebat in bonis superius nominatis, mille quingentas libras Turonensium parvorum monete in regno Francie nunc currentis in terminis qui secuntur: videlicet quingentas libras ejusdem monete in festo Nativitatis dominice proxime futuro, et alias quingentas in eodem festo ex tunc anno revoluto sequenti, residuas vero quingentas libras in alio festo Nativitatis ejusdem post predictum secundum solutionis terminum subsequenti, hac tamen conditione adjecta quod, si dictam Isabellam ante terminos solutionum predictarum completos, non extantibus liberis de suo corpore legitime procreatis, contingeret, quod absit, ab hac luce migrare, pro termino vel terminis restantibus predictus vicecomes nichil de summa predicta solvere ulterius teneatur. Preterea volumus et ordinamus quod eadem Isabella vel dictus Johannes, dominus de Leproso, vir suus, aut quicumque alius pro ipsa vel ejus nomine ab eodem vicecomite ac heredibus et successoribus suis seu causam habituris ab ipso, in bonis vel occasione bonorum predictorum que fuerunt dictorum Symonis vicecomitis et Folcaudi archiepiscopi et quorumcumque aliorum de domo de Ruppecavardi defunctorum nihil petere possint de cetero, quavis ratione vel causa eisdem Johanni domino de Leproso et Isabelli uxori sue super eisdem bonis per ordinationem nostram hujusmodi perpetuum silentium imponentes. Quamquidem ordinationem partes ipse acceptantes gratanter, eam ibidem prefatus vicecomes pro se ac suis et prelibatus dominus de Leproso pro se ac eadem Isabella uxore sua omologaverunt et approbaverunt expresse, ac nichilominus supradictus Johannes dominus de Leproso, promisit quod eandem ordinationem emologari et approbari faciet per uxorem suam predictam, ad hoc ipsam bona fide pro viribus inducendo, quodque de hiis, que ad eam ratione testamentorum et predictorum bonorum seu quorumcumque aliorum ex causis expressis superius de jure vel de facto pertinere poterat quovis modo, per eam certificatam super premissis plenius et instructam concedi sufficientem quitationem faciet, interposito etiam juramento, et recognosci nichilominus quod sepefatus vicecomes vel alius pro ipso satisfecit ad plenum dicto Johanni domino de Leproso recipienti pro ea de quinque milibus libris Turonensium parvorum, de quibus ipsa extitit, ut prefertur, dotata, et ulterius de quingentis libris ejusdem monete pro quinquaginta libris rendualibus, quas eidem Isabelle dilecta in Christo filia nobilis mulier Lora de Chabanesio, mater sua, dederat, prout in litteris dicti Johannis domini de Leproso inde confectis dicitur contineri, eundemque vicecomitem de summis predictis quitari per ipsam et ratificari etiam recognitiones et quitationes de predictis summis factas per ipsum dominum de Leproso, temporibus quibus recepit easdem, que omnia et singula idem Johannes dominus de Leproso per prefatam Isabellam uxorem suam de ipsius viri sui auctoritate et licentia speciali, quantum in ipso fuerit et esse poterit, hinc ad instans proximo festum Assumptionis beate Marie Virginis promisit fieri et compleri. Rursus volumus, statuimus et etiam ordinamus quod prefatus vicecomes ad solvendum predictas mille quingentas libras in terminis prefixis, sicut superius continetur non teneatur, nec possit compelli, nisi prenominata Isabella ratificationes, quittationes et recognitiones predictas prius fecerit, prout superius est expressum. Demum nostre intentionis nequaquam propter premissa vel aliqua eorundem extitit vel existit, quominus dictus Johannes, dominus de Leproso, restituat et restituere nostre camere teneatur omnia bona mobilia per ipsum vel alium aut alios, suo nomine vel mandato, capta, occupata et detenta, que fuerunt archiepiscopi supradicti, et in quibus etiam dictus vicecomes heres per eundem archiepiscopum fuisse dicitur institutus, si extant, alioquin verum valorem eorum ad arbitrium commissariorum dudum super recuperatione bonorum ipsorum deputatorum a nobis,

nec quod dictus vicecomes pro parte premissa repetitioni dotis dicte Isabelle sororis sue, in casu quo repetitioni hujusmodi locus esset, aut instrumentis inde confectis seu quibusvis conventionibus inter partes super hiis vel ea tangentibus, habitis, renunciare per premissa quomodolibet videatur, immo ea quatenus ordinationi nostre presenti contraria non existerent volumus in sui roboris efficatia perdurare. Et quia ordinationem predictam observari et compleri volumus, partibus predictis hic presentibus expresse injungimus et mandamus ut, ad observandum et complendum omnia et singula in eadem ordinatione contenta, sub pena mille marcharum argenti a parte non servante et complente ordinationem ipsam, pro medietate camere nostre predicte et alia medietate parti observanti et complenti eandem committendarum applicandarum et solvendarum se obligent efficaciter, sub districtione ac cohertione camere nostre predicte et... auditoris ejusdem ac sigillorum regiorum apud Montempessulanum, Magalonensis diocesis, et in Castelleto, Parisius, positorum et statutorum, et quamvis pro bono pacis et concordie die date presentium, que dies extitit dominica, protulerimus et fecerimus ordinationem predictam, volumus tamen et decernimus quod propterea impugnari nequeat quomodolibet vel contra eam aliquid obici vel opponi. Nulli ergo etc. — Dat. Avinione XII kalendas aprilis anno secundo. »

[1] Secilie.

737 Avignon, 22 mars 1344.

Philippo regi Franciæ Hugonem abbatem monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim O. S. B., commendat. (Reg. 137, n° DCCCXXXI, fol. 233 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Dilectum filium Hugonem, abbatem monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim, ordinis Sancti Benedicti, Aureliacensis diocesis, nostris et apostolice Sedis continuis obsequiis insistentem, suumque predictum monasterium regie benivolentie plenis affectibus commendamus. Dat. Avinione, XI kalendas aprilis anno secundo. »

738 Avignon, 23 mars 1344.

Regem Franciæ rogat ut consules Montispessulanos benigne exaudire velit. (Reg. 137, n° DCCCXXX, fol. 233 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper ad nostram venientes presentiam dilecti filii consules ville Montispessulane, Magalonensis diocesis, nobis exponere curaverunt, quod dilectus filius nobilis vir Nicolaus de Sabaudia, pretextu litterarum regiarum sibi super certis negociis, ut asseritur, directarum, multa gravamina honoribus et commodis regiis, si veritas suffragetur relatibus, minime convenientia, sed scandalosa potius et horrenda in villa de Montepessulano predicta, et locis circumvicinis, inferre subditis regiis non veretur. Cum autem prefati consules propter hoc suos procuratores et nuntios ad regalem presentiam intendant, sicut asseritur, destinare, magnificentiam regiam deprecamur, quatenus ipsos audiri super hiis favorabiliter et benigne eadem magnificentia faciat et eis illique patrie de oportuno remedio provideri. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno secundo. »

739 Avignon, 23 mars 1344.

Cum potestas civitatis Astensis et aliqui stipendiarii treugas dudum per Guillelmum tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiterum cardinalem, tunc A. S. legatum, inter nobiles, necnon communitates et universitates indictas, violassent temere et castrum de Podio Narini, Taurinensis diœcesis, cum armis invasissent hostiliter et obsessum tenerent, et insuper castrum Tegerini et locum Maxii de dominio Jacobi de Sabaudia, infrascriptis mandat ut præfatos invasores ab obsidione predicta amoveant. (Reg. 137, n° DCCCXXXII, fol. 223 v°.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi nostris et ecclesie Romane vicariis.* Perlatum extitit hiis diebus. — Dat. Avinione, X kalendas aprilis, anno secundo. »

740 Avignon, 23 mars 1344.

Audivit quod officiales et stipendarii eorum treugas indictas violare, et terras et subditos Johannæ reginæ

Siciliæ, inclusos in eisdem treugis, invadere et offendere præsumunt ac turbando statum pacificum, locum Sancti Salvarii, de districtu terræ Querii, ad eandem reginam spectantis violenter occupando. Mandat infrascriptis ut eos compellant ad restitutionem faciendam prædictæ reginær (Reg. 137, n° dcccxxxiii.)

« *Eidem.* Relatum est nobis —. Dat. Avinione, x kalendas aprilis anno secundo. »

711 Avignon, 23 mars 1344.

Cum Guillermus tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum cardinalis, in partibus Lombardiæ legatus, treugas indixisset, infrascriptis mandat ut prædictas treugas solemniter publicatas observari jubeant. (Reg. 137, n° dcccxxxiiii, fol. 224 r°.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Januensi ac... Astensi et... Vercellensi episcopis.* Dudum dilectus filius—. Dat. Avinione, x kalendas aprilis, anno secundo. »

712 Avignon, 23 mars 1344.

Infrascripto indulget ut beneficia ecclesiastica recipere ac retinere valeat, nonobstante defectu ætatis quem patitur, cum in octavo ætatis anno constitutus existat. (Reg. 137, n° mccxxiiii, fol. 293 r°.)

« *Dilecto filio Hugoni de Sancto Marciale, clerico Tutellensis diocesis.* Ex laudabilibus —. Dat. Avinione x kalendas aprilis, anno secundo. »

713 Avignon, 24 mars 1344.

Edwardum regem Angliæ rogat ut nuncios pro tractatu reformandæ mittere non postponat. (Reg. 137, n° mlxxx, fol. 260 r°.)

« *Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.* Ad nostram nuper venientes presentiam dilecti filii nobiles viri Hugo de Nevilla et Willelmus de Cusaunce, milites et nuncii regii, nobis tue celsitudinis litteras presentarunt, quos quidem nuncios et litteras solita benignitate recepimus et, que ipsi nuncii pro parte regia nobis curarunt exponere, benigne audivimus, et contenta in eisdem litteris pleno collegimus intellectu; ex quibus percepimus quod licet tu, fili carissime, ob nostram et apostolice Sedis reverentiam prorogationi termini super tractatu mutue pacis inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, per nostrum ministerium, suffragante divina gratia, reformande, usque ad unum annum integrum consensisses, et ob hoc tuos solemnes nuncios cum sufficienti mandato ad presentiam nostram in certo termino, dummodo dictus rex illud idem faceret, et ea que attemptata dicebantur contra tenorem treugarum interim, ad statum debitum reducere procuraret, mittere ordinasses. Quia tamen rex predictus attemptata hujusmodi, etiam postquam litteras nostras super prorogatione predicti termini recepisti, revocare noluit, quinimo, attemptando alia graviora, quosdam milites et scutiferos morte fecit horribili trucidari, propter que tuis sapientibus et consilio minime videbatur quod, hiis diligenter attentis, esset conveniens et securum tuos solemnes nuncios qui transirent per terras regis ejusdem, sub cautionibus ipsius regis litteratoriis, que apud te reputantur debiles, ad nostram presentiam destinare, a missione nunciorum tuorum predictorum solemnium, quos mittendos ordinaveras, quoad presens desistere intendebas : nichilominus subjungendo quod, in casu quo rex prefatus attemptata predicta, prout rationis et juris existeret, reformaret, et cautionem sufficientem pro securitate nunciorum tuorum mittendorum, et per terras suas transeuntium, eundo morando et redeundo prestaret, libenter eosdem nuncios infra terminum prorogatum, ultimo ad eandem presentiam destinabis, sicque illa, que ad te pertinebunt circa premissa, facies quod ex parte tua nullus poterit notari defectus. Profecto, fili dilectissime, non modico dolore cordis affliginur, cum ex tuis et regis prefati guerrarum et dissentionum commotionibus, christianitatem non solum turbatam, sed in multis mundi partibus audimus periculosis fluctibus agitatam. Dolemus insuper quod in tantum prevaluit hostis humane salutis et quietis malitia, quod reformationi mutue concordie inter te regemque prefatum, ex qua procul dubio periculis

obviaretur predictis, et ad laudem Dei et gloriam ac tui et regis ipsius honoris et salutis augmentum, alia inennarrabilia spiritualia et temporalia commoda resultarent, nova impedimenta et noxia hostis ipse procurare non cessat. Nos equidem tam tuorum quam regis sepefati nunciorum solemnium in condicto termino desiderabiliter prestolabamur adventum, nostreque intentionis et mentis disposueramus studia, pro concordia ipsa Deo placibili, utrique vestrum et mundo utili et desiderabili, omni personarum acceptione sublata, per nos et alios, ceteris postpositis negotiis, laborare, et sicut tuam regalem excellentiam supponimus indubie non latere, litteras nostras de securo conductu in forma per nuncios tuos petita et sic alias concedi minime consueta, pro tuis predictis nunciis dedimus, et suas, sicut hic dictate, et per gentes tuas vise, correcte, et etiam concordate fuerunt, concessit super eodem etiam rex predictus, easque una cum aliis patentibus super consensu prorogationis termini, ad tractandum per nos de hujusmodi concordia tuo fecit nuncio assignari, et alias super hoc nobis misit. Quas quidem nostras et regias litteras de conductu pro nunciorum ipsorum et aliorum venientium ad nos pro hujusmodi negotio securitate, reputabamus sufficere, sicut adhuc etiam reputamus. Sane, fili carissime, licet in litteris per te ultimo nobis missis inter cetera contineri noscatur quod tu per alias tuas litteras nobis curaveras intimare, quod terminum, qui finiri debebatur in instanti tunc festo Nativitatis Domini, usque ad unum annum continuum prorogabas, et tuos solemnes nuncios cum potestate sufficienti, qui hic esse debebant sabbato in vigilia dominice Ramis Palmarum provideras destinandos, dum tamen dictus rex suos consimiliter mitteret et prorogationi termini consentiret, ac etiam attemptata contra tenorem dictarum treugarum pro parte sua debite revocaret, advertat excellentia regia quod in tuis prioribus litteris, de quibus facis in ultimis mentionem, nulla quo ad missionem nunciorum solemnium de revocatione attemptatorum conditio ponebatur, licet ad finem alium de revocatione hujusmodi mentio fieret in eisdem. Nec te volumus ignorare quod, tuis primis receptis litteris, eidem regi scripsimus super termini prorogatione, nunciorum suorum solemnium missione, ac attemptatorum revocatione et observatione treugarum, de quibus revocatione et observatione etiam sepius antea scripseramus; qui per suas litteras nobis respondit se prorogationi termini consentire, et quod ad diem prorogatam suos solemnes nuncios ad nostram presentiam destinaret ob nostri reverentiam et honorem, quodque treugas volebat inviolabiliter observare, et quod, si aliqua per partem suam attemptata fuerint, vel attemptarentur imposterum faceret efficaciter revocari. Super morte militum et scutiferorum, de qua in tuis litteris mentio habebatur, se multipliciter excusando, asserens inter cetera quod ipsi, rapinas et homicidia committendo, et excessus alios detestabiles contra ipsarum treugarum tenorem infra regnum Francie perpetrando, ac statum patrie sediciosis et temerariis ausibus perturbando, prodicionaliter et malitiose ipsas treugas, quantum in eis erat, temere violabant, et procurabant per alios violari, propter que non ad infractionem, sed potius ad observationem earum, ut alii metu penarum arcerentur a similibus committendis, cum magna deliberatione consilii, eos, ut asserebat, puniri fecit, justitia exigente. Addebat tamen in suis litteris quod per partem contra ipsas treugas multa indebite fuerant attemptata. Postquam vero ultimo tuas recepimus litteras et vidimus illa que tui nuncii proposuerunt coram nobis, et in scriptis tradiderunt, que asseruerunt per dictum regem seu gentes suas fuisse contra treugas indebite attemptata, ad dictum regem misimus festinanter, eum per nostras litteras sollicite requirentes ut illa que per ipsos tuos nuncios tradita sibi misimus, ad statum debitum reducere procuraret; et proculdubio ad hoc nostra intentio ferebatur et fertur quod, utriusque vestrum nunciis coram nobis presentibus, non solum de reformatione mutue concordie sed etiam attemptatorum per utramque partem contra dictas treugas et observatione earum hinc inde inviolabili tractaretur et ordinaretur taliter quod, erradicatis pestiferis hostis pacis seminibus, votivi et utiles succederent fructus pacis. Ceterum cum dilectum filium Guillelmum electum, Norwicensem, jam dudum super hiis etaliis ecclesiam ac te, fili, tangentibus, ad tuam presentiam duxerimus destinandum, speramus quod, ipso de nostra intentione informato

super premissis audito, per eum magis placibilia tua sublimitas nobis scribet. Demum celsitudinem tuam regiam rogamus, hortamur et in Domino obsecramus, quatenus, hiis que premisimus in scrutinio recte considerationis adductis, et diligenter attento quod Rex pacificus et excelsus tot mala et pericula quot guerre ac dissentiones predicte secum traherent si, quod absit, ulterius procederent, et bona innumera ex eadem mutua concordia provenientia impedirent, ei per quem stabit, quominus eadem subsequatur concordia merito poterit imputare, ipseque habebit ultionem indignationis divine merito formidare, tuos predictos nuncios sufficienti super predictis et ad subeundum et prosequendum tractatum rationabilem potestate suffultos, mittere tua magnificentia regia non postponat. Porro de intentione tua, utinam Deo et nobis placibili, super nunciorum missione ipsorum, et termino quod hic apud nos esse poterunt, ut regi memorato scribamus, quod idem faciat, nos celeriter, sicut presentis negotii qualitas exigit, regalis excellentia curet, quesumus, per suas litteras efficere certiores. Dat. Avinione, VIII kalend. aprilis, anno secundo. »

744 Avignon, 29 mars 1344.

Petrum regem Aragonum hortatur ut pacem cum Jacobo rege Majoricarum facere velit, treugasque usque ad instans festum Beati Michaelis Arcangeli duraturas, Armando archiepiscopo Aquensi, ad partes illas destinato, benigne intendendo. (Reg. 137, n° DCCCXXXVIII, fol. 225 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri.* Paternis desiderantes affectibus —. Dat. Avinione, IIII kal. aprilis, anno secundo. »

745 Avignon, 29 mars 1344.

Armandum archiepiscopum Aquensem rogat ut super negotiis quæ ei commissa fuerunt respondere velit (Reg. 137, n° DCCCXXXVIIII, fol. 226 r°.)

« *Eidem archiepiscopo.* Quamvis de tuis laboribus —. Dat. Avinione, IIII kalendas aprilis, anno secundo. »

746 Avignon, 30 mars 1344.

Officiali Claromontensi mandat ut Petrum Archambaldi sine mora ad Sedem apostolicam mittat, qui Robertum Lacassanha, monachum monasterii Casæ Dei, occiderat. (Reg. 137, n° DCCCXLII, fol. 226 v°.)

« *Dilecto filio... officiali Claromontensi.* Dudum relatus fidedigni assertione percepto, quod Petrus Archambaldi, filius Archambaldi Cordonis, clericus Claromontensis diocesis, qui de quodam homicidio olim, ut asseritur, perpetrato in personam quondam Roberti Lacassanha, monachi monasterii Casedei, ordinis Sancti Benedicti, dicte Claromontensis diocesis, asseritur fore culpabilis, tuis detinebatur carceribus mancipatus, tibi mandasse per litteras nostras meminimus, ut prefatum clericum ad Sedem Apostolicam absque cujusvis morose tarditatis obstaculo sub fida custodia, quia nos super eodem homicidio inquiri volebamus veritatem cum ipso mittere procurares. Et licet tu, hujusmodi receptis litteris, earum presentatori responderis, te prelibatum clericum ad eandem Sedem juxta predictarum litterarum, quas retinuisti penes te, continentiam, quamcitius posses comode transmissurum, sicut in instrumento publico inde confecto et coram nobis exhibito, plenius continetur, id tamen, quamquam non modici temporis spacium elapsum postmodum fuerit, complere, de quo miramur admodum, non curasti. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatenus, mox receptis presentibus, supradictum clericum ad Sedem prefatam mittere sub fida custodia non postponas. Pro certo sciturus quod, si te in hac parte negligentem reddideris, sicut hactenus, vel remissum, debita pena docente senties, quantum nobis displicibile redditur, cum mandata deducuntur apostolica in contemptum. Datum Avinione, III kalendas aprilis, anno secundo. »

747 Avignon, 31 mars 1344.

Infrascripto mandat ut ad regnum Siciliæ se conferat homagium ligium a Johanna regina Andreaque rege recipiat, antequam dicti reges a dicto regno recedant. (Reg. 137, n° DCCCXLIII, fol. 226 v°.)

« *Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato.* Verentes non immerito quod —. Dat. Avinione, II kalendas aprilis, anno secundo. »

748 Avignon, 31 mars 1344.

Monasterium sancti Medardi Suessionensis, O. S. B., cujus alienationes revocatæ fuerant, Philippo regi et Johannæ reginæ Franciæ commendat. (Reg. 137, n° DCCCXLIIII-XLV, fol. 227 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Exponente nobis dilecto filio Nicolao, abbate monasterii sancti Medardi Suessionensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quod per diversas alienationes et distractiones bonorum et jurium dicti monasterii hactenus, inconsulto Romano pontifice, attemptatas, dictum monasterium erat multipliciter deformatum : nos, qui ex debito suscepti regiminis pastoralis, lesis ecclesiis et monasteriis tenemur consulere, ne in suis bonis et juribus collabantur, alienationes et distractiones hujusmodi, ut predicitur, hactenus sic presumptas, auctoritate apostolica duximus revocandas. Cum autem eidem abbati super recuperandis bonis et juribus alienatis et distractis hujusmodi, favor regius noscatur existere multipliciter oportunus, nos eundem abbatem et suum predictum monasterium regie benivolentie propensius commendantes, eam attentius deprecamur, quatenus abbati predicto super premissis se velit pro divina et apostolice Sedis reverentia exhibere, quantum honestas suaserit, propiciam et benignam. Datum Avinione, II kalendas aprilis, anno secundo. »

In eundem modum *carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.*

749 Avignon, 2 avril 1344.

Philippo regi Franciæ notificat quomodo litteris Edwardi regis Angliæ rescripserit, optatque ut treugæ observentur, virique idonei ab utraque parte ad eas observandas deputentur. (Reg. 137, n° MLXXXI, fol. 261 v°.)

« *Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.* Ut ea que carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri super hiis que per litteras suas per duos ipsius milites presentatas, sicut pridem tibi, fili carissime, notificavimus, nobis scripsit, respondimus et rescripsimus, tua regalis excellentia non ignoret, ecce quod illa indicabit magnificentie regie seriosius tenor litterarum, quas inde sibi direximus, quem continet cedula presentibus interclusa. Sane, dilectissime fili, expediens esset admodum, quod super attemptatorum revocatione contra tenorem treugarum hinc inde adhiberetur celeriter remedium oportunum, et ad hoc via utilis videretur, quod aliqui viri ydonei ab utraque parte deputarentur, qui super revocatione hujusmodi et faciendis observari dictis treugis haberent plenariam potestatem, vel ab eisdem partibus consensus prestaretur expressus, quod nos premissa fieri faceremus, super quibus, propter bonum pacis, quod desiderabiliter appetimus, libenter interponeremus studiosis solicitudinibus partes nostras ; et credimus quod, si fieret hujusmodi revocatio, prefatus rex suos ad nos destinaret nuncios, et tractatibus pacis et concordie rationabilibus consentiret. Ceterum intelleximus quod dilectus filius Guillelmus, electus Norwicensis, quem dudum super facto tractatus dicte pacis et aliis quibusdam negotiis ad regem prefatum destinavimus, jam transito mari, ad nostram redire festinat presentiam, qui, si nobis aliqua grata circa predicta retulerit, de illis celsitudinem regiam efficere curabimus certiorem. Dat. Avinione, IIII nonas aprilis, anno secundo. »

750 Avignon, 5 avril 1344.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 137, n° MCLXXXXVIII, fol. 288 r°.)

« *Dilecto filio Petro Montirati, monacho monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis, capellano nostro.* Quia presentis vite. — Dat. Avinione, nonis aprilis, anno secundo. »

751 Avignon, 5 avril 1344.

Eidem Petro Montirati concedit indulgentiam in articulo mortis. (Reg. 137, n° MCCXIII.)

« *Item in eodem modo dilecto filio Petro Montirati, monacho monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis.* Dat. Avinione, nonis aprilis, anno secundo. »

752 Avignon, 6 avril 1344.

Infrascriptis Ludovicum de Lerasio militem commendat. (Reg. **137**, n° dcccxlvi-xlix, fol. 227.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.* Cum dilectus filius nobilis vir Ludovicus de Lerasio, miles, exhibitor presentium ad partes illas causa devotionis, sicut in nostra proposuit presentia constitutus accedat, nos ipsum regie benevolentie propensius commendamus. Dat. Avinione, viii idus aprilis, anno secundo. »

In eodem modo *Guidoni regi Harmenie illustri —, Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, mutato ubi dicitur regie benivolentie, dicatur, benivolentie tue —, Johanne Moderatrici Grecorum illustri.*

753 Avignon, 6 avril 1344.

Infrascripto Petrum de Sancto Fussiano, civem Ambianensem, commendat, ut dicto civi bona quæ habet in Anglia restituantur. (Reg. **137**, n° dccccl**x**, fol. **231** r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto de Sadigtonne, militi, cancellario carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris.* Exposuit nobis dilectus filius Petrus de Sancto Fussiano, civis Ambianensis, quod nonnulla bona et debita sua, que habet in regno Anglie, arrestata et impedita dudum nimis juste in ejus prejudicium extiterunt. Nostre igitur intentionis suffragio per eum super hiis humiliter implorato, nos, qui civem eundem certis considerationibus, favore benivolentie prosequimur specialis, nobilitatem tuam attente rogamus, quatenus super liberatione bonorum et debitorum hujusmodi, et ut ea, prout ad eum pertinebunt, legitime recuperare valeat et habere, ipsum, quantum cum honestate justicie fieri poterit, favorabiliter et benigne pro nostra et Apostolice Sedis reverentia prosequaris, ita quod ipse fructum uberem ex precibus hujusmodi se, prout juste fieri poterit, collegisse letetur, nosque devotionem tuam exinde merito possimus in Domino commendare. Datum Avinione, viii idus aprilis, anno secundo. »

754 Avignon, 6 avril 1344

Philippum regem Franciæ rogat ut usque ad dies senescalliæ Bellicadri futuri Parlamenti causam prorogari jubeat, quæ vertebatur in regali curia inter Mimatensem episcopum et aliquos nobiles dictæ diocœsis. (Reg. **137**, n° dccccl**xi**, fol. **231** r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum nos super quibusdam questionibus, que inter venerabilem fratrem nostrum Albertum, episcopum Mimatensem, ex parte una, et dilectos filios nobiles viros Garinum de Castronovo de Apcherio, Marquesium de Camilhaco et Odilonem Garini de Torvello ac Astorgium de Petra dominos, eisque adherentes, ex altera, vertuntur in regali curia, per viam tractatus amicabilis pacem reformari cupientes mutuam inter eos, ad hujusmodi tractatus processerimus et illos speremus ad effectum votivum, pacis actoris gratia suffragante, deduci, regiam excellentiam deprecamur, quatenus hujusmodi negotium in statu quo nunc est usque ad dies senescallie Bellicadri anni sequentis futuri regii parlamenti faciat favorabiliter regia benivolentia prorogari, cum id de partium ipsarum voluntate procedat. Datum Avinione, viii idus aprilis, anno secundo. »

755 Avignon, 6 avril 1344.

Simili modo præsidentibus in Parlamento Franciæ Parisiensi scribit. (Reg. **137**, n° dccccl**xii**, fol. **231** v°.)

« *Dilectis filiis... presidentibus in Parlamento carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris.* Cum nos super —. Dat. Avinione, viii idus aprilis, anno secundo. »

756 Avignon, 6 avril 1344.

Infrascriptis indulget ut possint licite matrimonium invicem contrahere, nonobstante quod quarto consan-

guinitatis gradu jungantur, quia Alienora, nata quondam Edwardi comitis Barrensis, uxor præmortua dicti Radulphi, in dicto gradu dictæ Mariæ de Blesis attinebat. (Reg. 137, n° dccccLxxxviii, fol. 241 r°; — Reg. 162, Diversarum formarum, n° d; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 2180, p. 788.)

« *Dilecto filio nobili viro Radupho duci Lothoringie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Blesis, ejus uxori.* Romanus pontifex collatis. — Datum Avinione, viii idus aprilis, anno secundo. »

757 Avignon, 7 avril 1344.

Prorogat ad duos menses terminum qui ad festum Penthecostes jam prorogatus fuerat, infra quem regina Siciliæ homagium juramentumque fidelitatis præstare debebat. (Reg. 137, n° dccccLxiii, fol. 231 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Dudum videlicet vii —. Dat. Avinione, vii idus aprilis, anno secundo. »

758 Avignon, 7 avril 1344.

Infrascripto abbati licentiam concedit personæ idoneæ committendi administrationem prioratus sancti Macuti Xanctonensis, O. S. B., vacantis quia Gaufridus prior dicti prioratus, ad monasterium sanctæ Mariæ de Pulsano, ejusdem ordinis, Sipontinæ diœcesis, promotus fuerat. (Reg. 137, n° dccccLxv, fol. 232 r°.)

« *Dilecto filio Raymundo abbati monasterii Sancti Johannis Angeliacensis, ordinis sancti Benedicti, Xanctonensis diocesis, familiari nostro.* Illa te claris —. Dat. Avinione, vii idus aprilis, anno secundo. »

759 Avignon, 7 avril 1344.

Philippum regem Franciæ certiorem facit de negotiis tangentibus tractatum pacis cum rege Angliæ. (Reg. 137, n° mLxxxii, fol. 252 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper, fili carissime, ut ad regiam deducerentur notitiam ea que carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri, super hiis que nobis per suas scripserat litteras, responderamus, seriem litterarum per nos missarum regi eidem litteris nostris tue celsitudini directis inclusam misimus, nichilominus in eisdem litteris subjungentes, quod admodum expediens existeret, ut super revocatione attemptatorum contra tenorem treugarum hinc inde adhiberetur remedium oportunum, et ad hoc via utilis videbatur, quod aliqui viri ydonei ab utraque parte deputarentur, qui super revocatione hujusmodi et faciendis observari dictis treugis potestatem haberent, seu ab ipsis partibus consensus prestaretur expressus, quod nos premissa fieri faceremus, cum nos propter ingens desiderium, quod ad bonum pacis habere dinoscimur, parati essemus interponere circa illa efficacibus studiis partes nostras, estimantes nichilominus probabiliter quod, si fieret hujusmodi revocatio, prefatus rex suos ad presentiam nostram destinaret nuncios, ac pacis et concordie tractatibus rationabilibus consentiret. Demum in litteris eisdem adjecimus nos intellexisse dilectum filium Guillelmum, electum Norwicensem, quem ad regem prefatum super facto tractatus predicti, et aliis destinaveramus negotiis ad nos in proximo reversurum, quodque, si nobis grata circa premissa referret aliqua, regiam excellentiam exinde certiorem efficere curaremus. Et ecce, fili dilectissime, quod prefatus electus jam ad nos rediit, multa grata et utilia nobis super hiis, pro quibus ipsum, ut premittitur, ad regem miseramus predictum, referens, et constanter nichilominus asserens, quod si per nos auctoritate nostra seu de partis utriusque consensu attemptata hinc inde contra formam treugarum predictarum revocentur omnino, et eadem auctoritate vel consensu ipsas treugas faciamus tenaciter observari, mittet super tractatu pacis ejusdem suos solemnes et ydoneos nuncios rex prefatus; quare super predictis curet nobis e vestigio, quesumus, sue voluntatis beneplacitum rescribere regia celsitudo. Dat. Avinione, vii idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo. »

760 Avignon, 8 avri 1344.

Infrascriptis concedit indulgentiam in mortis articulo. (Reg. 137, n° mccxiv-xv, fol. 289 v°.)

« *Dilecto filio Raymundo Gaucerandi, converso monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis, litterarum nostrarum bullatori.* »

« *Dilecto filio Bernardo Puiolis, converso monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis, litterarum nostrarum bullatori* —. Dat. Avinione, VI idus aprilis, anno secundo. »

761 Avignon, 8 avril 1344.

Eisdem concedit licentiam testandi. (Reg. 137, n^os MCLXXXIX et MCC, fol. 288 v°.)

« *Dilecto filio Raymundo* etc. *ut supra.* Dat. Avinione, VI idus aprilis, anno secundo. »

762 Avignon, 8 avril 1344.

Infrascriptum hortatur ut ea quæ nuncianda de partibus regni Siciliæ occurrerint rescribere velit. (Reg. 137, n^o DCCCCLXVI, fol. 233 r°.)

« *Dilecto filio Fortanerio Vassalli, ordinis fratrum Minorum generali ministro.* Grata nostris asserunt —. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno secundo. »

763 Avignon, 8 avril 1344.

Prorogat usque ad festum Omnium Sanctorum relaxationem interdicti, et suspensionem excommunicationis, quibus innodatus fuerat Odo, dux Burgundiæ, qui in villa de Auxona monetam cudi jusserat contra privilegia archiepiscopi Bisuntinensis. (Reg. 137, n^o DCCCCLXVII, fol. 233 r°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Dudum ad audientiam apostolatus nostri fidedigna relatione deducto, quod cum dilectus filius nobilis vir Oddo, dux Burgundie, in villa de Auxona, Bisuntinensis diocesis, monetam cudi faceret, prout ratione comitatus sui de Auxona id sibi competere asserebat, venerabili fratre nostro... archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Bisuntinensibus, asserentibus jus et facultatem faciendi fabricari et cudi monetam in civitate et diocesi Bisuntinensibus ad ipos solos et insolidum et ad nullum alium pertinere, prefatus archiepiscopus dictum ducem requisivit, ut a cussione et fabricatione monete predicte desisteret et desisti faceret, comminando eidem, ut pro parte dicti ducis asseritur, quod, nisi sic faceret, per sententias excommunicationis, suspensionis ac interdicti procederet contra ipsum, et monetarios suos dictam monetam in dicta villa de Auxona fabricantes, a qua comminatione pro parte dicti ducis asserentis sibi premissa licere, et monetariorum predictorum, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, quodque prefati archiepiscopus et capitulum, pretendentes ducem et monetarios predictos sufficienter auctoritate consilii seu statuti provincialis Bisuntinensis contra invasores, raptores, occupatores et detentores bonorum, rerum et jurium ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum civitatis et diocesis Bisuntinensis, ut dicebat, editi, monitos, ut ipse dux a fabricatione et cussione dicte monete infra certum competentem terminum desisteret et desisti faceret, monitioni hujusmodi parere contempisse ac propterea ipsos ducem et monetarios auctoritate statuti provincialis Bisuntinensis predicti, excommunicationis sententiam incurrisse, ac villam predictam fore suppositam ecclesiastico interdicto, ducem et monetarios prefatos excommunicatos, et villam prefatam interdicto ecclesiastico suppositam mandavit et fecit officialis Bisuntinensis executor dicti concilii et statuti publice nuntiari; propter que pro parte ducis et monetariorum predictorum fuit iterato ad Sedem appellatum eandem, quodque, premissis ad audientiam felicis recordationis Benedicti pape XII predecessoris nostri deductis, idem predecessor causas appellationum hujusmodi dilecto filio magistro Oliviero de Cerzeto, decano ecclesie sancti Ilarii Pictavensis, capellano dicte Sedis et auditori causarum palacii apostolici, audiendas commisit, et fine debito terminandas, cum potestate absolvendi ducem et monetarios a dicta excommunicationis sententia ad cautelam, si et prout de jure forent absolvendi; qui dictos ducem et monetarios absolvit ab ipsa sententia ad cautelam; a qua absolutione et dicti Oliverii pronuntiatione fuit pro parte ipsorum archiepiscopi et capituli ad Sedem appellatum predictam, et tandem, post nonnullos processus super injustitia seu iniquitate dicte absolutionis, coram diversis auditoribus dicti palacii successive in causis

hujusmodi deputatis habitos, et interlocutoriis sententiis per tres de prefatis auditoribus pro ipsis archiepiscopo et capitulo successive prolatis, a quarum tertia sententia pro parte dicti ducis et monetariorum non extitit appellatum, dicto predecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, nos, gratia divina favente, ad apicem summi apostolatus assumpti, prospicientes litem et discordiam hujusmodi eisdem archiepiscopo, capitulo et duci ac eorum subditis dispendiosas plurimum et dampnosas, et quod, nisi discordia ipsa per alium modum amicabilem sopiretur, celeriter, dispendia inducere poterat et scandala graviora, et propterea affectantes inter ipsos archiepiscopum, capitulum et ducem, pacem et concordiam reformari, super hiis interponere cepimus partes nostras, et demum pro bono pacis et concordie partium predictarum inter eas tractandarum, et ut ad pacem et concordiam hujusmodi plenarie reformandas, via facilior pateret et etiam pararetur, super hujusmodi negotio, ut sequitur, duximus ordinandum, videlicet quod usque ad octabas festi Resurrectionis dominice proxime preteriti, omnis judiciarius strepitus inter archiepiscopum, capitulum, ducem ac monetarios predictos, super premissis et eorum occasione penitus conquiesceret, ut interim, auctore Domino, utriusque partis amicis tractantibus et mediantibus, pax et concordia inter archiepiscopum, capitulum et ducem predictos, ac eorum sequaces reformarentur perpetuo durature. Et nichilominus, ut idem dux eo promptius et facilius juxta rationis et equitatis debitum ad hoc se prepararet et coaptaret, quo per nos majori favore et gratia se nosceret preveniri, omnes et singulas excommunicationum et interdicti sententias per archiepiscopum aut officiales suos dicti concilii seu statuti provincialis vel alia auctoritate, premissorum occasione, prolatas in ipsos ducem et monetarios, si dictus dux et monetarii sui eis vel earum aliqua sint ligati, archiepiscopo predicto et Petro de Arcu, clerico, procuratore dicti ducis ad hoc potestatem habente, presentibus et petentibus, ac presenti ordinationi nostre consentientibus, ac presente et non contradicente Johanne de Sancto-Albino, canonico ecclesie Bisuntinensis, auctoritate apostolica cum moderamine infrascripto relaxavimus, ac prefatum interdictum in eadem villa de Auxona, ut prefertur, appositum, si ipsa villa illi subjacebat, usque ad octabas predictos dumtaxat et non ultra, tenore litterarum nostrarum duximus suspendendum, et quod interim a denuntiatione excommunicationis et interdicti ducis et monetariorum predictorum per personas ecclesiasticas civitatis, diocesis et provincie Bisuntinensium cessaretur omnino, ac in villa ipsa officia resumerentur divina. Voluimus autem quod per ordinationem, relaxationem et suspensionem hujusmodi, vel per fabricationem et cussionem dicte monete, quam ipse dux faciebat seu, pendente hujusmodi dilatione, faceret, vel ejus monetarii pro eo, juri cujusvis partium predictarum, tam in petitorio quam in pocessorio, quam etiam processibus habitis super istis, posset in aliquo nullatenus derogari, seu jus aliquod vel pocessio ipsi duci acquireretur, nec ipse dux seu ejus monetarii per se vel alium appellare seu aliquid innovare valerent in prejudicium archiepiscopi et capituli predictorum, nec elapso dicto termino relaxationem hujusmodi pro absolutione habere, sed elapso dicto termino, si interim super hiis concordatum non esset amicabiliter inter partes, excommunicationis et interdicti sententie, ipsaque negocium et cause, ceteraque omnia circa ea facta et habita in eo statu eaque firmitate ac vigore permanerent et permanere deberent et mandari possent observari per eum vel eos, ad quem vel ad quos pertineret, in quibus ante tempus et tempore ordinationis relaxationis et suspensionis hujusmodi existebant, ipseque relaxatio et suspensio essent ipso facto irrite atque nulle, ac si facte minime extitissent, ipsique dux et monetarii extunc excommunicati publice denunciari possent ut prius, et ipsa villa interdicto, sicut antea, subjaceret, si et quatenus antea ligati erant et primitus subjacebant. Non obstante absolutione predicta dictis duci et monetariis impensa per Oliverium supradictum, et nichilominus ordinationem, relaxationem, suspentionem ac omnia alia et singula supradicta, in locis, de quibus esset expediens, mandavimus in illis partibus sollemniter publicari, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius et seriosius continetur. Cum autem, sicut ad apostolatus nostri relatio fidedigna perduxit auditum, propter nonulla impedimenta legitima que medio tempore occurrerunt, hujusmodi pax et con-

cordia inter ipsos archiepiscopum, capitulum et ducem nondum, sicut sperabamus, potuerit reformari et dicti termini finis instare noscatur, nos volentes periculis et aliis malis, que ex premissis lite ac discordia partibus provenirent eisdem, si remaneret ipsa concordia imperfecta, salubriter obviare, ac ad amicabilem concordiam hujusmodi interponere partes nostras, ordinationem, relaxationem, suspensionem ac omnia alia et singula supradicta in ipsis litteris nostris contenta, eisdem modo, forma, conditionibus et ordine, quibus per nos, ut premittitur, ordinata fuerunt, et usque ad octabas predictas, prout continetur in litteris memoratis, usque ad festum omnium Sanctorum, proximo venturum, propter utriusque partis bonum et comodum auctoritate apostolica ex nostro officio prorogamus, non obstantibus omnibus supradictis; volentes prorogationem nostram hujusmodi per prelatos et alias personas ecclesiasticas illarum partium, qui super hoc a dictis partibus vel earum aliqua fuerint requisiti, solemniter publicari, et quod ipsi archiepiscopus, capitulum et dux, infra festum dedicationis beati Michaelis Archangeli proximo futurum, procuratores eorum legitimos, ad tractandum, acceptandum et perficiendum, auctore Domino, concordiam amicabilem hujusmodi, super qua laborare affectu paterno intendimus, sic cum pleno sufficienti et opportuno ad premissa mandato ad presentiam nostram mittant, quod pretextu mandati insufficientis, vel alias indebiti, tractatus et effectus hujusmodi concordie retardari nequeat seu etiam impediri, quinimmo ad Dei laudem et gloriam et partis utriusque tranquillitatem et pacem votivum et optatum sortiantur effectum. Decernentes irritum et inane quicquid contra ordinationem, relaxationem et suspensionem predictas attemptatum forsan est hactenus vel contra eas et prorogationem hujusmodi contigerit in posterum attemptari. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno secundo. »

764 Avignon, 9 avril 1344.

Omnes infrascriptos rogat ut securum conductum præbeant Alexandro de Bardis de Florentia, qui de Romana curia, ubi moram traxerat, ad partes Tusciæ proficiscebatur. (Reg. 137, n° DCCCCLXVIII, fol. 234 v°.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, etc.* Cum dilectus filius —. Dat. Avinione, V idus aprilis, anno secundo. »

765 Avignon, 10 avril 1344.

Personatum de Ghelle, Cameracensis diœcesis, vacantem per obitum Aldebrandini de Basquio, infrascripto confert, cujus collationem per litteras datas IIII^or nonas mensis augusti præteriti papa sibi reservaverat. (Reg. 137, n° DCCCCLXIX, fol. 235 r°.)

« *Dilecto filio Firmino de Coquerello, persone personatus de Ghelle, Cameracensis diocesis.* Sedis Apostolice copiosa —. Dat. Avinione, IIII idus aprilis, anno secundo. »

766 Avignon, 10 avril 1344.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut dictum Firminum in possessionem prædicti personatus inducant. (Reg. 138, n° DCCCCLXX, fol. 235 v°.)

« *Judicibus, dilectis filiis... Ambianensis et... Cameracensis decanis, ac Petro Lelorat, canonico Senonensis, ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos —. Dat. Avinione, IIII idus aprilis, anno secundo. »

767 Avignon, 11 avril 1344.

Jam papa scripserat necesse esse ut infrascriptus festinaret accessum ad partes regni Siciliæ. Percepit postmodum quod cum gentibus reginæ prædictæ tractatus aliquos præjudiciales ecclesiæ Romanæ habuisset, quibus papa et cardinales minime credere possent. Hortatur eum ut bene gubernet administrationem dicti regni. (Reg. 137, n° DCCCCLXXI, fol. 235 v°.)

« *Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato.* Nuper tibi scripsisse —. Datum Avinione, III idus aprilis, anno secundo. »

768 Avignon, 11 avril 1344.

Infrascripto indulget ut, non obstante defectu natalium, quem patitur, possit ad omnes minores et sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere. (Reg. 137, n° DCCCCLXXXIX, fol. 241 v°.)

« *Dilecto filio Johanni de Ascheriis, scolari Parisiensi.* Etsi geniti ex —. Dat. Avinione, III idus aprilis, anno secundo. »

769 Avignon, 12 avril 1344.

Thesaurario Comitatus Venaissini potestatem concedit quasdam laudationes et investitiones clavariis vigeriarum committendi. (Reg. 137, n° DCCCCLXXII, fol. 236 r°.)

« *Dilecto filio Petro de Artisio, canonico Aniciensi, comitatus Venaissini, nostro et ecclesie Romane thesaurario.* Dudum tibi et dilecto filio Guillelmo Alasardi, juris civilis professori, curiam generalem comitatus Venaissini, nobis et ecclesie Romane immediate subjecti, regenti, concessisse per nostras certi tenoris litteras meminimus facultatem, ut illis qui possessiones et bona, que in comitatu predicto a nobis et ecclesia memorata tenentur, cum ea titulo venditionis vel alias licite in alium transferri contingeret, laudare ac emptores investire de illis, prout est moris, salvo jure nostro et ejusdem ecclesie valeretis, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane quia, sicut habet multorum habitatorum et incolarum predicti comitatus assertio, valde sumptuosum et laboriosum eis qui a civitate Carpentoratensi, ubi tu et regens predictus residere noscimini, sunt remoti, redditur pro singulis venditionibus et emptionibus bonorum et possessionum hujusmodi, vos adire, nos volentes ipsorum parcere laboribus et expensis, ut tu clavariis vigeriarum et locorum dicti comitatus per te deputatis vel etiam deputandis, de quibus tibi videbitur, laudationem et investitionem hujusmodi de bonis et possessionibus predictis venditis et vendendis, quorum precium quinquaginta florenorum auri summam non excedet, committere valeas, jure nostro et ecclesie memorate in omnibus semper salvo, plenam discretioni tue usque ad nostrum beneplacitum concedimus tenore presentium potestatem, per hoc tamen contentis in litteris nostris predictis tibi et prefato regenti super premissis directis, quominus eisdem juxta tenorem earum uti, quando et quibus, ac quotiens expedire cognoveritis, valeatis, non intendimus in aliquo derogare. Datum Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

770 Avignon, 12 avril 1344.

Cum Maria, puella, nata Renaudi de Dompnomartino, Meldensis diœcesis, cupiat cum abbatissa et conventu monasterii de Regula Lemovicensis, O. S. B., in eodem monasterio sub regulari habitu Domino famulari, infrascriptis mandat ut præfatam abbatissam moneant ut puellam antedictam educandam et caritative instruendam in dicto monasterio admittant, quousque ad ætatem legitimam pervenerit. (Reg. 137, n° DCCCCLXXIII, fol. 236 v°.)

« *Dilectis filiis... abbati monasterii sancti Johannis Angeliacensis, Xanctonensis diocesis et... decano ac Guilelmo de Roffilhaco, canonico ecclesie Lemovicensis.* Prudentum virginum, que —. Dat. Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

771 Avignon, 12 avril 1344.

Philippum regem Franciæ rogat ut pœnam remittat, quam Guillelmus Catalani, nepos Benedicti XII, uxorque ejus incurrerant. (Reg. 137, n° DCCCCLXXIIII, fol. 237 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Super eo quod dilectus filius nobilis vir Guillelmus Catalani, miles, nepos felicis recordationis Benedicti pape XII, predecessoris nostri, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Brunessendis de Tureyo, uxor dilecti filii nobilis viri Jacobi de Vicinis, sociusque militis supradicti, de Tholosana et Carcassonensi senescalliis, dudum in curia regia de quodam homicidio in personam quondam Guillelmi Servini, ut asseritur, perpetrato, necnon et super fabricatione false monete ac fusione et conflatione tam regiarum quam aliarum monetarum in loco de Alboduno, senescallie Carcassonensis predicte, vel alibi, delati, processusque dudum facti per gentes regias fuisse dicuntur contra eos, quamquam ipsi de predictis eis impositis esse ac fuisse se asserant penitus innocentes, nos consideratione predecessoris predicti, multorumque precibus annuentes, dudum dilecto filio nobili viro Johanni primogenito tuo, duci Normannie, cum esset in Romana curia, fecisse de hiis meminimus mentionem, ipseque ad nostrarum precum instantiam, velut locumtenens regius, premissa gratiose remisit. Sane

quia, sicut relatum est nobis, effectum non habuit remissio supradicta, excellentiam regiam deprecamur attente, quatenus prefatis militi et Brunessendi, non pro justitia, sed pro gratia supplicantibus in hac parte, dexteram regie liberalitatis extendens, super remissione cujuscumque pene civilis vel criminalis, quam propter predicta vel eorum aliqua incurrissent, ac revocatione dictorum processuum et illorum, que secuta sunt inde, restitutioneque ipsorum militis et Brunessendis ad statum, famam et bona, sicut benignitati regie super hiis supplicabunt, sic se velit, divine pietatis intuitu, et nostrorum precaminum interventu, exhibere regalis sublimitas propitiam et clementem, quod a Deo, retributore bonorum omnium, exinde perhennis mercedis premium consequatur, ipsique fructum uberem ex nostris precibus hujusmodi se collegisse letentur. Hec quidem, fili carissime, ad majoris benignitatis liberalitatis munificentiam ascribi regie celsitudini poterunt, quam si predecessor ageret in humanis predictus. Datum Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

772 Avignon, 12 avril 1344.

Johannam reginam Franciæ de aliquibus negotiis certiorem facit. (Reg. 137, n° DCCCCLXXV, fol. 237 r°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie et Navarre illustri.* Ecce, filia carissima, petitiones pro parte tua nobis oblatas, favorabiliter et liberaliter duximus ad exauditionis gratiam admittendas, de tue et dilecte in Christo filie... nate tue statu, quem audivimus prosperum, leti admodum et jocundi. Ceterum, quia tui et nate predicte honoris et utilitatis augmentum paterna et sincera caritate zelamus, et nescimus de negocio Anglie, quomodo vel quando poterit terminari per nosmet, absque (absque) instigatione vel prolocutione alicujus cogitavimus, quod, cum dicta nata tua jam etate ac virtuosis moribus sit adulta, et esset tempus quod honorabili, secundum statum suum, conjugio traderetur, occurrit considerationi nostre super hoc dilectus filius nobilis vir Robertus, princeps Tarentinus, qui de regalium Francie ac Sicilie domorum procedens prosapia, sicut nosti, tam elegantia et strenuitate persone, quam diviciis, alios de domo predicta Sicilie, sicut fertur, post domum ipsam precellit; quare, si tractatus inchoandus exinde prudentie tue regie placidus et expediens videatur, nos libenter, quantum cum honestate fieri poterit, curabimus interponere partes nostras. Datum Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

773 Avignon, 12 avril 1344.

Petro regi Aragonum commendat episcopum et civitatem Elnensem, quæ in treuga et pace debet esse, nonobstante bello quod ortum est inter eum et Jacobum regem Majoricarum. (Reg. 137, n° DCCCCLXXVI, fol. 237 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri.* Nuper venerabilis frater noster Petrus, episcopus Elnensis, nobis exponere procuravit quod, quamvis, secundum usus Cathalonie, sua ecclesia Elnensis cum civitate, castris, villis et hominibus suis sit et esse debeat in treuga et pace, ita quod a nullo, etiam guerris inter principes ingruentibus, debet, nisi se constitueret in guerra, offendi, tamen carissimus in Christo filius noster Jacobus rex Majoricarum illustris, qui contra civitatem predictam, jamdiu est, quibusdam occasionibus, rancores dicitur concepisse, in civitate ipsa, in qua non ad ipsum regem, sed ad eandem ecclesiam solam et insolidum omnimoda temporalis jurisdictio cum mero et mixto imperio noscitur pertinere, capitaneum pro ejusdem civitatis custodia de facto constituens, ab hominibus ipsius civitatis, ad hoc per vim et metum coactis, juramentum fidelitatis et homagium, osculo mediante, recepit, in quo quidem juramento poni fecit expresse, quod ipsi homines civitatem et locum Elnenses defendent contra te, fili carissime, teque aut tuos non recipient, nec tibi aut tuis adversus regem Majoricarum predictum prestabunt auxilium vel vivamen. Cum autem premissa per violentiam, ac contradicentibus et renitentibus eodem episcopo, ac dilectis filiis capitulo ecclesie predicte, ipsorumque officialibus ab hominibus supradictis extorta, et in ipsorum episcopi, capituli et ecclesie manifestum prejudicium redundantia, te, fili dilectissime, nequaquam movere debeant contra ipsos, excellentiam rogamus

regiam et attentius in Domino exhortamur, quatenus predicta et eorum circumstantias intra regii pectoris claustra pia consideratione discutiens et attendens, eorum occasione violenter et prejudicialiter, sicut intelleximus, extortorum, civitatem predictam, aut alias terras episcopi, capituli et ecclesie predictorum, circumspectio regalis non estimet constitutas in guerra, sed eas habens potius pro divina et nostra Sedisque Apostolice reverentia favore regio commendatas, gentes regias armigeras ab eorum invasionibus et offensionibus jubeat et faciat effectualiter prohiberi. Datum Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

771 Avignon, 12 avril 1344.

Infrascripto mandat ut informationem fieri jubeat super quadam permutatione inter Hospitale S. Johannis Jerosolimitani et monasterium Casæ Dei. (Reg. 137, n° DCCCCLXXVII, fol. 237 v°.)

« *Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Quamquam ubique cultum augeri cupiamus divinum, in votis tamen ferventi devotione gerimus quod in ecclesia patriarchali beate Marie de Roseriis, Lemovicensis diocesis, in qua sacri baptismatis fuimus unda renati, ad divini nominis gloriam et beate Marie semper Virginis ac omnium Sanctorum ejusdem cultus augmentum perpetuum ordinari et fieri nostris temporibus, auxiliante nobis Divina gratia, procuremus. Sane quia nostris occurrit considerationibus quod prioratum monachorum minorum, ordinis sancti Benedicti, quem olim, dum nos haberet status infirmior, professi fuimus, de certo monachorum ejusdem ordinis numero, ibidem Deo perpetuis futuris temporibus famulantium, sub monasterio Casedei, ordinis predicti, Claromontensis diocesis, creemus, et faciamus in ecclesia supradicta et alias, sicut relatibus percepimus fidedignis, extiterit prolocutum, quod de prioratu Montispilosi, ad dictum monasterium Casedei pertinente, infra fines prioratus domus de Barleto, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, cujus magister existis, consistente, cum domibus preceptoriarum de Codertis, de Podionucis et de Belafas partium Lemovicensium, aut de illa vel illis earundem que cum valore dicti prioratus Montispilosi compensari valerent rationabiliter inter te dictumque Hospitale, ac dilectos filios... abbatem et conventum ejusdem monasterii permutatio fieret, utrique parti utilis et honesta. Nos attendentes quod exinde, si permutatio hujusmodi ad effectum deduceretur debitum, cum aliis que suppleremus de nostro, posset decenter et honeste in hac parte satisfieri votis nostris : sinceritatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur, quatenus de valore dicti prioratus Montispilosi faciendo recipi per aliquam personam ydoneam informationem fidelem, eamque dilecto filio... priori domus Alvernie Hospitalis predicti, sub quo domus preceptoriarum predictarum consistunt fideliter, destinari, eidem priori faciendi ad utilitatem Hospitalis ejusdem, ita quod in omnibus non solum servetur indempne, sed utilitatem etiam consequatur exinde, cures plenam per oportunas litteras concedere potestatem. Datum Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

772 Avignon, 12 avril 1344.

Philippo regi Franciæ super negotio dissensionis cum rege Angliæ tractatusque ineundi iterum scribit. (Reg. 137, n° MLXXXIII, fol. 262 r°.)

« *Eidem regi [Philippo regi Franciæ].* Pridem volentes ea, que carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri responderamus per nostras litteras super hiis que nobis scripserat, regiam celsitudinem non latere, tenorem litterarum ipsarum in litteris per nos celsitudini regie inde directis transmisimus interclusam, adicientes nichilominus quod si dilectus filius Guillermus, electus Norwicensis, quem tunc de partibus Anglie, ad quas ipsum miseramus, venturum prestolabamur de proximo, grata nobis referret aliqua, eidem nunciare celsitudini curaremus. Deinde vero, veniente dicto electo ad nostram presentiam, serenitati tue regie super hiis, que nobis retulit per alias litteras scripsimus, post salutationis eloquium in hec verba. Nuper, fili carissime, etc. usque in finem etiam cum Data. — Ignorantes igitur an ad te, fili carissime, pervenerint littere supradicte, illas cum interclusa cedula tenorem dicte littere misse prefato

regi Anglie continente providimus iterandas. Et licet in eisdem litteris ultimis, ut premittitur, serenitati eidem missis, inter cetera contineantur hec verba, quod si per nos auctoritate nostra seu de partis utriusque consensu attemptata hinc inde contra formam treugarum predictarum revocentur omnino, et eadem auctoritate vel consensu ipsas treugas faciamus tenaciter observari, mittet super tractatu pacis ejusdem suos solemnes nuncios rex prefatus, tamen dictus electus Norwicensis postmodum nobis plenius colloquendo, se firmiter credere asseruit quod si nos auctoritate nostra revocemus hinc inde predicta, et observari treugas ipsas faciamus, vel super hiis faciendis consensum et concessionem a te super hoc, cum etiam prefatum regem Anglie idem facturum asserat, habeamus, etiam ante revocationem hujusmodi rex idem suos predictos nuncios destinabit. Quamobrem regia providentia deliberet et ordinet nobisque rescribat celeriter, quesumus, quod circa hec viderit expedire. Dat. Avinione, II idus aprilis, anno secundo. »

776 Avignon, 13 avril 1344.

Audivit quod potestas civitatis Astensis et aliqui stipendiarii treugas per Guillelmum tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum cardinalem indictas violantes, castrum de Podio Varini, Taurinensis diœcesis, invaserunt et tenent obsessum, et insuper castrum Tegerani et locum Maxii de dominio Jacobi de Sabaudia occuparunt, cum dictum castrum de Podio Varini et alia loca sint de retrofeudo Amedei, comitis Sabaudie, pupilli, et rogat infrascriptos ut vota papæ exaudiant. (Reg. 137, n° DCCCCLXXVIII, fol. 238 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus, de Mediolano, civitatis, comitatus et districtus Mediolanensis nostris et ecclesie Romane vicariis.* Pridem ad nos —. Dat. Avinione, idibus aprilis, anno secundo. »

777 Avignon, 13 avril 1344.

Infrascriptis mandat ut ab obsidione ac invasione prædictis penitus desistant, easdem treugas inviolabiliter observando. (Reg. 137, n° DCCCCLXXIX, fol. 238 v°.)

« *Dilectis filiis... potestati et communi civitatis Astensis.* Nuper intelleximus displicenter —. Dat. Avinione, idibus aprilis, anno secundo. »

778 Avignon, 14 avril 1344.

Infrascripto indulget ut canonicatum et præbendam et præposituram ecclesiæ Sancti Stephani, Narbonensis diœcesis, obtinere valeat, nonobstante defectu natalium quem patitur, quippe quod de presbytero et conjuncta sit genitus. (Reg. 137, n° DCCCCLXXXXI, fol. 242 r°; — Reg. 137, n° MCCXVII, fol. 289 v°.)

« *Dilecto filio Bernardo de Rupefixa, canonico Albiensi, legum professori.* Probitatis decor, vite —. Dat. Avinione, XVIII kalendas maii, anno secundo. »

779 Avignon, 15 avril 1344.

Cum prioratus de Colomeriis O. S. B., Meldensis diœcesis, monasterio Sanctæ Fidis Conchensis, dicti ordinis, Ruthenensis diocesis, immediate subjectus, et per ipsius monasterii monachos solitus gubernari, quem quondam Alziatius de Severiaco prior prioratus ac monachus monasteriorum prædictorum obtinebat, vacet, et per reservationem ad Sedis apostolicæ collationem pertineat, infrascripto dictum prioratum confert. Decernit ut, postquam ejusdem prioratus possessionem assecutus fuerit, de monasterio Latiniacensi, dicti ordinis, Parisiensis diocesis, cujus existit monachus, ad dictum monasterium Sanctæ Fidis transferri possit. Edicit autem ut, postquam dicti prioratus de Colomeriis possessionem assecutus fuerit, prioratum Sancti Theobaldi in Vineis, dicti ordinis, Parisiensis diœcesis, eidem monasterio de Latiniaco immediate subjectum, quem obtinet, dimittere teneatur. (Reg. 137, n° MLXXXXI, fol. 268 r°.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Ruthena, priori prioratus de Colomeriis in Bria, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis.* Religionis zelus, morum —. Dat. Avinione, XVII kalendas maii, anno secundo. »

780 Avignon, 15 avril 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut securum salvumque conductum assignare curent Johanni de Reppes, ordinis Beatæ Mariæ de Montecarmelo, capellano

pontificali, qui ad partes Angliæ de Romana curia revertebatur, ubi pro certis negotiis aliquamdiu manserat. (Reg. 137, n° mclxxviii, fol. 285 r°.)

« *Venerabilibus fratribus universis patriarchis, etc.* Cum dilectus filius —. Dat. Avinione, xvii kalendas maii, anno secundo. »

781 Avignon, 15 avril 1344.

Henrico comiti Derbeye nunciat a se Johanni de Reppes, ordinis Beatæ Mariæ de Montecarmelo, qui ad partes Angliæ revertitur nonnulla commissa fuisse, et eum rogat ut dicto nuncio fidem credulam adhibere velit. (Reg. 137, n° dccccclxxxxii, fol. 244 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye.* Nobilitatis tue litteras per dilectum filium Johannem de Reppes, ordinis beate Marie de Montecarmelo, capellanum nostrum, nuper nostro apostolatui presentatis, benignitate consueta recepimus, quarum seriem diligenter intelleximus, et audivimus favorabiliter que dictus capellanus nobis pro parte tua exponere procuravit. Sane, fili, multum in nostris anxiamur precordiis, cum tibi, quem specialis dilectionis favore prosequimur, super tuis petitionibus annuere, cum honestate nostra et decentia non valemus, et utinam tales petitiones nobis exhiberentur pro parte tua, super quibus tibi complacere in Domino et votis tuis condescendere valeremus, quia procul nos propicios et favorabiles reperires super eis. De intentione autem nostra, et hiis que dicto capellano respondimus, ipse nobilitatis ejusdem prudentiam effici[1] vive vocis oraculo poterit certiorem. Datum Avinione, xvii kalendas maii, anno secundo. »

[1] Ms. : *efficeri*.

782 Avignon, 15 avril 1344.

Litteris per Johannem de Reppes præsentatis respondet et se petitiones exaudivisse nunciat, sicut dictus Johannes infrascriptis viva voce referet. (Reg. 137, n° dccccclxxxxiii-xxxxiiii, fol. 244 v°.)

« *Carissime in Christo filie Isabelli regine Anglie illustri.* Serenitatis tue regie —. Datum Avinione, xvii kalendas maii, anno secundo. »

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Sancto Paulo, comitisse Pembruk[ie].* Litteras nobilitatis tue —. Dat. ut supra. »

783 Avignon, 15 avril 1344.

Infrascriptæ de pretioso annulo aureo, recenter misso, mirificas gratias agit, petitionesque ejus exaudivit. (Reg. 137, n° dccccclxxxxv, fol. 243 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blanche, domine Wake.* Veniens nuper ad presentiam nostram dilectus filius Johannes de Reppes, ordinis beate Marie de Montecarmelo, capellanus noster, nobis tue nobilitatis litteras et unum anulum aureum, cum lapide precioso, nobis pro parte tua presentare curavit. Nos autem litteris et anulo predictis sincera devotione mittentis benigne recepimus, de hujusmodi exennio tibi, filia, gratias referentes. Tandem autem contentis in eisdem litteris, et hiis que dictus capellanus nobis pro parte tua curavit exponere, plenius intellectis, petitiones tuas favorabiliter, quantum cum Deo fieri potuit, exaudimus, et eidem capellano super expositis per ipsum respondimus, sicut ipse nobilitati predicte seriosius vive vocis oraculo poterit explicare. Datum Avinione, xvii kalendas maii, anno secundo. »

784 Avignon, 16 avril 1344.

Philippo regi Franciæ Firminum de Coquerel commendat, cui certa explicanda imposuerat. (Reg. 137, n° dccccclxxxxviii-miii, fol. 243 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum dilecto filio magistro Firmino de Cocarello, canonico Ambianensi, clerico et consiliario regio, certa explicanda pro parte nostra celsitudini regie duxerimus imponenda, eum super eis plenius informatum audiat regalis circumspectio, quesumus, et fidem adhibeat credulam in hac parte. Dat. Avinione, xvi kalendas maii, anno secundo. »

In eodem modo, *Johanne regine Francie*,
Johanni duci Normannie,
Guillelmo Flote, domino de Revello, ejusdem regis cancellario,
Miloni de Noeriis, consiliario regio,
Johanni episcopo Belvacensi.

785 Avignon, 18 avril 1344.

Infrascripto mandat ut colligat et recipiat certos census annuos qui ab illis commorantibus in baronia et villa de Scuria, Albiensis diœcesis, debentur. (Reg. 137, n° mvi, fol. 244 r°.)

« *Dilecto filio Ademaro Laobraria, canonico Tornacensi.* Cum certi census annui, qui *capitalia* vulgariter nuncupantur, per personas singulares commorantes in villa et baronia de Scuria, Albiensis diocesis, de feudo Ecclesie Romane existentibus, ab antiquis temporibus debeantur, nos nostris et ejusdem ecclesie volentes indempnitatibus super hiis, ut ex debito pastoralis tenemur officii, providere, discretioni tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus census hujusmodi a personis predictis pro toto tempore, quo ab illorum solutione cessarunt, super quo simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit, te informes, petere, exigere ac recipere nomine nostro et ecclesie memorate procures. Contradictores, etc. usque compescendo. Non obstante, etc. usque postponas. Datum Avinione, xiii kalendas maii, anno secundo. »

786 Avignon, 18 avril 1344.

Eidem Ademaro Laobraria, canonico Tornacensi, mandat ut colligat certos census qui a nonnullis personis Caturcensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, Albiensis et Castrensis diœcesium Ecclesiæ Romanæ debentur. (Reg. 137, n° mvii, fol. 244 v°.)

« *Eidem.* Cum, sicut intelleximus, per nonnullas tam ecclesiasticas quam seculares personas, Caturcensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, Albiensis et Castrensis civitatum et diocesium, nobis et ecclesie Romane certus census annuus debeatur, nos volentes nostris et ejusdem ecclesie indempnitatibus super hiis precavere, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ab omnibus et singulis, qui ad solvendum hujusmodi censum tenentur, pro toto tempore quo ab illius solutione cessarunt, super quo simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit, te informes, et eciam in posterum usque ad voluntatis nostre beneplacitum petere, exigere et cœtera usque supra, in alia, usque in finem. Dat. ut supra. »

787 Avignon, 18 avril 1344.

Eidem Ademaro potestatem concedit convertendi in pecuniam certa bona immobilia in eisdem diœcesibus consistentia. (Reg. 137, n° mviii, fol. 244 v°.)

« *Dilecto filio Ademaro Laobraria, canonico Tornacensi.* Cum certa bona immobilia in Caturcensi, Ruthenensi, Albiensi, Tutellensi, Castrensi et Vabrensi civitatibus et diocesibus consistentia, ratione quorumdam debitorum ad cameram apostolicam spectantium, fuit, jamdiu est, eidem camere, sicut intelleximus applicata, nos volentes ipsius camere utilitatibus super hiis provideri, discretioni tue, ut bona ipsa, quecumque fuerint, per venditiones et distractiones rationabiliter et fideliter, dolo et fraude quibuscumque cessantibus, faciendas de illis, si, quando, et prout utilius et melius videris expedire, convertere in pecuniam per te postmodum prefate camere fideliter et integraliter assignandam valeas, plenam concedimus tenore presentium facultatem, sic tamen quod de bonis eisdem, que vendenda vel distrahenda duxeris, et singulis eorundem, et preciis, quibus vendita fuerint, aliisque circumstanciis premissa tangentibus, cameram ipsam clare, particulariter et distincte procures efficere per scripturam publicam, quam inde fieri volumus, certiorem. Contradictores, etc. Datum Avinione, xiii kalendas maii, anno secundo. »

788 Avignon, 19 avril 1344.

Collectori Angliæ mandat ut ad Cameram apostolicam mittat bona Bernardi de Sistre, quondam archidiaconi Cantuariensis, in partibus regni Angliæ nuncii, donec de administratione rationem exsecutores reddiderint. (Reg. 137, n° mix, fol. 244 v°.)

« *Dilecto filio Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie Apostolice Sedis nuncio.* — Dat. Avinione, xiii kalendas maii, anno secundo. »

789 Avignon, 20 avril 1344.

Philippum regem Franciæ hortatur ut ratificet quasdam conventiones factas inter Humbertum Dalphinum Viennensem et Beatricem de Vienna, dominam de Arlaco. (Reg. 137, n° mx, fol. 245 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Ut tractatus inter te, fili carissime, gentesque regias, et dilectum filium nobilem virum Humbertum Dalphinum Viennensem, super facto Dalfinatus habitus, felicem et votivum possit sortiri effectum, certe conventiones inter ipsum Dalphinum et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Beatricem de Vienna, dominam de Arlaco, ad finem quod ipsa et dilectus filius nobilis vir Johannes de Cabilone, natus suus, quicquid juris et actionis eis vel suis in eodem Dalphinatu vel parte ipsius posset competere, cedant penitus et remittant, Dalfino predicto facte fuisse dicuntur, inter cetera, sicut asseritur, continentes, quod eidem Beatrici duo milia librarum Turonensium parvorum rendualium, ad vitam ejus dumtaxat, a regia magnificentia concedantur, et in casu quo Dalfinatus ad unum ex liberis regiis plene pervenerit, dicta duo milia librarum rendualium eidem Beatrici ac suis heredibus et successoribus jure hereditario debeant remanere; nobis igitur humiliter supplicato, ut super celsitudini regie scribere curaremus, eandem celsitudinem deprecamur quatenus, si, eisdem conventionibus a regali providentia diligentius intellectis, sibi expedientes et utiles videantur, circa perfectionem earum, prefatam nobilem prosequendo favorabiliter, se velit mansuetudo regia exhibere propiciam et benignam. — Datum Avinione, xii kalendas maii, anno secundo. »

790 Avignon, 20 avril 1344.

Johannem episcopum Belvacensem, Guillelmum Flote cancellarium regium, et Milonem de Noeriis, consiliarium regium, rogat ut super dicto negotio sedule laborent (Reg. 137, n° mxi-mxiii, fol. 244 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi.* Ut tractatus inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem gentesque suas et dilectum filium nobilem virum Humbertum et cætera, usque remanere, verbis competenter mutatis. Cum autem eidem regi scribamus ut, si, eisdem conventionibus diligentius intellectis, eidem expedientes et utiles videantur, circa perfectionem earum, habendo dictam nobilem commendatam, favorabiliter, se velit benignum et propicium exhibere, fraternitatem tuam attente rogamus quatinus super hiis sicut cum honestate fieri poterit, velis sedule interponere partes tuas. Dat. ut supra. »

Item in eodem modum *dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario, Miloni, domino de Noeriis, consiliario regio.* Dat. Avinione, xii Kalendas maii, anno secundo.

791 Avignon, 20 avril 1344.

Infrascripto mandat ut, si Petrus archiepiscopus Turonensis, qui gravi et periculosa corporis infirmitate gravatur, decesserit, bona ejus conservet et colligat, ne distrahantur aut indebite asportentur. (Reg. 137, n° mxvi, fol. 246 v°.)

« *Dilecto filio Raymundo de Caunis, cantori ecclesie beati Martini Turonensis.* Cum sicut relatibus. Datum Avinione, xii kalendas maii, anno secundo. »

792 Avignon, 21 avril 1344.

Confirmat quamdam permutationem quam infrascripti tempore Benedicti XII invicem fecerant. (Reg. 137, n° mxiiii-mxv, fol. 245 v°.)

« *Dilecto filio magistro Raymundo de Valle, canonico ecclesie Lodovensis, notario nostro, salutem, etc.* Dum tuarum multiplicium —. Sane oblate nobis tue petitionis series continebat quod tu, olim tempore felicis recordationis Benedicti pape XII, predecessoris nostri, capellanus commensalis dicte Sedis existens, Sancti Ilarii Pictavensis, et dilectus filius Guillelmus Chautardi, Lodovensis ecclesiarum, canonicatus et prebendas, quos tunc obtinebatis, intendentes illos ex

causis rationabilibus invicem permutare, tu videlicet per procuratorem ydoneum, ad hoc legitime constitutum, in dilecti filii Hugonis Thome, cantoris ejusdem ecclesie sancti Ilarii, cui dilecti filii capitulum ipsius, ad quos in eadem, et idem Guillelmus per se ipsum in dilecti filii Aymerici Hugonis, tunc officialis Bituricensis manibus, cui venerabilis frater noster Bertrandus episcopus et dilecti filii capitulum Lodovense, ad quos in ipsa Lodovensi ecclesia, communiter receptio resignationum canonicatuum et prebendarum et eorum collatio etiam de antiqua consuetudine pertinere noscuntur, in hac parte commiserant vices suas, ex causa permutationis hujusmodi libere resignastis, dictique cantor et officialis, earundem commissionum vigore, resignationes hujusmodi admittentes, cantor tibi, Lodoven. is, et officialis prefati Guillelmo predicto Sancti Ilarii Pictavensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas predictas contulerunt, vobisque providerunt de illis; quarum collationum et provisionum vigore, tam tu Lodovensis, quam predictus Guillelmus sancti Ilarii Pictavensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas predictas ex tunc possedistis, prout possidetis, pacifice et quiete. Cum autem, ex eo quod beneficia cappellanorum dicte Sedis reservata dispositioni Sedis ejusdem tunc fuerant, asseratur permutationem predictam auctoritate episcopi et capitulorum predictorum fieri nequivisse, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eidem Guilelmo super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, predictam permutationem, et quicquid est inde secutum, nonobstantibus quibuscumque reservationibus contrariis per Sedem ipsam forsan factis de canonicatibus et prebendis predictis vel eorum aliquibus, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, omnem defectum, si quis in commissione resignatione et collatione predictis forsitan extitisset, supplentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, XI kalendas maii, anno secundo. »

« *Dilecto filio Guillelmo Chautardi, canonico ecclesie Sancti Ilarii Pictavensis, salutem, etc.* Tue devotionis merita —. Dat. ut supra. »

793 Avignon, 22 avril 1344.

Andreæ regi et Johannæ reginæ Siciliæ Jordanum episcopum Treventinum commendat, qui ad partes illas accedit. (Reg. 137, n° MXX-MXXI, fol. 247 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.* Cum venerabilis frater. Dat. Avinione, X kalendas maii, anno secundo. »

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie.* »

794 Avignon, 23 avril 1344.

Infrascriptum rogat ut liberos, præcipue Johannem primogenitum, benigne tractet. (Reg. 137, n° MXXII, fol. 247 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Bertrando, domino de Malomonte, Lemovicensis diocesis.* Quanto personam tuam majori caritatis dilectione prosequimur, tanto desiderabilius affectamus, sic prudenter et mature gerere facta tua, quod tue saluti anime principaliter consulas et, tam in vita quam in morte, in pace stabilias domum tuam. Non credimus siquidem a tua memoria ex[c]idisse qualiter, ad tui et quorundam amicorum tuorum instantiam, dilectus filius nobilis vir Johannes, natus tuus, quem emancipaveras, et ei de certis bonis donationem feceras, sicut nosti, volens tibi filiali devotione sub confidentia paterna placere, donationi renuntiando hujusmodi, ut ad matrimonium, quod optabas, posses utilius attingere, se gessit erga te, quidve tu sibi, bona fide, juramento prestito, etiam in nostra, cum tunc status nos haberet inferior, et quorundam aliorum presentia promisisti. Cum autem expediat tibi pro salute anime tue, ac ut inter ipsum Johannem et alios liberos tuos pacis et caritatis unitas, jurgiorum vitatis periculis, vigeat, sic disponere facta tua, quod prefatus Johannes, qui tuus existere primogenitus noscitur, super premissis rationabiliter valeat remanere contentus, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur, quatenus premissa et alia, que tue prudentie in hac parte possunt occurrere, diligenter et consideranter attendens, te

taliter gerere studeas super eis, quod tua conscientia munda et pura circa hec remaneat, et inter ipsos liberos, quos nos caritatis paterne bracchiis amplectimur, fedus amoris et unitatis conglutinetur et crescat, tuaque circumspectio inde possit et debeat merito commendari. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

795 Avignon, 24 avril 1344.

Philippo regi Franciæ Guichardum de Combornio, dominum de Traynhaco, commendat. (Reg. 137, n° MXXV, fol. 248 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum dilectus filius nobilis vir Guichardus de Combornio, dominus de Traynhaco, Lemovicensis diocesis, quem certis considerationibus specialis prosequimur prerogativa favoris, tam super confirmatione cujusdam remissionis per venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Belvacensem dudum auctoritate regia, ut intelleximus, sibi facte, quam aliis suis negociis, habeat in regali curia expedire, magnificentiam regiam attentius deprecamur, quatenus eundem nobilem habere velit super hiis, sicut honestas suaserit, favorabiliter commendatum. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

796 Avignon, 24 avril 1344.

Eumdem Guichardum Johanni episcopo Belvacensi commendat. (Reg. 137, n° MXXVI, fol. 248 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi.* Dilectum filium nobilem virum Guichardum de Combornio; dominum de Trainhaco, Lemovicensis diocesis, quem certis considerationibus specialis prosequimur prerogativa favoris, super quadam remissione dudum per te, ut intelleximus, auctoritate regia sibi facta ipsiusque confirmatione a curia regia obtinende suisque negociis aliis per eum seriosius explicandis fraternitatis tue benivolentie propensius commendamus. Dat. ut supra. »

797 Avignon, 24 avril 1344.

Eumdem Guichardum Firmino de Coquerel, consiliario Philippi regis Franciæ, iterum commendat. (Reg. 137, n° MXXVII, fol. 248 v°.)

« *Dilecto filio magistro Firmino de Covarello, canonico Ambianensi, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustri clerico et consiliario.* Meminimus tibi nuper de negociis dilecti fili nobilis viri Guichardi de Combornio, domini de Trainhaco, Lemovicensis diocesis, que habet expedire in curia regia, fecisse, cum esses in nostra presentia mentionem. Nunc autem ea tibi non minus cordialiter tenore presentium commendamus. Dat. Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

798 Avignon, 24 avril 1344.

Philippum regem Franciæ rogat ut benigne exaudiat illos qui supplicant eum ut locus Montisregalis, Petragoricensis diœcesis, Helie de Sancto Asterio restituatur. (Reg. 137, n° MXXVIII, fol. 248 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Intelleximus quod quidam locus, vocatus Monsregalis, Petragoricensis diocesis, qui dudum existens in devotione regia, per dilecti filii nobilis viri Helie de Sanctoasterio, ipsius loci domini, negligentiam, vel per aliorum forsan seductionem positus extitit in manibus Anglicorum, ac deinde in armorum potentia, sub eadem regia potestate reductus, in manu regia nunc tenetur. Cum autem quidam amici ejusdem nobilis, quibus, cum sint fideles et devoti regie celsitudinis, ea que per eum attemptata fuerunt circa hec, exosa et displicibilia nimium extiterunt, de constantia fidelitatis ipsius nobilis indubitatam de cetero fiduciam, ut asseritur promittentes, pro restitutione dicti loci qui, licet tam situ quam edificiis fortis existat, non tamen villa vel aliorum habitantium domibus circumdatur, prefato nobili gratiose per magnificentiam regiam facienda, eidem humiliter, sicut accepimus, supplicare intendant, eandem magnificentiam attentius deprecamur quatenus eos benigne velit audire super hiis, et, sicut cum honore regio fieri

poterit, de solite mansuetudinis clementia favorabiliter exaudire. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

799 Avignon, 24 avril 1344.

Eumdem Heliam de Sancto Asterio Johanni episcopo Belvacensi commendat. (Reg. 137, n° MXXIX, fol. 248 v°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi.* Intellecto nuper quod quidam locus etc. usque tenetur; quodque quidam amici ejusdem nobilis, quibus, cum sint fideles et devoti regie celsitudinis, ea que per eum attemptata fuerunt circa hec, exosa et displicibilia nimium extiterunt, de constantia fidelitatis ipsius nobilis indubitatam de cetero fiduciam, ut asseritur, promittentes, pro restitutione dicti loci qui, licet tam situ quam edificiis fortis existat, non tamen villa vel aliorum habitantium domibus circumdatur, prefato nobili gratiose per magnificentiam regiam facienda, intendunt, sicut intelleximus, humiliter carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri humiliter supplicare, preces nostras eidem porrigimus, ut eos benigne super hiis audiat et velit, sicut cum honore regio fieri poterit, de regali mansuetudine favorabiliter exaudire. Quocirca fraternitatem tuam attentius deprecamur, quatenus super hiis, ut ad effectum deducantur voticum, curet eadem fraternitas, sicut honestas patietur, interponere partes suas. Et si forsan idem rex, ad faciendam prefato Helie gratiam hujusmodi, suum vellet animum inclinare, ut saltem illam dilecto filio nobili viro Matfredo de Sanctoasterio, domicello, ejusdem Helie fratri, qui nunquam in aliquo contra regem eundem deliquisse dicitur, de liberalitate regia faciat, tua benivolentia, quesumus, studeat viis et modis, quibus melius et honestius poterit, laborare. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

800 Avignon, 24 avril 1344.

Cum proposuerit infrascriptus tam pro expensis propriis quam pro negociis monasterii, in Roma Curia expendendis, et supplicarit, ut usque ad mille quingentorum florenorum auri summam mutuum contrahendi largiri licentia concederetur, indulget ei ut dictum mutuum contrahere possit. (Reg. 137, n° MXXX, fol. 249 r°.)

« *Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Baronis Gandensis, Ordinis Sancti Benedicti, Tornacensis diocesis, salutem, etc.* Cum sicut in nostra —. Dat. Avinione, VIII kalendas maii, anno secundo. »

801 Avignon, 30 avril 1344.

Infrascripto tabellionatus officium concedit, ad quod exercendum per Guillelmum, episcopum Forojuliensem thesaurarium, idoneus repertus fuerat. (Reg. 137, n° MCLXXXVII.)

« *Item in eodem modo dilecto filio Petro Garneri, clerico Trecensi non conjugato nec in sacris ordinibus constituto...* Dat. Avinione, II kalendas maii, anno secundo. »

802 Avignon, 2 mai 1344.

Philippo regi Franciæ Guidonem episcopum et ecclesiam Lemovicenses commendat. (Reg. 137, n° MXXXII, fol. 250 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum, et ecclesiam Lemovicensem, eorumque causas et negocia, ut a celsitudine regia favoribus, quantum honestas suaserit, pro divina et apostolice Sedis reverentia tractentur, regiis, eidem celsitudini plenis affectibus commendamus. Dat. Avinione, VI nonas maii, anno secundo. »

803 Avignon, 2 mai 1344.

Infrascriptæ eumdem Guidonem commendat. (Reg. 137, n° MXXXIII, fol. 250 r°.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Sabaudia, vicecomitisse Lemovicensi.* Venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum et ecclesiam Lemovicensem, quos specialis prerogativa favoris pro-

sequimur, tue nobilitatis benivolentie, ut eos pro divina et nostra Sedisque apostolice reverentia super suis agendis tam per te, filia, quam tuos officiales vicecomitatus Lemovicensis prosequaris favorabiliter, sicut honestas suaserit, plenis affectibus commendamus. Dat. Avinione, VI nonas maii, anno secundo. »

804 Avignon, 2 mai 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut salvum securumque conductum assignare curent Marquardo electo Bambergensi, et Eberhardo de Tumnow, præposito ecclesiæ Augustensis, ac Ulrico de Augusta, nunciis Ludovici de Bavaria, qui dudum ad promovendum et procurandum negotium reconciliationis ejusdem Ludovici ad Sedem apostolicam venerant nunceque ad partes Alamanniæ dictumque Ludovicum pro certis causis revertebantur. (Reg. **137**, n° MCLXXIX, fol. 285 r°; — Riezler, *Vatik. Akten*, n° 2183, p. 789.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, etc. usque pervenerint.* Cum dilecti filii —. Dat. Avinione, VI nonas maii, anno secundo. »

805 Avignon, 2 mai 1344.

Cum Henricus archiepiscopus Maguntinus, contra quem certi processus dudum per Sedem apostolicam facti fuerant, omnibus ecclesiasticis personis mandat ut pro reconciliatione procuranda, nuncios ad Sedem apostolicam mittere velit, ne illis transeuntibus ullam injuriam inferant. (Reg. **137**, n° MCLXXX, fol. 285 v°.)

« *Venerabilibus patriarchis, archiepiscopis, etc.* Nuper exposito coram —. Dat. ut supra. »

806 Avignon, 2 mai 1344.

Omnibus ecclesiasticis personis mandat ut securum salvumque conductum assignent Johanni Disendick, præposito ecclesiæ sanctorum apostolorum Coloniensis, et Johanni Lodovici, Maguntinensis diœcesis, qui ad partes Bavariæ accessuri sunt. (Reg. **137**, n° MCLXXXI.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, etc.* Cum dilecti filii —. Dat. Avinione, VI nonas maii, anno secundo. »

807 Avignon, 3 mai 1344.

Benefitia, quæ quondam Guido Pictavini, canonicus Parisiensis obtinebat, tunc vacantia, ad Sedis apostolicæ collationem reservantur. (Reg. **137**, n° MCCXVIII, fol. 290 r°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum sicut accepimus —. Dat. Avinione, V nonas maii, anno secundo. »

808 Avignon, 4 mai 1344.

Infrascriptum rogat ut restituat abbati monasterii de Belloloco, O. S. B., Lemovicensis diœcesis, jurisdictionem temporalem in dicta villa de Belloloco, quæ in eum injuste olim translata fuerat vel alienata. (Reg. **137**, n° MLV, fol. 254 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro Hugoni, domino de Castronovo, Caturcensis diocesis.* Pro parte dilecti filii Stephani, abbatis monasterii de Belloloco, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis, nuper expositum extitit coram nobis quod quondam Helyas de Malafayda, predicti monasterii abbas, predecessor suus, jurisdictionem temporalem, quam in villa de Belloloco, ubi est monasterium supradictum, habebat, et predecessores sui abbates nomine dicti monasterii habuerant et obtinuerant ab antiquo, tanto tempore quod de contrario memoria hominum non extabat, aliquibus personis, nescitur qua intentione mote, procurantibus, in te tuosque successores et heredes alienavit et transtulit, non absque magno ejusdem monasterii prejudicio et enormi deformitate ipsius. Cum autem bone memorie Petrus episcopus Ruthenensis, et quondam Bernardus de Castronovo, germani tui, quo quidem Bernardo consentiente ac procurante, premissa facta fuisse dicantur, remorsum conscientie super hiis non modicum habuerint, sicut asseritur, in diebus ultimis vite sue, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatenus predictis et aliis, que tue prudentie circa hec possunt occurrere, consideranter attentis, te taliter, tue prospiciendo saluti anime, gerere studeas erga dictum monasterium in hac parte, quod, speculatoris superni offensa vitata, cum cujus oculis nuda sunt omnia et aperta, tibi tueque posteritati propitium constituas et divine propitiationis

habundantiam copiosius merearis. Alioquin, cum alienatio predicta ex causis adinventis, fictis et non veris processisse dicatur, omittere, si requiramur, nequibimus quominus monasterio prefato leso providere de oportuno remedio, urgente pastoralis officii debito, ut rationis equitas suaserit, procuremus. Dat. Avinione IIII nonas maii, anno secundo. »

809 Avignon, 5 mai 1344.

Petrum regem Aragonum hortatur ut officiales et subditos moneat ne terras ad monasterium Crassense, O. S. B., Carcassonensis diœcesis, infra comitatum Rossilionis spectantes, invadant aut occupent. (Reg. 137, n° MVII, fol. 254 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri.* Nuper dilecti filii... abbas et conventus, alieque persone monasterii Crassensis, ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis diocesis, nobis fecerunt exponi quod ipsi communiter vel divisim infra comitatum Rossilionis habent et habuerunt ab antiquo nonnulla castra et loca, que cum districtibus et pertinentiis necnon habitatoribus et incolis eorundem in francum allodium tenuerunt. Cum autem prefatus abbas, qui nepos noster existit, conventus et persone ac habitatores et incole supradicti, cupientes, sicut hactenus, in treuga et pace manere, se in tuis, fili carissime, ac carissimi in Christo filii nostri Jacobi regis Majoricarum illustris, guerris hiis temporibus, pro dolor, ingruentibus, non intendant, sicut ex parte ipsorum asseritur, quantum cavere commode poterunt, quomodolibet imminere, excellentiam regiam rogandam duximus et attentius in Domino exhortandam, quatenus officialibus, gentibus et subditis regiis, tam armigeris quam aliis districtius tua celsitudo regia faciat prohiberi, ne castra et loca predicta invadant, occupent, destruant, vel dampnificare presumant, nec habitatoribus et incolis predictis molestationes noxias inferant, vel alias indebitas novitates. Datum Avinione, III nonas maii, anno secundo. »

810 Avignon, 5 mai 1344.

Eumdem regem Aragonum hortatur ut mandet gentibus regiis, ne castrum de Apiano infra comitatum Rossilionis consistens et ad archiepiscopum Narbonensem pleno jure pertinens, molestent quoquomodo. (Reg. 137, n° MLVII, fol. 254 v°.)

« *Eidem.* Nuper venerabilis frater Gasbertus, archiepiscopus Narbonensis, camerarius noster, nobis exponere procuravit quod tu, fili carissime, ipsius precibus favorabiliter annuens et benigne, per litteras mandasti et inhibuisti regias, ne gentes et subditi tui castrum de Apiano, infra comitatum Rossilionis consistens, ad eundem archiepiscopum et suam Narbonensem ecclesiam pertinens pleno jure, aut habitatores et incolas castri ejusdem, quos volebas sub tua protectione manere, molestarent, aut impedimenta vel dampna quecunque inferre presumerent quoquomodo, super hiis multipliciter regiam benivolentiam commendando. Cumque, sicut ejusdem archiepiscopi habet assertio, officiales et gentes predicti, plene mandatum regium hujusmodi, jubere velit districtius excellentia regia, ut tenaciter observetur, ita quod eundem archiepiscopum tui honoris et comodi zelatorem ad hec tibi non immerito efficias promptiorem. Datum Avinione, III nonas maii, anno secundo. »

811 Avignon, 5 mai 1344.

Jacobum regem Majoricarum rogat ut monasterium Crassense O. S. B., protegi et defendi jubeat, terras ejus infra comitatum Rossilionis existentes nedum molestet. (Reg. 137, n° MLIX, fol. 255 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri.* Cum dilecti filii... abbas et conventus, communiter vel divisim, ac alie persone religiose monasterii Crassensis, ordinis Sancti Benedicti, Carcassonensis diocesis, certa castra et loca, ut intelleximus, habeant infra comitatum Rossilionis et alias terras tuas, nos qui prefatum abbatem, nepotem nostrum, specialis prosequimur prerogativa favoris, tam ipsum quam conventum et alios subditos suos tue benivolentie specialiter commendantes, magnificentiam tuam regiam attentius deprecamur quatinus castra et loca sua predicta, necnon homines et subditos destrui, vel alias indebite molestari, seu opprimi vastitate hostili non sinas, sed potius pro nostra et apostolice Sedis

reverentia protegi favorabiliter facias et defendi, taliter quod a Deo consequaris meritum, tibique nostram et ejusdem Sedis graciam uberius vendices non indigne. Dat. Avinione, III nonas maii, anno secundo. »

812 Avignon, 5 mai 1344.

Philippum regem Franciæ de negotiis circa tractatum pacis cum rege Angliæ certiorem facit. (Reg. 137, n° MLXXXIIII, fol. 262 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Nuper binas litteras regias recepimus, quarum prima inter cetera continebat quod, si carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie illustris, ad revocandum ea que per suos subditos attemptata contra treugas existerent, certas pro parte sua vellet deputare personas, pro parte tua regia fieret illud idem. Alterius vero littere series prime tenorem in effectu succinte recitans, talis erat, videlicet quod ob nostram et apostolice Sedis reverentiam, sublimitati regali placeret, si una pro parte tua regia et alia per regem predictum Anglie deputarentur persone, que inquirerent et ordinarent, quod esset rationi congruum super attemptatis hujusmodi hinc inde, per nosque due persone alie non suspecte, quarum una esset cum deputato a tua celsitudine, et alia cum deputato per regem prefatum, ad sciendum et inquirendum, nobisque fideliter referendum, quid et qualiter ageretur super hiis, mitterentur, nichilominus subjungendo quod taliter deinde super hiis, que ordinanda existerent, regia sublimitas juxta nostrum consilium se haberet, quod inde possemus merito contentari. Sane, fili carissime, receptis benigne predictis litteris, et contentis in eis intellectu pleno collectis, subsequenterque hiis, que continebat prima predicta littera, nunciis prefati regis in Curia existentibus per nos in effectu verbotenus explicatis, ipsi nobis protinus responderunt quod eis nullatenus possibile, ymo totaliter impossibile videbatur quod premissa, quamquam super eis deputarentur hinc inde persone, per alium quam per nos deduci valerent quomodolibet ad effectum; et licet, sepe requirendo alias, sicut nunc, dixerint quod nos attemptata hujusmodi revocari et observari treugas auctoritate apostolica faceremus; nos tamen uti via nolentes hujusmodi, aliam cogitavimus assumendam, videlicet quod per te, dilectissime fili, et eundem regem super faciendis revocari attemptata hujusmodi et observari predictas treugas nobis specialiter potestate concessa, non auctoritate nostra, sed ex potestate attributa nobis a partibus, ut premittitur, procedere super hiis curaremus, ne mutue pacis reformande inter nos invicem negocium et inennarrabilia spiritualia et temporalia bona exinde proventura impediri contingeret, sed felicius, sicut desiderabiliter appetimus, promoveri, que quidem in effectu continebant nostre littere pridem sublimitati regie destinate, quamvis forsan lector earum plene non intellexerit, vel minus disserte circumspectioni exponere regie ommiserit, sicut series responsalium indicabat, velit igitur, quesumus, regia magnificentia, si via hujusmodi accepta fuerit, et de sue intentionis in hac parte beneplacito nos quantocius efficere certiores, ut nunciis eisdem, quibus explicare contenta in predicta secunda littera ommisimus, respondere certitudinaliter super hiis valeamus. Dat. Avinione, III nonas maii, anno secundo. »

813 Avignon, 7 mai 1344.

Philippum regem Franciæ rogat ut benigne recipiat Gastonem comitem Fuxi, matremque ejus, qui ad Curiam regiam Parisius proficiscuntur. (Reg. 137, n° MLXVI, fol. 256 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.* Cum, sicut intelleximus, dilectus filius nobilis vir Gasto, comes, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Helionoris, comitissa Fuxi, mater sua, de mandato regio ad tuam, fili carissime, presentiam se conferant de presenti, nos ipsos regie benivolentie propensius commendantes, eam attentius deprecamur quatenus, ipsos comitem et comitissam favorabiliter et benigne recipiens et pertractans, velit regalis sublimitas eos celeriter expedire. Verum cum ab aliquibus asseratur quod prefati comes et comitissa plus prodesse presertim hiis temporibus existentes in Commitatu et aliis terris suis potuerunt quam alibi commorando, quodque veretur, si comes ipse in puerili et tenella constitutus etate, extra natalem moraretur

aerem, de persona sua posse iminere, quod avertat Dominus, periculum super hiis, et an expediat quod de beneplacito regio redeat, moraturus in commitatu et terris suis, prospiciat, quesumus, regalis providentia quid utilius et decentius sit agendum. Dat. Avinione, nonis maii, anno secundo. »

811 Avignon, 7 mai 1344.

Præfatos comitem et comitissam Johannæ reginæ Franciæ commendat. (Reg. 137, n° MLXVII, fol. 256 v°.)

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Cum sicut intelleximus... etc. usque quid agendum. Quocirca prefatos comitem et comitissam, tue, filia carissima, benivolentie commendamus. Dat. Avinione, nonis maii, anno secundo. »

815 Avignon, 8 mai 1344.

Cum nonnulli qui se se obligaverant ad serviendum certo tempore in galeis ad partes Romaniæ missis, et vadia receperant, furtive aufugissent, gubernatori Januensi mandat ut ad omnia recuperanda archiepiscopum Januensem adjuvare velit, cui negocium hujusmodi commissum est. (Reg. 137, n° MLXVIII, fol. 257 r°.)

« *Dilectis filiis... gubernatori et communi Januensibus.* Referente nobis dilecto filio Leonardo Gaudi, cive Niciensi, procuratore venerabilis fratris nostri Henrici, patriarche Constantinopolitani, in partibus transmarinis apostolice Sedis legati, ac dilecti filii nobilis viri Martini Zacharie de Janua nuper accepimus quod vos, super eo quod aliqui marinarii seu galiotti de Janua et aliis partibus, dominio vestro subjectis, qui promiserant seque obligaverant efficaciter, medio juramento et fidejussoribus inde datis, navigare ac servire certo tempore in galeis pro subsidio fidelium contra Turchos ad partes Romanie per nos missis, et receptis ab eisdem patriarcha et nobili soldis, seu preciis, quibus conducti fuerant, se latenter et furtive de dictis galeis subtraxerunt, eidem procuratori super recuperatione illorum, que dicti marinarii et galiotti receperant, ut premittitur, pro premissis favorem oportunum exhibere pro nostra et apostolice Sedis reverentia curavistis. Nos igitur devotionem vestram exinde cum gratiarum actionibus in Domino commendantes, universitatem vestram rogamus, requirimus attentius et hortamur quatenus, favorem continuantes predictum, venerabili fratri nostro... archiepiscopo Januensi, cui negotium hujusmodi per litteras nostras committimus, sic velitis assistere auxiliis et favoribus super hiis oportunis, quod indempnitati provideatur dicti negotii et vestra devotio possit amplius merito commendari. Dat. Avinione, VIII idus maii, anno secundo. »

816 Avignon, 8 mai 1344.

Similiter senescallum Provinciæ et Forcalquerii rogat ut episcopum Niciensem ad dictas pecunias recuperandas adjuvet. (Reg. 137, n° MLXIX, fol. 257 r°.)

« *Dilecto filio nobili viro... senescallo Provincie et Forcalquerii.* Referente nobis dilecto filio Leonardo Gaudi de Sancto Romulo, laico Albinganensis diocesis, procuratore venerabilis, etc... tue juridictioni subjectis et cætera, ut supra, usque subtraxerunt. Cum autem nos venerabili fratri nostro... episcopo Niciensi demus per nostras litteras in mandatis ut eosdem marinarios et galiottos ad restituendum pecunias per eosdem pro premissis receptas et alias debitam satisfactionem prestandam compellere, previa ratione, procuret, nobilitatem tuam rogamus, requirimus et attentius in Domino exhortamur quatinus prefato episcopo super predictis auxiliis et favoribus oportunis assistas, ita quod indempnitati valeat provideri dicti negocii et tua devotio merito commendari. Dat. Avinione, VIII idus maii, anno secundo. »

817 Avignon, 8 mai 1344.

Archiepiscopo Januensi mandat ut prædictos marinarios compellat ad restituendum Leonardo Gaudi de Sancto Romulo, Albinganensis diœcesis, procuratori Henrici patriarchæ Constantinopolitani, pecunias, quas pro vadiis receperant. (Reg. 137, n°s MLXX-LXXII, fol. 257 v°.)

« *Venerabili fratri... archiepiscopo Januensi.* Pro parte venerabilis fratris nostri Henrici pa-

triarche Constantinopolitani, in partibus transmarinis apostolice Sedis legati, et dilecti filii nobilis viri Martini Zacharie, militis Januensis, nuper expositum extitit coram nobis quod, cum ipsi pridem certas galeas pro defensione fidelium partium Romanie, qui ab infidelibus Turchis blasfemis et hostibus Christiane fidei nimis fideliter affliguntur, de mandato nostro presentari fecissent in Ripparia Januensi, certosque marinarios seu galiottos, tam de hiis civitate ac diocesi Januensi quam vicinis partibus, ad navigandum in eisdem galeis ad partes predictas, et serviendum in eis pro certo tempore conduxissent, tandem ipsi marinarii et galiotti, quibus de salariis promissis eisdem pro eodem tempore satisfactum extiterat, quamvis se obligassent efficaciter ad serviendum, ut premissum est, medio juramento et prestita fidejussoria cautione, latenter et furtive se absentarunt, ire cum eisdem galeis ad impendendum promissum servitium hujusmodi, non absque suarum animarum periculis et negotii defensionis predictorum fidelium detrimentis non modicis dolose ac maliciose nimium recusantes. Cum autem nec deceat nec expediat tam maliciosas et dampnosas presumptiones conniventibus occulis preteriri, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus per te vel alium seu alios simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, super hiis te informans, omnes et singulos marinarios et galiotos predictos tuarum civitatis et diocesis ac partium vicinarum, quos per informationem eandem premissa repereris commisisse, necnon fidejussores eorundem, secundum obligationem inde factam, ad restituendum dilecto filio Leonardo Gaudi de Sancto Romulo, laico Albingaensis diocesis, procuratori predictorum patriarche ac nobilis, pecunias per eos de premissis, ut prefertur, receptas et alias de dampnis debitam satisfactionem prestandam auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam cessante appellatione, compellere non postponas, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus etc. Dat. Avinione, VIII idus maii, anno secundo. »

Item alia *episcopo Albinganensi* —. Item alia *episcopo Niciensi*.

818 Avignon, 8 mai 1344.

Infrascripto mandat ut certa bona colligat, et servitoribus et ministris monasterii sancti Medardi Suessionensis ministrari jubeat ea quæ de bonis prædictis eis debeantur. (Reg. 137, n° MLXXIII, fol. 258 r°.)

« *Dilecto filio Johanni Ogerii, decano ecclesie Belnensis, Eduensis diocesis*. Volentes, certis rationabilibus causis suadentibus, bona mobilia quecunque necnon debita et credita, que ratione monasterii sancti Medardi Suessionensis, ordinis Sancti Benedicti, habebat dilectus filius Nicholaus, abbas monasterii Fiscanensis, ejusdem ordinis, Rothomagensis diocesis, vel ad eum quomodolibet pertinebant, tempore quo pridem ipsum ab eodem monasterio sancti Medardi, cujus abbatiali regimini tunc preerat, ad monasterium predictum Fiscanense, vacans tunc temporis, duximus transferendum, ne alienari, distrahi, asportari vel inutiliter consumi valeant, fideliter conservari, discretioni tue per apostolica scripta, etc. — Dat. Avinione, VIII idus maii, anno secundo. »

819 Avignon, 12 mai 1344.

Johannem comitem Armaniaci rogat ut pacem cum Bertrando domino de Turre componere velit, ita ut dissensio inter eos suscitata sopiatur, et hortatur eum ut sine mora rescribat. (Reg. 137, n° MCLXXV, fol. 257 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni comiti Armaniaci*. Super eo quod, ratione cujusdam assignationis de certis terris comitatus Ruthenensis dudum facte, dilecto filio nobili viro Bertrando, domino de Turre, que per ipsum dicebatur esse minus sufficiens, te contrarium asserente, dissentionis materia inter vos invicem suscitata, te ac ipso nobili deinde coram nobis presentibus pro dissentione hujusmodi per viam amicabilem sopienda, et amicitia mutua confovenda, extitit, sicut tua non ignorat prudentia, ordinatum, quod duo probi viri, electi hinc et inde, viderent et cognoscerent quod esset super hiis conveniens equitati, usque ad certum terminum tunc prefixum, in quo nobis referre deberent, que per ipsos circa hec acta essent, ut nos, si qua remanerent dubia, trac-

tando vobiscum, illa reducere ad concordiam valeremus; cumque pridem nos, relatu nobilis supradicti percepto, quod quamvis ipse in certis terminis coram prefatis electis ad negotium hujusmodi prosequendum prefixis, gentes suas sufficienter misisset et fecisset, ut juxta ordinationem predictam valeret expediri negotium posse suum, tu tamen pro parte tua nichil facere procuraras, quin potius sibi contramandaras ultimum terminum absque receptione alterius cujuscumque : nos qui te dictumque nobilem, quos nexus jungit sanguinis in vinculo pacis et caritatis, cupimus confoveri, nobilitatem tuam rogandam per nostras litteras duximus et hortandam ut, non obstante quod dictus terminus foret lapsus, velles pro parte tua facere cum effectu[1] quod prefati electi celeriter super dicto negotio procederent, cum idem nobilis paratus esset pro parte sua facere illud idem; et adjecimus in nostris litteris nichilominus quod gratum admodum nobis esset, si, premissis infra quindecim tunc et nunc instantis festi Penthecostes per prefatos electos completis, cum plena et fideli ratione, que gesta per ipsos existerent super hiis, tu et sepefatus nobilis in nostra presentia tunc essetis pro hujusmodi concordia terminanda. Et licet eadem tua nobilitas nobis duxerit respondendum, quod hec tibi erant placibilia et accepta, tamen, sicut ex parte nobilis supradicti percepimus noviter, nichil pro parte tua circa ea penitus fuit factum. Sane quia, sicut intelleximus, supradicti electi ulterius vacare hujusmodi negotio commode nequeunt, aliis negotiis prepediti, nobis gratum quamplurimum redderetur, si duo alii viri discreti et pacifici eligerentur hinc inde, qui super hiis, que tangunt discordiam hujusmodi, secum illis qui veritatem sciunt, super hoc plenius informantes, pro reformanda eadem concordia usque ad instans festum Omnium Sanctorum diligenter et fideliter sublatis diffugiis et morosis dilationibus laborarent, nobisque infra quindecim ejusdem festi, que in hac parte per ipsos actum existeret, deferre sedule procurarent ut, si aliqua imperfecta restarent vel dubia, per tractatum amicabilem perficere vel declarare, sicut esset oportunum et expediens ad honorem et utilitatem partis utriusque possemus, tuque ordinares taliter quod, ob defectum vel negligentiam tuarum gentium, interim expeditio ipsius negotii plus debito nullatenus differretur. Super quibus nobis tua circumspectio, quesumus, intentionis ac voluntatis sue beneplacitum rescribere quantocius non postponat. Dat. Avinione, III idus maii, anno secundo. »

[1] Ms : *affectu*.

820 Avignon, 12 mai 1344.

Mittitur infrascriptus cardinalis ad Petrum Aragonum et Jacobum Majoricarum reges et eorum regna, ad tractandam et reformandam pacem inter eos et datur ei potestas dissolvendi omnes colligationes et omnia fœdera jam inita. (Reg. Vat. 161, Litteræ de legatione domini Ebredunensis, n° I, fol. 6 r°; — Reg. Vat. 215, fol. 8 r°.)

« *Dilecto filio Bertrando, tituli sancti Marci presbitero cardinali, apostolice Sedis nuntio, salutem.* Olim gratia divina —. Dat. Avinione, III idus maii, anno secundo. »

821 Avignon, 12 mai 1344.

Prorogat reservationem jam factam fructuum et proventuum primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum. (Reg. 137, n° MLXXXIX, fol. 266 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Multiplicium necessitates onerum —. Dat. Avinione, III idus maii, anno secundo. »

822 Avignon, 14 mai 1344.

Cum Guillelmum episcopum Norwicensem latorem præsentium et apostolicæ Sedis nuncium ad Edwardum regem Angliæ pro certis negotiis destinet, omnibus ecclesiasticis personis mandat ut salvum securumque conductum dicto Guillelmo assignent, præsentibus litteris post tres menses minime valituris. (Reg. 137, n° MCLXXXII, fol. 285 v°.)

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, etc. ut supra usque pervenerint.* Cum venerabilem fratrem —. Dat. Avinione, II idus maii, anno secundo. »

823 Avignon, 15 mai 1344.

Infrascriptos absolvit de omnibus per eos gestis et receptis super redditibus et proventibus archidiaconatus Vallispirii in ecclesia Elnensi. (Reg. 137, n° mlxxiiii.)

« *Dilectis filiis Ferrario Petri Johannis, rectori ecclesie sancti Vincentii de Salancha, Elnensis diocesis, et Bartholomeo Boniamici, beneficiato in ecclesia Elnensi.* Porrecta nobis vestra petitio continebat quod, dum, cum in numero venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesie cardinalium status inferior nos haberet, vos archidiaconatum Vallispirii in ecclesia Elnensi, quem tunc ex provisione apostolica tenebamus, nomine nostro rexistis, ac fructus redditus et proventus ipsius certo tempore collegistis; cum autem exinde legitimam et fidelem reddideritis rationem, et reliqua juxta voluntatis nostre beneplacitum prestiteritis, sex libris decem septem solidis Barchinonensis monete, que per certas personas de proventibus dicti archidiaconatus adhuc deberi dicuntur, duntaxat exceptis, nobis humiliter supplicastis, ut providere vestris indempnitatibus super hiis, ne propterea vel occasione illorum molestari possitis imposterum, providere paterna diligentia curaremus: nos igitur, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, de omnibus per vos gestis, administratis, receptis et assignatis de fructibus, redditibus et proventibus archidiaconatus predicti, toto tempore quo pro nobis et nomine nostro tenuistis administrationem illius, vos et omnia bona vestra perpetuo absolvimus et quittamus, vobisque sex libras et decem septem solidos dicte monete adhuc, ut premittitur, debitos damus et remittimus de gratia speciali. Dat. Avinione, II idus maii, anno secundo. »

824 Avignon, 14 mai 1344.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut magistro Firmino de Coquerello, canonico Ambianensi, utriusque juris professori assignent et conferant canonicatum in ecclesia Parisiensi, quem olim Petrus Fayelli, canonicus Parisiensis, obtinuerat quique recenter defuncto Guidoni Pictavini collatus fuerat. (Reg. 137, n° mccxix, fol. 290 r°.)

« *Judicibus, venerabili fratri... episcopo Belvacensi et dilectis filiis magistris Raymundo de Valle, archidiacono de Sancto Sereno Caturcensis, notario, ac Petro Lelovat, canonico Senonensis, ecclesiarum, scriptori, nostris.* Litterarum scientia, vite ac —. Dat. Avinione, II idus maii, anno secundo. »

825 Avignon, 15 mai 1344.

Hugoni regi Cipri commendat Mariam de Borbonio, relictam Guidonis primogeniti dicti regis, quæ ad partes Franciæ revertitur, et eum rogat ut nuncios Petri ducis Borbonesii, fratris dictæ Mariæ benigne recipiat, et juste omnia negotia ad dotem dictæ relictæ, hereditatemque regni Cipri spectantia, tractet. (Reg. 137, n° mlxxvi, fol. 259 r°.)

« *Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.* Tanto libentius ad ea que rationi et equitati conveniunt et regiis honoribus congruunt, te, fili carissime, paternis affectibus excitamus quanto circumspectionem tue celsitudinis regie ad illa reperire confidimus promptiorem. Cum itaque, sicut intelleximus, dilectus filius nobilis vir Petrus, dux Borbonesii, desiderans dilecte in Christo filie nobilis mulieris Marie de Borbonio, germane sue, relicte quondam Guidonis primogeniti tui presentia mutua consolari, pro ipsa deducenda decenter ad partes Francie suos nuncios ad ejusdem celsitudinis presentiam destinet speciales, excellentiam regiam deprecamur attentius et in Domino exhortamur quatenus, quid expediat et deceat super hiis, prudenter et diligenter advertens, eidem Marie veniendi ad partes predictas et ad regnum tuum Cipri, dum sibi placuerit, cum suis gentibus redeundi velit regia sublimitas concedere licentiam gratiosam, ipsamque juxta sui status et conditionis decentiam et convenientiam regiam remittere cum honesta et decenti commitiva honorifice, ac sumptibus et aliis necessariis et oportunis, necnon eidem dotem in locis domui, que per te assignari sibi debet, vicinis, ad consolationem et commoditatem suam assignare, nichilominus quod ipsa hujusmodi domo ac dote ipsorum commoditate tam intra regnum tuum predictum quam extra commorans uti et gaudere libere possit, ac dilectum filium spectabilem juvenem

Hugonem suum, et ejusdem primogeniti tui filium, ad visitandum suos de partibus cismarinis et eorum presentialem notitiam acquirendam, secum ad partes has ducere, si hoc tua celsitudo regia congruum reputet, etiam pro consolatione sua valeat de tue benignitatis gratia liberaliter concedendo. Rursus quia, sicut fertur, olim in tractatu matrimonii inter ipsos Mariam et tuum primogenitum celebrati, expresse actum extitit et conventum quod si eundem primogenitum tibi premori contingeret, ex dicto matrimonio filio masculo remanente, ipse filius post tuum remanens obitum, deberet in regno succedere supradicto, premissis adicimus plenis effectibus preces nostras, ut juxta conventiones hujusmodi tua regalis prudentia ordinet et disponat, quod idem filius successionem habeat dicti regni, sicque tua regia serenitas super premissis benigne curialiter et gratiose, quod paternis exhortationibus et precibus nostris hujusmodi de radice caritatis prodeuntibus, et equitatis debito satisfiat; nosque qui personam tuam, fili dilectissime, sincera dilectione prosequimur et ad ipsos ducem et germanam suam totumque genus eorum afficimur benivolentia speciali, magnificentiam tuam exinde commendare debeamus merito et afficiamur ad illa, que incrementa tui honoris et commodi respicerent promptiores. Super premissis autem nunciis tuis regiis nuper in nostra presentia constitutis locuti sumus, qui de intentione nostra eandem magnificentiam regiam informare plenius poterint in hac parte. Dat. Avinione, idibus maii, anno secundo. »

826 Avignon, 15 mai 1344.

Cum Camera apostolica necessitatibus premeretur et eidem Cameræ pro relevandis et supportandis utilius necessitatibus sucurrendum esset, fructus redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ apud Sedem apostolicam ex reservatione tunc vacabant, vel usque ad duos annos vacarent, percipiendos modis infrascriptis et in necessitates convertendos prædictas videlicet XIII kalendas junii pontificatus anno primo reservaverat. Sed cum finis biennii instet, nondum subductis necessitatibus, hanc reservationem usque ad duos annos a fine dicti biennii in antea computandos prorogat et infrascriptis mandat ut secundum formam et tenorem dictæ prorogationis dictos fructus petant et colligant. (Reg. 137, n° MLXXXX, fol. 267 v°.)

« *Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi episcopis.* Multiplicium necessitates onerum —. Dat. Avinione, idibus maii, anno secundo. »

827 Avignon, 16 mai 1344.

Respondet litteris quas regina Siciliæ per Matheum de Graniano, thesaurarium Provinciæ, præsentari jusserat.

« *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Solite benignitatis affectu —. Dat. Avinione, XVII kalendas junii, anno secundo. »

828 Avignon, 17 mai 1344.

Cum Johannes de Cori, episcopus Tiburtinus, defunctus, penes dilectos filios priorem et conventum fratrum ordinis Prædicatorum Gebennensium certam deposuisset pecuniæ quantitatem, infrascriptis mandat ut super deposito, informatione facta, illam pecuniam petere, exigere ac recipere, et ad præfatam Cameram mittere curent. (Reg. 137, n° MLXXVII, fol. 259 v°.)

« *Venerabili fratri Alamanno, episcopo Gebennensi, et dilecto filio Bertrando abbati monasterii de Siz, Gebennensis diocesis.* Relatibus percepimus fidedignis —. Dat. Avinione, XVI kalendas junii, anno secundo. »

829 Avignon, 17 mai 1344.

Eisdem exsecutoribus mandat ut, pecunia persoluta, IIc florenos auri conventui ordinis Prædicatorum Gebennensi pro dono assignent. (Reg. 137, n° MLXXVIII, fol. 260 r°.)

« *Eisdem.* Cum vobis petendi, exigendi et recipiendi nomine nostro a dilectis filiis priore et conventu fratrum Predicatorum Gebennensium quoddam depo-

situm de certa pecunie quantitate dudum per bone memorie Johannem de Cors, episcopum Tiburtinum, factum penes eos per nostras concedimus litteras potestatem, volumus et vestre discretioni mandamus quatinus, postquam per eosdem priorem et conventum fideliter et plene vobis vel vestrum alteri, dicto nomine, fuerit dictum depositum restitutum et eciam persolutum, eis exinde ducentos florenos auri detis pro elemosina et etiam assignetis. Dat. Avinione, XVI kalendas junii, anno secundo. »

830 Avignon, 17 mai 1344.

Bertrando archiepiscopo Viennensi indulget ut possit per procuratores visitare ecclesias et monasteria, procurationesque debitas recipere. (Reg. 137, n° MCXXXV, fol. 275 v°.)

« *Venerabili fratri Bertrando archiepiscopo Viennensi.* Devotionis tue probata sinceritas —. et *dirigatur executoria venerabili fratri episcopo Casinensi et dilectis filiis... Athanacensi, Lugdunensis, ac... Sancti Petri foris portam Viennensis, monasteriorum, abbatibus.* Dat. Avinione, XVI kalendas junii, anno secundo. »

831 Avignon, 17 mai 1344.

Episcopo Atrebatensi indulget ut possit visitationis officium in diversis ecclesiis exercere, procurationesque debitas recipere. (Reg. 137, n° MCXLIIII, fol. 277 r°.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Atrebatensi.* Devotionis tue probata sinceritas. Sed ubi dicitur per biennium, dicatur, semel duntaxat integraliter exhiberi, et dirigatur executoria, *venerabili fratri episcopo Carnotensi, et dilectis filiis decano Sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, ac... cantori Lingonensis, ecclesiarum.* Dat. Avinione, XVI kalendas junii, anno secundo. »

832 Avignon, 18 mai 1344.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut ab aliquibus ecclesiasticis personis exemptis et non exemptis procurationes debitas exigant quæ Johanni episcopo Atrebatensi debentur. (Reg. 137, n° MCXLVI, fol. 277 r°.)

« *Venerabili fratri... episcopo Carnotensi, et dilectis filiis... decano Sancti Aredii Lemovicensis diocesis ac... cantori Lingonensis ecclesiarum.* Pridem volentes venerabilem —. Dat. Avinione, XV kalendas junii, anno secundo. »

CLEMENTIS PAPÆ VI

EPISTOLÆ PATENTES CLAUSÆ ET DE CURIA

ANNUS TERTIUS

833 Avignon, 19 mai 1344.

Regi Cipri scribit ut cum Januensibus pacem componat, nunciosque Avinionem mittat. (Reg. 138, n° I, fol. 1 r°. B. N. lat. 4122, fol. 17.)

Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Hugoni, regi Cipri illustri. Dudum ad nostram venientes presentiam dilecti filii, nobilis vir, Johannes Bedoini, miles, consiliarius regius et Johannes, prior ecclesie Sancti Pauli Antiochensis et Crucis de Cipro, ordinis Sancti Benedicti, Nimociensis diocesis, tue celsitudinis nuncii, per nos benigne recepti, nobis exponere curaverunt quod, licet super dissentione sedanda, quam inter te, fili carissime, tuosque subditos, ex parte una, et dilectos filios gubernatorem et commune Januenses, ex altera, suscitarat humani genus inimicus, ad civitatem Januensem tuos nuntios destinasses, ipsique nuncii fuissent ab ipsis Januensibus a principio satis bene recepti ; tandem tamen nichil cum eis facere potuerant super hiis, quinimo, nunciis ipsis de civitate ac territorio Januensibus licentiatis minus honeste, prefati Januenses ad tuam et subditorum tuorum offensionem hostiliter se parabant. Nos igitur obviari periculis et scandalis, que inde provenire poterant, salubriter cupientes, eisdem gubernatori et communi per litteras nostras exhortatorias scripsimus ut ab omni hostili offensione tua, regni et subditorum tuorum penitus abstinentes, suos nuncios super omnibus articulis dictam dissentionem tangentibus sufficienter instructos et ydonea potestate suffultos, tract[at]uros coram nobis cum tuis predictis nunciis super mutua reformanda concordia destinare ad nostram presentiam procurarent ; quiquidem Januenses, nostris obtemperantes exhortationibus in hac parte, suos certos nuntios ad eandem presentiam transmiserunt. Postmodum autem, tam eis quam tuis predictis nunciis in Curia presentibus, post varias altercationes super predictis coram nobis et aliis, quibus negotium hujusmodi commisimus, habitas, hinc inde mediantibus inductionibus et solicitudinibus nostris, ad certam amicabilem concordiam devenerunt, sicut per scripturam confectam super hoc liquebit plenius et ipsi tui nuntii referre magnificentie regie seriosius poterunt viva voce. Cumque pro parte dictorum Januensium peterentur inter cetera super predicta reformanda concordia que secuntur : videlicet quod ipsi Januenses in regno tuo perpetuo haberent carcerem et quod in contracta concordia hujusmodi de privilegiis olim sibi, ut asserunt, concessis per clare memorie Henricum, regem Cipri, expressa mentio haberetur. Item quod ipsi Januenses cum lignis suis, absque licentia tuorum officialium, quandocumque haberent ingressum liberum ad portus predicti regni tui et nichilominus quod Januenses, in regno commorantes eodem, possent in furnis tuis aliorum etiam Januensium decoqui facere panes suos, nolentes aliter, nisi hiis eis concessis, tractatui ejusdem concordie consentire ; prenominatique tui nuncii premissa penitus concedere recusarent, se mandatum non habere super hiis et presertim quo ad ea, que tangunt dictum carcerem, asserentes. Nos, ne tantum bonum, quantum speramus ex eadem concordia proventurum [1], impediri valeret et tot perniciosis dispendiis,

1. Le texte porte : proventuum.

quot eadem comminabatur dissentio, aditus panderetur, meliori et expeditiori modo, quo fieri absque tui detrimento honoris et comodi potuit, premissa providimus, ut sequitur, temperanda : scilicet quod usque ad triennium, per quod tempus ipsa durare debet concordia, postmodum de voluntate tamen partium proroganda, habeant petitum carcerem Januenses predicti quodque de privilegiis Henrici regis predicti per verba enunciativa ipsorum Januensium non dispositiva contractus predicti fieret mentio in eodem. Rursus quod dicti Januenses possint cum lignis suis, sub certis modificationibus, in eodem contractu limitatis plenius et expressis, ad portus applicare predictos eisque liceat in furnis tuis aliorum etiam Januensium decoqui facere panes suos ; quibus quidem prelibati tui nuncii, ad mandatum nostrum, propter bonum pacis et concordie hujusmodi et etiam quia nuncii predictorum Januensium super multis petitis per eosdem tuos nuncios acquieverunt eis placibilem [1] et benigne, presertim super factis gabelle per illos qui contrahunt cum eisdem Januensibus persolvende necnon stipendiariorum tuorum Januensium et illorum qui sunt tui homines ligii, ut sub jurisdictione regia immediate, Johanne de Carmedino, qui per suam rebellionem protervam aliorum se reddidisse dicitur communitate indignum, dumtaxat excepto, consistant, juxta voluntatem et mandatum nostrum hujusmodi consenserunt. Super quibus eos, quos de solerti et circumspecta diligentia circa premissa et alia, que coram nobis habuerint agere, commendamus, habeat super hiis regalis excellentia, quesumus, excusatos. Demum cum pro parte predictorum Januensium asseratur quod propter malos officiales regios et indiscretas executiones eorum predicta dissentio mota fuit, excellentiam regiam attentius exhortamur quatenus super hoc regia circumspectio, prudenter providens et mature, velit bonos, fideles et discretos officiales, per quorum solertem industriam honores et jura observentur regia dictique Januenses et alii commorantes in regno predicto non graventur vel offendantur indebite, deputare. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tertio.

834 Avignon, 19 mai 1344.

Affirmat Ricardum Talbot, comitem Arundellie, archiepiscopo Cantuariensi nunquam maledixisse, regemque Angliæ de re certiorem facit. (Reg. 138, n° II, fol. 1 v°.)

Carissimo in Christo filio Edwardo, regi Anglie illustri. Quia intelleximus ab aliquibus tibi, fili carissime, fuisse suggestum quod dilectus filius, nobilis vir, Richardus, comes Arundellye, contra venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cantuariensem nobis sinistra duxerat aliqua describenda, nos, ne veritatis claritas mendaciorum tenebris super hiis obfuscetur, excellenciam regiam volumus non latere quod prefatus comes, nec contra prefatum archiepiscopum, nec pro ipso, aliqua, que nostra teneat memoria, nobis scripsit. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tertio.

835 Avignon, 19 mai 1344.

Comites infrascriptos similiter certiores facit. (Reg. 138, n°s III, IV et V, fol. 2 r°.)

Dilecto filio nobili viro Henrico, comiti Derbeye. Cum intellexerimus, tibi, fili, ab aliquibus. — Datum ut supra.

Item in eodem modo *dilecto filio, nobili viro, Willelmo, comiti Northamptonie, costabulario Anglie.*

Item in eodem modo *dilecto filio, nobili viro, Willelmo comiti Hontyndonie.*

836 Avignon, 19 mai 1344.

Ricardum comitem Arundelliae excusat. (Reg. 138, n° VI, fol. 2 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Richardo comiti Arundellye. De te, fili, relatibus percepimus admodum nobis gratis quod, libenter et devote amorem et timorem divinum amplectens, ac claritate fidelitatis et devotionis prefulgens, erga Deum et sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam ejus obsequiis et beneplacitis, tanquam benedictionis et gratie filius, promptis affectibus te impendis ; super quibus, sinceritatem tuam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus in hiis desursum a patre luminum tibi datis, que te Deo et

1. Le texte porte *placibilam*.

Sedi apostolice semper acceptiorem efficient, constanter et immobiliter perseveres et ecce, fili, quod super eo quod aliqui carissimo in Christo filio nostro Edwardo, regi Anglie illustri et quibusdam aliis tuis paribus Anglie suggessisse dicebantur te nobis contra venerabilem fratrem nostrum, archiepiscopum Cantuariensem, aliqua sinistra scripsisse, te super hoc, sicut cum veritate possumus, per nostras excusamus litteras apud eos. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tertio.

837 Avignon, 19 mai 1344.

Legatum in regno Siciliæ rogat ut processus sine mora publicet. (Reg. 138, n° VII, fol. 2 r°)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato. Litteras tuas, scriptas in civitate Fulginate, benigne recepimus, inter cetera continentes qualiter preficiendo ad regnum Sicilie accelerabas continue, quantum bono modo poteras, iter tuum, te super hiis, que nobis [suggesta fuerant] de quibusdam tractatibus, quos habuisse vel habere dicebaris cum gentibus carissime in Christo filie nostre Johanne regine Sicilie illustris fortiter excusando, que quidem grata sunt nobis admodum et accepta, volentes et tue discretioni mandantes quatenus accessum tuum, sicut cum securitate persone tue poteris, ad portus dicti regni festinare procures, super negociis ibidem tibi commissis publicando processus et alias, sicut tibi ministrabit Dominus, solerti et fideli adhibita diligentia et nullis admissis tractatibus, cum premissa omnino fieri expediat, processurus. Ceterum venerunt noviter ad presentiam nostram dilecti filii, nobiles viri, Ludovicus de Duratio et Bertrandus de Baucio, comes Montiscaveosi, dicte regine nuncii, nichil quod debeamus circa premissa recipere quomodolibet offerentes ; porro que per te agi contigerit et tibi nuncianda occurrerint rescripturus. Mens enim nostra continue anxiabitur quousque, an obedientiam in eodem regno super commissis tibi, ut prefertur, repereris, certitudinem habuerimus pleniorem. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tertio.

838 Avignon, 19 mai 1344.

Mariam de Bessia, monialem monasterii de Bonasanha, Lemovicensis diœcesis, monasterio Bellimontis, Ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diœcesis, abbatissam præficit. (Reg. 138, n° VIII, fol. 2 v°.)

Dilecto filio Guidoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali. Pastoralis officii debitum nos perurget, ut vacantibus ecclesiis et monasteriis, quorum provisiones specialiter nobis reservavimus, de celeri provisione, ne deplorare cogantur divine vacationis incommoda, per nostre solicitudinis studium succurratur. Dudum siquidem volentes monasterio monialium Bellimontis, Ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis dioecis, si tunc vacabat vel quamprimum illud vacare contingeret, de persona ydonea per circumspectionem Sedis Apostolice provideri, ex hiis et aliis certis rationabilibus causis ad id nos inducentibus, provisionem ejusdem monasterii nobis ea vice duximus auctoritate apostolica specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Cum autem dictum monasterium per obitum quondam ultime... abbatisse ipsius, que in partibus illis diem clausit extremum, vacare noscatur ad presens, nos dispendiis, que prolixa vacatio monasterio predicto posset afferre, occurrere cupientes, et de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue ut de dilecta in Christo filia Maria de Bessia, moniali monasterii de Bonasanha, ordinis predicti, Lemovicensis diocesis, que de religionis zelo, vite mundicia, circumspecta in spiritualibus et temporalibus prudentia et aliis donis virtutum multipliciter apud nos fide digno testimonio commendatur, hac vice dicto monasterio Bellimontis, etiam apud Sedem Apostolicam providere, ipsamque in Abbatissam eidem monasterio preficere, ac sibi curam et administrationem ipsius plenariam in spiritualibus et temporalibus committere, necnon et per aliquem antistitem, catholicam gratiam et communionem dicte Sedis habentem, facere secundum statuta canonica munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, aliaque omnia et singula expedire, gerere, ac exercere valeas, que circa premissa fuerunt quomodolibet oportuna. Contradictores etc., plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Voluimus autem quod antistes, qui predicte Marie, postquam eam in abbatissam prefeceris monasterio prelibato, munus benedictionis impendet, ab ea,

cum illud sibi impenderit, nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite recipiat juramentum, juxta formam quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam et formam hujusmodi juramenti, quod ipsa prestabit, nobis de verbo ad verbum, per suas patentes litteras ejus sigillo signatas, nobis per proprium nuncium destinare procuret. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

839 Avignon, 19 mai 1344.

Dominum de Magnaco rogat ut Petro de Sancto Martiale, ostiario, cujusdam terræ emendæ, quam possidebat Guido Senescalli, licentiam det. (Reg. 138, n° IX, fol. 3 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Iterio, domino de Magnaco, Lemovicensis diocesis, baylivo Andegavensi. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius, nobilis vir, Petrus de Sancto Marciale, domicellus, magister hostiarius et familiaris noster, de quadam terra cum jurisdictione alta et bassa, que in partibus Lemovicensibus a te teneri dicitur in feudum, emenda certo precio a dilecto filio nobili viro Guidone Senescalli, Pictavensis diocesis, certum pactum habuerit cum eodem, nobilitatem tuam attentius deprecamur, quatenus eundem domicellum habens super hiis, precum nostrarum obtentu, favorabiliter commendatum, sibi dictam terram emendi ac retinendi possessionemque illius et saysinam aprehendendi, velis licentiam concedere specialem, et deinde ab ipso recognitionem et homagium libere recipere, ad que prestanda ille, a quo causam habebit, tibi antea tenebatur, sic preces nostras hujusmodi ad effectum exauditionis favorabiliter admissurus quod nos devotionem tuam exinde commendare merito valeamus. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

840 Avignon, 19 mai 1344.

Officiali Baiocensi mandat ut priorem de Capella atque monachum quemdam prioratus Sancti Vigoris coram Camera Apostolica citare velit. (Reg. 138, n° X, fol. 3 r°.)

Dilecto filio officiali Baiocensi vel ejus locumtenenti. Cum super certis negociis Cameram nostram tangentibus cum dilectis filiis Guillelmo de Sancto Paulo, priore prioratus de Capella, ordinis Sancti Benedicti, diocesis Baiocensis, et Guillelmo de Bisuntio, monacho monasterii Sancti Benigni de Divione, ordinis predicti, Lingonensis diocesis, commorante in prioratu Sancti Vigoris prope Baiocas, ejusdem ordinis, velit eadem Camera informari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eosdem priorem et monachum, receptis presentibus, absque morosa dilatione, per te vel alium seu alios peremptorie citare procures, ut infra dierum triginta spacium a die citationis hujusmodi computandum apud Sedem apostolicam in eadem Camera personaliter se presentent, informaturi super predictis prefatam Cameram et alias facturi quod fuerit rationis; diem autem hujusmodi citationis et formam et quicquid inde feceris, eidem camere per tuas litteras vel instrumentum publicum, harum seriem continens, studeas intimare. Dat. Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

841 Avignon, 19 mai 1344.

Episcopo Trecensi indulget ut confessorem eligere possit. (Reg. 138, n° MCLXXXXII, fol. 314.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Trecensi. Benigno sunt illa tibi concedenda. — Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

842 Avignon, 19 mai 1344.

Indulgenciam in mortis articulo episcopo Trecensi concedit. (Reg. 138, n° MCLXXXXIII, fol. 314.)

Eidem [episcopo]. Provenit ex tue devotionis. — Datum ut supra.

843 Avignon, 19 mai 1344.

Infrascriptis altare portatile concedit. (Reg. 138, n° MCLXXXVIII, fol. 313 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Petro Ademario de Agrifolio, familiari nostro, et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Margarite, ejus uxori, Lemovicensis diocesis. Sincere devotionis affectus —. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

844 Avignon, 19 mai 1344.

Gasberto de Septemfontibus, scriptori suo, altare portatile concedit. (Reg. 138, n° MCLXXXVII, f° 313.)

Dilecto filio magistro Gasberto de Septemfontibus, canonico Ilerdensi, scriptori et familiari nostro. Sincere devotionis affectus. — Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno tercio.

845 Avignon, 20 mai 1344.

Infrascriptis concedit altareportatile. (Reg. 138, n^os MCLXXVIII-MCLXXX, fol. 313 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Guidoni de Podiovallis, Tutellensis diocesis. Sincere devotionis affectus —. Datum Avinione, XIII kalendas junii, anno tercio.

In eodem modo *dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Heliadi uxori dilecti filii, nobilis viri, Guidonis de Podiovallis, Tutellensis diocesis.*

... *Margarite relicte quondam Guillelmi de Podiovallis, Tutellensis diocesis.*

846 Avignon, 20 mai 1344.

Infrascriptis, qui Cameræ Apostolicæ famulantur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n^os MCVIII-MCX, fol. 297.)

Dilecto filio Guillelmo Chautardi, canonico ecclesie Beati Ilarii Pictavensis. Tue probitatis merita —. Datum ut supra.

Judicibus. Mandamus quatinus vos.

In eodem modo alie II littere graciosa et executoria pro *dilecto filio Bernardo Sacriste, canonico ecclesie Beati Stephani de Dunoregis, Bituricensis diocesis.*

847 Avignon, 20 mai 1344.

Infrascripto subcollectori qui Cameræ Apostolicæ famulatur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n^os MCVI et MCVII, fol. 296.)

Dilecto filio Stephano Chautardi, canonico Bituricensi. Ex tue devotionis —. Datum Avinione, XIII kalendas junii, anno tercio.

Judicibus. Mandamus quatinus vos —. Dat. ut supra.

848 Avignon, 20 mai 1344.

Conceduntur litteræ salviconductus Thomæ Koch et quatuor aliis militibus qui Avinionem pro parte comitis Derbeyæ venerant et ad Angliam revertebantur. (Reg. 138, n° MLXXXVIII, fol. 291 v°.)

Venerabilibus fratribus... necnon nobilibus viris, etc. Cum dilecti filii nobiles viri Thomas Koch, miles carissimi in Christo filii nostri Edwardi, regis Anglie illustris et quatuor alii milites ejus socii nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri, Henrici comitis Derbeye ad Romanam curiam pro certis negociis venientes, nunc ab ipsa recedant curia de nostro beneplacito, ad eam in proximo reversuri, nos ipsos cum comitiva sua cupientes in via sui recessus hujusmodi plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus, etc. — Datum Avinione, XIII kalendas junii, anno tercio.

849 Avignon, 20 mai 1344.

Imperatricis Constantinopolitanæ petitioni negat, sed natas ejus episcopumque Coronensem commendare spondet. (Reg. 138, n° XI, fol. 3 r°.)

Carissime in Christo filie Catherine, imperatrici Constantinopolitane. Pridem ad nostram venientes presentiam venerabilis frater noster Andreas, episcopus Coronensis et dilectus filius, nobilis vir, Angelus de Senis, tue serenitatis nuncii, tuas nobis litteras presentarunt, quos quidem nuncios et litteras benigne tam consideratione mittentis quam ipsorum missorum probitatis obtentu, recepimus, et que ipsi sub commissa eis per easdem litteras credentia pro parte tue magnificentie curaverunt exponere dicteque continebant littere, pleno collegimus intellectu. Cumque per credentiam hujusmodi et litterarum ipsarum etiam seriem peteretur a nobis quod uni de spectabilibus juvenibus, natis tuis, aliquam de terris ecclesie Romane immediate subjectis concedere filiasque tuas puellas nobiles in certis casibus recommendatas habere de benignitate solita quodque prefatum episco-

pum super translatione ad aliquam ecclesiam magis tibi propinquam respiciente paterne solicitudinis benivolentia dignaremur, nos eisdem nunciis super hiis respondimus et tue celsitudini tenore presentium breviter respondemus quod terras predictas, inherendo predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigiis, sub manu nostra et ecclesie predicte tenere intendimus, nulli eas vel earum aliquam quomodolibet concedendo. Porro predictas filias, quas una cum matre paterne caritatis dilectione prosequimur, recommendatas libenter habebimus loco et tempore oportunis et eundem episcopum tam tue, filia carissima, considerationis intuitu quam ipsius meritorum exhigentia respicimus, cum facultas se obtulerit, favoribus gratiosis. Datum Avinione, XIII kalendas junii, anno tertio.

850 Avignon, 21 mai 1344.

Officiali Trecensi mandat ut Theobaldus Inferni, rector Sancti Remigii Trecensis quoddam beneficium obtineat, quod cardinalis tituli Sancti Martini in Montibus vindicabat. (Reg. 138, n° XII, fol. 3 v°.)

Dilecto filio... officiali Trecensi. Exposuit nobis dilectus filius Theobaldus Inferni, clericus, rector parrochialis ecclesie Sancti Remigii Trecensis quod cum nos sibi qui, tempore quo de statu cardinalatus ad suum apostolatus apicem divina miseratio nos assumpsit, nostris familiaribus obsequiis insistebat, sicut antea insisterat, et postmodum etiam noscitur institisse, super provisione facienda eidem de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, tunc vacante, vel proxime vacaturo, spectante ad collationem, provisionem, presentationem vel quamcumque aliam dispositionem dilectorum filiorum decani et capituli ecclesie Trecensis sub certa forma gratiam fecerimus specialem, ipseque vigore ipsius gratie prefatam parrochialem ecclesiam vacantem postmodum acceptarit, tanquam sibi de jure debitam, et de illa sibi fecerit canonice provideri, tu qui super quadam gratia dilecto filio nostro Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, dudum de beneficiis ecclesiasticis in civitate, diocesi et provincia Senonensibus, de qua civitas et diocesis Trecensis existunt, tunc vacantibus vel vacaturis, sub certa forma per nos facta, subexecutor una cum quibusdam aliis fore diceris auctoritate apostolica deputatus, eundem Theobaldum in dicta ecclesia, quam dicto cardinali deberi asseris, licet secundum datam litterarum dicto Theobaldo concessam, super hujusmodi gratia per nos, ut prefertur, sibi facta, et quia etiam familiaris noster dicto tempore, sicut premissum est, existebat, debeatur de jure, super assecutione pacifice possessionis ejusdem ecclesie, presertim quia in eisdem litteris de familiaritate predicta non fit mentio, impedis et perturbas. Cum autem idem Theobaldus dicto tempore assumptionis ad apostolatus apicem familiaris noster existeret, ut prefertur, et propterea velimus eundem de familiaritate ipsa, quo ad predictam ecclesiam obtinendam, si sibi tamen alias, ut premissum est, debeatur de jure prerogativa familiarium nostrorum, dicto tempore nobiscum existentium, in assecutione beneficiorum ecclesiasticorum, de quibus eis mandavimus provideri, quamvis in litteris predictis de familiaritate ipsa mentio non habeatur, gaudere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Theobaldum super assecutione ipsius ecclesie pacifica ejusque fructibus et redditibus a tempore collationis sibi facte de illa contra voluntatem et informationem hujusmodi non impedias, nec permittas ab aliis, quantum in te fuerit, impediri. Datum Avinione, XII kalendas junii, anno tercio.

851 Avignon, 21 mai 1344.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 38, n° MCLXXIII, fol. 312 v°.)

Dilecto filio Petro de Bonomonte, canonico ecclesie Beate Marie Iriensis, Compostellane diocesis. Quia presentis vite —. Datum Avinione, XII kalendas junii, anno tercio.

852 Avignon, 21 mai 1344.

Eidem indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCLXVIIII, fol. 312.)

Dilecto filio Petro de Bonomonte, canonico ecclesie Beate Marie Iriensis, Compostellane diocesis. Provenit ex tue —. Datum Avinione, XII kalendas junii, anno tercio.

853 Avignon, 22 mai 1344.

Regi Franciæ Johannem de Levis, dominum Mirapiscensem commendat. (Reg. 138, n° XIII, fol. 4 r°.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius, nobilis vir, Johannes de Levis, dominus Mirapiscensis, quedam sua negocia habeat in regali curia expedire, ipsum nobilem super expedicione negociorum eorumdem, quantum honestas suaserit, favorabili benivolentie regie propensius commendamus. Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tercio.

854 Avignon, 22 mai 1344.

Infrascriptis mercatoribus navem mercibus oneratam, ferro et armis exceptis, ad terras soldano Babiloniæ pertinentes transvehendi potestatem dat, dummodo jurent. (Reg. 138, n° XIIII, fol. 4 r°.)

Dilectis filiis Petro de Mediavilla et Arnaldo Laurentii, civibus Barchinonensibus. Exposcit ingentis devotionis. — Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tercio.

855 Avignon, 22 mai 1344.

Prorogat terminum in quo regina Siciliæ homagium, vassallagium et fidelitatis juramentum Sedi Apostolicæ præstare tenetur. (Reg. 138, n° XV, fol. 4.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Pro parte tua, filia carissima, dudum exposito coram nobis quod tu, que in regno Sicilie ac terris citra Farum de directo nostro et ecclesie Romane dominio existentibus, inclite memorie Roberto regi Sicilie avo tuo tunc noviter successeras, nobis et ipsi ecclesie prestare homagium ligium, plenum vassallagium et fidelitatis juramentum pro regno et terris tenebaris predictis, propter necessitates que in regiminis tui primordiis tibi necessario incumbebant, pro prestandis homagio, vassallagio et fidelitatis juramento predictis, prout ad ea, secundum conventiones et pacta contenta et expressa in litteris apostolicis super concessione regni et terrarum predictorum confectis existebas, sicut adhuc existis, astricta, non poteras infra tempus debitum ad nostram presentiam personaliter te conferre, et propterea nobis humiliter supplicato ut providere tibi super hiis de prorogationis competentis termino, ne periculis subjacearis propter hoc, de benignitate apostolica dignaremur; nos, ex hiis et aliis causis rationabilibus nostrum ad id moventibus animum, tue supplicationi hujusmodi benignius inclinati, primo videlicet VII kalendas junii pontificatus nostri anno primo tibi super prestandis eisdem homagio, vassallagio et fidelitatis juramento, sicut ad illa juxta consuetudinem litterarum predictarum tenebaris et adhuc teneris, tempus hujusmodi debitum infra quod tunc temporis existebas, usque ad instans tunc proximo festum Penthecostes de gratia prorogavimus speciali, non intendentes propter hoc vel quecumque alia super contentis in supradictis litteris aliquid immutare vel eis seu coram aliquibus quomodolibet derogare, immo ea volebamus, intelligebamus et decernebamus in sue firmitatis efficatia perdurare; ac deinde, scilicet VII idus aprilis proximo preteriti, supplicationi tue benignius annuentes, prorogationem eandem modo et forma predictis ab eodem termino festi Penthecostes usque ad duos menses extunc continue immediate sequentes ex uberiori gratia duximus extendendam, sicut in diversis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem per tuos solemnes nuncios, nuper ad nostram presentiam venientes, nobis feceris humiliter supplicari ut cum adhuc minime subductis necessitatibus antedictis nequeas commode infra predictum ultimum terminum pro prestandis eisdem homagio, vassallagio et fidelitatis juramento ad eandem nostram presentiam commode personaliter te conferre, providere tibi de amplioris prorogationis termino de copiosa benignitate Sedis apostolice dignaremur, nos igitur qui te, filia dilectissima, favoribus libenter, quantum cum Deo possumus, prosequimur gratiosis, tam paterne caritatis et dilectionis intuitu quam dilecti filii nobilis viri Ludovici de Duracio, consanguinei et nuntii tui, nobis super hiis instanter et humiliter supplicantis obtentu, prorogationem predictam adhuc a fine duorum mensium predictorum ab eodem festo Penthecostes immediate sequentium usque ad instans proximo festum beati Michaelis Arcangeli ex uberioris abundantia gratie duximus tenore presentium extendendam; non intendentes per prorogationem vel extensiones hujusmodi aut quecumque alia contentis in litteris apostolicis supradictis super concessione dicti regni et aliis contentis in eisdem confectis seu aliquibus eorumdem quomodolibet derogare vel immutare aliquid super eis, immo volumus, intelligimus et decernimus ea in sua solida et inviolabili firmitate manere. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tertio.

856 Avignon, 22 mai 1344.

Abbatissæ monasterii Bellimontis mandat ut benedictionis munus ab antistite recipiat. (Reg. 138, n° XVI, fol. 5 r°.)

Dilecte in Christo filie Marie, abbatisse monasterii Bellimontis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Cum pridem monasterio Bellimontis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, tunc per obitum ultime ipsius abbatisse in illis partibus decedentis vacanti, cujus provisionem nos certis ex causis ea vice nobis ante vacationem hujusmodi auctoritate apostolica specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, fuerit de persona tua eadem auctoritate provisum, sicut in litteris inde confectis plenius continetur, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque malueris antistite catholico gratiam et communionem apostolice Sedis habente, valeas juxta formam canonum munus benedictionis recipere, ac eidem antistiti quod munus predictum auctoritate nostra impendere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem quod idem antistes, qui tibi munus predictum impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam juramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tercio.

857 Avignon, 22 mai 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCLXXXXIIII, fol. 314 v°.)

Dilecto filio Johanni Lafagia, rectori parrochialis ecclesie de Gaiano, Mirapiscensis diocesis. Provenit ex tue. — Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tercio.

858 Avignon, 22 mai 1344.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 138, n° MCLXI, fol. 309 v°.)

Dilecto filio Johanni Lafagia, rectori parrochialis ecclesie de Gaiano, Mirapiscensis diocesis. Quia presentis vite —. Datum Avinione, XI kalendas junii, anno tercio.

859 Avignon, 22 mai 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCLXXXXV-VI, fol. 314 v° et 315.)

In eodem modo *dilecto filio, Petro Bonassie, civi Carcassonensi.* Datum ut supra (Avinione, XI kalendas junii, anno tercio).

Item in e. mo. *dilecto filio Gasberto de Montelauduno, canonico Turonensi.*

860 Avignon, 23 mai 1344.

Regem Franciæ rogat ut Johanni de Norwico salvum conductum præbere velit, qui de Romana Curia ad Angliam pergit. (Reg. 138, n° XVII, fol. 5 r°.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Cum dilectus filius, nobilis vir, Johannes de Norwico, miles, de Romana curia, ubi pro quibusdam negociis suis fuit diebus aliquibus, repetendo partes suas, ad carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris intendat presentiam se conferre, regalis tue serenitatis excellenciam deprecamur quatinus eidem militi de pleni securitate conductus, oportunis inde sibi concessis litteris, eadem excellencia faciat provideri. Datum Avinione, X kalendas junii, anno tercio.

861 Avignon, 23 mai 1344.

Cancellario Franciæ similiter scribit. (Reg. 138, n° XVIII, fol. 5 r°.)

Dilecto filio nobili viro, Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario. Cum dilectus filius etc... nobilitatem tuam etc... oportunas litteras regias fieri facias et assignari. Datum Avinione, X kalendas junii, anno tercio.

862 Avignon, 23 mai 1344.

Episcopo Carnotensi monasteria diœcesis per procuratores visitandi potestatem concedit et declarat sub nomine procurationum victualia prædicto episcopo debita contineri. (Reg. 138, n° XIX, fol. 5 r°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi. Dudum personam tuam volentes, tuis claris meritis exhigentibus, favore prosequi gracie specialis, ut ecclesias et monasteria eorumque personas tuarum civitatis et diocesis Carnotensis, in quibus tibi officium visitationis competit de consuetudine, vel de jure, posses per alios vel per aliquas personam seu personas ydoneas, quam vel quas ad id duceres deputandam vel etiam deputandas, usque ad biennium, quotiens tempus visitationis ingrueret, visitare, ac procurationes ratione visitationis hujusmodi tibi debitas ab eisdem ecclesiis, monasteriis et personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere moderatas, tibi per nostras litteras duximus indulgendum, certis tibi super hoc executoribus deputatis; et deinde per te nobis exposito quod extra predictas tuas civitatem et dioecesim ab aliquibus locis et personis ecclesiasticis, alique procurationes taxate, non in pecunia, sed in quantitate victualium, et alique non taxate tibi de antiqua et observata consuetudine preteritis temporibus debebantur, nos tuis supplicationibus inclinati, eisdem executoribus per alias litteras dedimus in mandatis, ut procurationes hujusmodi, non obstante quod... episcopo Carnotensi, qui est pro tempore, petenti et requirenti consuevissent procurationes hujusmodi exhiberi, videlicet de taxatis integraliter et de non taxatis rationabiliter in pecunia numerata, facerent tibi vel procuratori tuo, ac si presens esses in illis partibus, et eos qui ad easdem procurationes, ut prefertur, exhibendas tenentur, super hoc in persona propria requisisses, per dictum biennium exhiberi, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane quia, sicut te referente precepimus, tam dilecti filii decanus et capellani ecclesie Parisiensis quam alii, qui tibi annis singulis, si requiratur quodam in victualibus et pecunia sub nomine pastus, exhibere tenentur, de illis procuratori tuo pro eo respondere recusant, quod in litteris nostris predictis de pastu hujusmodi mentio non habetur, nos tuis supplicationibus inclinati, nostre intentionis extitisse, ac existere tenore presentium declaramus, sub nomine procurationum predictarum pro tempore concessionis nostre predicte hujusmodi pastum includi. Datum Avinione, X kalendas junii, anno tercio.

863 Avignon, 23 mai 1344.

Astorgio de Monteclaro, monacho monasterii Casæ Dei, nonobstante ætatis defectu, prioratum Sancti Juliani prope Pullum, Claromontensis diœcesis, confert. (Reg. 138, n° XX, fol. 5 v°.)

Dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim et... priori Sancte Geme, ac... decano ecclesie Brivatensis, Aurelianensis, Xanctonensis et Sancti Flori diocesium, judicibus. Religionis zelus, honestas morum et vite, aliaque probitatis merita, quibus personam dilecti filii Astorgii de Monteclaro, monachi monasterii Casedei, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, juvari percepimus, nos inducunt ut eidem reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem, sicut accepimus, prioratu Sancti Juliani prope Pullum, ordinis et diocesis predictorum, eidem monasterio Casedei immediate subjecto, et per monachos ipsius gubernari solito, per liberam resignationem... procuratoris dilecti filii Petri de Monteclaro, olim prioris ejusdem proratus, in manibus dilecti filii Rigaldi abbatis supradicti monasterii sponte factam, vacante, idem abbas eundem prioratum sic vacantem, et ad collationem seu commissionem abbatis ipsius monasterii, qui est pro tempore, pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, per suas patentes litteras ejus sigillo sigillatas seu instrumentum publicum prefato Astorgio commisit in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernandum, sicut in eisdem litteris seu instrumento predicto plenius continetur. Cum autem, ut ex petitione dicti Astorgii exhibita nobis collegimus, idem Astorgius tempore commissionis hujusmodi de ipso prioratu per dictum abbatem, ut premittitur, ei facte, pateretur in etate defectum, cum tunc quartum decimum sue etatis annum nondum attigisset, licet tunc in octavo ejusdem etatis sue anno vel circa illum dumtaxat constitutus esse diceretur, pro parte ipsius Artorgii nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque attendentes quod dicta commissio de dicto prioratu Sancti Juliani per dictum abbatem prefato Astorgio, ut premittitur, facta secundum premissa juribus non subsistit, eundem prioratum si die data presentium

non sit in eo alicui specialiter jus quesitum dispositioni nostre hac vice specialiter auctoritate apostolica reservamus, decernentes exnunc irritum et inane in secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari; et volentes memoratum Astorgium premissorum suorum meritorum obtentu favore prosequi gratie specialis, mandamus quatinus vos vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, quibus jus aliis reservationibus de dicto prioratu per sedem apostolicam specialiter vel generaliter hactenus factis, si est ita, et tempore date presentium non sit in eodem prioratu, ut prefertur, alicui specialiter jus quesitum, predicto Astorgio cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Inducentes eum vel procuratorem suum pro ipso in corporalem possessionem dicti prioratus, ac jurium et pertinentiarum ipsius, et defendentes inductum, ammoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum vel dictum procuratorem suum pro eo ad dictum prioratum, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prioratus fructibus pro jure et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus, dignitatibus, personatibus vel officiis et aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dicti prioratus Sancti Juliani prefatum Astorgium voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prioratuum, dignitatum, personatuum, et officiorum ac beneficiorum aliorum prejudicium generari; seu si abbati, qui est pro tempore, et dilectis filiis conventui dicti monasterii vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de prioratibus, dignitatibus, personatibus vel officiis, aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujuscumque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio sp cialis; seu quod idem Astorgius patitur in etate defectum, cum nondum, ut premittitur, quartum decimum sue etatis annum attingat, licet in predicto octavo ejusdem etatis sue anno, vel circa illum constitutus esse dicatur. Vos enim cum eodem Astorgio, quod juhusmodi defectum, ac felicis recordationis Clementis pape V, predecessoris nostri, et quacumque alia constitutione contraria nequaquam obstantibus, predictum prioratum Sancti Juliani libere recipere et licite retinere valeat, auctoritate eadem dispensetis, proviso quod idem prioratus debitis obsequiis non fraudetur quodque ipse Astorgius, postquam ad etatem ad id aptam pervenerit, se faciat ad ordines, prout ipsius prioratus onus requirit, statutis a jure temporibus promoveri. Volumus tamen quod, quam primum idem Astorgius quartum decimum etatis ejusdem sue annum perfecerit, professionem expressam de novo faciat, vel jam forsan per ipsum factam expresse approbare seu ratam habere libere teneatur. Nos enim irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Avinione, X kalendas junii, anno tercio.

864 **Avignon, 23 mai 1344.**

Comitem de Derby rogat ut Avinionem veniat de pace colloquendi causa. (Reg. 138, n° XXI, fol. 6 v°.)

Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye. Impedimentum, quod gentibus tuis occurrisse in itinere audivimus, molestum nobis admodum extitit et infestum et indubie credimus quod carissimo in Christo filio nostro, Philippo regi Francie illustri, displicibile reddetur et grave. Porro, fili, sicut alias nobilitati tue scripsisse meminimus, tua presencia, ut ea recrearemur, tecumque colloqueremur super sedandis periculosis dissentionibus, que hiis temporibus, peccatis exhigentibus, ingruerunt et ingruunt, ac pacis procuranda quiete, plurimum existeret nobis grata, et si ad nos venire velles, tibi nostros de securo conductu miteremus et ejusdem regis oportunas

litteras procuraremus transmittere[1], super quibus nos curet, quesumus, eadem nobilitas efficere quantocius certiores. Datum Avinione, X kalendas junii, anno tercio.

865 Avignon, 25 mai 1344.

Infrascripto licenciam testandi concedit. (Reg. 138, n° MCLXII, fol. 310.)

Item in eodem modo *dilecto filio magistro Francisco de Sancto Maximo, canonico Boianensi, scriptori nostro.* Datum Avinione, VIII kalendas junii, anno tercio.

866 Avignon, 26 mai 1344.

Cardinalem legatum laudat quod negotia in regno Siciliæ bene cesserint. (Reg. 138, n° XXII, fol. 6 v°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato. Leta manu diversas tuas recepimus litteras, tam tui progressum ad partes regni Sicilie itineris, quam ea, que per te circa commissa tibi negotia statum ejusdem regni tangentia gesta fuerunt, et excusationes tuas super illis que de tractatibus, quos cum gentibus carissime in Christo filie nostre Johanne regine Sicilie illustris te habuisse dicebant aliqui, nobis suggesta fuerant, seriosius describentes; quarum tenoribus diligentius intellectis, excusationes ipsas, quas veras reputamus, delectabiliter et gratanter admisimus, leti nichilominus, cum habeamus materiam non accomodandi talia deinceps suggerentibus faciliter credulas aures nostras. Super publicatione autem processuum in Reata et Aquila per te facta, et aliis que circa negotia predicta gessisse predicte describunt littere, nobis et aliis audientibus grata utique quam plurimum et accepta tua circumspecta et fidelis operosa diligentia tam in consistorio quam alibi extitit, plusquam posses forsan credere, commendata. Sane quia in viris virtuosis virtus commendata semper crescere consuevit, circumspectionem tuam solicitamus et hortamur attente quatenus super eisdem negociis, que propter honorem Dei et ecclesie ac utilitatem dicte regine regnique predicti publicam nostris admodum insident affectibus, sic de bono semper in melius, quantum cum tue securitate ac incolumitate persone fieri poterit, procedere nos postponas, quod sperata exinde prefaris regine ac regno totique reipublice, gratia tibi suffragante divina, proveniant commoda et tibi magni crescat merces meriti apud Deum, nobis sepius, quotiens oportunum extiterit, que acta per te fuerint et nuncianda nichilominus occurrerint, presertim, quam obedientiam et a quibus exhibitam tibi repereris rescripturus. Datum Avinione, VII kalendas junii, anno tertio.

1. Le texte porte : transmittimus.

867 Avignon, 26 mai 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCLXXXXVII, fol. 315.)

Item in eodem modo *dilecto filio magistro Francisco de Sancto Maximo, canonico Boianensi, scriptori nostro.* Datum Avinione, VII kalendas junii, anno tercio.

868 Avignon, 27 mai 1344.

Symonem Boccanegra, gubernatorem Januensem hortatur ut pacem cum Carolo et Antonio de Grimaldis, qui castrum de Monaco tenent, firmare velit. (Reg. 138, n° XXIII, f° 7.)

Dilecto filio, nobili viro, Symoni Boccanegra, gubernatori Januensi. Nobilitatis tue litteras per dilectum filium, Janotum Deodati, civem Januensem, nuncium tuum, nuper nostro apostolatui presentatas benigne recepimus, et tam contenta in eis quam ea, que idem nuncius pro parte tua, et dilectorum filiorum communis civitatis Januensis explicare voluit, intelleximus diligenter. Cumque litterarum predictarum series et exposita per eundem nuncium, ut premittitur, continerent quod dilecti filii, nobiles, viri, Carolus et Antonius de Grimaldis, tenentes castrum de Monacho, districtus Januensis, contra conventiones et pacta contenta in quadam concordia inter te dictumque commune ex parte una, et ipsos ex altera dudum facta, temere venientes et ad offensiones et depredationes piraticas suos iniquos dirigentes conatus, tam nonnullos mercatores Januenses, quam alios per mare navigantes illarum partium per se vel suos complices et piratas[1] offenderant et depredati

1. Le texte porte : *paratas.*

fuerant, ac offendere et depredari non absque gravi Dei offensa et reipublice lesione non modica continue faciebant; nos, qui pacis et justicie cultum ubique inter fideles coli, ac dissensionum et odiorum periculosa removeri discrimina, paternis desideriis affectamus, venerabili fratri Bertrando, episcopo Ostiensi, et dilecto filio nostris Guidoni tituli sancte Cecilie presbitero, cardinalibus, commisimus oraculo vive vocis, ut ipsi cum prefato tuo, ac quodam alio, qui pro parte dictorum nobilium quasdam nobis litteras presentarant, nunciis, tunc in curia Romana presentibus, ipsos evocando ad suam presentiam si super predictis facilius super eis oportuna possemus adhibere remedia, informarent. Postmodum autem ex ipsorum cardinalium relatione percepto quod idem nuncius prefatorum nobilium proposuerat, presente tuo predicto nuncio coram eis, quod eadem concordia pro parte tua et communis predicti prius fracta et violata fuerat, quam per ipsos, et attento nichilominus quod ipsi nobis per suas predictas litteras scripserant, quod ipsis ad observationem dicte concordie paratis et promptis, tu et commune predictum observare noluistis eandem, nos qui tuum et ipsius communis statum zelamus pacificum et tranquillum, deliberatione prehabita super hoc, ordinavimus utrique parti scribendum ut certi nuncii sufficienter instructi et ydoneis mandatis suffulti, super reformanda et firmanda dicta concordia, vel alia, si videatur utilius ineunda, hinc ad festum beati Michaelis archangeli instans proximo, ad nostram presentiam transmittantur hinc inde, quodque interim per utramque partem a quibusvis invasionibus, offensionibus et noxiis novitatibus cessetur omnino. Quocirca nobilitatem tuam rogamus, requirimus attentius et hortamur quatinus pro parte tua et ipsius communis nuncium seu nuncios hujusmodi ad eandem presentiam infra dictum terminum destinare procures. Interim ab eisdem invasionibus, offensionibus et novitatibus totaliter abstinendo cum idem parti [1] alteri per alias litteras nostras scribamus. Datum Avinione, VI kalendas junii, anno tercio.

869 Avignon, 27 mai 1344.

Carolum et Antonium de Grimaldis, cives Januenses, rogat ut pro pace cum gubernatore firmanda Avinionem nuncios mittant. (Reg. 138, n° XXIIII, fol. 7 v°.)

1. Le texte porte : *parati*.

Dilectis filiis, nobilibus viris, Carolo et Antonio de Grimaldis, civibus Januensibus. Nuper pro parte dilecti filii nobilis viri, Symonis de Boccanegra, gubernatoris Januensis misse fuerunt per suum nuncium specialem et presentate nostro apostolatui littere inter cetera continentes quod vos contra conventiones et pacta contenta in quadam concordia inter vos ex parte una et ipsum gubernatorem ac dilectos filios commune civitatis Januensis ex altera dudum facta venire temere non verentes, tam nonnullos mercatores Januenses quam alios per mare illarum partium navigantes per vos et vestros offendere ac depredari presumpseratis et presumebatis non sine gravi Dei offensa et rei publice lesione non modica incessanter. Nos, qui pacis et justitie cultum ubique inter fideles coli cupimus ac excessus, dissentiones et odia detestamur, venerabili fratri Bertrando, episcopo Ostiensi et dilecto filio nostris Guidoni, tituli sante Cecilie presbytero, cardinalibus, commisimus oraculo vive vocis ut super premissis a prefato vestro et quodam alio, qui quasdam pro parte dicti Gubernatoris nobis litteras presentarat, nunciis tunc in Curia Romana presentibus ipsos ad eorum evocando presentiam super predictis, ut facilius super eis oportuna possemus adhibere remedia informatione recepta nobis referre fideliter, que per ipsos reperirentur super hiis, procurarent. Postmodum autem ex eorundem cardinalium relatione percepto quod quidam nuncius vester proposuerat, presente predicti gubernatoris nuncio coram eis, quod pro parte prefatorum gubernatoris et communis prius fracta et violata fuerat concordia supradicta, dicto nuntio contrarium asserente et attento quod per vos nobis scriptum fuerat quod, licet vos ad observationem ejusdem concordie obtulissetis et essetis parati et prompti, ipsi tamen eam recusaverant observare ; nos qui statum vestrum et illarum partium paternis zelamus affectibus prosperum et tranquillum, deliberatione prehabita super hoc, ordinavimus utrique parti scribendum ut certi nuncii, sufficienter instructi et ydoneis mandatis suffulti, super reformanda et firmanda dicta concordia vel alia, si videatur utilius, ineunda hinc ad festum beati Michaelis Arcangeli proximo futurum mittantur ad nostram presentiam hinc inde quodque interim per utramque partem a quibusvis invasionibus, offensionibus et noxiis novitatibus cessetur omnino. Quocirca nobilitatem vestram rogamus, requirimus et hortamur quatenus pro parte vestra nuncium seu nuncios vestros hujusmodi sufficienti potestate suffultos hinc ad dictum

terminum destinare ad eandem presentiam studeatis, interim ab eisdem invasionibus, offensionibus et novitatibus penitus desistendo, cum parti alteri scribamus per alias nostras litteras illud idem. Datum Avinione, VI kalendas junii, anno tertio.

870 Avignon, 28 mai 1344.

Collectorem bonorum Aymerici quondam archiepiscopi Rothomagensis absolvit qui ornamenta quaedam Nicolao successori remiserat. (Reg. 138, n° XXV, fol. 8 r°.)

Dilecto filio Bertrando Cariti, archidia[co]no Augi in ecclesia Rothomagensi. Cum tu, cui dudum collectionem, receptionem et conservationem bonorum mobilium bone memorie Aymerici, archiepiscopi Rothomagensis, dispositioni nostre certis causis rationabilibus suadentibus reservatorum, duximus per nostras certi tenoris litteras commitendas, inter cetera bona hujusmodi repereris et receperis que secuntur : videlicet in uno cofino ferrato duos pannos laneos pro aula paranda et unum pannum deauratum cum multis ymaginibus de auro de opere ultramarino. Item in alio cofino duo pulvinaria modici valoris, duos lapides benedictos pro altari, unum pannum de samito pro cathedra pontificali, tres libros cum postibus pro benedictione, unum librum modicum pro benedictione, unum librum alium pro faciendis seu celebrandis ordinibus, unum alium librum de officio dedicationis ecclesiarum, duas scripturas modicas beate Marie in duobus libris rubeis, unum librum modicum pro faciendis tonsuris, unum librum alium modicum, novem napas altaris, tresdecim vestes sacerdotales vocatas albas, et quinque amictos et tres mapas de cerico pro calice cohoperiendo. Item in alio cofino tria pulvinaria, duo paria sandaliorum, quatuor paria cirothecarum et duos manipulos, quinque mitras tam albas quam alias modici valoris, duo corporalia cum suis repositoriis, unam crucem deauratam cum pede argenti ponderis quinque marcharum duarum unciarum et quindecim sterlingorum, unum baculum de cipresso in tribus petiis, cum suo repositorio de corio, quoddam repositorium pro crisma tenendo, unum dragerium cum pede, ac cloqueari de argento ponderis quinque marcharum, tria sigilla rupta cum aliis petiis modicis de argento ponderis unius marche et duarum unciarum ac duodecim sterlingorum cum dimidio ; tabulas de ebore pro altari et duo pulvinaria. Item in alio cophino duas cupas cum cohopertoriis et pedibus argenti deauratas et emaltatas ponderis duodecim marcharum sex unciarum et decemseptem sterlingorum cum dimidio, duas chaupinas argenti deauratas et emaltatas cum suis repositoriis de corio, ponderis sex marcharum et unius uncie ; quinque anulos auri cum lapidibus pretiosis, unam ymaginem crucifixi deauratam in una capsa de argento ponderis trium unciarum et tria pulvinaria antiqua cohoperta de sendato rubeo cum uno virgato. Nosque premissa omnia, uno anulo quem retinuimus dumtaxat excepto, venerabili fratri nostro Nicolao archiepiscopo Rothomagensi relaxaverimus, remiserimus et dederimus de gratia speciali et tu illa sibi feceris assignari ; nos volentes tuis indempnitatibus paterna solicitudine super hiis providere, te ac omnia bona tua de predictis omnibus et singulis absolvimus tenore presentium et quittamus. Datum Avinione, V kalendas junii, anno tertio.

871 Avignon, 28 mai 1344.

Fatetur se recepisse libros quos Stephanus de Molinis, decretorum doctor, Sedi Apostolicæ legaverat. (Reg. 138, n° XXVI, fol. 8 v°.)

Dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi. Cum libros infrascriptos, per quondam Stephanum de Molinis, doctorem decretorum, ecclesie Romane legatos et per te de mandato sedis apostolice speciali receptos, nobis feceris assignari : videlicet summam Ostiensem ; Decretum cum Apparatu ; Sextum librum Decretalium cum apparatu ; unum librum de ordine judiciorum ; unum aliud decretum cum apparatu ; unum librum vocatum Innocentii Speculum Juris ; quasdam decretales cum Innocentio ; librum vocatum Archidiaconum cum Dino ; Comentum libri Decretalium ; Occulum Copiose ; Sextum librum Decretalium ; Clementinas cum apparatu ordinario ac cum Jancellino et Maloduno ac Constitutionibus Johannis ; Mandagotum cum Summa Henrici Senonensis ; Institutam cum apparatu ; Codicem cum apparatu ; Digestum vetus cum apparatu ; Inforciatum cum apparatu ; Librum feudorum ; Summam Johannis monachi super jure canonico ; Summam vocatam Ramundi de Penitentia ; Bibliam in parvo volumine ; quendam librum qui incipit in rubro : In nomine Domini et finit in ultima columpna prime pagine

« vel si cum Lombardi » et repertorium Guillelmi Durandi ; nos volentes tuis indempnitatibus super hiis providere, te ac omnia bona tua de dictis libris nobis, ut premittitur, assignatis, absolvimus tenore presentium et quitamus. Datum Avinione, V kalendas junii, anno tercio.

872 Avignon, 29 mai 1344.

Custodi atque judici civitatis Tricastrinensis mandat ut episcopo Tricastrinensi dictam civitatem restituant, quotiens per eum fuerint requisiti. (Reg. 138, n° XXVII, fol. 8 v°.)

Dilectis filiis, nobili viro, Hugoni Ademari, domino de Gardia, et Raymundo Gerardi de Insula, Cavallicencis diocesis, juris civilis professori, judici Valriaci. Dudum attendentes quod civitas Tricastrinensis, cum jurisdictione alta et bassa, mero et mixto imperio, ad venerabilem fratrem nostrum Hugonum episcopum et ecclesiam Tricastrinensem pertinens, sub manu nostra, certis ex causis, de voluntate ipsius episcopi tenebatur, et cupientes eandem civitatem, quamdiu sub eadem manu consisteret, salubriter et utiliter gubernari, de vestre quoque fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi, fili Hugo, regimen, et tibi, fili Raymunde, judicaturam ac custodiam castri seu fortalicii civitatis predicte usque ad nostrum beneplacitum commisimus per diversas litteras nostras, sicut in eis plenius continetur. Cum autem cause, propter quas prefatam civitatem ad manum nostram recepimus, vobisque commissiones predictas fecimus, cessare dicantur ad presens, nos supplicationi ejusdem episcopi nobis porrecte super hiis favorabiliter annuentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, si et quando per eundem episcopum fueritis requisiti, civitatem predictam et castrum seu fortalicium ejusdem cum eadem jurisdictione, amota ex inde manu vestra hujusmodi, libere restituatis eidem. Volumus autem quod super stipendiis vestris, pro tempore quo regimina tenuistis predicta, conveniatis cum eodem episcopo rationabiliter, sicut sibi et vobis videbitur expedire. Datum Avinione, IIII kalendas junii, anno tercio.

873 Avignon, 29 mai 1344.

Ecclesiasticis-personis in Armenia et Perside mandat ut quosdam Religiosos hereticos corrigant. (Reg. 138, n° LII, fol. 14 r°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, ecclesiarum decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis prelatis et rectoribus, ceterisque personis religiosis et secularibus in Armenia majori, Imperio Persidis et aliis orientalibus ac ultramarinis partibus constitutis fidei catholice professoribus. In amara trahimur suspicia. — Datum Avinione, IIII kalendas junii, anno tercio.

874 Avignon, 29 mai 1344.

Episcopo Trecensi caritativum subsidium conceditur. (Reg. 138, n° MCLIIII, fol. 307 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Eduensi. Exigit tue devotionis affectus. — Datum Avinione, IIII kalendas junii, anno tercio.

875 Avignon, 29 mai 1344.

Infrascriptis mandat ut privilegium exsequantur. (Reg. 138. n° MCLV, fol. 307 v°.)

Judicibus dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Benigni Divionensis, Lingonensis diocesis et... archidiacono Montismirabilis Albiensis ac... cantori Bisuntine, ecclesiarum... Quocirca discretioni tue. — Datum ut supra.

876 Avignon, 29 mai 1344.

Infrascriptum rogat ut bona quæ ab executoribus defunctorum archiepiscopum receperat et ad ecclesiam Tranensem pertinebant archiepiscopo Tranensi restituat. (Reg. 138, n° XXVIII, fol. 9.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Brundusino. Pridem venerabilis frater. — Datum Avinione, IIII kalendas junii, anno tercio.

877 Avignon, 31 mai 1344.

Abbatem monasterii Terrasonensis, O. S. B., Sarlatensis diœcesis designat. (Reg. 138, n°s XXIX et XXX, fol. 9 r° et v°.)

Dilecto filio Bertrando, abbati monasterii Terracinensis[1]

1. Il faut lire *Terrassonensis*.

ordinis Sancti Benedicti, Sarlatensis diocesis. Cum nos pridem monasterio Terracinensi, Ordinis Sancti Benedicti, Sarlatensis diocesis, pastoribus regimine destituto, de persona tua, licet absente, nobis et fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te ipsi monasterio in abbatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes ac volentes tuis et dicti monasterii parcere laboribus et expensis, quos in veniendo ad sedem apostolicam pro recipiendo munere benedictionis tibi impendendo, tu et dictum monasterium haberetis de necessitate subire, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris antistite catholico, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, munus benedictionis hujusmodi recipere valeas, ac eidem antistiti munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Voluimus autem quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat juramentum, iuxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam juramenti quod te prestare contigerit nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hoc venerabili fratri nostro episcopo Sarlatensi, cui prefatum monasterium ordinario jure subesse dinoscitur, nullum imposterum prejudicium generetur. Datum Avinione, II kalendas junii, anno tercio.

Forma Juramenti : Ego Bertrandus, abbas monasterii Terracinensis, ordinis Sancti Benedicti, Sarlatensis diocesis, ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro, Sancteque apostolice Romane ecclesie, ac domino meo, domino Clementi pape VI suisque successoribus canonice intrantibus non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras ad eorum dampnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum, et regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolice Sedis, in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina Curia Romana existente, circa singulis anni, ultra vero montes singulis bienniis autem per me aut per meum nuncium visitabo, nisi apostolica absolvat licentia ; possessiones vero ad mensam mei monasterii non vendam, neque donabo, neque impignorabo neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice ; sic me Deus adjuvet et hec sancta dei euvangelia.

878 Avignon, 1er juin 1344.

Cum illi, qui in civitate ac diœcesi Mutinensi Ludovico de Bavaria olim faverant in Sanctæ Sedis deditionem venire vellent, interdictum usque ad festum Sancti Michaelis suspendet. (Reg. 138. nº XXI, fol. 9 vº.)

Ad futuram rei memoriam. Cum ex eo quod —. Datum Avinione, kalendis junii, anno tercio.

879 Avignon, 2 juin 1344.

Rectorem rogat ut pro terris Arnulphorum gerendis idoneum administratorem collocet, qui subditos non gravet. (Reg. 138, nº XXXII, fol. 10.)

Dilecto filio Bernardo, electo Viterbiensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia. Nuper exhibita pro —. Datum Avinione, IIII nonas junii, anno tercio.

880 Avignon, 3 juin 1344.

Infrascriptis mandat ut episcopo Lunensi quædam casrta et fortalicia restituant. (Reg. 138, nºs XXXIII-XXXVII, fol. 10.)

Dilectis filiis prioribus, consilio et communi civitatis Pisane. Dudum cum ad —. Datum Avinione, III nonas junii, anno tercio.

Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, in civitate comitatu et districtu Mediolanensibus vicario ecclesie Romane. — Nicolao de Flisco ; — Spineto, marchioni de Malaspina ; — Frederico et Azoni, marchionibus de Malaspina.

881 Avignon, 3 juin 1344.

Infrascriptis mandat ut castrum Ameliæ Jordano de Columpna, episcopo Lunensi, qui Agapito de Columpna successerat, restituant. (Reg. 138, nos XXXVIII-XLI, fol. 11.)

Dilecto filio, nobili viro, Symoni Boccanegra, gubernatori Januensi. Dudum ad audientiam —. Datum Avinione, III nonas junii, anno tercio.

In eodem modo *Franceschino marchioni de Malaspina ; — Mainfredo, marchioni de Malaspina ; — Galeoto de Auria ; —*

882 Avignon, 3 juin 1344.

Ducem Venetorum rogat ne Petrum Geno ab officio capitaneatus galearum contra Turcos transmissarum amoveat, qui strenue et feliciter se gesserat. (Reg. 138, no XLIII, fo 11 vo.)

Dilectis filiis nobili viro... duci et communi Venetorum. Letis admodum relatibus ad audientiam nostri apostolatus deducto quod dilectus filius, nobilis vir, Petrus Geno de Veneciis, quem galearum per vos ad partes Romanie pro subsidio ac defensione fidelium ibidem degentium et repressione Turchorum infidelium dudum transmissarum ad sex menses capitaneum, ut intelleximus, deputastis, strenue, fructuose, laudabiliter et utiliter se gessit in officio capitaneatus ejusdem, universitatem vestram rogamus et hortamur attente quatinus utilitatem hujusmodi negocii Deo multum placibilis, et vobis non parum honorabilis attendentes, adveniente fine dictorum sex mensium, ipsum capitaneum non amoveatis ab eodem officio, sed eum potius ad tempus amplius, de quo prudentia vestra videbitur, ut per ipsius experti utique circa hoc virtuosam solicitudinem, predictum circa hoc prosperetur, assistente gratia divina, negocium, deputetis. Datum Avinione, III nonas junii, anno tercio.

883 Avignon, 5 juin 1344.

Sub vocabulis Virginis et Sancti Georgii unam ecclesiam collegiatam per XII canonicos gubernatam construendi ducibus Normanniæ et Burgundiæ licentiam dat. (Reg. 138, no C, fol. 35 vo.)

Ad perpetuam rei memoriam. Inter cetera desiderabilia cordis nostri ad hec nostre solicitudinis studia diriguntur, ut ubique ad laudem et gloriam divini nominis et fidelium animarum profectum cultus augeatur divinus, et piis multiplicatis operibus majestas altissimi, qui exhibere non cessat immense largitatis beneficia populo Christiano, devotius a fidelibus collaudetur; libenter quidem vota fidelium ipsorum, quos ad opera exercenda hujusmodi ferventes et devotos conspicimus, promovere curamus in Domino, ne devotionis ipsorum extingatur spiritus, sed ardentius et sincerius accendatur. Sane dilectorum filiorum nobilium virorum Johannis primogeniti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, Normanie et Odonis Burgundie ducum nobis exhibita petitio continebat, quod ipsi zelo magne devotionis accensi, et de suarum ac progenitorum suorum animarum salute soliciti, proposuerunt et proponunt, quod per eundem ducem Normannie, cum et et de consilio ac absistentia ipsius ducis Burgundie una ecclesia collegiata de bonis ejusdem ducis Normanie in aliquo loco regni Francie congruo, ad honorem sancte et individue Trinitatis Patris et filii et Spiritus Sancti, ac precelse genitricis Dei Marie semper Virginis et omnium sanctorum, sub venerandis ejusdem Virginis gloriose ac Beati Georgii martiris vocabulis de consensu et voluntate regis predicti decenter construatur ac sufficienter dotetur, modis formis et conditionibus infrascriptis : videlicet quod in ecclesia ipsa, ut premittitur, construenda et dotanda, sit canonicorum secularium capitulum ibidem facientium numerus duodenus, quorum unus sit thesaurarius caput capituli supradicti et totidem presbiteri perpetui residentes omnes videlicet continue habeantur; quiquidem canonici et presbiteri horas canonicas diurnas pariter et nocturnas in eadem ecclesia psallere solemniter ac missas et alia divina celebrare officia, juxta morem observatum hactenus et qui observatur in capella Parisiensi Regia, teneantur, quodque de bonis assignandis sufficienter per eundem ducem Normannie pro dote ipsius ecclesie tresdecim existant canonicales prebende, quarum duas thesaurarius predictus, et alii undecim canonici singuli, singulas prebendas, et prefati duodecim presbiteri congruas habeant portiones, sicut melius per statuta salubria facienda et edenda, cum ecclesia prefata constructa et dotata fuerit, tam de illis quam aliis ecclesie ipsius servitoribus necessariis ac omnibus supradictis predictis aliis poterit ordinari. Et insuper quod ad majorem et ferventiorem devotionem a fidelibus

ad ecclesiam ipsam habendam sit ibidem communio seu congregatio ducentorum militum, quiquidem milites non pro astiludiis vel torneamentis aut aliquo actu armorum alio, sed causa devotionis duntaxat ad eandem ecclesiam, saltem in assumptionis ejusdem Beate Marie Virginis et Beati Georgii Martiris mensis aprilis festivitatibus, absentes videlicet una cum aliquibus ex eis qui ex pia et caritativa ordinatione rectaque intentione prout procedere de beneplacito et voluntate ducis Normannie predicti, residebunt ibidem, personaliter conveniant annuatim. Rursus quod thesaurarie ac canonicatuum, prebendarum et capellaniarum hujusmodi collatio ad dictum ducem Normannie, ac post ipsum ad regem Francie, qui erit pro tempore, debeat pertinere. Quare duces prefati nobis humiliter supplicarunt ut construendi et dotandi eandem ecclesiam absque omni prejudicio parrochialis ecclesie, in cujus parrochia construetur, sub modis, formis et conditionibus premissis concedere licentiam auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes ingentem devotionem ducum predictorum et intentionis eorum laudabilis propositum in hac parte, et quod exinde cultus divinus augebitur, et subsequi poterit comodum animarum, supplicationum hujusmodi benignius inclinati, ut predictus dux Normannie, cum consilio et assistentia ducis Burgundie predicti, in honesto, congruo et convenienti loco infra dictum regnum Francie, sine prejudicio parrochialis et alterius ecclesie cujuscumque, predictam collegiatam ecclesiam possit construere de bonis suis, et usque ad sufficientiam pro thesaurario et canonicis necnon presbiteris predictis, usque ad numerum superius designatum et aliis servitoribus necessariis et etiam oportunis dotare, in qua tam thesaurarius, qui primam vocem et primum locum in choro et capitulo, et alii undecim canonici secundum ordinem institutionis eorum, hujusmodi voces et loca post thesaurarium habentes predictum, ac presbiteri et servitores alii horas et divina officia hujusmodi psallere ac celebrare perpetuis temporibus teneantur, prefatique thesaurarius et canonici prebendas suas, ut est dictum, ac presbiteri et servitores alii portiones congruas, de quibus decenter et congrue valeant sustentari, percipiant secundum ordinationes et statuta justa et rationabilia facienda super hoc, de bonis et proventibus per prefatum ducem Normandie pro dote assignandis ecclesie supradicte, licentiam tenore presentium auctoritate apostolica elargimur, eadem auctoritate nihilominus concedentes quod dicta communio seu congregatio ducentorum militum, qui convenire in eisdem festivitatibus ad eandem ecclesiam, sicut in petitione predicta exprimitur, annis singulis teneantur, statuatur et ordinetur ibidem, quodque thesaurarie ac canonicatuum, prebendarum et capellaniarum predictorum, ad eundem ducem Normannie, ac post eum ad regem Francie, qui erit pro tempore collatio tanquam fundatores et patronos ejusdem ecclesie debeat perpetuis temporibus pertinere. Preterea volumus ac etiam ordinamus ad supplicationem ducis ejusdem, quod tam supradicti canonici, qui omnes erunt et esse debebunt et tenebuntur in presbiteratus ordine constituti, quam presbiteri predicta missas et alia divina officia in presentia illorum militum qui de dicta communione seu congregatione juxta dispositionem prefati ducis Normannie residebunt ibidem et voluerint interesse, celebrare divina et horas predictas psallere cum honestate ac devotione debitis sint astricti. Nulli ergo etc. Datum Avinione, nonis junii, anno tercio.

884 Avignon, 5 juin 1344.

Indulgentia in mortis articulo ducentis militibus conceditur, qui dictam ecclesiam in festivitatibus Assumptionis et Sancti Georgii visitare debent. (Reg. 138, n° CI, fol. 36 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Exuberans Sancte Romane matris Ecclesie benignitas, de salute filiorum solicita, circa illa libenter consuevit intendere, seque studio materne pietatis propiciam exhibere, per que salutis eis incrementa proveniant et labores eorum inimicus humani generis vacuare nequeat a mercede. Nuper siquidem devotis dilectorum filiorum nobilium virorum Johannis carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogeniti Normannie, et Odonis Burgundie, ducum, supplicationibus inclinati, eidem duci Normannie construendi decenter et dotandi sufficienter de bonis suis cum consilio et assistentia ducis Burgundie predicti unam ecclesiam collegiatam in aliquo loco regni Francie congruo, in qua duodenus canonicorum secularium numerus, quorum unus thesaurarius existat ibidem, et duodecim presbiteri perpetui cum aliis servitoribus necessariis et oportunis sint perpetuis temporibus domino jugiter famulantes, sub certis modis et formis expressis in nostris inde confectis litteris licentiam duximus concedendam... Adjecto nihilominus in concessione

predicta, quod ad augendam devotionem fidelium communio seu congregatio ducentorum militum qui non pro astiludiis vel torneamentis aut quovis actu armorum alio, sed causa devotionis dumtaxat, ad eandem ecclesiam venerandis Beate Marie semper Virginis ac Beati Georgii martiris insignendam vocabulo convenire, saltem in festivitatibus Assumptionis ejusdem Virginis gloriose et dicti martiris teneantur, possit ibidem, postquam ipsa ecclesia constructa et dotata, ut prefertur, fuerit, constitui ac etiam ordinari. Ut autem hujusmodi devotio uberius spiritualibus semper proficiat incrementis, nos eorundem ducum supplicationibus inclinati, quod confessor ydoneus, quem singuli militum predictorum, qui usque ad decennium a data presentium computandum in eadem communione seu congregatione recepti fuerint, eligendum duxerint, omnium peccatorum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, eis in sinceritate fidei, unitate ipsius ecclesie Romane ac obediencia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificium canonice intrantium persistentibus, plenam remissionem semel tantum in mortis articulo concedere valeat, auctoritate apostolica indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam eis per se, si supervixerint, vel per heredes suos, si tunc forte transierint, faciendam injungat, quam ipsi vel illi facere, ut permittitur, teneantur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committerent, eis predicta remissio quo ad illa nullatenus suffragetur. Nulli ergo etc. Datum ut supra.

885 Avignon, 5 juin 1344.

Dictorum ducum supplicationibus annuens sic indulget ut canonici et presbiteri in dicta ecclesia insistentes fructus, redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum suorum libere percipere valeant. (Reg. 138, n° CII, fol. 36 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Apostolice Sedis benignitas —. Datum ut supra.

886 Avignon, 5 juin 1344.

Canonicis dictæ ecclesiæ indulget ut militibus absolutionem impendant. (Reg. 138, ép. n° CIII, fol. 37 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Summi et eterni pastoris, qui animam suam pro suis ovibus posuit, vices licet insufficientibus meritis gerentes in terris, illa libenter concedimus per que salus pervenire uberius valeat animarum. Nuper siquidem etc. ut supra proxime usque concedendam. Et nihilominus ad majorem et ferventiorem devotionem a fidelibus habendam ad ipsam ecclesiam adjessimus *(sic)* in concessione predicta, quod in eadem ecclesia postquam constructa et dotata fuerit, una communio seu congregatio ducentorum militum qui saltem in Assumptionis Beate Marie semper Virginis, et Beati Georgii Martiris, sub quorum venerandis vocabulis debet ipsa ecclesia insigniri festivitatibus convenire non pro astiludiis aut torneamentis, vel quocumque alio actu armorum, sed pro devotione tantummodo teneantur, ad predictam ecclesiam annis singulis esse possit. Ut autem predicti milites ad prefatam ecclesiam convenientes in eisdem festivitatibus, ut prefertur, vel residentes ibidem, ex devota visitatione ipsius majorem fructuum specialem et largius animarum commodum valeant reportare, nos predictis canonicis ejusdem ecclesie, qui erunt pro tempore in sacerdotio constituti, quod eorum quilibet dictorum militum, ut premittitur, ad ecclesiam ipsam convenientium vel ibi residentium, et cujuslibet eorundem possint confessiones audire peccatorum, et confessionibus auditis hujusmodi, debitam eis absolutionem impendere pro premissis et penitentias injungere salutares, nisi forte talia fuerint propter que Sedes apostolica sit merito consulenda, votaque perigrinationis et abstinentie, si qua forsan emiserint, que non possent commode observare, ultramarino et beatorum Petri et Pauli, atque Jacobi apostolorum votis dumtaxat exceptis, commutare in alia opera pietatis, ac ecclesiastica ministrare sacramenta, valeat, usque ad decennium tenore presentium auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo etc. Datum ut supra.

887 Avignon, 5 juin 1344.

Sic statuit ut thesaurarius et canonici in dicta ecclesia residere cogantur. (Reg. 138, n° CIV, fol. 37 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Ad illa libenter apostolice solicitudinis studia dirigimus, ex quibus divini cultus augmentum et commodum provenire valeant animarum.

Nuper si quidem etc. ut supra, usque concedendam. Ut autem in eadem ecclesia cultus divinus celebrius ad laudem divini nominis et animarum profectum perpetuis temporibus peragatur, nos ad instantiam et devotam supplicationem ducum ipsorum auctoritate apostolica statuimus, quod thesaurarius, canonici et presbiteri predicti facere personalem continuam residentiam in eadem ecclesia teneantur, nec ab illa pretextu quorumvis privilegiorum dicte sedis, vel legatorum ejusdem, quibusvis concessorum, vel concedendorum imposterum sub quacumque forma vel expressione verborum valeant a residentia personali et continua hujusmodi excusari. Nulli ergo etc. Dat. ut supra.

888 Avignon, 5 juin 1344.

Sic statuit ut quilibet in dicta ecclesia capellanias fundare et dotare possit. (Reg. 138, n° CV, fol. 38.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad illa libenter etc. usque concedendam. Ut autem in eadem ecclesia divinus cultus ampliari valeat et animarum commodum procurari, nos quibusvis fidelibus, qui capellanias perpetuas in ipsa ecclesia fundare ac sufficienter secundum morem patrie dotare de bonis suis voluerint, illas fundandi et dotandi, auctoritate apostolica, licentiam tenore presentium elargimur. Nihilominus statuentes et concedentes auctoritate predicta, quod fundatores et donatores earum ac heredes ipsorum jus patronatus habeant et obtineant in eisdem, ita quod ad eas, cum vacabunt, possint per personas ydoneas duci vel regi Francie, qui pro tempore post ipsum fuerit, presentare, idemque dux, vel rex personis presentatis hujusmodi conferre valeant capellanias antedictas. Nulli ergo etc. Dat. Avinione, nonis junii, anno tertio.

889 Avignon, 8 juin 1344.

Archiepiscopo Lugdunensi sic indulget ut possit visitacionis officium per procuratorem in diversis ecclesiis exercere procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXXVI, fol. 299 v°.)

Venerabili fratri Henrico archiepiscopo Lugdunensi. Devotionis tue probata sinceritas, quam ad nos et apostolicam sedem habere dinosceris, promeretur ut personam tuam sinceris affectibus prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, ut ecclesias et monasteria eorumque personas tuarum civitatis, diocesis et provincie Ludgunensis, exempta et non exempta, in quibus tibi visitationis officium de jure vel consuetudine competit, possis per aliquam seu aliquas personam seu personas ydoneas, quam vel quas ad id duxeris deputandam seu eciam deputandas, usque ad biennium, quotiens tempus visitationis ingruerit, visitare, necnon visitationis officium in diversis ecclesiis et monasteriis uno die, prout decenter et honeste fieri poterit, nihil tamen ommittendo de hiis que per personas ipsas debent fieri circa hujusmodi officium, exercere, ac procurationes ratione visitationis hujusmodi, ab eisdem ecclesiis, monasteriis et personis taliter visitatis, secundum morem antiquitus laudabiliter et rationabiliter observatum, in pecunia numerata recipere moderatas, non obstantibus quibuscumque constitutionibus a felicis recordationis Gregorio X et Innocencio IIII ac Benedicto XII et quibuslibet aliis Romanis Pontificibus, predecessoribus nostris, in contrarium editis seu privilegiis et indulgenciis apostolicis quibuscumque generalibus vel specialibus de quibus quorumque totis tenoribus et verbo ad verbum in nostris litteris specialem oporteat fieri mentionem, et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus hujusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, fraternitati tue auctoritate presencium indulgemus. Ut autem promptius et uberius ex visitatione hujusmodi fructus proveniat animarum, volumus tibique presencium auctoritate concedimus quod, quamvis in tuis ecclesia, civitate et diocesi propriis, totaliter vel pro parte prius non fuerit officium visitationis impensum, nihilominus tamen persona seu persone, quam vel quas ad exercendum ejusdem visitationis officium, te per dictum biennium contigerit deputare, in aliis ecclesiis cathedralibus, ac civitatibus et diocesibus dicte provincie agere visitationis ejusdem officium, ac de una diocesi etiam nondum totaliter visitata se transferre ad aliam, et ad sic dimissam pro eodem officio exercendo, quotiens eis fuerit oportunum redire, donec in tota provincia predicta completum fuerit, valeant, predictis et aliis constitutionibus contrariis non ostantibus quibuscumque. Porro, cum dudum super hujusmodi procurationibus per biennium recipiendis litteras nostras sub certa forma et data VIII. kal. marcii pontificatus nostri anno secundo,

tibi duxerimus concedendas, volumus quod littere ipse, ac quicquid ex eis vel ob eas secutum est, nullius sint penitus roboris vel momenti. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VI idus junii, anno tercio.

890 Avignon, 8 juin 1344.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut ab omnibus ecclesiasticis personis, exemptis et non exemptis, procurationes debitas exigant quæ archiepiscopo Lugdunensi debentur. (Reg. 138, n° MCXXVII, fol. 300 r°.)

Judicibus venerabilibus fratribus... archiepiscopo Viennensi et... Gratianopolitano episcopo. Mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos velalium seu alios faciatis auctoritate nostra, personam seu personas, quam vel quas idem archiepiscopus ad predictum visitationis officium duxerit, ut premittitur, deputandam vel deputandas, ad illud admitti, dictoque archiepiscopo, vel procuratori suo pro eo, procurationes predictas juxta hujusmodi concessionis nostre tenorem per dictum biennium integraliter exhiberi. Non obstantibus omnibus supradictis etc. Aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores etc. Datum ut supra.

891 Avignon, 8 juin 1344.

Archiepiscopo Turonensi sic indulget ut possit visitacionis officium in diversis ecclesiis exercere procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXXVIII, fol. 300 v°.)

Item in eodem modo archiepiscopo Turonensi. Devotionis tue probata —. Datum Avinione, VI idus junii, anno tercio.

892 Avignon, 9 juin 1344.

Comites Ripaturcie, Empuriarum et Urgellensem rogat ut pro pace inter Aragonum et Majoricarum reges firmanda operam dent. (Reg. 138, n°s XLIIII-XLVI, f° 12 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Petro Infanti nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Ripaturcie. Attentis pacis, commodis et guerrarum periculosis discriminibus diligenti meditatione pensatis, et nichilominus, quantum deceret, Deoque gratum et rei utilitati accomodum existeret, si caritatis, pacis et unitatis vinculum inter carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum, nepotem tuum, et Jacobum Majoricarum reges illustres, quos de eadem regali prosapia descendentes, nexus sanguinis et affinitatis conjungit, vigeret indissolubiliter, odiorum et dissensionum, quibus eos invicem disjungi procuravit hostis humani generis, vepribus extirpatis, sepius in nostre considerationis examine, non sine mentis anxietate deducto pro reformanda inter reges ipsos sic periculose dissidentes, concordia non parum hactenus, sicut tue nobilitatis novit prudentia, laboravimus, propterea diversas et varias apostolicas litteras et solennes nuncios tam sancte Romane Ecclesie cardinales, quam alios destinando. Sane quia hostis ipse sator discordie cunctorumque malorum incentor, pro flatu venenoso sic ignem dissensionum ipsarum in flammas nocivas et perniciosas non modicum accendere procuravit, quod labores hujusmodi nequaquam fructum, quem expectabamus desiderabiliter, produxerunt, nos more patris benivoli, quem non pretereunt incommoda filiorum, verentes regum ipsorum discriminosa dispendia, oppressiones innocentium et pauperum, ac ipsorum et aliorum lapsus rerum, personarum excidia et animarum amarius deploranda pericula innumeraque alia mala et scandala ex guerris quibus divina magestas graviter provocatur, et offenditur provenientia, et eis, quantum possumus, salubribus occurrere remediis cupientes, non desistendo quomodolibet ab inceptis, dilectum filium nostrum Bertrandum, tituli sancti Marchi presbiterum cardinalem, apostolice sedis nuncium, virum utique profundi pectoris, litterarum scientia, circumspectionis et probitatis maturitate conspicuum, zelatorem pacis unitatis et justicie, ac in magnis et arduis expertum negociis, ad eosdem reges et partes illas pro premissis de fratrum nostrorum consilio providimus destinandum. Cum autem inter ceteros de domo regali Aragonum dependentes, te, fili, multum, ut extimamus, deceat circa reformandam hujusmodi pacis et unitatis concordiam, et extirpandam discordiam, studiosis et benivolis solicitudinibus laborare, nobilitatem eandem rogamus, et attentius in domino exhortamur, quatinus ea que premisimus, nec non quantum ex tuis hujus-

modi laboribus mereri preter laudis humane preconium, poteris apud Deum, quantum honoris accrescet regi predicto Aragonum, si postquam Deus sibi contra dictum regem Majoricarum gloriosam dedit victoriam, clementer erga eum rigore temperato mansuetudine se gesserit, in examine recte considerationis adducens, prefatum regem Aragonum ad viam admittendam et prosequendam pacificam, et guerrarum fremitus, quibus Deus pacis graviter, sicut premissum est, offenditur, declinandos inducere, tueque cohoperationis ministerium efficaciter exhibere circa hoc tam pie quam benivole non postponas, prefato cardinali operosis assistendo nichilominus studiis in hac parte. Datum Avinione, V idus junii, anno tercio.

Nobili viro Raymundo Berengarii, infanti, nato clare memorie Jacobo regis Aragonum, comiti Empuriarum. — Jacobo infanti, nato clare memorie Alfonsi Regis Aragonum, comiti Urgellensi.

893 Avignon, 9 juin 1344.

Infrascriptis concedit altare portatile. (Reg. 138, nos MCLXXXI-LXXXIIII, fol. 313.)

Item in eodem modo, *Dilecto filio, nobili viro, Stephano, domino de Duroforti, militi, Lemovicensis diocesis.* Datum Avinione, V idus junii, anno tercio.

Astorgio de Duroforti, Lemovicensis diocesis.

Dalphine uxori dilecti filii, nobilis viri, Stephani domini de Duroforti, militis, Lemovicensis diocesis.

Heliadi uxori dilecti filii nobilis viri Astorgii de Duroforti Lemovicensis diocesis.

894 Avignon, 10 juin 1344.

Beltramino, episcopo Bononiensi, litterarum contradictarum auditori, in Lombardiam misso litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, no MLXXXIX, fol. 291 vo.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum nos venerabilem — Dat. Avinione, IIII idus junii, anno tercio.

895 Avignon, 11 juin 1344.

Regem Aragonum rogat ut censum pro regno Sardiniæ et Corsicæ debitum solvat. (Reg. 138, no XLVII, fo 12 vo.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum, ac Sardinie et Corsice illustri. Cum pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et Ecclesia Romana sub certis vassallagio, homagio ligio et fidelitatis juramento, et aliis serviciis ac pactis, conventionibus et conditionibus in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis contentis plenius et expressis, tenes in feudum, censum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis solvere Romano Pontifici, et eidem Romane Ecclesie sis astrictus, tuque, fili carissime, censum hujusmodi duarum milium marcharum pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti, in novem milibus trecentis triginta tribus florenis, et tercia parte unius floreni auri, marcha qualibet pro quatuor florenis, et octo Turonensibus grossis argenti, et singulis florenis pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis, duxeris, ut sequitur, videlicet IIII nonas maii proximo jam elapsi duo milia florenorum auri per manus dilecti filii Laurentii Tayssonis laici Pennensis diocesis, procuratoris dilecti filii nobilis viri Nicolai de Janvilla, comitis Terrenove, ac residua septem milia trecentos triginta tres florenos et terciam partem unius floreni auri die datarum presentium per manus dilecti filii nobilis viri Johannis de Boyl nuncii tui nostre camere persolvendum, nos volentes tuis indempnitatibus super hiis paterna diligentia precavere, te de dictis duobus milibus marcharum in predictis novem milibus trecentis trigintatribus florenis et tercia parte unius floreni, sicut superius exprimitur, computatis, camere supradicte, ratione dicti census, et pro eodem termino festi apostolorum ipsorum proximo preteriti persolutis, te ac heredes et successores tuos in eodem regno absolvimus tenore presentium et quittamus. Et nichilominus quia non solvendo debito tempore dictum censum, tu excommunicationis sententie, dictumque regnum Sardinie et Corsice interdicto ecclesiastico noscimini juxta predictarum litterarum seriem subjacere, nos te, fili dilectissime, tuis devotis supplicationibus inclinati, ab eadem sententia excommunicationis absolvimus et interdictum hujusmodi relaxamus. Non intendentes aliquid super contentis in predictis litteris innovare, vel etiam immutare, sed eo potius volumus et decernimus in sui roboris efficacia perdurare. Datum Avinione, III idus junii, anno tercio.

896 Avignon, 12 juin 1344.

Regi Majoricarum cui legatum cardinalem miserat de bello prosequendo respondet. (Reg. 138, n° XLVIII, f° 12 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri. Magnificentie tue litteras nuper recepimus, per quas inter cetera prudentia regia cum instantia postulabat a nobis, ut non obstante missione dilecti filii nostri Bertrandi tituli santi Marchi presbiteri cardinalis apostolice sedis nuncii ad te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum regem Aragonum illustrem, quos hostis pacis suscitatis invicem odiis et rancoribus procuravit disjungi, et partes illas pro tractanda et reformanda inter vos mutua concordia, per nos de fratrum nostrorum consilio specialiter destinati, tibi tam contra regem ipsum quam Majoricenses subditos tuos exhibere justitiam curaremus, quibusdam aliis expressis in eisdem litteris concludentibus ad hoc ex debito pastoralis officii nos teneri. Sane, fili dilectissime, tuam volumus celsitudinem non latere, quod super missione cardinalis predicti, et hiis que agenda essent circa negocium hujusmodi dudum habita cum eisdem fratribus deliberatione provida et matura, nobis et ipsis visum fuit expediens fore super eodem negocio per vias tractatus amicabilis, ommissa pro tunc via justicie, procedendum, tuncque cardinalis prefatus presens in predictis omnibus fuit coram nobis et eisdem fratribus protestatus expresse, quod si per viam justicie vellemus procedere illuc non iret, et postquam accessisset et audiret processus fieri per viam hujusmodi a nobis incoari, quomodolibet remanere non intendebat in eisdem partibus, nisi per nos ordinaretur aliud, sed ad nostram redire potius presentiam festinanter. Porro super contentis in predictis litteris, deliberatione prehabita diligenti, adhuc credimus expedire quod per modum tractatus predicti, ommissa quoad presens via justicie, que attentis statu personarum, et qualitate negocii non parum ardui, sicut nosti, prolixa nimis cogente necessitate juris existeret, et per eam forsan non posses sic celeriter ut estimas quod intendis assequi, procedatur. Veruntamen si eam tua circumspectio regia velit omnino agredi super quo tue intentionis propositum cures prefato cardinali clarius explicare, nos illam in qua sumus ex debito servitutis apostolice debitores omnibus, denegare tibi non possumus nec debemus. Quamobrem prefato cardinali scribimus ut si procedi per viam justicie volueris, ut prefertur, ad quam exhibendam quantun cum Deo fieri poterit offerimus nos paratos, redire ad eandem nostram presentiam, si expedire cognoverit, non postponat. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

897 Avignon, 12 juin 1344.

Cum Jacobus rex Majoricarum petiisset ut inter se et regem Aragonum per viam justiciæ pax firmaretur, cardinali legato optio datur utrum in Hispania commoretur an Avinionem revertatur. (Reg. 138, n° XLIX, fol. 13 r°.)

Eidem cardinali. [Bertrando tituli Sancti Marci]. Nuper litteras carissimi —. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

898 Avignon, 12 juin 1344.

Regem Castellæ rogat ut Johannem de Rye, militem, quem Sarraceni ceperant ante Insulam Viridem, libertati restitui faciat. (Reg. 138, n° L, fol. 13 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius, nobilis vir, Johannes de Rye, miles, dudum in obsidione ante civitatem tuam regalem Insule viridis existens, casu fortuito, in manibus Sarracenorum conclusus et captivatus fuerit, et adhuc miserabiliter in eorum carceribus maceretur, nos eidem militi, qui devotionis fidei catholice zelo accensus ad partes illas et tuum catholicum et fidelem exercitum se, ut fertur, contulerit, benigno et paterno compacientes affectu, ac precibus pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, et dilecti filii nobilis viri Odonis ducis Burgundie, quorum homo et subditus dictus miles existat, nobis porrectis benignius annuentes, magnificentiam tuam regiam plenis affectibus deprecamur quatenus, ut idem miles a carcerali captivitate Sarracenorum ipsorum liberetur et restituatur pristine libertati, partes tuas, fili carissime, divine pietatis intuitu et intercessionum nostrarum obtentu tam benigne quam efficaciter pro eo, unum de captivis Sarracenis detentis in tuis carceribus tradendo, si necesse fuerit, interponas, ita quod exinde celsitudo regalis perennis mercedis acquirat premium et apud nos et Sedem Apostolicam attolli digne commendationis et laudis titulis mereatur. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

899 Avignon, 13 juin 1344.

Henrico comiti Derbeyæ qui Avinione ad Angliam revertebatur litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, n° MLXXXX, fol. 292.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum dilectus filius, nobilis vir, Henricus, comes Derbeye, qui nuper pro certis causis et negociis ad Romanam venit curiam, exinde de beneplacito nostro recedens, ad partes Anglie proponat dirigere gressus suos, nos volentes ipsum in hujusmodi progressu itineris plena securitate gaudere etc... universitatem vestram etc. — Datum Avinione, idibus junii, anno tercio.

900 Avignon, 13 juin 1344.

Arnaldum de Barbasano, episcopum Pampilonensem, hortatur ut cum regina Navarræ pacem facere velit, quæ mediantibus duce Burgundiæ atque cardinale tituli Sancti Petri ad Vincula inita fuerat. (Reg. 138, n° LI, fol. 13 v°.)

Venerabili fratri Arnaldo episcopo Pampilonensi. Pridem exposito coram nobis quod dudum, super eo quod clare memorie Philippus, rex Navarre, te sibi ad procurandum servicium centum militum teneri, tuumque palacium episcopale situm in civitate Pampilonensi ad se pertinere, te contrarium asserente, dicebat, et propterea dictum palacium et quedam alia bona tua et ecclesie tue Pampilonensis temporalia occuparat, tam ex hiis, quam suspitionibus et rancoribus contra te per regem eundem conceptis, inter te, frater, ex parte una, dictumque regem, aut suos officiales in regno Navarre constitutos ex altera, fuit magne discordie materia suscitata, ex qua tu et ecclesia tua predicta perpessi dampna et incommoda varia, ut asseritur, extitistis, quodque postmodum, eodem rege, sicut Domino placuit, vita functo, et carissima in Christo filia nostra Johanna regina Navarre illustri superstite, predicta discordia inter te dictamque reginam diminuta non extitit, nec ab hujusmodi occupatione ac detentione bonorum predictorum cessatum ; nos qui cunctos fideles cure nostre commissos et presertim prelatos et personas ecclesiasticas gaudere quietis et pacis commodis, extirpatis odiorum et rancorum fomitibus, cupientes, volumus quod hujusmodi discordia viis et modis honestis et accommodis sopiretur. Deinde vero, tractantibus et mediantibus coram nobis dilectis filiis nostro Talayrando, tituli Sancti Petri ad Vincula presbitero cardinali et nobili viro Odone, duce Burgundie, ac consentientibus illis qui pro parte tua et ejusdem regine in nostra presentia tunc temporis existebant, predicta sopita extitit discordia in hunc modum : videlicet quod facta tibi et ecclesie tue predicte per eandem reginam vel officiales suos in Regno predicto restitutione plenaria palacii et omnium aliorum bonorum tuorum et ejusdem ecclesie tue, pro premissis vel occasione illorum occupatorum et detentorum, ut prefertur, vel certa tibi cautela data et prestita de restitutione hujusmodi plene ac libere, absque cunctatione ac difficultate aliqua, postquam infrascriptum juramentum prestiteris facienda, tu, non ut episcopus, sed tanquam Arnaldus de Barbazano et privata persona, eidem regine vel illi aut illis, quem vel quos ad hoc ipsa deputandum duxerit vel etiam deputandos, prestes corporaliter juramentum, quod occasione predictarum occupationum et detentorum vel alias quoquomodo regine predicte, vel suis et regis predicti liberis, seu regno predicto, dampnum, prejudicium vel nocumentum aliquod nullatenus procurabis, nec per te vel alium seu alios facies aliqua, per que dictis regine, liberis, et regno possit periculum aliquod imminere; nichilominus specialiter et expresse quod per juramentum hujusmodi, quod velut privata persona prestiteris, ut prefertur, tuis successoribus episcopis et ecclesie Pampilonensi predicte nullum prorsus imposterum prejudicium generetur, et insuper quod verbaliter bona intentione sive juramento tamen promittas, te commodi et honoris conservationem et augmentum regine liberorum et regni predictorum procuraturum pro posse. Quocirca fraternitatem tuam attentius in Domino exhortamur, quatenus premissa, sicut expressa et distincta sunt superius, prout te tangunt, que in tuam et ecclesie tue predicte utilitatem et quietem redundare procul dubio credimus, teneas, compleas et observes. Datum Avinione, idibus junii, anno tercio.

901 Avignon, 15 juin 1344.

Ramundum Folchoaldi, monachum Tutellensem, O. S. B. beneficium adipiscendi licentiam concedit, nonobstante ætatis defectu. (Reg. 138, n° LIII, fol. 14 v°.)

Dilecto filio Ramundo Folchoaldi monacho Tutellensi,

tibi duxerimus concedendas, volumus quod littere ipse, ac quicquid ex eis vel ob eas secutum est, nullius sint penitus roboris vel momenti. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VI idus junii, anno tercio.

890 Avignon, 8 juin 1344.

Infrascriptis exsecutoribus mandat ut ab omnibus ecclesiasticis personis, exemptis et non exemptis, procurationes debitas exigant quæ archiepiscopo Lugdunensi debentur. (Reg. 138, n° MCXXVII, fol. 300 r°.)

Judicibus venerabilibus fratribus... archiepiscopo Viennensi et... Gratianopolitano episcopo. Mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos velalium seu alios faciatis auctoritate nostra, personam seu personas, quam vel quas idem archiepiscopus ad predictum visitationis officium duxerit, ut premittitur, deputandam vel deputandas, ad illud admitti, dictoque archiepiscopo, vel procuratori suo pro eo, procurationes predictas juxta hujusmodi concessionis nostre tenorem per dictum biennium integraliter exhiberi. Non obstantibus omnibus supradictis etc. Aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores etc. Datum ut supra.

891 Avignon, 8 juin 1344.

Archiepiscopo Turonensi sic indulget ut possit visitacionis officium in diversis ecclesiis exercere procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXXVIII, fol. 300 v°.)

Item in eodem modo archiepiscopo Turonensi. Devotionis tue probata —. Datum Avinione, VI idus junii, anno tercio.

892 Avignon, 9 juin 1344.

Comites Ripaturcie, Empuriarum et Urgellensem rogat ut pro pace inter Aragonum et Majoricarum reges firmanda operam dent. (Reg. 138, n°s XLIIII-XLVI, f° 12 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Petro Infanti nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Ripaturcie. Attentis pacis, commodis et guerrarum periculosis discriminibus diligenti meditatione pensatis, et nichilominus, quantum deceret, Deoque gratum et rei utilitati accomodum existeret, si caritatis, pacis et unitatis vinculum inter carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum, nepotem tuum, et Jacobum Majoricarum reges illustres, quos de eadem regali prosapia descendentes, nexus sanguinis et affinitatis conjungit, vigeret indissolubiliter, odiorum et dissensionum, quibus eos invicem disjungi procuravit hostis humani generis, vepribus extirpatis, sepius in nostre considerationis examine, non sine mentis anxietate deducto pro reformanda inter reges ipsos sic periculose dissidentes, concordia non parum hactenus, sicut tue nobilitatis novit prudentia, laboravimus, propterea diversas et varias apostolicas litteras et solennes nuncios tam sancte Romane Ecclesie cardinales, quam alios destinando. Sane quia hostis ipse sator discordie cunctorumque malorum incentor, pro flatu venenoso sic ignem dissensionum ipsarum in flammas nocivas et perniciosas non modicum accendere procuravit, quod labores hujusmodi nequaquam fructum, quem expectabamus desiderabiliter, produxerunt, nos more patris benivoli, quem non pretereunt incommoda filiorum, verentes regum ipsorum discriminosa dispendia, oppressiones innocentium et pauperum, ac ipsorum et aliorum lapsus rerum, personarum excidia et animarum amarius deploranda pericula innumeraque alia mala et scandala ex guerris quibus divina magestas graviter provocatur, et offenditur provenientia, et eis, quantum possumus, salubribus occurrere remediis cupientes, non desistendo quomodolibet ab inceptis, dilectum filium nostrum Bertrandum, tituli sancti Marchi presbiterum cardinalem, apostolice sedis nuncium, virum utique profundi pectoris, litterarum scientia, circumspectionis et probitatis maturitate conspicuum, zelatorem pacis unitatis et justicie, ac in magnis et arduis expertum negociis, ad eosdem reges et partes illas pro premissis de fratrum nostrorum consilio providimus destinandum. Cum autem inter ceteros de domo regali Aragonum dependentes, te, fili, multum, ut extimamus, deceat circa reformandam hujusmodi pacis et unitatis concordiam, et extirpandam discordiam, studiosis et benivolis solicitudinibus laborare, nobilitatem eandem rogamus, et attentius in domino exhortamur, quatinus ea que premisimus, nec non quantum ex tuis hujus-

modi laboribus mereri preter laudis humane preconium, poteris apud Deum, quantum honoris accrescet regi predicto Aragonum, si postquam Deus sibi contra dictum regem Majoricarum gloriosam dedit victoriam, clementer erga eum rigore temperato mansuetudine se gesserit, in examine recte considerationis adducens, prefatum regem Aragonum ad viam admittendam et prosequendam pacificam, et guerrarum fremitus, quibus Deus pacis graviter, sicut premissum est, offenditur, declinandos inducere, tueque cohoperationis ministerium efficaciter exhibere circa hoc tam pie quam benivole non postponas, prefato cardinali operosis assistendo nichilominus studiis in hac parte. Datum Avinione, V idus junii, anno tercio.

Nobili viro Raymundo Berengarii, infanti, nato clare memorie Jacobo regis Aragonum, comiti Empuriarum. — Jacobo infanti, nato clare memorie Alfonsi Regis Aragonum, comiti Urgellensi.

893 Avignon, 9 juin 1344.

Infrascriptis concedit altare portatile. (Reg. 138, nos MCLXXXI-LXXXIIII, fol. 313.)

Item in eodem modo, *Dilecto filio, nobili viro, Stephano, domino de Duroforti, militi, Lemovicensis diocesis.* Datum Avinione, V idus junii, anno tercio.

Astorgio de Duroforti, Lemovicensis diocesis.

Dalphine uxori dilecti filii, nobilis viri, Stephani domini de Duroforti, militis, Lemovicensis diocesis.

Heliadi uxori dilecti filii nobilis viri Astorgii de Duroforti Lemovicensis diocesis.

894 Avignon, 10 juin 1344.

Beltramino, episcopo Bononiensi, litterarum contradictarum auditori, in Lombardiam misso litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, no MLXXXIX, fol. 291 vo.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum nos venerabilem —. Dat. Avinione, IIII idus junii, anno tercio.

895 Avignon, 11 juin 1344.

Regem Aragonum rogat ut censum pro regno Sardiniæ et Corsicæ debitum solvat. (Reg. 138, no XLVII, fo 12 vo.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum, ac Sardinie et Corsice illustri. Cum pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et Ecclesia Romana sub certis vassallagio, homagio ligio et fidelitatis juramento, et aliis serviciis ac pactis, conventionibus et conditionibus in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis contentis plenius et expressis, tenes in feudum, censum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis solvere Romano Pontifici, et eidem Romane Ecclesie sis astrictus, tuque, fili carissime, censum hujusmodi duarum milium marcharum pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti, in novem milibus trecentis triginta tribus florenis, et tercia parte unius floreni auri, marcha qualibet pro quatuor florenis, et octo Turonensibus grossis argenti, et singulis florenis pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis, duxeris, ut sequitur, videlicet IIII nonas maii proximo jam elapsi duo milia florenorum auri per manus dilecti filii Laurentii Tayssonis laici Pennensis diocesis, procuratoris dilecti filii nobilis viri Nicolai de Janvilla, comitis Terrenove, ac residua septem milia trecentos triginta tres florenos et terciam partem unius floreni auri die datarum presentium per manus dilecti filii nobilis viri Johannis de Boyl nuncii tui nostre camere persolvendum, nos volentes tuis indempnitatibus super hiis paterna diligentia precavere, te de dictis duobus milibus marcharum in predictis novem milibus trecentis trigintatribus florenis et tercia parte unius floreni, sicut superius exprimitur, computatis, camere supradicte, ratione dicti census, et pro eodem termino festi apostolorum ipsorum proximo preteriti persolutis, te ac heredes et successores tuos in eodem regno absolvimus tenore presentium et quittamus. Et nichilominus quia non solvendo debito tempore dictum censum, tu excommunicationis sententie, dictumque regnum Sardinie et Corsice interdicto ecclesiastico noscimini juxta predictarum litterarum seriem subjacere, nos te, fili dilectissime, tuis devotis supplicationibus inclinati, ab eadem sententia excommunicationis absolvimus et interdictum hujusmodi relaxamus. Non intendentes aliquid super contentis in predictis litteris innovare, vel etiam immutare, sed eo potius volumus et decernimus in sui roboris efficacia perdurare. Datum Avinione, III idus junii, anno tercio.

896 Avignon, 12 juin 1344.

Regi Majoricarum cui legatum cardinalem miserat de bello prosequendo respondet. (Reg. 138, n° XLVIII, f° 12 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri. Magnificentie tue litteras nuper recepimus, per quas inter cetera prudentia regia cum instantia postulabat a nobis, ut non obstante missione dilecti filii nostri Bertrandi tituli santi Marchi presbiteri cardinalis apostolice sedis nuncii ad te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum regem Aragonum illustrem, quos hostis pacis suscitatis invicem odiis et rancoribus procuravit disjungi, et partes illas pro tractanda et reformanda inter vos mutua concordia, per nos de fratrum nostrorum consilio specialiter destinati, tibi tam contra regem ipsum quam Majoricenses subditos tuos exhibere justitiam curaremus, quibusdam aliis expressis in eisdem litteris concludentibus ad hoc ex debito pastoralis officii nos teneri. Sane, fili dilectissime, tuam volumus celsitudinem non latere, quod super missione cardinalis predicti, et hiis que agenda essent circa negocium hujusmodi dudum habita cum eisdem fratribus deliberatione provida et matura, nobis et ipsis visum fuit expediens fore super eodem negocio per vias tractatus amicabilis, ommissa pro tunc via justicie, procedendum, tuncque cardinalis prefatus presens in predictis omnibus fuit coram nobis et eisdem fratribus protestatus expresse, quod si per viam justicie vellemus procedere illuc non iret, et postquam accessisset et audiret processus fieri per viam hujusmodi a nobis incoari, quomodolibet remanere non intendebat in eisdem partibus, nisi per nos ordinaretur aliud, sed ad nostram redire potius presentiam festinanter. Porro super contentis in predictis litteris, deliberatione prehabita diligenti, adhuc credimus expedire quod per modum tractatus predicti, ommissa quoad presens via justicie, que attentis statu personarum, et qualitate negocii non parum ardui, sicut nosti, prolixa nimis cogente necessitate juris existeret, et per eam forsan non posses sic celeriter ut estimas quod intendis assequi, procedatur. Veruntamen si eam tua circumspectio regia velit omnino agredi super quo tue intentionis propositum cures prefato cardinali clarius explicare, nos illam in qua sumus ex debito servitutis apostolice debitores omnibus, denegare tibi non possumus nec debemus. Quamobrem prefato cardinali scribimus ut si procedi per viam justicie volueris, ut prefertur, ad quam exhibendam quantun cum Deo fieri poterit offerimus nos paratos, redire ad eandem nostram presentiam, si expedire cognoverit, non postponat. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

897 Avignon, 12 juin 1344.

Cum Jacobus rex Majoricarum petiisset ut inter se et regem Aragonum per viam justiciæ pax firmaretur, cardinali legato optio datur utrum in Hispania commoretur an Avinionem revertatur. (Reg. 138, n° XLIX, fol. 13 r°.)

Eidem cardinali. [Bertrando tituli Sancti Marci]. Nuper litteras carissimi —. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

898 Avignon, 12 juin 1344.

Regem Castellæ rogat ut Johannem de Rye, militem, quem Sarraceni ceperant ante Insulam Viridem, libertati restitui faciat. (Reg. 138, n° L, fol. 13 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius, nobilis vir, Johannes de Rye, miles, dudum in obsidione ante civitatem tuam regalem Insule viridis existens, casu fortuito, in manibus Sarracenorum conclusus et captivatus fuerit, et adhuc miserabiliter in eorum carceribus maceretur, nos eidem militi, qui devotionis fidei catholice zelo accensus ad partes illas et tuum catholicum et fidelem exercitum se, ut fertur, contulerit, benigno et paterno compacientes affectu, ac precibus pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, et dilecti filii nobilis viri Odonis ducis Burgundie, quorum homo et subditus dictus miles existat, nobis porrectis benignius annuentes, magnificentiam tuam regiam plenis affectibus deprecamur quatenus, ut idem miles a carcerali captivitate Sarracenorum ipsorum liberetur et restituatur pristine libertati, partes tuas, fili carissime, divine pietatis intuitu et intercessionum nostrarum obtentu tam benigne quam efficaciter pro eo, unum de captivis Sarracenis detentis in tuis carceribus tradendo, si necesse fuerit, interponas, ita quod exinde celsitudo regalis perennis mercedis acquirat premium et apud nos et Sedem Apostolicam attolli digne commendationis et laudis titulis mereatur. Datum Avinione, II idus junii, anno tercio.

899 Avignon, 13 juin 1344.

Henrico comiti Derbeyæ qui Avinione ad Angliam revertebatur litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, n° MLXXXX, fol. 292.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum dilectus filius, nobilis vir, Henricus, comes Derbeye, qui nuper pro certis causis et negociis ad Romanam venit curiam, exinde de beneplacito nostro recedens, ad partes Anglie proponat dirigere gressus suos, nos volentes ipsum in hujusmodi progressu itineris plena securitate gaudere etc... universitatem vestram etc. — Datum Avinione, idibus junii, anno tercio.

900 Avignon, 13 juin 1344.

Arnaldum de Barbasano, episcopum Pampilonensem, hortatur ut cum regina Navarræ pacem facere velit, quæ mediantibus duce Burgundiæ atque cardinale tituli Sancti Petri ad Vincula inita fuerat. (Reg. 138, n° LI, fol. 13 v°.)

Venerabili fratri Arnaldo episcopo Pampilonensi. Pridem exposito coram nobis quod dudum, super eo quod clare memorie Philippus, rex Navarre, te sibi ad procurandum servicium centum militum teneri, tuumque palacium episcopale situm in civitate Pampilonensi ad se pertinere, te contrarium asserente, dicebat, et propterea dictum palacium et quedam alia bona tua et ecclesie tue Pampilonensis temporalia occuparat, tam ex hiis, quam suspitionibus et rancoribus contra te per regem eundem conceptis, inter te, frater, ex parte una, dictumque regem, aut suos officiales in regno Navarre constitutos ex altera, fuit magne discordie materia suscitata, ex qua tu et ecclesia tua predicta perpessi dampna et incommoda varia, ut asseritur, extitistis, quodque postmodum, eodem rege, sicut Domino placuit, vita functo, et carissima in Christo filia nostra Johanna regina Navarre illustri superstite, predicta discordia inter te dictamque reginam diminuta non extitit, nec ab hujusmodi occupatione ac detentione bonorum predictorum cessatum ; nos qui cunctos fideles cure nostre commissos et presertim prelatos et personas ecclesiasticas gaudere quietis et pacis commodis, extirpatis odiorum et rancorum fomitibus, cupientes, volumus quod hujusmodi discordia viis et modis honestis et accommodis sopiretur. Deinde vero, tractantibus et mediantibus coram nobis dilectis filiis nostro Talayrando, tituli Sancti Petri ad Vincula presbitero cardinali et nobili viro Odone, duce Burgundie, ac consentientibus illis qui pro parte tua et ejusdem regine in nostra presentia tunc temporis existebant, predicta sopita extitit discordia in hunc modum : videlicet quod facta tibi et ecclesie tue predicte per eandem reginam vel officiales suos in Regno predicto restitutione plenaria palacii et omnium aliorum bonorum tuorum et ejusdem ecclesie tue, pro premissis vel occasione illorum occupatorum et detentorum, ut prefertur, vel certa tibi cautela data et prestita de restitutione hujusmodi plene ac libere, absque cunctatione ac difficultate aliqua, postquam infrascriptum juramentum prestiteris faciendâ, tu, non ut episcopus, sed tanquam Arnaldus de Barbazano et privata persona, eidem regine vel illi aut illis, quem vel quos ad hoc ipsa deputandum duxerit vel etiam deputandos, prestos corporaliter juramentum, quod occasione predictarum occupationum et detentorum vel alias quoquomodo regine predicte, vel suis et regis predicti liberis, seu regno predicto, dampnum, prejudicium vel nocumentum aliquod nullatenus procurabis, nec per te vel alium seu alios facies aliqua, per que dictis regine, liberis, et regno possit periculum aliquod imminere; nichilominus specialiter et expresse quod per juramentum hujusmodi, quod velut privata persona prestiteris, ut prefertur, tuis successoribus episcopis et ecclesie Pampilonensi predicte nullum prorsus imposterum prejudicium generetur, et insuper quod verbaliter bona intentione sive juramento tamen promittas, te commodi et honoris conservationem et augmentum regine liberorum et regni predictorum procuraturum pro posse. Quocirca fraternitatem tuam attentius in Domino exhortamur, quatenus premissa, sicut expressa et distincta sunt superius, prout te tangunt, que in tuam et ecclesie tue predicte utilitatem et quietem redundare procul dubio credimus, teneas, compleas et observes. Datum Avinione, idibus junii, anno tercio.

901 Avignon, 15 juin 1344.

Ramundum Folchoaldi, monachum Tutellensem, O. S. B. beneficium adipiscendi licentiam concedit, nonobstante ætatis defectu. (Reg. 138, n° LIII, fol. 14 v°.)

Dilecto filio Ramundo Folchoaldi monacho Tutellensi,

ordinis Sancti Benedicti. Sedis apostolice circumspecta benignitas, conditiones et merita personarum attendens, eis, quas juvari virtutum meritis percipit, se libenter propiciam exhibet et benignam. Hinc est quod nos personam tuam, quam religionis zelo, vite mundicia et et venustate morum fide dignis relatibus audivimus insignitam, volentes prosequi favore gratie specialis, tecum qui defectu etatis pateris, cum in decimo nono etatis tue anno vel circa illum constitutus nondum vicesimum quintum attingis, ut beneficium ecclesiasticum tui ordinis, etiam si dignitas, personatus, administratio vel officium existat et curam habeat animarum, si alias tibi canonice conferatur, libere recipere ac licite retinere valeas, defectu hujusmodi ac generalis concilii et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus ecclesie Tutellensis, cujus existis monachus, et ordinis predicti contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XVII kalendas julii, anno tercio.

902 Avignon, 15 juin 1344.

Episcopo Xanctonensi mandat ut Heliadi et Margaritæ de Rupecavardi, monialibus Beatæ Mariæ Xanctonensis, O. S. B. benedictionis munus impendat. (Reg. 138, n° LIIII, fol. 15 r°.)

Venerabili fratri episcopo Xanctonensi. Nuper dilecte in Christo filie Heliadis et Margarita de Rupecavardi moniales monasterii Beate Marie Xanctonensis, ordinis Sancti Benedicti, nobis fecerunt exponi quod licet ipse duodecim annis et ultra continuis sub sue religionis habitu in castris claustralibus laudabiliter militaverint filio virginis sponso suo, et ut eidem sincerius majorum virtutum studiis valeant inherere, de sue abbatisse licentia suscipere cupiant munus benedictionis, que religiosis virginibus in Dei ecclesia elargitur, illudque impendi sibi humiliter postularunt, tu tamen eis ex eo munus predictum, ut asseritur, recusas impendere, quod secundum observantias, privilegia vel statuta ordinis et monasterii predictorum etatis sufficientis existere minime asseruntur, quamvis earum junior decimumoctavum etatis sue annum attingat. Nos igitur earundem religiosarum, quibus de zelo religionis, puritate vite, morum maturitate, conversatione laudabili et aliis virtutum meritis apud nos laudabile testimonium perhibetur, supplicationi pro parte ipsarum nobis exhibite favorabiliter annuentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus defectu etatis hujusmodi, ac constitutionibus, privilegiis apostolicis, statutis et observantiis predictorum ordinis et monasterii et aliis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, eisdem religiosis virginibus, si aliud non obstat eis canonicum, hujusmodi benedictionem impendas. Per hoc autem eisdem statutis et observantiis non intendimus in aliis quomodolibet derogare. Datum Avinione, XVII kalendas julii, anno tercio.

903 Avignon, 16 juin 1344.

Respondetur quod circa negotium Ludovici de Bavaria ad presens nichil scribendum esse videtur et ipse admonetur ut quæ interim nuntianda occurrerint, scribere non postponat. (Reg. 138, n° LV, fol. 15.)

Dilecto filio nobili viro Carolo, carissimi in Christo filii nostri Johannis regis Bœmie illustris primogenito, marchioni Moravie. Nuper venientem ad —. Dat. Avinione, XVI kalendas julii, anno tercio.

904 Avignon, 17 juin 1344.

Ei mandat ut a prælatis regni Cipri, videlicet ab archiepiscopo Nicosiensi ac Nimosiensi et Famagustano episcopis pecunias recipiat quæ Cameræ Apostolicæ debentur. (Reg. 138, n° LVI, fol. 15 v°.)

Venerabili fratri Odoni, episcopo Paphensi. Cum sicut intelleximus —. Datum Avinione, XV kalendas junii, anno tercio.

905 Avignon, 17 juin 1344.

Gubernatori et communi Januensi mandat ut pecuniam Johanni Garini, militi, restitui faciant quæ penes Lancelotto Pensavite deposita fuerat ; nam dictus Johannes, dum per Lotharingiam transibat, cartis et instrumentis per prædones spoliatus fuerat. (Reg. 138, n° LVII, fol. 15 v°.)

Dilectis filiis, nobili viro Symoni Boccanegra, gubernatori, et communi civitatis Januensis. Exposuit nobis

dilectus filius, nobilis vir, Johannes Garini, miles, natus dilecti filii nobilis viri Falconis Garini, Assavensis diocesis, quod dudum dictus pater suus de bonis suis usque ad valorem non modice pecunie quantitatis dilecto filio Lanseloto Pensavite de Janua et aliis de domo seu societate sua sub custodia seu deposito tradidit et etiam assignavit, quodque cum idem Johannes pro recuperanda pecunia hujusmodi nomine dicti patris sui ad civitatem vestram Januensem accederet et per partes Lothoringie transiret, per predones invasus et vulneratus, tam cartis et instrumentis, que super dicto deposito deferebat, quam aliis bonis suis extitit spoliatus. Nos igitur eidem pio et paterno compatientes affectu ipsum ad civitatem predictam se pro dicta recuperanda pecunia, sicut coram nobis asseruit, presentialiter conferentem vestre benivolentie propensius commendantes, universitatem vestram attente rogamus quatenus sibi super recuperatione dicte pecunie, quantum cum honestate fieri poterit, favorabiliter assistatis. Datum Avinione, XV kalendas julii, anno tertio.

906 Avignon, 17 juin 1344.

Johanni Garini, militi, Assavensis diocesis, qui ad partes ultramarinas adversus Infideles pugnaturus se confert, litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, n° MLXXXXI, fol. 292.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis etc. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, XV kalendas julii, anno tercio.

907 Avignon, 17 juin 1344.

Marchionem Estensem, qui cum fratribus Raynaldo et Nicolao vicarii Ferrarienses a Johanne papa XXII per decennium, pretio 10.000 floren. auri constituti erant, debito solvit. (Reg. 138' n° LX, fol. 17.)

Dilecto filio, nobili viro, Opizoni, marchioni Estensi. Petitio pro parte —. Datum Avinione, XV kalendas julii, anno tercio.

908 Avignon, 17 juin 1344.

Ordinis Minorum fratres, antea rebelles, nunc pænitentes absolvit, dummodo fidei confessionem a Francisco de Esculo, sacræ theologiæ professore præstitam jurent. (Reg. 138, n° LVIII, fol. 15 v°.)

Dilecto filio Fortanerio fratrum ordinis Minorum generali ministro. Illius misericordiarum domini qui errantibus, ut in viam possint redire justicie, veritatis sue lumen ostendit, locum licet insufficientibus meritis gerentes in terris, eis qui post lapsum in devium recognoscentes humiliter culpas suas rectitudinis iter querunt, pietate paterna super hiis aditum pandimus et manum benignam porrigimus adjutricem. Dudum siquidem ad audientiam nostram perducto, quod nonnulli fratres ordinis tui Minorum qui olim serpentina deceptione seducti, currentes per campum licentie laxatis rationis et honestatis habenis precipites ad interitum dampnationis et mortis, a reverentia et obedientia Sancte Romane ecclesie ac sui communitate ordinis recesserunt, et commissis ab eis adversus ecclesiam et ordinem predictos diversis detestandis et execrandis excessibus, presuntuosis et temerariis ausibus, calcaneo rebellionis erecto, aliis fratribus ipsius ordinis, similiter rebellibus, adheserunt et prestiterunt auxilium, consilium et favorem ; ad cor postmodum saniori ducti consilio redeuntes, ac dolentes et penitentes de commissis hujusmodi, ad unitatem et devotionem ipsius ecclesie ac ordinis prelibati cum vera penitentia redire, ac in illis constanter et inviolabiliter persistere affectarunt. Nos sequentes divine miserationis exemplum et volentes agere misericorditer cum eisdem, tibi, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam gerimus, ut fratres ipsos qui contritis et humiliatis cordibus et suis culpis hujusmodi recognitis et confessis, ad veram obedientiam et devotionem predictas redire, seque ad illas recipi et humiliter veniam peterent de commissis, ea vice auctoritate nostra valeres recipere, sibique de absolutionis beneficio a sententia excommunicationis et aliis penis spiritualibus, quas propter premissa incurrisse noscuntur, providere juxta formam ecclesie, injuncta eis ex inde pro modo culpe penitentia salutari, de qua saluti animarum ipsorum tibi expediens videretur, adjecto tamen specialiter et expresse quod si redirent, sicut canis ad vomitum, ad committenda delicta hujusmodi vel aliqua de eisdem, in easdem penas et sententias ipso facto recideres, per nostras certi tenoris litteras, sicut in eis continetur plenius, concessisse meminimus potestatem. Sane cum, sicut nobis significare curasti, aliqui

fratres ejusdem ordinis predictis excessibus, delictis, et criminibus irretiti, ab inviis hujusmodi retrahere pedes suos totaliter et in viam veritatis et salutis reducere desiderabiliter affectantes, paratos se asserant profiteri, assererè, recognoscere ac promittere, ipsi et eorum singuli pro se, videlicet ea que dilectus filius Franciscus de Esculo, ejusdem ordinis sacre theologie professor, dudum coram nobis professus fuit, recognovit, asseruit, et promisit, de quibus ac nostre voluntatis in hac parte beneplacito edoceri humiliter postulasti, nos, habita deliberatione super hiis diligenti, volumus quod fratres eosdem qui ad easdem gratiam, devotionem et obedientiam redire voluerint, et se ad illas admitti humiliter petierint, prius per ipsos et eorum singulos, suis hujusmodi excessibus et criminibus coram te recognitis et confessis, ad easdem gratiam, devotionem et obedientiam juxta formam quam dictus Franciscus in sua redactione observavit inferius annotatam, vice nostra, recipias et admittas, eisque ab excommunicationis et aliis spiritualibus penis et sententiis, quas propter premissa per eos, ut prefertur, commissa incurrerunt, procures auctoritate nostra juxta formam ecclesie de absolutionis et salutari penitentia providere, ita tamen quod ipsi, postquam sic reconciliati et absoluti fuerunt, infra certum terminum competentem, eis per te super hoc prefigendum, coram nobis personaliter se presentent, suscepturi mandatum nostrum humiliter, et beneplacitis apostolicis parituri, alioquin in easdem recidant penas et sententias ipso facto ; faciendo super premissis confici publica instrumenta seriem presentium continentia, que nobis e vestigio studeas destinare. Formam autem predictam inseri presentibus fecimus, que dinoscitur esse talis : Ego frater Franciscus de Esculo, ordinis Minorum, recognoscens veram catholicam et apostolicam Sedem, fateor me illam fidem firmiter credere et tenere, quam sacrosancta Romana ecclesia, que mater est omnium fidelium et magistra, tenuit et docuit, tenet et docet, et quam sanctissimus in Christo pater, dominus Clemens papa VI cum sacro collegio cardinalium tenet et docet. Et precipue credo et teneo, cum etiam scriptura sacra in plerisque locis hoc asserat, Redemptorem nostrum et dominum nostrum Jesum Christum ejusque apostolos nonnulla habuisse, et quod asserere pertinaciter quod Christus et apostoli nihil habuerunt in proprio vel communi est erroneum et hereticum, et quod Christus et ejus Apostoli habuerunt in rebus, quibus usi sunt, jus utendi et faciendi ea que scriptura sacra testatur eos fecisse, et quod usus non possit esse justus, absque omni jure utendi, et quod in premissis felicis recordationis Johannes papa XXII recte et catholice diffiniverit in constitutione sua que incipit « Cum inter nonnullas », quam reputo catholicam, et contrarium tenere post decretalem et eius publicationem pertinaciter ore et corde profiteor, prout ipse in dicta constitutione sua declaravit, erroneum et hereticum fore. Et doleo et me penitet quod unquam aliquid scripserim, dixerim vel fecerim contra ipsam, et specialiter de verbis excessivis que credens zelare pro ordine meo adversus prefatum dominum Johannem scripsi, dixi vel feci, et peto veniam, gratiam et misericordiam de premissis. Et confiteor dictum dominum Johannem, toto tempore quo regimini universatis ecclesie prefuit, verum et catholicum papam fuisse, et ipsum catholice et, ut verum est, fidelem Christianum vixisse et obiisse, et hanc mee fidei brevem confessionem et annotationem juro, et suppono correctioni et emendationi ac supletioni ejusdem sanctissimi patris et domini nostri papæ Clementis VI. Datum Avinione, XV kalendas julii, anno tercio.

909 Avignon, 18 juin 1344.

Comiti Armaniaci unam navem ad partes soldani Babiloniæ transvehendi potestatem concedit. (Reg. 138, n° LIX, fol. 16 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, comiti Armaniaci. Dum ingentis devotionis sinceritatem, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere dinosceris, diligenter attendimus, ac labores et sumptus varios, quos dudum circa ossequia ejusdem ecclesie subisti, attenta meditatione pensamus, dignum reputamus et rationi congruum, ut petitiones tuas favorabiliter admittamus, quantum cum deo possumus, ad exauditionis effectum. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, ut unam navem quibuscumque mercibus seu mercationibus oneratam, exceptis armis, ferro, lignaminibus, clavis, equis et aliis de jure communi prohibitis, cum peregrinis, mercatoribus, eorum servitoribus, ac personis nauticis et paramentis, ad gubernationem, defensionem et regimem ipsius navis commode pertinentibus de quibuscumque partibus Christianorum assumendis transfretare, per te vel alium seu alios semel duntaxat, ad terras Soldano Babilonie subjectas, consti-

tutionibus, prohibitionibus et processibus apostolice sedis spirituales et temporales penas, multas et summas prolatas in transfretantes cum mercibus et mercationibus ad terras predictas continentibus, nequaquam obstantibus, valeas, auctoritate apostolica de speciali gratia plenam et liberam tibi licentiam elargimur. Volumus autem quod tu, seu ille vel illi, qui dictam navem mercibus, seu mercationibus onerabunt, in manibus diocesani loci, in quo eadem navis onerabitur, quod premissa vel aliquod eorundem non facietis in fraudem, prestetis corporaliter juramentum. Alioquin, nisi juramentum hujusmodi prestiteritis, ut prefertur, presentem concessionem omnino haberi volumus pro non facta; super cujus quidem juramenti prestatione diocesanus predictus, duo confici faciat consimilia publica instrumenta, quorum unam ad Cameram nostram statim destinare fideliter, et reliquum apud se conservare procuret. Nulli ergo etc. Dat. Avinione, XIIII kal. julii, anno tercio.

910 Avignon, 18 juin 1344.

Episcopo Trecensi caritativum subsidium conceditur. (Reg. 138, nos MCLVI et MCLVII, fol. 308.)

Venerabili fratri episcopo Trecensi. Exigit tue devotionis —. Datum Avinione, XIIII kalendas julii, anno tercio.

Judicibus... Sancti Lupi Trecensis et Sancte Columbe prope Senonis ac... secularis, Castricensorii, Eduensis diocesis, abbatibus.

911 Avignon, 18 juin 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nos MCLXXXXVIII-MCCI, fol. 315.)

In e. mo., verbis competenter mutatis, *dilecto filio, nobili viro, Stephano domino de Duroforti, militi, et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Dalphine, ejus uxori, Lemovicensis diocesis.* Datum Avinione, XIIII kalendas julii, anno tercio.

Item in eodem modo, *dilecto filio, nobili viro, Astorgio de Duroforti, et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Heliadi ejus uxori, Lemovicensis diocesis.*

Item in eodem modo, *dilecto filio, nobili viro, Aymerico de Pestello, et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Florie ejus uxori, Tutellensis diocesis.*

Item in eodem modo, *dilecto filio, nobili viro, Petro de Sancto Marciale, familiari nostro, et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Elene ejus uxori, Tutellensis diocesis.*

912 Avignon, 19 juin 1344.

Cum papa decreverit gubernationem et bayliam dictorum regni et terrarum suo nomine per legatum regi debere, legato sic indulget ut possit absolvere illos qui olim dictis mandatis obedire recusavissent, nunc vero paruerint. (Reg. 138, no LXI, fol. 17 ro.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Monbus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Dudum displicenter audito —. Datum Avinione, XIII kalendas julii, anno tercio.

913 Avignon, 20 juin 1344.

Priori Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Anglia Willelmum de Northwoide, militem, commendat. (Reg. 138, no LXIII, fol. 19 vo.)

Dilecto filio... priori domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in partibus Anglie constitutorum. Cum nos dilectum filium Willelmum de Northwoide, militem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, qui de nobilibus traxit originem, sicut nosti, specialis prosequamur dilectione favoris, ipsum tue benivolentie plenis affectibus commendantes, sinceritatem tuam attente rogamus quatinus super aliqua promotione congrua, cum se facultas tibi obtulerit, sic eum habere velis pro nostra et apostolice Sedis reverencia propensius commendatum quod nos, quibus id gratum existet admodum, devotionem tuam possumus commendare super hiis non indigne. Dat. Avinione, XII kalendas julii, anno tercio.

914 Avignon, 20 juin 1344.

Regi Franciæ concedit decimas quas pro Terra Sancta receperat et ei ignoscit quod propter bella sustinenda dictis decimis usus sit. (Reg. 138, no LXII, fol. 18 ro.)

Carissimo in Christo filio, Philippo regi Francie illustri. Magne devotionis sinceritas, quam ad Deum et sanctam Romanam ecclesiam, tanquam princeps christianissimus et benedictionis filius, gerere dinosceris, promeretur ut eandem ecclesiam tanquam matrem piissimam reperias circa illa, que tue salutis et honoris incrementa respiciunt, favorabilem et benignam. Sane petitio pro parte tue celsitudinis regie nuper nobis exhibita continebat, quod olim felicis recordationis Johannes papa XXII, predecessor noster, fervens tue devotionis propositum, quod inspirante tibi Domino conceperas, ad procurandum generale ad terram sanctam indici passagium, illudque in persona tua propria totis viribus prosequendum, pro ejusdem terre liberatione de manibus Agarenorum infidelium, qui eam fedis conculcant pedibus et in nostri redemptoris contumeliam detinent occupatam, consideranter attendens, ad tue supplicationis instantiam, indicto hujusmodi passagio generali, teque illius ac populi Christiani in eo transfretare volentis deputato generali capitaneo et rectore, tibi, fili carissime, ad hujusmodi tuum laudabile propositum deducendum, ad honorem et gloriam divini nominis melius et utilius in effectum, tam decimarum proventuum ecclesiasticorum regni tui ad hoc impositarum per predecessorem eundem, quam quorumdam aliorum bonorum et obventionum subsidium sub certis modis, formis, conditionibus, conventionibus et obligationibus duxit auctoritate apostolica concedendum, tuque, fili dilectissime, volens et intendens, prout erat etiam de voluntate ac intentione predecessoris ejusdem, quod omnia, que de hujusmodi tibi concesso, ut prefertur, subsidio exigerentur, levarentur et haberentur quomodolibet, in usus et utilitatem passagii converterentur predicti, per certos procuratores tuos ad hoc specialiter deputatos, medio juramento coram eodem predecessore prestito, promisisti quod non acciperes nec scienter faceres nec consentires quod aliquis alius de eis caperet vel acciperet que tibi per sedem apostolicam concederentur in subsidium passagii antedicti, ad hoc ut in usus alios quam in utilitatem passagii converteretur ejusdem, nec ea in usus converteres alios, nec ne converti a quoquam alio sustineres et si forsan de predictis pro usibus aliis a te vel aliis contingeret aliquod accipi de illis, vel in alios usus converti, totum illud ad locum pristinum et ad usum ipsius passagii, cum id ad tuam deveniret noticiam, sine morosa dilatione restitui faceres et reponi, ad que heredes et successores tuos astrictos et obligatos existere voluisti, et nihilominus dilectus filius nobilis vir Johannes primogenitus tuus, dux Normannie, de mandato tuo per certos procuratores suos ab ipso super hoc specialiter constitutos, medio juramento, in animam suam in presentia dicti predecessoris prestito ad predicta specialiter se astrinxit, sicut in ejusdem predecessoris ac tuis regiis et ipsius ducis inde confectis litteris plenius et seriosius continetur. Cum autem arripiendi iter tuum super prosecutione ipsius passagii certus terminus tibi per eundem predecessorem prefixus et per te receptus fuisset, pie memorie Benedictus papa XII, predecessor noster et ejusdem Joannis pape immediatus successor, considerans et attendens quod propter manifesta et rationabilia impedimenta et alias causas legitimas arreptio itineris predicti et per consequens prosecutio ejusdem passagii, ad tuum et populi christiani honorem et commodum dicteque terre utilitatem in eodem termino fieri quomodolibet non valebat, ipse, quamquam impedimenta hujusmodi justa et legitima te super hoc excusarent, tamen ut ora obstruerentur obloquentium causas et impedimenta predicta forsan ignorantium, et tuis consuleretur honoribus salubrius in hac parte, super juramento de arripiendo dictum iter in eodem termino ac transfretando et prosequendo negocium passagii sepefatum per dictos procuratores in animam tuam prestito, necnon et super voto ac promissione, si quod seu quam emiseras, tecum, ut non tenereris in predicto termino iter tuum predictum arripere illudque prosequi, nec propter hoc aliqua perjurii seu inconstantie nota respergi, auctoritate apostolica dispensavit, te instantius nichilominus exorthando ut, cum oportunum tempus tibi super prosecutione ipsius passagii Dominus ministraret, propter gratiam dispensationis hujusmodi non tepesceres, sed potius ad hoc inflammares ferventius et ardentius mentem tuam, prout hec et alia in litteris dicti Benedicti predecessoris inde confectis plenius sunt expressa. Subsequenter autem, antequam impedimenta subducerentur predicta, hostis antiqui humani generis malicia procurante, tibi diversis duris guerris ingruentibus, et regno tuo per hostes et emulos tuos in diversis partibus periculose nimium impugnato, tui sinceri et devoti propositi executio super negotio dicti passagii, quod propter dispensationem predictam non tepuerat sed fervebat amplius, extitit pro dolor! impedita. Et nihilominus incumbentibus pro defensione dicti regni diversis et variis necessitati-

bus nonnullas pecunias de dictis decimis et aliis bonis pro subsidio dicti passagii tibi, ut prefertur, concessis in regno tuo supradicto collectas fecisti recipi et in necessitatibus supradictis expendi, eas nequaquam postmodum reduci vel reponi ad locum pristinum faciendo, nec oppressus et gravatus multorum aliorum onerum necessitatibus, absque tuis et regni tui predicti magnis incommoditatibus et detrimentis irreparabilibus potes reductionem, restitutionem et repositionem pecuniarum facere supradictas. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tuis et ejusdem primogeniti tui animarum saluti, fame ac statui paterna diligentia super premissis consulere ac etiam providere, necnon pecunias per te vel tuo nomine aut mandato de dictis decimis et aliis bonis pro dicto subsidio tibi concessis, ut premittitur, receptas, et pro defensione dicti regni expensas totaliter et consumptas, tibi donare ac remittere de benignitate apostolica et speciali gratia dignaremur. Nos igitur sinceram devotionem quam tu, fili amatissime, et prefatus primogenitus tuus ad Deum et ipsam Romanam ecclesiam habere noscimini, necnon favores quos prelatis ac ecclesiis et personis ecclesiasticis regni predicti circa conservationem libertatum et jurium suorum impendistis hactenus, impenditis et vos impensuros imposterum uberius confidimus, pia et debita consideratione pensantes, et propterea dignum et rationi congruum arbitrantes ut nos et Sedem apostolicam reperiatis super vestris necessitatibus, quantum cum Deo possumus, gratiosos, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, te, fili precarissime ac dictum ducem, primogenitum tuum, ab omni reatu et nota perjurii ac excommunicationis sententia, si ex premissis vel aliquo premissorum nota irretiti hujusmodi vel sententia predicta ligati forsan sitis vel fueritis, absolvimus, ac a vobis et utroque vestrum cujuscumque infamie juris et facti propterea quoquo modo contracte abstergimus, tollimus et totaliter abolemus maculam sive notam, et ulterius premissis et aliis causis rationabilibus suadentibus et nos moventibus, omnia illa que de dictis pecuniis ex eisdem decimis et aliis bonis et proventibus pro subsidio ejusdem passagii concessis, prout supradictum est, et collectis per te tuoque nomine vel mandato recepta sunt, et pro defensione dicti regni, ut prefertur, et alias expensa, sub modis, formis, et conditionibus infrascriptis, et non aliter, tibi de speciali gratia remittimus et donamus ; videlicet quod quandoque per nos vel successores nostros Romanos Pontifices et apostolicam Sedem indici generale seu particulare passagium contigerit pro subsidio et liberatione dicte terre, triennales decime de proventibus ecclesiasticis dicti regni per nos vel eosdem successores et eandem Sedem indicantur et etiam imponantur, que per prelatos ejusdem regni per nos vel eosdem successores et Sedem prefatam deputandos dicto triennio pro parte, vice ac nomine nostris vel eorumdem successorum et Sedis ipsius integraliter, libere, sine contradictione, molestatione, vexatione ac impedimento quibuslibet exigantur, leventur et recipiantur, teneantur et custodiantur, in usus et necessitates dicti generalis vel particularis passagii, juxta nostram vel eorundem successorum dispositionem, voluntatem et ordinationem omnimodam et liberam distribuende, ac etiam dispensande ; ita tamen quod si tu, fili carissime, vel dictus primogenitus tuus, in quocumque statu fuerit, aut rex Francie, qui tunc erit, velletis decenter et sufficienter, secundum status vestri decentiam et ad utilitatem dicti passagii transfretare, pecunie ipsarum decimarum triennalium tibi, si transfretares in eodem passagio, ut prefertur, alioquin eidem Primogenito in quocumque statu fuerit, aut Regi Francie, qui tunc erit, in ipso passagio, ut premissum est, transfretanti, expendende in usum et utilitatem ejusdem passagii et non alias, assignentur. Si vero tu vel primogenitus idem aut rex Francie, qui tunc esset, in eodem passagio tunc temporis transfretare nolletis, aut forsitan non possetis, nos vel successores predicti et Sedes eadem possimus aliis transfretantibus in eodem generali vel particulari passagio per nos vel eosdem successores aut Sedem indicendo predictam, de quibus nobis aut successoribus predictis videbitur, pecunias decimales hujusmodi facere distribui ac etiam ministrari, sed interim pecunie ipse per prelatos predictos a nobis vel eisdem successoribus et sede predicta, ut premittitur, deputandos sub manu, potestate, custodia et dispositione nostra vel successorum et Sedis predictorum infra dictum regnum Francie, in locis tutis et accommodis integraliter conserventur eodem passagio expendende. Ceterum si, quod absit, contingeret per te vel eundem primogenitum tuum aut regem Francie, qui tunc esset, seu tuos vel eorum officiales, ministros vel subditos, nobis vel eisdem successoribus seu deputandis super hiis a nobis vel ipsis et Sede predicta, circa impositionem, indictionem, exactionem, collectionem, receptionem, custodiam, distributionem et assignationem dicte pecunie decimalis vel alicujus partis ejusdem,

molestationem, vexationem, turbationem vel impedimentum scienter inferri aliquod, nisi cum id ad tuam seu ejusdem primogeniti aut regis Francie, qui tunc esset, noticiam deveniret et requisiti per Sedem predictam aut deputandum vel deputandos super premissis ab ea, hujusmodi molestationem, vexationem, turbationem et impedimentum revocari, tolli et ammoveri cum effectu sine difficultatis obstaculo et quavis dilatione morosa faceretis, omnino nos remissionem et donationem huiusmodi per nos factas ex tunc haberi volumus et decernimus pro non factis nulliusque conseri et existere roboris vel momenti sed potius ad plenam et integram restitutionem eorum que tibi, prout supradictum est, remisimus et donavimus, tu, heredes et successores tui teneamini et sitis in eodem casu astricti, sicut tu, fili predilectissime, ante remissionem et donationem hujusmodi tenebaris astrictus. Rogamus itaque celsitudinem tuam regiam et attentius in Domino exhortamur, te obnixius per Dei misericordiam obsecrantes quatenus, propter remissionem et donationem hujusmodi et alias gratias per nos et predecessores nostros predictos tibi factas, circa dictum passagium et ejusdem terre, quam Salvator noster sui preciosi effusione sanguinis consecravit, liberationem de manibus paganorum christiani nominis blasfemorum, non tepescat tua devotio, sed cum executione fructuosi operis ardentius crescat ad tue anime salutis augmentum et exaltationem regii nominis et honoris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, abstersionis, ammonitionis, abolitionis, remissionis, donationis, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Dat. Avinione, XII kalendas julii, anno tercio.

915 Avignon, 20 juin 1344.

Episcopo Cathalaunensi mandat ut monasterio de Auderiis, O. S. B. Isabellem de Argentolio vel Matildim de Boscomonte in abbatissam preficiat. (Reg. 138, n° LXIIII, fol. 19 v°.)

Venerabili fratri, episcopo Cathalaunensi. Pastoralis officii desuper nobis impositi debitum nos solicitat et perurget, ut ecclesiis et monasteriis viduitatis incommoda deplorantibus paterna provisione consulere studeamus. Nuper si quidem ad audientiam nostri apostolatus relatu fidedigno deducto, monasterium de Auderiis, ordinis Sancti Benedicti, tue diocesis Cathalaunensis per obitum quondam... ultime abbatisse ipsius, que dudum in partibus illis diem clausit extremum, vacare, nos, certis rationabilibus causis ad id nos moventibus, volentes prefato monasterio per circumspectionem sedis apostolice hac vice, si per electionem vel alias canonice provisum eidem non extiterit, providere, provisionem et dispositionem ipsius monasterii nobis specialiter auctoritate apostolica reservantes decernimus ex nunc irritum et inane si secus, per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit super hiis attemptari. Nolentes itaque monasterium ipsum amplius vacationis dispendiis subjacere, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, ad monasterium predictum accedens, et diligenter ac fideliter presentari procurans, in quam dilecte in Christo filie conventus ejusdem monasterii de duabus, videlicet Isabelli de Argentolio, et Matildi de Boscomonte, monialibus prelibati monasterii, que nobis de zelo religionis, maturitate morum, vite mundicia, conversatione honesta et aliis virtutis meritis multipliciter commendantur, direxerint vota sua, illam ex eisdem Isabelli et Mathildi, in quam ipse conventus vel maior pars earum consenserint, si die data presentium non fuerit per electionem vel alias alicui super abbatia supradicti monasterii jus quesitum, auctoritate nostra preficias in abbatissam monasterii antedicti sibique ipsius curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus committere studeas et a suis subditis facias obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores etc. Deinde vero, cum eam in abbatissam prefeceris monasterio supradicto, eidem munus benedictionis impendas. Volumus autem quod, postquam eidem hujusmodi munus impenderis, ab ea nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite recipias juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam hujusmodi juramenti, quod ipsa prestabit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras ejus sigillo signatas nobis per proprium nuncium destinare procures. Datum Avinione, XII kalendas julii, anno tercio.

916 Avignon, 21 juin 1344.

Cum Amalricus de Nigella, praepositus ecclesiae de Insula, Tornacensis diocesis, sua bona tam Noviomensi quam Parisiensi

diocesibus legasset, heredem dicti Amalrici absolvit qui cum dicta pecunia domum de Valle Sancte Crucis in Suessionensi diœcesi construxerat. (Reg. 138, n° LXV, fol. 20 r°.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni de Nigella, domino de Affumonte, Suessionensis diocesis. Sicut nuper constitutus in nostra presentia nobis exponere curavisti, quondam Almaricus de Nigella, prepositus ecclesie de Insula, Tornacensis diocesis, patruus tuus, in sua dispositione ultima de sue salute anime solicitus ordinavit, quod solitis debitis et legatis suis factisque restitutionibus eis quibus obnoxius quomodolibet tenebatur, residuum bonorum suorum mobilium pro medietate in Noviomensi et pro alia medietate in Parisiensi diocesi, amore Dei, et pro anime sue remedio largirentur. Cum autem tu, qui nepos ipsius existebas, eodem Almarico ab hac luce subtracto, solutis de bonis predictis debitis et legatis ipsius et factis restitutionibus illis quibus facere tenebatur, tu preter formam dispositionis predicte, habens tamen rectam et puram intentionem ad Deum et zelum bonum ad salutem anime defuncti predicti, juxta tue discretionis arbitrium in melius commutando, partem predictorum bonorum, que ipse mandaverat in predictis duabus diocesibus mediocriter, sicut premissum est, elargiri pro constructione ac fundatione cujusdam domus religiose vocate de Valle Sancte Crucis monachorum ordinis Sancti Benedicti predicte Suessionensis diocesis sub regulari observantia illorum, qui Celestini dicuntur, receperis et expenderis, nobis humiliter supplicasti ut indempnitati salutis anime tue providere sub hiis paterna diligentia curaremus. Nos igitur tue intentionis explicite nobis in hac parte propositum, quod utique de radice caritatis et intentionis recte processisse ac procedere credimus, diligentius attendentes, ea que de bonis predictis in constructione ac fundatione dicte domus posuisti et expendisti, ut premittitur, rata et grata habentes, te de illis, ac si in prefatis diocesibus Noviomensi et Parisiensi vel eorum altera juxta dispositionem dispensasses et erogasses predictam, presertim cum in pios usus et perpetuos ad honorem dei et divini cultus augmentum illa dispensaveris, te remanere perpetuis temporibus volumus et decernimus liberum et immunem; et nichilominus ulterius tuis supplicationibus inclinati concedimus quod illa, que adhuc de bonis dicti defuncti mobilibus superesse solutis debitis legatis et restitutionibus supradictis contingit, due partes eorum in constructione ac dotatione domus religiose predicte possint fideliter et utiliter dispensari, alia vero tercia pars bonorum predictorum et quicquid etiam de dictis duabus partibus, prefata domo constructa sufficienter et donata, restabat in dictis Noviomensi et Parisiensi diocesibus, juxta dispositionem ipsius defuncti distribuantur et fideliter dispensentur. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XI kalendas julii, anno tercio.

917 Avignon, 21 juin 1344.

Infrascriptis sic indulget ut possint Sacra, excepto corpore dominico, tangere, et per sacerdotes ministrari poculum sanguinis Domini. (Reg. 138, n°s LXVI-LXIX, fol. 20 v°. — Raynaldi, VI, 370.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Sincere devotionis integritas, quam ad Deum ac nos et Sanctam Romanam ecclesiam gerere dinosceris, promeretur, ut peticionibus tuis illis presertim, que tue devotionis et salutis augmentum promovent, benignis et graciosis favoribus annuamus. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, ut que sacra sunt, preterquam corpus dominicum, quod per alios quam sacerdotes tractare non convenit, tangere, quociens oportunum fuerit et ad hoc te inducet pie devotionis affectus, cum honestate tamen et reverencia quibus decet, valeas et cum per confessorem tuum vel sacerdotem alium sacra communio corporis domini nostri Jhesu Christi tibi ministrabitur, possit etiam poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus et observantiis quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, ministrari, tibi, quamdiu vixeris et in quocumque statu, eciam si regali dignitate fulgeres, fueris, tenore presencium de speciali gratia indulgemus. Volumus autem quod idem confessor vel sacerdos, qui tibi communionem hujusmodi ministrabit, circa hoc sic secrete se gerat et caute, quod in ministracione tibi facienda de sanguine nichil extra vasa sacra effundi de illo valeat nec scandalum quomodolibet generari. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XI kalendas julii, anno tercio.

Item in eodem modo, *dilecte in Christo filie nobili mulieri Bone, uxori dilecti filii, nobilis viri, Johannis primogeniti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, ducis Normannie.*

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri.

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.

918 Avignon, 22 juin 1344.

Infrascripto mandat ut bona Gaufridi episcopi Cenomanensis, si ille graviter infirmus de vita decedat, colligere et sub manu Cameræ ponere velit. (Reg. 138, n° LXXI, fol. 21 v°.)

Dilecto filio Ramundo de Caunis, cantori ecclesie Beati Martini Turonensis. Relatu fidedignorum percepto venerabilem fratrem nostrum Gaufridum episcopum Cenomanensem infirmitate gravi sui corporis detineri, nos, verentes bona ipsius mobilia necnon debita et credita indebite alienari et distrahi, quod ex illis, si eum ab hac luce migrare contingat, non possit quod justum et debitum fuerit ordinari, et propterea cupientes salubriter super hiis providere, bonorum ac debitorum et creditorum ipsorum dispositionem nobis specialiter duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane quicquid contra reservationem nostram predictam per quoscumque, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, si forsan Domino disponente jam decesserit idem episcopus, vel cum ipsum decedere contigerit, per te vel alium seu alios de bonis, debitis et creditis hujusmodi simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii te informans, ea in quibuscumque rebus consistant, et per quascumque detineantur vel debeantur personas, exigere, recipere, ac sub manu nostra fideliter, ne devastentur, occupentur, vel asportentur per aliquos, sed inde potius fieri valeat, quod ordinandum duxerimus, conservare procures. Non obstante si eis etc. Volumus autem etc. Porro summopere studeas precavere quod prenominato episcopo, quandiu vixerit, nullam molestationem pretextu presentium super bonis, creditis et debitis supradictis inferas, vel inferri facias quoquo modo, nec post ejus decessum impedias, quominus expense decentes funerarie ministrentur, exinde libere debita solvantur vera et justa, et servitores ipsius episcopi secundum statum et laborem cujuslibet remunerentur decenter. Datum Avinione, X kalendas julii, anno tercio.

919 Avignon, 22 juin 1344.

Cum, secundum conventiones inter Johannem XXII et syndacos dictæ civitatis censum 8.000 flor. solvere Cameræ debeat, et per manus magistri Bonaventuræ quondam Jacobi, professoris in scientia medicinæ et Michaelis Francisci, civium Bononiensium pecuniam numeravisset, acceptum habet. (Reg. 138, n° LXX, fol. 21.)

Dilectis filiis communi, universitati et populo Bononiensibus. Petitionis vestre series —. Datum Avinione, X kalendas julii, anno tercio.

920 Avignon, 23 juin 1344.

Cardinalibus, quos ad partes Angliæ et Franciæ mittit propter pacem reformandam inter Philippum Franciæ et Edwardum Angliæ reges, litteræ conceduntur. (Reg. 216, De Curia, fol. 1 r°.)

Dilectis filiis Petro, tituli Sancte Praxedis presbitero et Bertrando, Sancte Marie in Aquiro diacono, cardinalibus, Apostolice Sedis nunciis —. Princeps pacis dominus —. Datum Avinione, VIIII kalendas julii, anno tercio.

921 Avignon, 26 juin 1344.

Cum episcopus Valentinensis et Diensis doluisset quod officiales Sanctæ Sedis subditis castri Montilii Ademari, cujus certam partem dicta sedes possidet, marchas seu represalias imposuisset, Johanni de Amelio, clerico Cameræ, mandat ut inquisitionem faciat. (Reg. 138, n° LXXIII, fol. 22 r°.)

Dilecto filio magistro Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensi, clerico camere apostolice. Pridem venerabilis frater noster Petrus, episcopus Valentinensis et Diensis, nobis fecit exponi graviter conquerendo quod dudum, antequam per felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, pro se suisque successoribus Romanis pontificibus certa pars castri Montilii Ademari, Valentinensis diocesis, acquisita fuisset, homines et subditi Valentinensis et Diensis ecclesiarum, a quibus quidem ecclesiis et earum prelato dictum castrum in feudum tenebatur, per dominos et officiales dicti castri nequaquam consue[ve]runt per modum marcharum seu represaliarum vel alias molestari; sed post acquisitionem dicte partis tam ejusdem predecessoris quam nostri postmodum officiales, in dicto castro pro

exercitio jurisdictionis dicte partis deputati, de novo et indebite ad instantias quorumvis creditorum tam christianorum quam judeorum adversus homines et subditos supradictos, etiam nonnullos qui cum eisdem creditoribus minime contraxerunt, marchas seu represalias, que a jure reprobate sunt, indicere ac imponere moliti sunt hactenus et sepius moliuntur; ex quibus magnum paratur prejudicium episcopo et ecclesiis supradictis, ac eorum prelibati homines et subditi etiam frequenter innocentes, ut premittitur, contra justitiam pregravantur, nostre igitur provisionis remedio per prefatum episcopum humiliter super hiis implorato. Nos qui sic jura nostra et ecclesie Romane cupimus illibata servari, quod aliorum jura propter hoc indebite non ledantur, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus ad loca, de quibus tibi expedire videbitur, te conferre procurans, vocatis officialibus nostris in eodem castro pro parte nos, ut premittitur, contingente deputatis et aliis, quos noveris evocandos, super predictis et ea quomodolibet tangentibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii veritatem fideliter et diligenter inquiras et inquisitionem ac quicquid inde repereris nobis cum plena jurisdictione totius negotii, ut per vos vel illum, cui hoc committendum duxerimus, possit ordinari quod rationis et equ tatis fuerit, deferre fideliter non postponas. Contradictores etc. Testes etc. Datum Avinione, VI kalendas julii, anno tertio.

922 Avignon, 27 juin 1344.

Litteras, quas Fridericus miles asportavit, recepit et optat ut Ludovicus de Bavaria, cujus nuntii mandatis instructi profecti sunt, in gratiam cum Sancta Sede revertatur. (Reg. 138, n° LXXIV, fol. 22. — Riezler : Vatikanische Akten, p. 791.)

Dilecto filio, nobili viro, Alberto duci Austrie. Solite benignitatis affectu —. Datum Avinione, V kalendas julii, anno tercio.

923 Avignon, 28 juin 1344.

Infrascripto quamdam præbendam in ecclesia Remensi confert. (Reg. 138, n° LXXV, fol. 22 v°.)

Dilecto filio Petro de Scamellis, canonico Remensi, familiari nostro. Probitatis tue meritis et devotionis obsequiis, que nobis impendisti fideliter hactenus et impendere continue non desistis, inducimur ut tibi reddamur in exhibitione favoris et gratie liberales. Dudum si quidem a nostris promotionis exhordiis, hujusmodi tuis meritis et obsequiis diligenter attentis, nostre intentionis extitit, sicut adhuc fore dinoscitur, te et quosdam alios familiares nostros, qui etiam se nobis gratos per eorum obsequia multipliciter reddiderunt, in statum gratiarum per nos in quibusvis ecclesiis sub prebendarum seu dignitatum personatuum vel officiorum aut quorumcumque beneficiorum aliorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura expectatione tibi et eis faciendarum, quibusvis personis cujuscumque preminentie, status vel conditionis existerent, quibus in eisdem ecclesiis similes gratias nos contingeret facere, omníno preferre, sicut etiam extunc in presentia venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane ecclesie cardinalium intentionem nostram huiusmodi aperte duximus exprimendam. Demum vero, videlicet X kalendas junii, pontificatus nostri anno primo, specialem tibi gratiam facientes, per nostras certi tenoris litteras canonicatum ecclesie Remensis apostolica tibi auctoritate contulimus et providimus de eodem; prebendam vero, si qua in eadem ecclesia tunc vacabat vel cum vacaret, quam infra certi temporis spacium acceptares, conferendam tibi post acceptationem hujusmodi cum omnibus juribus et pertinentiis suis donationi apostolice duximus reservandam, volentes inter cetera te omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas expectantibus in eadem, in assecutione prebende hujusmodi anteferri, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in eisdem litteris plenius continetur, quarum auctoritate dicti executores nonnullos processus, monitiones et excommunicationes aliasque penas et sententias continentes fecisse dicuntur in talibus consuetos. Verum quia nos diversis et arduis negociis, quibus quaque distrahimur ultra vires, multipliciter occupati, et etiam propter importunam aliquorum instantiam, preter intentionem nostram hujusmodi ante et post dictam gratiam per nos, ut predicitur, tibi factam, nonnullis aliis personis de canonicatibus sub expectatione prebendarum in eadem ecclesia in consimili seu alia forma per diversas nostras certorum tenorum litteras dicimur providisse, quarum alique in datam hujusmodi per nos tibi facte gratie, et alie ex speciali concessione nostra te precedere dinoscuntur, eadem gratia tarde

nimis aut forte nunquam sortiretur effectum, tuque propterea hujusmodi gratia nostra per nos, ut premittitur, tibi facta totaliter forsitan frustraris, nos volentes ut effectu intentionis nostre hujusmodi non frustreris, personam tuam premissorum tuorum obsequiorum et meritorum obtentu prerogativa specialis favoris et gratie prevenire, tibique super hoc de oportuno remedio providere, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod tu predictis personis omnibus et singulis, cujuscumque preeminentie, status vel conditionis, etiam si fratres nostri Sancte Romane ecclesie cardinales existant, quibus, ut prefertur, de canonicatibus sub expectatione prebendarum in eadem ecclesia Remensi per predictas nostras litteras specialiter vel generaliter duximus providendum, preterque aliis familiaribus nostris te in hujusmodi datam precedentibus, debeas in assecutione hujusmodi prebende per nos reservate, tibi conferende, ut premittitur, anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliarum prebendarum prejudicium generari, predictis nostris litteris eisdem personis, ut prefertur, concessis, et processibus habitis per easdem, quascumque penas seu sententias etiam continentibus per quos tibi quo ad hoc nullum prejudicium afferri volumus non obstantibus quibuscumque, quodque executores tibi, ut premittitur, super hujusmodi gratia deputati ad collationem tibi de hujusmodi per te acceptanda prebenda faciendam necnon et alias ad plenariam executionem dicte gratie, ut premittitur, tibi facte per inde possint ac debeant procedere, ac si tu in datum predicte tibi facte gratie precederes prefatas personas alias, quibus, ut prefertur, providimus in ecclesia supradicta, decernentes irritum et inane quicquid in contrarium per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno tercio.

924 Avignon, 28 juin 1344.

Stephano de Agrifolio quamdam præbendam in ecclesia Pictavensi confert. (Reg. 138, n° LXXVI, fol. 23.)

Item in eodem modo, *dilecto filio Stephano de Agrifolio, canonico ecclesie Sancte Radegundis Pictavensis*, super simili gracia sibi facta in ecclesia Sancte Radegundis Pictavensis, sub data XII kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno tercio.

925 Avignon, 28 juin 1344.

Durando Hugonique Pomairoli, Roberto de Prato et Johanni Amblardi, civibus Claromontensibus mandat ut Erberti de Tiniera et Johannæ Pomairole, uxoris ejus, bona pretio convento restituant. (Reg. 138, n° LXXVII, fol. 23 v°.)

Dilectis filiis Durando et Hugoni Pomairoli, ac Roberto de Prato et Johanni Amblardi, civibus Claromontensibus. Pro parte dilecti filii, nobilis viri, Erberti de Tiniera, militis, et dilecte in Christo filie, nobilis mulieris, Johanne Pomairole, uxoris ipsius, Claromontensis diocesis, nuper expositum extitit coram nobis quod dudum, eisdem conjugibus in minori etate constitutis, pater ejusdem militis et quidam curator ejusdem Johanne bona ipsius Johanne hereditaria nobis, cessante necessitate legitima, certo precio vendiderunt, cui quidem vendicioni prefati conjuges, qui tunc temporis in etate, que multis exponi consuevit captionibus, ut premittitur, existebant, expresse concenssisse dicuntur. Cum autem racioni non videatur congruere, quod dicta Johanna racione talis contractus bonis suis hereditariis remaneat totaliter denudata, prefatique conjuges parati sint, ut asseritur, de precio, quo empta fuerunt bona hujusmodi, nobis satisfacere competenter, prudenciam vestram rogamus attencius et in Domino exhortamur quatinus circa restitutionem bonorum predictorum dictis conjugibus cum solutione predicti pretii faciendam, sic pro divina et nostra sedisque apostolice reverencia vos velitis reddere liberales quod ad aliud non habeant recurrere propter ea remedium, sed potius vestre discretionis prudencia possit et debeat merito commendari. Dat. Avinione, IIII kalendas julii, anno tercio.

926 Avignon, 28 juin 1344.

Cardinali nuntio mandat ut Aymericum Narbonensem, qui a rege Majoricarum detinetur, e carcere liberari jubeat. (Reg. 138, n° LXXVIII, fol. 23 v°.)

Dilecto filio Bertrando, tituli Sancti Marchi presbitero cardinali, Apostolice Sedis nuncio. Non sine admiratione magna quibusdam de partibus illis ad curiam venientibus hiis diebus percepto, quod carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, dilectum filium nobilem virum Aymericum, vicecomitem Narbonensem, familiarem nostrum, qui ad eundem regem pro auxilio et favore impendendis sibi venerat, violenter arrestans et capiens, ipsum absque causa honesta et rationabili immo, quod moleste referimus, non parum reprehensibili detinet captivatum, volumus et tue discretioni mandamus, quatenus pro liberatione ipsius vicecomitis viis et modis, quibus tibi videbitur, apud regem eundem insistere non omittas ; et ecce quod super hoc regi eidem per litteras nostras, quas tibi mittimus cum presentibus interclusas, quas quidem litteras sibi, si cognoveris expedire, presentes, et si forsan necesse fuerit, ipsum requiras tibi restitui, ut clericum, et ad hoc regem ipsum compellas juxta tenorem litterarum, quas tibi super hoc specialiter destinamus. Dat. Avinione, IIII kalendas julii, anno tercio.

927 Avignon, 28 juin 1344.

Jacobum regem Majoricarum rogat ut dictum vicecomitem familiarem papæ liberet. (Reg. 138, n° LXXIX, fol. 24.)

Eidem regi. Non sine admiratione magna —. Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno tercio.

928 Avignon, 28 juin 1344.

Cardinali nuncio mandat ut dictum vicecomitem liberari jubeat quem Bernardus, archiepiscopus Narbonensis, anno 1336 clericum esse affirmavit. (Reg. 138, n° LXXX, fol. 24.)

Dilecto filio Bertrando, tituli Sancti Marchi presbytero cardinali, Apostolice Sedis nuntio. Noviter intellecto quod carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, dilectum filium nobilem virum Aymericum, vicecomitem Narbonensem, familiarem nostrum, ex quibusdam causis detinet captivatum, idemque vicecomes sit clericus, sicut continetur in litteris patentibus bone memorie Bernardi archiepiscopi Narbonensis ejusque sigillo, ut apparebat prima facie, communitis, coram nobis exhibitis, quarum tenorem presentibus annotari fecimus, qui dinoscitur esse talis : *Nos Bernardus, miseratione divina sancte Narbonensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis quod Aymerico de Narbona, filio egregii viri Aymerici vicecomitis Narbonensis, scolari ydoneo et sufficienter examinato ac de legittimo matrimonio procreato tonsuram primam dedimus clericalem. Datum et actum sub nostro sigillo in capella nostra de Capitestagno, die prima januarii, anno nativitatis Christi millesimo trecentesimo tricesimo quinto* ; — discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, per te vel alium seu alios, eundem regem ex parte nostra requiras, ut prefatum vicecomitem, tanquam clericum et de foro nostro ecclesiastico existentem, tibi nomine nostro remittat, cum nos de ipso parati sumus, si deliquerit in aliquo, facere justitie complementum, memoratum regem ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Non obstantibus si eidem a sede apostolica sit indultum quod excommunicari et ejus terre ac loca ecclesiastico interdicto subici nequeant per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et quibusvis aliis privilegiis et indulgentiis apostolicis eidem sub quacumque forma vel expressione concessionis de quibus in presentibus de verbo ad verbum specialis et expressa mentio sit habenda. Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno tertio.

929 Avignon, 30 juin 1344.

Johanni Justice, clerico Philippi Franciæ regis, cui cantoriam ecclesiæ Baiocensis donaverat, quam Johannes diaconus cardinalis dimiserat, redditus primi anni Cameræ reservatos concedit et thesaurariis mandat ut hanc gratiam exsequantur. (Reg. 138, n° LXXXI, fol. 24 v°.)

Venerabilibus fratribus Stephano, Casinensi et Guillelmo, Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Pridem volentes dilecto filio magistro Johanni Justice, cantori ecclesie Baiocensis, clerico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, ob suorum exigentiam meritorum gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam ac cantoriam ecclesie Baiocensis, tunc vacantes apud sedem apostolicam per liberam resignationem dilecti filii nostri Johannis Sancti Angeli diaconi cardinalis, canonici et cantoris ecclesie Baiocensis pre-

dicte, de illis in manibus nostris sponte factam, eidem Johanni Justice duximus auctoritate apostolica conferendas; et licet fructus, redditus et proventus unius anni prebende ac cantorie predictarum ex reservatione ac applicatione fructuum, redditiuum et proventuum unius anni omnium et singulorum beneficiorum per nos dudum usque ad certi temporis spacium factis, camere nostre pro ipsius necessitatibus utilius supportandis eidem Camere debeantur, ex certa tamen et speciali causa singulariter nos movente, dictos fructus, redditus et proventus predictarum prebende ac cantorie prenominate camere debitos, ut prefertur, supradicto Johanni Justice de speciali gratia remittimus et donamus, intendentes eidem camere aliunde satisfacere pro premissis. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus contra remissionem et donationem nostram hujusmodi nihil attemptetis penitus, nec permittatis per collectores vel subcollectores vestros super collectione predictorum fructuum, redditiuum et proventuum deputatos aliquid attemptari, quod, si forsan factum existeret, id revocari protinus faciatis. Datum Avinione, II kalendas julii, anno tercio.

930 Avignon, 30 juin 1344.

Thesaurariis mandat ut magistrum Johannem de Cova, clericum regis Franciæ redditibus primi anni archidiaconatus de Tardona in ecclesia Suessionensi, quem Agapitus de Columpna dimiserat, frui patiantur. (Reg. 138, n° LXXXII, fol. 24 v°.)

Eisdem thesaurariis. Pridem volentes dilecto filio magistro Johanni de Cova, archidiacono de Tardona in ecclesia Suessionensi, clerico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, ob suorum meritorum exigentiam graciam facere specialem, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum de Tardona ecclesie Suessionensis, tunc vacantes apud Sedem apostolicam per liberam resignationem quondam Agapiti de Columpna, electi Lunensis, canonici et archidiaconi de Tardona in ecclesia Suessionensi predicta, de illis in manibus nostris et cœtera, ut supra, verbis competenter mutatis. Datum Avinione, II kalendas julii, anno tercio.

931 Avignon, 1er juillet 1344.

Johannæ reginæ Navarræ qui Hugonem de Brione, domicellum, tanquam nuntium, miserat, respondet se decimas in dicto regno petitas favorabiliter ordinaturum. (Reg. 138, n° LXXXIII, fol. 25 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Navarre illustri. Nuper ad nostram venientem presenciam dilectum filium, nobilem virum, Hugonem de Brione, domicellum, celsitudinis tue nuncium, et litteras de credencia regias per ipsum nostro apostolatui presentatas, benigne recepimus, et que littere ipse continebant et idem nuncius explicare sub commissa sibi credentia voluit, intelleximus diligenter et tandem tam super decimis a te in regno tuo Navarre petitis, quam alias per ipsum nuncium expositis, favorabiliter, quantum cum Deo fieri potuit, expedivimus, sicut ipse tue regie magnificencie referre poterit viva voce, intendentes illum clericum, de quo nobis pro parte tua fecit mentionem dictus nuncius, habere tue considerationis obtentu, gratiosis favoribus, cum facultas se obtulerit, commendatum. Datum Avinione, kalendis julii, anno tercio.

932 Avignon, 2 juillet 1344.

Personas a Garino de Castronovo, priore domorum Navarræ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani missas regi Castellæ commendat. (Reg. 138, n° LXXXIIII, f° 25.)

Carissimo in Christo filio Alfonso, regi Castelle illustri. Exposuit nobis dilectus filius Garinus de Castronovo, prior domorum Navarre hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, quod quondam Alfonsus Urtici dictus Chaldayromis, prior domorum hospitalis ejusdem de Castella, qui pridem in illis partibus diem clausit extremum, ad solvendum responsiones duorum annorum proxime preteritorum, et quartam responsionis, et alia nonnulla debita tam in curia Romana quam alibi per ipsum contracta, tenebatur astrictus, propter que prioratus Castelle, quem ipse tenebat, hiis et aliis multis remanet oneratus. Cum autem dictus prior Navarre, quem dilecti filii magister et conventus hospitalis predicti ad recipiendum bona priorum ejusdem hospitalis decedentium ac disponendum et ordinandum de prioratibus et preceptoriis per decessum priorum et preceptorum vacantibus, sicut asseritur, deputarunt certas personas ejusdem hospitalis ad partes regni tui Castelle pro premissis providerit destinandos, excellenciam regiam deprecamur attente, quati-

nus personas easdem, super hiis que tangunt dictum prioratum Castelle ac bona prefati prioris defuncti, habere velit pro nostra et apostolice sedis reverentia favorabiliter commendatas, permittendo eas uti rationabiliter potestate sibi super ordinatione dicti prioratus et bonorum ipsius per supradictum priorem Navarre concessa, presertim cum magister et fratres predicti pro galeis quas tenent contra Turchos et aliis incumbentibus eis oneribus, oppressi existere multis necessitatibus assèrantur. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

933 Avignon, 2 juillet 1344.

Regem Franciæ hortatur ut Amedeum comitem Sabaudiæ et Johannam de Sabaudia, ducissam Britanniæ, ad pacem ineundam adducat. (Reg. 138, n° LXXXV, fol. 25 r°.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Attentis multis utilitatibus, quas mutua inter dilectum filium nobilem virum Amedeum, comitem Sabaudie, et dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem, Johannam de Sabaudia, ducissam Britannie, invicem concordia utrique parti produceret, et pensatis variis incommodis que dissentio partium ipsarum, si remaneret vel, quod absit, cresceret, instigante diabolo, secum ferret, gratum nobis existeret et Deo placibile redderetur, regiisque honoribus esse conveniens crederemus, presertim cum comes predictus in puerili etate constitutus existat, sibi et rebus utiliter consulere nondum sciens, si regalis circumspectionis benivolentia inter partes ipsas pacis concordiam, super qua laborasse noscitur, alias reformaret. Ideoque celsitudinem rogamus regiam et attentius in Domino exhortamur, quatenus circa reformationem concordie hujusmodi velit magnificentia regia, concedendo etiam favorabiliter translationem feudi, si oportunum propter hoc fuerit, ac honori suo et honestati congruere cognoverit, interponere studiosis et benivolis operibus partes suas, ut exinde preter laudis humane preconium, illa mereatur assequi gaudia, que divina sapientia ineuntibus pacis consilia repromittit. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

934 Avignon, 2 juillet 1344.

Regem atque reginam Siciliæ rogat ut comiti Armaniaci, castra Mayranicarum, Pennarum, Sadaroni et Pertusii restituant, quæ defunctus Robertus Siciliæ Bertrando de Guto, vicecomiti Lomanniæ, donaverat. (Reg. 138, n°s LXXXVI et LXXXVII, fol. 25 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Nuper dilectus filius, nobilis vir, Johannes comes Armaniaci, nobis exponere procuravit quod olim clare memorie Robertus, rex Sicilie, grata et utilia servitia sibi per quondam Bertrandum de Guto, vicecomitem Lomannie, impensa diligenter considerans, et volens eidem pro illis regali munificentia respondere, Mayranicarum, Pennarum, Sadaroni castra et partem quam ipse rex habebat in castro Pertusii prefato vicecomiti ac ejus heredibus et successoribus donavit imperpetuum et concessit, que quidem castra, ut prefertur, donata supradictus vicecomes, quandiu vixit et post mortem ipsius, quondam Regina, ejusdem vicecomitis filia et heres, uxorque dicti comitis Armaniaci et idem comes etiam pro predicta uxore sua, dum viveret, tenuerunt et possederunt multis temporibus pacifice et quiete; sed deinde, prelibata Regina uxore dicti comitis vita functa et eodem comite herede universali per eam instituto, memoratus rex, suggesto sibi forsitan dictam donationem ad predictum vicecomitem et heredes suos de suo corpore legittime descendentes dumtaxat extendi, quamquam verum fore asseratur quod ad quoscumque suos heredes et successores generaliter se extendit, sicut in litteris regiis aurea bulla dicti regis communitis super eadem donatione confectis, dicitur contineri, easdem res donatas ad manum suam capi fecit absque cause cognitione alia et eodem comite Armaniaci, herede uxoris sue predicte, qui res predictas possidebat pacifice, sicut asserit, non vocato. Cum autem privilegium principis debeat esse mansurum, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente quatenus premissa necnon quod satis videtur expediens tibi, filia carissima, et domui tue regie talem vassallum, sicut est comes predictus, habere, super restituendis castris predictis eidem comiti, sicut juris et rationis equitas suadebit, sic te geras favorabiliter et benigne quod satisfiat in hac parte justitie indeque comes supradictus contentari rationabiliter et regie circumspectionis prudentia exinde merito commendari. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tertio.

Item in e. mo. *Carissimo in Christo filio Andree regi.*

935 Avignon, 2 juillet 1344.

Cardinalem legatum hortatur ut reginæ Siciliæ castrorum comiti Armaniaci restituendorum causa instet. (Reg. 138, n° LXXXVIII, fol. 26 r°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Super eo quod dilectus filius, nobilis vir, Johannes comes Armaniaci, se castris Mayranicarum, Pennarum et Sadaroni ac parte castri Pertusii ad ipsum, ut asserit, spectantibus pleno jure, olim per clare memorie Robertum regem Sicilie asserit indebite dissasitum, nos carissimis in Christo filiis nostris Andree regi et Johanne regine Sicilie illustribus per litteras nostras scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa, volentes ut super hiis, que in nostris predictis continentur litteris, ad effectum debitum, prout rationis suaserit equitas, producendis, partes tue solicitudinis, sicut comode ac honeste poteris, operosis studiis interponas. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

936 Avignon, 2 juillet 1344.

Rogat Siciliæ reginam ut Aymericum legatum benigne recipiat et ei ligium homagium ac vassallagium pro regno et terris citra Farum necnon juramentum fidelitatis solitum præstet. (Reg. 138, n° LXXXIX, fol. 26 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Inter solicitudines varias —. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

937 Avignon, 2 juillet 1344.

Legato in regno Siciliæ mandat ut homagium, vassallagium et juramentum juxta formam a regina recipiat. (Reg. 138, n° LXXXX, fol. 27 r°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Inter solicitudines varias —. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio —. Sequitur forma juramenti (fol. 27 à 33 v°.)

938 Avignon, 2 juillet 1344.

Johanni Grisii de Verberia, clerico Suessionensis diœcesis licentiato in artibus et scolari in jure canonico, regimen scolarum in civitate Silvanectensi confert. (Reg. 138, n° LXXXXI, fol. 33 v°.)

Dilecto filio Johanni Grisii de Verberia, clerico Suessionensis diœcesis. Litterarum scentia, vite et morum honestas et alia tuarum virtutum merita, super quibus apud nos laudabile tibi perhibetur testimonium, nos inducunt ut illam tibi gratiam faciamus, per quam etiam aliis te reddere valeas fructuosum. Cum itaque in civitate Silvanectensi quedam scole fore noscantur, quarum regimen consuevit per... episcopum Silvanectensem, qui est pro tempore, clericis secularibus ad certi temporis spacium assignari, nos tibi, qui licentiatus in artibus, et scolaris in jure canonico, sicut accepimus, fore dinosceris, volentes gratiam facere specialem, hujusmodi regimen earundem scolarum, si vacat ad presens vel cum pro lapso dicti temporis, vel alio quocumque modo, preterque per obitum rectoris earundem scolarum, qui nunc est, vacaverit, conferendum tibi ad vitam tuam, ac per te vel alium exercendum, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eidem episcopo ne de dicto regimine contra hujusmodi reservationem nostram disponere quocumque modo presumat, ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quod dictum regimen consuevit ad tempus, ut prefertur, conferri; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi scolarum regiminibus in partibus speciales vel generales sedis apostolice, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum vel alias quolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dicti regiminis volumus anteferri, sed nullum pro hoc eis quo ad assecutionem aliorum regiminum prejudicium generari. Seu si eidem episcopo, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus nunc teneatur, et ad id compelli non possint, quodque de hujusmodi scolarum regiminibus, ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujus cumque tenoris existat per quam presentibus non expres-

sam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi genere impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in vestris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. Dat. Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

939 Avignon, 2 juillet 1344.

Infrascriptis mandat ut regimen scolarum cum omnibus juris et pertinenciis Johanni Grisii de Verberia concedant, eique de ipsius regiminis fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus integre responderi faciant. (Reg. 138, n° LXXXXII, fol. 34 r°.)

Dilectis filiis... Sancti Cornelii de Compendio, Suessionensis diocesis, et... Sancti Vincentii monasteriorum abbatibus, ac... decano ecclesie Sancti Reguli, Silvanectensis. Quocirca mandamus quatinus vos —. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

940 Avignon, 2 juillet 1344.

Cum magistrum Johannem Cortoys, canonicum Ambianensem, scriptorem et familiarem suum ad Franciam, Flandriam ac Brabanciam pro negociis mittat, litteras salviconductus ei concedit (Reg. 138, n° MLXXXXII, fol. 292 v°.)

Venerabilibus fratribus etc. ut supra usque pervenerint. Cum nos dilectum —. Datum Avinione, VI nonas julii, anno tercio.

941 Avignon, 3 juillet 1344.

Ei mandat ut residua sexennalium et triennalium decimarum in regno Siciliæ colligat. (Reg. 138, n° LXXXXIV, fol. 34.)

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Brundusino et Horitano. Cum sicut intelleximus —. Datum Avinione, V nonas julii, anno tercio.

942 Avignon, 5 juillet 1344.

Gaudet quod per nuntios Caroli, ducis Britanniæ, audiverit negotia in Britannia feliciter cedere. (Reg. 138, n° LXXXXV, fol. 34 v°.)

Dilecto filio nobili viro, Carolo duci Britannie. Nuper nobilitatis tue litteras per dilectos filios Rainfredum, archidiaconum Redonensem et nobilem virum, Bertrandum de Mulceone, militem, tuos nuncios, nostro apostolatui presentatas, benigne recepimus, et que dicte continebant littere ipsique nuncii voluerunt exponere, pleno collegimus intellectu. Sane quia per ea percepimus tua negocia feliciter in Britannia succedere, leti fuimus ad modum, cum ex caritate dilectionis paterne qua te, fili, prosequimur, successus tuos ubique prosperos desiderabiliter affectemus. Porro tuum cancellarium, pro quo supplicasse dignosceris [1], habere intendimus, cum facultas se nobis obtulerit, favorabiliter commendatum. Dat. Avinione, III nonas julii, anno tercio.

943 Avignon, 5 juillet 1344.

Duci Britanniæ, qui vicecomitem Bellifortis, fratrem papæ, munere donaverat, gratias agit. (Reg. 138, n° LXXXXVI, fol. 34 v°.)

Eidem. De doni liberalitate gratissima dilecto filio, nobili viro, Guillelmo vicecomiti Bellifortis, germano nostro, exuberanter a tua nobilitate impensa, eidem graciarum referimus uberes actiones, prompti, quantum cum Deo poterimus, ad ea que tui honoris et commodi respicerent incrementa. Datum ut supra.

944 Avignon, 5 juillet 1344.

Johannæ ducissæ Britanniæ similiter gratias agit. (Reg. 138, n° LXXXXVII, fol. 34 v°.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Johanne ducisse Britannie. Letanter audivimus, hiis diebus, tua et dilecti filii nobilis viri Caroli ducis Britannie viri tui negocia in partibus Britannie prosperari, de quo tanto gaudemus amplius, quanto te ac ipsum favore paterne dilectionis prosequimur amplioris. Porro super doni liberalitate per te, filia, et eundem virum tuum dilecto filio, nobili viro, Guillermo vicecomiti Bellifortis, germano nostro, gratiose nimis facti, nobilitati tue gratiarum referimus uberes actiones, ad ea parati, quantum cum Deo fieri poterit, que tui et ejusdem viri tui augmentum respicerent com-

1. Le texte porte : *dienosceris.*

modi et honoris. — Datum Avinione, III nonas julii, anno tercio

945 Avignon, 5 juillet 1344.

Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, S. A. legato in Sicilia, conceduntur procurationes consuete. (Reg. 167, De Curia, n° I, fol. 1 r° ; — Reg. 216, fol. 10 r°.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali A. S. legato. Cum te ad —. Datum Avinione, III nonas julii, anno tertio.

946 Avignon, 5 juillet 1344.

Eidem datur auctoritas compellendi per censuram ecclesiasticam omnes personas ecclesiasticas in dicta sua legatione existentes ad contribuendum sibi in procurationibus supradictis. (Reg. 167, De Curia, n° II ; — Reg. 216, fol. 10 r°.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato, salutem. Cum te ad —. Datum Avinione, III nonas julii, anno tercio.

947 Avignon, 5 juillet 1344.

Archiepiscopis et episcopis et ceteris personis ecclesiasticis regni Siciliæ mandatur ut procurationes consuetas dicto legato solvant. (Reg. 167, De Curia, n° III ; — Reg. 216, fol. 10 r°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis... et dilectis filiis etc. Cum nos Aymericum —. Dat. Avinione, III nonas julii, anno tercio.

948 Avignon, 7 juillet 1344.

Reginæ Franciæ et Navarræ respondet duces Normanniæ atque Burgundiæ exsecutionem testamenti Philippi regis Navarræ non habere multum cordi. (Reg. 138, n° LXXXXIII, fol. 34 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Francie et Navarre illustri. Receptis benigne presentatis nobis nuper serenitatis tue litteris et contentis in eis plenius intellectis, locuti, sicut per litteras ipsas petebat eadem serenitas, sepe fuimus, interdum etiam invective, dilectis filiis nobilibus viris Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, Normannie, et Odoni, Burgundie, ducibus, super executione testamenti clare memorie Philippi regis Navarre, cum inductionibus quibus decenter et honeste potuimus, adimplenda, qui nobis responderunt se non esse testamenti executores hujusmodi, nec ad ipsos illius executionem pertinere. Quare colligendum videtur ex respontione predicta, eos non habere negocium hujusmodi multum cordi. Datum Avinione, nonis julii, anno tercio.

949 Avignon, 7 juillet 1344.

Reginæ Franciæ sic indulget ut per confessorem propter corporum exanterationes absolvatur. (Reg. 138, n° LXXXXVIII, fol. 35 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Francie illustri. Ingentis devotionis sinceritas, quam ad Deum et Sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam filia benedictionis et gratie, gerere dinosceris, promeretur ut tuis petitionis presertim illis que pro tue serenatione conscientie porrigis, ne humani generis inimicus aliquid in te reperiat, per quod labores tuos evacuare valeat a mercede, favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis, filia carissima, supplicationibus benignius inclinati, ut confessor tuus te ab omni excommunicationis sententia quam consentiendo, consulendo seu mandando fieri exanterationem vel exanterationes corporum quorumvis defunctorum magnatum et nobilium hactenus quomodolibet incurrisses, absolvere hac vice auctoritate nostra juxta formam ecclesie valeat, serenitati tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Dat. Avinione, nonis julii, anno tercio.

950 Avignon, 7 juillet 1344.

Officiali Tholosano et rectori ecclesiæ Sancti Stephani mandat ut illos, qui bona Johannis de Vernhola, defuncti, præpositi ecclesiæ de Barioliis, Forojuliensis diœcesis, prædati erant, ad dicta bona restituenda compellat. (Reg. 138, n° LXXXXIX, fol. 35.)

Dilectis filiis... officiali Tholosano et Morerio de Moreriis, rectori parrochialis ecclesie Sancti Stephani Tolo-

sani. Relatu percepimus fidedigno quod nonnulli familiares quondam Johannis de Vernhola, prepositi ecclesie de Barioliis, Forojuliensis diocesis, qui pridem apud sedem apostolicam diem clausit extremum, quamplura bona ipsius tam in pecuniis, quam vasis argenteis et deauratis, ac perlis aliisque pretiosis jocalibus latenter et furtive subtraxerunt et secum nequiter asportarunt. Cumque nos bonorum mobilium ejusdem Johannis dispositionem nobis certis ex causis rationabilibus duxerimus reservandam, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum, per vos vel alium seu alios, super premissis ea tangentibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii veritatem diligentius inquirentes, omnes illos et singulos clericos et laycos, quos aliquid de bonis predictis habuisse, ut prefertur, secumque asportasse repereritis ac ad restitutionem illorum vobis seu vestrum alteri nostro nomine faciendam per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis et exhibeatis justicie complementum. Non obstante. Datum Avinione, nonis julii, anno tercio.

951 Avignon, 7 juillet 1344.

Collectori in Anglia, Scocia, Ybernia et Wallia mandat ut fructus omnium beneficiorum XIII kal. junii, pontificatus anno primo, per biennium bis reservatorum colligat. (Reg. 138, n° CXIX-CXXXVIII, fol. 44 v°.)

Dilecto filio Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi. Multiplicium necessitatis onerum. — Datum Avinione, nonis julii, anno tercio.

In eodem modo, *Johanni de Casleto, canonico Leodiensi,* in provincia Coloniensi ; — *Didato, abbati monasterii Sancti Facundi Legionensis et Johanni de Gardaga, scolastico ecclesie Ovetensis,* in regno Castelle ; — *archiepiscopo Bracharensi,* in regno Portugalie ; — *archiepiscopo Burdegalensi, episcopis Pictavensi, — Xanctonensi, — Engolismensi, — Petragoricensi, — Condomiensi, — Malleacensi, — Lucionensi, — Sarlatensi, — Agennensi,* — in suis civitate et diocesi ; — *Petro Vitalis, primicerio ecclesie Luchane,* in provincia Tuscie ac civitate, diocesi et districtu Pisanis et Riparia Januensi ; — *Arnaldo de Lacaucina, canonico ecclesie Titulensis, Colocensis diocesis,* in Ungarie ac Polonie regnis ; — *Borchardo, archiepiscopo Bremensi,* in suis civitate et diocesi ; — *Odoni, episcopo Paphensi,* in regno Cipri ; — *Pontio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in ecclesia Carnotensi,* in Aquilegensi, Gradensi, Mediolanensi, Ravennatensi, Jadrensi, Cretensi et Patracensi provinciis ; — *Sebastiano archiepiscopo Calaritano,* in regno Sardinie.

952 Avignon, 8 juillet 1344.

Ei mandat ut bona mobilia quondam Georgii de Saluchiis, archidiaconi Transligerensis in ecclesia Turonensi, Sanctæ Sedis capellani, quæ reservata fuerant, petat, colligat et custodiat. (Reg. 138, n° CVI, fol. 38.)

Dilecto filio Raymundo de Caunis, cantori ecclesie Beati Martini Turonensis. Fidedigna nuper relatione —. Datum Avinione, VIII idus julii, anno tercio.

953 Avignon, 8 juillet 1344.

Cum intestina Johannæ de Sabaudia, ducissæ Britanniæ, Vincenis defunctæ extracta essent, reginæ Franciæ dat absolutionem, quia exanterationem permiserat. (Reg. 138, n° CVII, fol. 38.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Francie illustri. Transmissa nobis tua petitio, filia carissima, continebat, quod, cum quondam Johanna de Sabaudia, ducissa Britannie, que nuper in tua commitiva consistens, juxta nemus de Vicenis, Parisiensis diocesis, diem clausit extremum, sepulturam suam in ecclesia fratrum ordinis Minorum de Divinione Eduensis diocesis, elegisset, et illi, qui ad preparandum corpus ejusdem ducisse decenter et honorifice, sicut status exigebat ipsius, vocati fuerant et electi, consulendo dixissent, quod propter loci distantiam, ad quem corpus predictum debebat tumulandum deferri, esset securius, si, aperto dicto corpore, intestina extraherentur exinde, tu, filia dilectissima, hujusmodi consilio aquiescens, exenterationem hujusmodi promisisti et fieri et mandasti. Cum autem ad tuam postmodum deducto noticiam, quod per constitutionem felicis recordationis Bonifacii pape VIII, predecessoris nostri, adversus talia presumentes excommunicationis est sententia promulgata, nobis humiliter supplicasti ut tam tibi, quam aliis qui exenterationem fecerint eandem, aut consilium

et auxilium super hoc prestiterunt, providere super hiis paterna diligentia curaremus, nos igitur supplicationi hujusmodi benignius inclinati, ut confessor tuus tam tibi quam aliis clericis et laicis qui premissis interfuerunt, aut ea fecerunt, seu consilium et auxilium super hoc prebuerunt, de absolutionis beneficio ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam ecclesie auctoritate nostra providere hac vice, necnon cum personis ecclesiasticis que postmodum in tua vel illorum presentia, presente vel absente dicte ducisse funere, celebrarunt divina, vel immiscuerunt se illis, non tamen in comptentum clavium, irregularitatis macula fuerint irretite propter hoc, misericorditer dispensare valeat, eidem confessori plenam elargimur tenore presentium facultatem. Nihilominus concedentes quod premissis et eadem constitutione non obstantibus, corpus ejusdem ducisse tradi possit ecclesiastice sepolture. Datum Avinione, VIII idus julii, anno tercio.

954 Villeneuve-les-Avignon, 9 juillet 1344.

Infrascripto licenciam testandi concedit. (Reg. 138, n° MCLXV, fol. 310 v°.)

Dilecto filio Bernardo de Sancto Amantio, preposito prepositatus de Brivasaco, ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. Quia presentis vite. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII idus julii, anno tercio.

955 Avignon, 9 juillet 1344.

Eis mandat ut per censuram in omnes inquirant qui jura Sanctæ Sedis in comitatu Venaissini et castro Montilii Ademari attentant. (Reg. 138, n° CVIII, fol. 38 v°.)

Venerabilibus fratribus... Tergestino et Veronensi episcopis. Inter ceteras terras et provincias ad nos et Ecclesiam Romanam immediate spectantes de comitatu Venaissini et aliis circumvicinis locis ad nos et ecclesiam memoratam pertinentibus, cogitamus libenter, ut eis de illis curemus providere remediis, per que ipsorum habitatores et incole sub cultu pacis et justicie, repressis gravaminibus indebitis, conquiescant. Tamen ad audientiam nostri apostolatus pervenit, quod nonnulle tam ecclesiastice, quam seculares persone, tam comitatus predicti et castri Montilii Ademari, Valentinensis diocesis, quam diversarum aliarum partium, suis juribus et terminis non contente, honores, jura, bona et loca nostra et ejusdem ecclesie tam in comitatu quam in castro predictis ejusque castri districtu et pertinentiis pro parte ad nos in eisdem castro, districtu et pertinentiis spectante consistencia, invadere, usurpare ac molestare indebite necnon habitatores et incolas comitatus ac castri, districtus et pertinentiarum predictorum pro parte ad nos in eisdem castro, districtu et pertinenciis pertinente, ut premittitur, per captiones et arrestationes personarum indebitas, predationes et spolia rerum et bonorum suorum, vexare ac opprimere multipliciter contra justiciam, aliosque injuriosos excessus circa hec in nostram et ecclesie prefate offensam et injuriam, predictorumque habitatorum et incolarum manifestum prejudicium committere presumpserunt hactenus et presumunt. Nos igitur ausus talium detestabiles oportunis refrenari remediis ac nostris et ecclesie memorate dictorumque habitatorum et incolarum cupientes indempnitatibus providere, felicis recordationis Benedicti Pape XII, predecessoris nostri, vestigiis super hiis inherentes, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, quoscumque invasores et occupatores honorum jurium, bonorum et locorum predictorum, ad nos et ecclesiam memoratam in eisdem comitatu, castro, districtu et pertinentiis spectantium, necnon injuriatores indebitos habitatorum et incolarum predictorum, tam in ipsis comitatu, castro, discrictu, et pertinentiis, quam alibi commorantes, clericos et laicos, cujuscumque status, ordinis, conditionis vel dignitatis existant, etiam si pontificali vel quavis alia premineant dignitate, de quibus vobis simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii constiterit, ut ab hujusmodi usurpationibus, oppressionibus, injuriis et excessibus omnino desistant et de commissis nobis et eidem ecclesie et aliis quorum interest debitam satisfactionem impendant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, quando et quotiens opportunum extiterit et vobis videbitur expediens, compellere studeatis. Datum Avinione, VII idus julii, anno tercio.

956

Ei pecuniam mutuam sumendi usque ad 3.000 flor. auri summam potestatem dat. (Reg. 138, n° CIX, fol. 39.)

Dilecto filio Ricardo electo Dunkeldensi. Cum sicut in nostra —. Datum Avinione, VI idus julii, anno tercio.

957 Avignon, 11 juillet 1344.

Dolet quod rex Angliæ, reservationes et provisiones sibi applicando, jura sanctæ Sedis calcaverit. (Reg. 138, n° CX, fol. 39 v°; — Reg. 216, fol.12; — Reg. 167, n° VIII).

Carissimo in Christo filio Edwardo, regi Anglie illustri. Nuper magnitudinis tue litteras per dilectum filium Andream de Offorde, clericum tuum, nobis exhibitas benigne recepimus substantialiter inter cetera continentes quod super provisione ecclesie Norwicensis de persona venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi, tunc electi Norwicensis, apostolice sedis nuncii, virtute reservationis apostolice dicte ecclesie per nos facte cogitativus, ut tuis utamur verbis, fuisti plurimum et perplexus, pro eo quia, ut in dictis tuis litteris asserebas, dicta provisio et concordia in parlamento tuo generali pro conservatione, ut asseris, juris[1] corone tue regie pridem facta et nobis per tuas et nobilium ac popularium regni tui Anglie litteras intimata, sibi mutuo contradicunt, adiciens nichilominus in eisdem quod, dum nobis complacere dictoque episcopo tunc electo favere cupiebat, prejudicium ex alio latere tibi imminens abhorrebat tua regia celsitudo, quodque cum quidam prelati et nobiles pro dicti episcopi tunc electi expeditione cum instantia te pulsarent, aliis quasi omnibus dissuadentibus ex adverso, tandem considerans sincerum affectum in missione dicti nuncii ad te missi, et zelum quem habere nos asseris ad faciendum bonum temperamentum super tua et populari conquestione, occasione provisionum et reservationum hujusmodi, ut dicte tue continebant littere, nobis facta, necnon magnum locum quem idem episcopus tibi tenet et tenere poterit in futurum et quod ipsa provisio facta erat, postquam ipse ad te iter arripuerat veniendi, tam ob mittentis reverentiam quam missi merita, sibi voluisti facere gratiam specialem premissis quibusdam protestationibus pro conservatione, ut asseris, juris tui regii et ordinationis facte in parlamento tuo, ut predicitur, generali, et quod hoc non trahatur ad consequentiam in futurum, temporalia dicti episcopatus non sine periculoso murmure communitatis dicti regni tui eidem episcopo tunc electo gratiose liberari fecisti, nobis per easdem litteras finaliter supplicando ut a reservationibus et provisionibus episcopatuum ejusdem regni tui supersedere velimus et capitulis ecclesiarum dicti regni electiones libere dimittamus juxta concessionem progenitorum tuorum inde factam et per sedem apostolicam, ut asseris, ex certa scientia confirmatam. Sane, fili carissime, dum verba litterarum tuarum predictarum diligenter discutimus et subsequenter in nostra memoria recensemus illa, que tue celsitudini super novitatibus contra Deum et sanctam Romanam ecclesiam matrem omnium fidelium et magistram in regno tuo singulariter attemptatis tam per litteras pluries dulciter et caritative scripsimus, ac demum per dictum episcopum Norwicensem, quem velut illum, de quo confidebamus et confidimus et tui honoris et commodi semper reperimus zelatorem et promotorem fidelem et fervidum, per nos ad tuam presentiam propterea specialiter et fiducialiter destinatum, explicari viva voce fecimus; eandem celsitudinem tam per scriptiones nostras hujusmodi quam per eundem episcopum paternis et salubribus monitis exhortando ut super eisdem novitatibus, quas de tua conscientia, cum sis princeps catholicus Deum timens et diligens, processisse minime credebamus, tua regalis curaret prudentia tale tamque salubre remedium, antequam per orbem in tue fame divulgarentur dispendium, adhibere, quod eis omnino sublatis talia vel similia deinceps non audirentur in regno attemptari tam Christianissimo sic horrenda, eisdem exhortationibus nichilominus subjungentes quod illis, qui talia, ex quibus saluti, statui, fame ac honori tuis non parum detrahitur, suadere niterentur, de cetero assensum non accomodares quomodolibet sed eos potius, qui committentes premissa in excommunicationis et alias penas a canonibus adversus tales inflictas incidunt, repelleres, tamquam tuos detractores et hostes, de tua regali magnificentia quamplurimum admiramur quod nec per litteras tuas nec per eundem episcopum ad nos redeuntem et explicasse tibi pro parte nostra premissa per nos eidem imposita referentem nichil nobis penitus respondisti, sed multa scripsisti per predictas tuas litteras, que in magnum ejusdem ecclesie

1: Le texte porte : *jure*.

Romane ac potestatis et auctoritatis apostolice prejudicium et libertatis lesionem ecclesiastice cedere pro dolor! dinoscuntur; videntur quidem invenire littere supradicte quod super reservationibus et provisionibus ecclesiarum in tuis tibi parlamentis liceat aliquid ordinare quodque reservationes et provisiones apostolice a tua dependant voluntate. Profecto, fili dilectissime, illa concordia, quam in tuo Parlamento habitam tue predicte describunt littere, nimis existeret temeraria et divinis institutionibus inimica, per quam apostolice sedis reservationes et provisiones dependerent ex tue voluntatis arbitrio tuque per ipsas potestatem ejusdem sedis apostolice, quod profanum est dicere, coartares, quamquam nos, qui ecclesiarum omnium tanquam pastor universalis earum invigilamus commodis, uti non intenderimus nec intendamus reservationibus et provisionibus hujusmodi, nisi quantum utilitatibus et necessitatibus ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire. Qualiter autem temporibus predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum circa reservationes et provisiones hujusmodi de multis prelaturis et aliis beneficiis ecclesiasticis dicti regni, super quibus nunquam impedimentum extitit appositum, res gesta se habuit, magnitudinem tuam latere non credimus nec a tua memoria excidisse quod nobis pro reservationibus inibi faciendis aliquibus secretis supplicasti. Nunquid, fili amantissime, ignorant tui consiliarii penas divinas et canonicas, quas statuentes, ordinantes, concedentes et consentientes statui aliquid in prejudicium ecclesiastice libertatis incurrunt? Ulterius autem ad nostram et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium pertulit rumor implacidus nimium et infestus, qui jam per orbem esse asseritur divulgatus, quod in regno tuo predicto edicta et banna in derogationem et enervationem predicte libertatis ecclesiastice primatus ejusdem Romane ecclesie et auctoritatis et potestatis ipsius sedis apostolice ad diversas partes missa fuerunt, ut de captione ac incarceratione multarum personarum ecclesiasticarum sacrilega, et impedimentis litterarum et gratiarum apostolicarum ibidem appositis taceatur ad presens, immo ad tante ferocitatis in regno eodem dicitur fuisse deventum quod vix aliquis audet ibidem litteras apostolicas presentare; et licet predicta sic enormia vel similia de tua procedere conscientia extimare sit grave, tamen apud Deum et homines tibi multum poterit imputari si, postquam sic divulgata sunt, eis oportunis et salubribus remediis non obsistas, maxime quia sepe, ut premittitur, more pii patris et benevoli tam per diversas litteras quam per tuos nuncios leniter et caritative tuam magnificentiam exhortandam providimus, sicut nosti. Utinam, fili precarissime, affectionem, quam ad te benivolam intra paterna viscera gerimus, attenderes et intra precordia regia revolveres diligenter, quam graviter ex hiis, que circa premissa in regno committuntur predicto, divina magestas offenditur et, ne ipsius iram incurreres, preveniendo ultionis ejus vindictam terribilem operosis studiis evitares profundisque meditationibus cogitares quantum a Deo exaltati fuerint hactenus principes ortodoxi, qui sacrosanctam ecclesiam unicam sponsam Christi devotionis studiis honorarunt, eam in suis juribus, honoribus et libertatibus confovendo et quam turpiter ceciderunt et abjecti sunt qui contrarium attemptarunt et deliberatione provida et matura pensares, si premissa, que in regno tuo predicto adversus Deum et ipsam ecclesiam sic aguntur impudice, que utique defendi posse non credimus, nisi fidei et sacrorum canonum fundamenta radicitus evellerentur, quod absit, possunt per nos sine Dei offensa et lesione conscientie preteriri sub dissimulationis neglectu vel quomodolibet tolerari! Audi ergo, fili, consilium salubre patris tui et intende honori ejusdem Romane ecclesie matris tue, a qua tu et progenitores tui regnumque tuum predictum magna beneficia, quibus vos obligavit ad gratitudinis debitum, recepistis, attende quoque ipsam ecclesiam, cujus pastorali regimini licet meritis insufficientibus presidemus, non ab apostolis sed ab ipso Domino salvatore nostro primatum super omnes mundi ecclesias obtinere; ipse quidem solus eandem fundavit ecclesiam dicente domino Petro : tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in celis et quodcunque solveris super terram erit solutum et in celis et super petram fidei mox nascentis erexit. Non enim quevis terrena sententia sed illud verbum, per quod constitutum est celum et terra, per quod denique constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundavit ecclesiam, que quidem omnes patriarchales metropolitanas et cathedrales ecclesias et ipsarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit, ad cujus pastorem et rectorem ecclesie, videlicet Romanum Pontificem, omnium ecclesiarum, dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere. Cogita, quesumus, insuper et recogita, fili, quibus et qualibus credis consiliis quibusque te involvis

negotiis et ad eorum ingressum contemplare finalem egressum, cum sit viri prudentis ut rerum exitus metiatur. Ideoque regalem excellentiam intensis rogamus et hortamur affectibus et per Dei misericordiam obsecramus quatenus ad cor rediens et directos tibi in paterna dulcedine hujusmodi pie nostre exhortationis suavisque increpationis et salubris inductionis affatus, tanquam catholicus princeps et providus ac benedictionis et gratie filius, devote suscipiens, rationi et ejusdem ecclesie matris tue devotioni subice temetipsum qua duce tibique propitia et placata proficere poteris, qua offensa non valebis, cum in ejus offensa offendatur sponsus ejus Jhesus Christus dominus, prosperari, premissa et alia vergentia in derogationem ejusdem Romane ecclesie et libertatis ecclesiastice in regno tuo predicto cohibendo penitus et tollendo nec illa vel similia inibi fieri de cetero permittendo, ut exinde tibi apud Deum meritorum cumulus proveniat et regali nomini titulus humane laudis accrescat ac nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam uberius regie devotionis sinceritas mereatur. Alioquin, cum ex injuncte nobis desuper apostolice servitutis officio de anima tua illi, qui magnum judicat sicut parvum et apud quem personarum acceptio non existit, simus rationem in extremo judicio reddituri, ac jura et auctoritatem prefate sancte Romane ecclesie defendere teneamur quominus in premissis, in quibus tam patenter ejusdem apostolice Sedis auctoritas est contempta et in suis juribus et honoribus conculcata, limam correctionis sedis ejusdem et pro mensura excessuum adhibere medelam salubrem procuremus nec dissimulare possemus ulterius nec salva conscientia preterire. Datum. Avinione, V idus julii, anno tertio.

958 Avignon, 11 juillet 1344.

Quædam beneficia Cameræ reservat. (Reg. 138, n° CXI, f° 41 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Dudum onera multiplicia expensarum, quibus premebatur nostra camera, sicut adhuc premitur, ac raritatem ipsius proventuum ad eadem onera supportanda minime sufficientium attendentes, et volentes eidem camere sic oppresse, de alicujus subventionis remedio providere, fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, prioratuum et aliorum quorumcunque locorum ecclesiasticorum secularium et regularium exemptorum et non exemptorum, que apud sedem apostolicam vel ubicumque alibi ad dispositionem nostram ex generali vel speciali nostra seu predecessorum nostrorum Romanorum pontificum reservatione, spectantia tunc vacabunt, vel ex tunc usque ad certum tempus vacare contingeret, ecclesiis tamen, monasteriis, dignitatibus ac beneficiis subscriptis expressim exceptis, percipiendos modis infrascriptis et in necessitates convertendos predictos auctoritate apostolica reservavimus, et eidem camere duximus applicandos. Nonobstantibus quibuscunque statutis etc. Volumus autem quod si idem beneficium bis vel pluries in anno vacaret, non nisi semel fructus, redditus et proventus illius, juxta taxationem decime reciperentur, ut scilicet summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum in decime solutione taxatur, camera predicta perciperet, totali residuo beneficia ipsa obtinentibus remanente, nisi forte dicta camera residuum hujusmodi mallet percipere et habere, ac obtinentibus beneficia ipsa pro supportandis eorum oneribus, et habenda sustentatione, summam pro qua beneficia eadem taxantur in decima remanere, super que eidem camere recipiendi videlicet taxationem, vel residuum predictum reliquimus optionem, sic tamen quod quicquid eadem camera eligeret onera beneficiorum ipsorum ea obtinentes tenerentur de parte quam eadem camera, ut prefertur, dimitteret totaliter supportare, nisi obtinentes predicti vellent omnes fructus, redditus et proventus beneficiorum ipsorum, per dictum annum integraliter dimittere camere supradicte, quo casu eadem camera haberet beneficiis hujusmodi quo ad curam animarum si eis immineret, nec non et in divinis officiis et sacramentorum ecclesiasticorum ministratione facere per personas ydoneas deserviri, et cetera eis incumbentia onera supportari. De illis autem beneficiis que taxata non essent ad decimam, duximus ordinandum, videlicet quod ispsorum fructuum, redditum et proventuum medietas [1] ad prefatam cameram, alia vero medietas ad obtinentes eadem beneficia pertinere deberet, modis, formis et conditionibus quibus de aliis beneficiis est expressum. Ceterum voluimus, et predictarum litterarum nostrarum [tenore] declaravimus

1. Le texte porte : *medietatis.*

quod reservatio et deputatio hujusmodi non extenderentur ad cathedrales ecclesias, vel ad abbatias regulares, que tamen conventuales existerent, aut beneficia quorum fructus, redditus et proventus annui verum valorem decem librarum Turonensium parvorum non excederent, vel que ex causa permutationis vacare tempore predicto contingeret, seu ad vicarias aut capellanias ut plurimum a decedentibus secundum morem diversarum ecclesiarum institutas admissas pro ipsis decedentibus celebrandas, certis constitutis redditibus presbitero inibi celebranti, vel alias ut diurnis et nocturnis canonicis horis interesset, dummodò viginti librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excederent, sive ad cotidianas distributiones quarumlibet ecclesiarum seu anniversaria vel obventiones que ad certum quid deputate noscerentur, nisi ad illa vel illas que illis qui essent in civitate vel loco presentes consuevissent, quamvis horis non interessent canonicis, elargiri. Rursus voluimus quod illi quibus fructus, redditus et proventus primi anni hujusmodi beneficiorum debebantur de jure, privilegio, consuetudine vel statuto anno, secundo illos reciperent, sicut in primo anno fuissent, si non obstarent reservatio et deputatio nostre hujusmodi percepturi. Et licet tunc ex certis causis ad hoc animum nostrum moventibus, beneficia hujusmodi que vacare contingeret ex causa permutationis excipienda expresse duxerimus a reservatione et applicatione predictis, nunc tamen eisdem causis cessantibus, ea volentes infra illas includi, fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum, administrationum, prioratuum, officiorum et locorum ecclesiasticorum quorumcunque, que ex causa permutationis in nostris vel alterius auctoritate nostra manibus usque ad duos annos a data presentium computandos faciende vacare contigerit, reservamus auctoritate apostolica, et eidem camere applicamus, percipiendos modis, formis et conditionibus superius denotatis. Nulli ergo etc. Datum Avinione, V. idus julii, anno tercio.

959 Avignon, 11 juillet 1344.

Thesaurariis mandat ut fructus beneficiorum reservatorum per biennium colligant. (Reg. 138, n° CXII, fol. 42.)

Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesau[ra]riis nostris. Dudum et cœtera. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, per vos vel alium seu alios, fructus, redditus et proventus hujusmodi per dictum biennium juxta tenorem reservationis et applicationis hujusmodi exigatis, colligatis et recipiatis nomine camere supradicte. Contradictores et cœtera. Non obstantibus etc. Datum Avinione, V idus julii, anno tercio.

960 Avignon, 12 juillet 1344.

Petri de Verberia, clerici regis Franciæ petitioni annuens, indulget ut confessor, quem confratres capellæ Beatæ Mariæ de Verberia elegerint, eis remissionem peccatorum concedere valeat. (Reg. 138, n° CXIII, fol. 42 v°.)

Dilecto filio Petro de Verberia, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris clerico et dilecte in Christo filie Petronille, uxori sue, Suessionensis diocesis. Copiosa Sedis apostolice benignitas operibus exposita pietatis, vota fidelium, presertim circa illa que opera promovent hujusmodi, favoribus libenter prosequitur gratiosis. Sane petitionis vestre nobis exhibite series continebat, quod vos, de animarum vestrarum salute soliciti, temporalia pro spiritualibus et terrena pro celestibus commutare felici commercio cupientes, quandam capellam in villa de Verberia, Suessionensis diocesis, ad divini culti augmentum et animarum fidelium omnium vivorum et defunctorum commodum, rite de bonis vestris propriis construi et dotari fecistis, ut in ea orationis domo effecta, et venerando beate et gloriose Marie semper Virginis genitricis Domini nostri Jesu Christi vocabulo insignita, divina laudetur potentia et immoletur perpetuis temporibus pro delictis et peccatis populi ostia salutaris. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nonnulli fideles earum partium ad capellam ipsam devotionem habentes precipuam, caritativam confratriam fecerint in eadem, aliqua de bonis suis pro augendo in capella ipsa cultu divino, eidem ex causa devotionis nichilominus largiendo, et quamplures alii, simili devotione affecti, desiderent facere illud idem, nobis humiliter supplicasti ut confratribus ejusdem capelle utriusque sexus, presentibus et futuris, usque ad numerum centum, qui sunt et erunt ibidem, et eidem capelle pro cultu augmentando predicto, et pietatis operibus ampliando, aliqua de bonis suis sive redditus, proventus, terras,

vineas, prata vel possessiones alias, pura et simplici donatione largientur devote, vel alias ipsi capelle ac religiosis in eadem famulantibus domino, pro premissis manus suas porrexerint adjutrices, illam remissionem peccatorum suorum, quam Sedes predicta devotis et fidelibus in mortis articulo concedit interdum, dignaremur de benignitate apostolica elargiri. Nos igitur, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, ut confessor quem [elegerit] quilibet confratrum ipsorum, qui nunc sunt in capella predicta, et usque ad decennium confratriam predictam intra numerum intrabunt predictum, et pro eisdem cultu divino et piis operibus inaugendis ibidem, de bonis suis tribuent, ut prefertur, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, et ore confessi fuerint, plenam remissionem eis et eorum singulis in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia ac devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, semel tantum in mortis articulo auctoritate apostolica concedere valeat, tenore presentium indulgemus; sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam eis pro se si supervixerint, vel per heredes suos, si tunc forte transierint faciendam injungat, quam ipsi vel illi facere ut premittitur teneantur. Et ne, quod absit, propter indulgentiam hujusmodi procliviores reddantur ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committerent, eis quoad illa predicta remissio nullatenus suffragetur. Nulli ergo etc. Datum Avinione, IIII idus julii, anno tercio.

961 Avignon, 12 juillet 1344.

Prorogatur terminus in quo munus consecrationis recipere debet. (Reg. 138, nos CXIIII et CXV, fol. 43.)

Dilecto filio Matteo, electo Florentino. Pridem ecclesie Florentine. — Datum Avinione, IIII idus julii, anno tercio.

962 Avignon, 15 juillet 1344.

Ei mandat ut censum ecclesie Romane in Camminensi et Lubicensi civitatibus et diocesibus debitum colligat. (Reg. 138, n° CXVI, fol. 43 v°; — Riezler, *Vatik-Akten*, n° 2188, fol. 792.)

Venerabili fratri archiepiscopo Gneznensi. Cum in Caminensi et Lubicensi. — Dat. Avinione, idibus julii, anno tercio.

963 Avignon, 15 juillet 1344.

Petrus Barrani deputatur custos albarum et nigrarum monetarum quarum apud Pontem Sorgiæ cudendarum forma, lex ac pondus statuuntur, secundum conventiones habitas cum monetarum magistris, Jacobo Malabayla Astensi, Helia de Nexonio Lemovicensi et Betto de Lucca. (Reg. 138, n° CXVII, fol. 43 v°.)

Dilecto filio Petro Barrani, Caturcensis diocesis, custodi albe ac nigre monetarum nostrarum, apud Pontem Sorgie, Avinionensis diocesis, cudendarum. Pro utilitate rei publice, circa quam solicitudinibus studiosis intendere pastoralis officii debitum nos inducit, certas monetas albas et nigras cudi facere apud Pontem Sorgie, Avinionensis diocesis, infra comitatum Venayssini ad nos et ecclesiam Romanam immediate spectantem, matura et provida deliberatione previa ordinavimus, sub modo, forma, lege ac pondere qui secuntur : videlicet monetam albam denariorum argenti, qui *Grossi* vocabuntur, et valebit quilibet duos solidos quatuor denarios, et erunt de liga denariorum undecim, et granorum duodecim, ac tallie sive ponderis solidorum quatuor et denariorum novem, ad marcham argenti civitatis Avinionensis. Item aliam monetam albam denariorum argenti, et habebit cursum pro medio grosso vel quatuordecim denariis, et erunt de eadem liga qua grossi predicti, ac ponderis solidorum novem et denariorum sex argenti, ad marcham civitatis predicte. Item aliam monetam nigram, et habebit cursum pro tribus denariis, et de liga denariorum trium, granorum decem et octo argenti fini, tallie sive ponderis, ad pondus et marcham civitatis predicte, solidorum quatuordecim ac denariorum quinque cum dimidio. Item aliam monetam nigram curribilem pro uno denario cum dimidio, de liga duorum denariorum, et granorum duodecim argenti fini, ad dictam marcham, et tallie sive ponderis solidorum decem et octo, et denariorum trium et tercii unius denarii. Item aliam monetam nigram, que obolus vocabitur, de liga unius denarii granorum octo, et ponderis ad pondus ville predicte, ac solidorum trigintatrium, et denariorum duorum, prout predicta et alia in conventionibus habitis cum dilectis Jacobo Malabayla Astensi, et Helia de Nexonio Lemo-

vicensi civibus, et Betto de Lucha magistris monetarum predictarum plenius continentur. Volentes igitur monetas hujusmodi ad comunem utilitatem fideliter et recte dirigi ac etiam fabricari et attendentes quod tu, de cujus fidelitate confidimus, in talibus peritus esse dinosceris et expertus, te predictarum monetarum custodem, usque ad nostrum beneplacitum, tenore presentium deputamus, tibi faciendi, gerendi et exercendi omnia et singula que ad officium custodie hujusmodi pertinere noscuntur, potestatem plenam et liberam concedentes. Datum Avinione, idibus julii, anno tercio.

964 Avignon, 15 juillet 1344.

Marcho Laudo et Johanni Bartholi de Senis mandat ut instrumenta ad dictas monetas cudendas necessaria fabricent, et assagium quoque faciant. (Reg. 138, n° CXVIII, fol. 44.)

Dilectis filiis Marcho Laudo, servienti nostro armorum et Johanni Bartholi de Senis. Pro utilitate reipublice, usque volentes, exclusive. Cum itaque certa instrumenta pro fabricandis et cudendis monetis predictis fore necessaria dinoscantur, quorum fabricationis periciam, ut intelleximus, vos habetis, ut vos, et quilibet vestrum, instrumenta hujusmodi de forma, litteris et sculptura ordinatis, et in instrumento confecto super hoc designatis, ad mandatum dilecti filii Petri Barrani, Caturcensis diocesis, dictarum monetarum custodis, fabricare possitis, et eadem instrumenta, cum ea fabricaveritis, excepta tamen certarum litterarum sculptura, quas in venerabilium fratrum Gasberti, archiepiscopi Narbonensis, camerarii, et Stephani, Casinensis, ac Guillelmi, Forojuliensis, episcoporum, thesaurariorum nostrorum vel duorum ex eisdem presentia, et non aliter sculpere debeatis, prefato custodi et dilectis filiis Jacobo Malabayla Astensi, et Helia de Nexonio Lemovicensi civibus ac Betto de Lucha, magistris monetarum predictarum, in eadem presentia tradere, postquam completa, ut premittitur, fuerint et perfecta, nec non assagium seu probam de monetis predictis, prout moris est, facere valeatis, plenam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, idibus julii, anno tercio.

965 Villeneuve-les-Avignon, 16 juillet 1344.

Ducissæ Burgundiæ, quæ doluerat quod ægrotavisset, nunciat se optime valere. (Reg. 138, n° CXXXIX, fol. 46 r°.)

Dilecto in Christo filie, nobili mulieri, Johanne filie Regis Francie, ducisse Burgundie, salutem et cœtera. Devotionis tue litteras nuper nostro apostolatui presentatas, per quas te audivisse nos aliquali laborasse discrasia, non sine mentis displicentia et filialis compassionis affectu describens, de statu nostro, quem audire prosperum desideras, effici certior postulasti, tanto benignius recepimus, quanto premissa ex majori caritatis benivolentia procedere cōnspeximus evidenter; super quibus tue nobilitatis excellentie gratiarum actiones uberes referentes, eandem nobilitatem volumus non latere, quod, licet discrasia illa pridem gravati aliquantulum fuerimus et afflicti, exinde tamen illius misericordia faciente, cujus nutu vite nostre momenta consistunt, plene convaluimus, et nunc corporali sospitate letamur, prompti et propicii ad illa que tui commodi et honoris incrementa respiciunt, quantum cum Deo fieri poterit, promovenda. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVII kalendas augusti, anno tercio.

966 Avignon, 17 juillet 1344.

Cum hæretici Valdenses e partibus Tholosanis ad terras Bearni, comiti Fuxi subjectas, aufugissent, Arnaldum episcopum Pampilonensem rogat ut Johannem de Molendino, O. F. P. inquisitorem auxilio adjuvet. (Reg. 138, n° CXL, fol. 46 v°.)

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Pampilonensi. Intelleximus nuper quod nonnulli heretici de dampnata secta Valdensium, dudum morantes in partibus Tholosanis, percepto quod dilectus filius Johannes de Molendino, ordinis fratrum Predicatorum, inquisitor heretice pravitatis in eisdem partibus auctoritate apostolica deputatus, ipsos perquirere ac perquiri facere, ut de illis pro fulcimento fidei catholice fieret justicia, intendebat, exinde ad terras Bearni, dilecti filii Gastonis, comitis Fuxi, temporali subjectas dominio, aufugerunt, ibidem in suis damnatis perseverantes erroribus et heresibus latitando. Cum autem inquisitor prefatus ad perquirendos et capiendos eosdem hereticos, personas aliquas disponat, sicut intelleximus, destinare, fraternitatem tuam requirimus, eidem districtius injungendo mandantes, quatenus tu, qui ad regimen terrarum predictarum deputatus existis, tam super captione predictorum hereticorum, quam ipsorum remissione inquisitori facienda predicto, favorem et oportunum auxilium tam zelo ejusdem fidei

quam ex tui officii debito impendere non postponas. Datum Avinione, XVI kalendas augusti, anno tercio.

967 Avignon, 18 juillet 1344.

Eum rogat ut regnum Siciliæ bene gubernetur. (Reg. 138, nº CXLI, fol. 46 vº.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis nuncio. Gratum et acceptum est —. Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno tercio.

968 Avignon 18 juillet 1344.

Ei mandat ut homagium a rege et regina Siciliæ præstandum recipiat. (Reg. 138, nº CXLII, fol. 47.)

Eidem legato. Super potestate recipiendi —. Datum ut supra.

969 Avignon, 18 juillet 1344.

Ei mandat ut necessariæ expensæ de proventibus dicti regni sumantur. (Reg. 138, nº CXLIII, fol. 47.)

Eidem legato. Inter cetera que —. Datum ut supra.

970 Avignon, 18 juillet 1344.

Ei mandat ut procurationes recipiat. (Reg. 138, nº CXLIV, fol. 47.)

Eidem legato. Licet per alias —. Datum ut supra.

971 Avignon, 18 juillet 1344.

Ei mandat ut procurationes in Tuscia exigat, tanquam inibi resideat. (Reg. 138, nº CXLV, fol. 47.)

Eidem. Quamvis in regno Sicilie —. Datum ut supra.

972 Avignon, 18 juillet 1344.

Cum Johanna regina Siciliæ rogavisset ut officiales magni, videlicet magister justiciarius, cancellarius, comes, camerarius, magnus senescallus, comestabulus, logotheta et protonotarius in officiis confirmarentur, legato mandat ut inquirat utrum officiales fidelitatem præstiterint, annon. (Reg. 138, nº CXLVI, fol. 47 vº.)

Eidem. In tuis litteris —. Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno tercio.

973 Villeneuve-les-Avignon, 18 juillet 1344.

Diligentiam Guillelmi archiepiscopi Brundusini super hiis pro quibus missus erat commendat, moram ipsius excusans quam propter arduitatem negotiorum in Curia attulit. (Reg. 138, nº CXLVII, fol. 48 rº.)

Eidem legato. Diligentiam venerabilis fratris —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XV kalendas augusti, anno tercio.

974 Villeneuve-les-Avignon, 18 juillet 1344.

Guillelmum archiepiscopum Brundusinum, per Aymericum tituli Sancti Martini in Montibus presbiterum cardinalem, Sanctæ Sedis legatum et reginam pro certis negociis missum recepit et remittit. (Reg. 138, nº CXLVIII, fol. 48 rº.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Venerabilem fratrem nostrum —. Datum ut supra.

975 Villeneuve-les-Avignon, 18 juillet 1344.

De favoribus nepoti suo Guillelmo de Turri factis regi et reginæ Siciliæ gratias agit. (Reg. 138, nºs CXLIX-CL, fol. 48.)

Carissimo in Christo filio Andree, regi Sicilie illustri. Super multis favoribus et liberalitatibus gratiosis utique nobis gratis per te, fili carissime, dilecto filio, nobili viro, Guillelmo de Turre, nepoti nostro, impensis tue celsitudini gratiarum referimus actiones. Datum ut supra.

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.

976 Avignon, 18 juillet 1344.

Duci Duratii de auxilio, quod legato præstitit, gratias agit. (Reg. 138, nº CLI, fol. 48.)

Dilecto filio nobili viro Carolo duci Duratii. Gratis nobis admodum —. Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno tercio.

977 Avignon, 18 juillet 1344.

Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Miraculo, quam Johannes XXII ædificaverat, certos redditus assignat, ut a capellanis divinum servitium celebretur. (Reg. 138, nº CLII, fol. 48 vº.)

Venerabili fratri Gasberto archiepiscopo Narbonensi, camerario, et dilecto filio magistro Bernardo Stephani, archidiacono Figiacensi in ecclesia Caturcensi, notario, nostris Apostolice servitutis nobis injuncte desuper officium mentem nostram excitat et fervor devotionis inflammat, ut circa pia opera, quibus placatur altissimus, assiduis occupemur meditationibus et ad promotionem eorum operosis studiis intendamus. Olim siquidem felicis recordationis Johannes papa XXII, predecessor noster, cujusdam stupendi miraculi, quod juxta civitatem Avinionensem, in qua tunc predecessor ipse residebat cum sua curia, sicut nos etiam residemus ad presens, in loco tunc vocato de Lestel, ubi malefactores quandoque ultimo supplicio plectebantur, Salvator noster dominus Jesus Christus, meritis precelse ac gloriose Marie semper Virginis, genitricis sue, operatus fuit in conspectu magne multitudinis fidelis populi, tunc astantis, devotione affectus, ut ad laudem et gloriam divini nominis et ejusdem gloriose Virginis domine nostre omniumque sanctorum hujusmodi miraculi ad corroborationem ortodoxe fidei et fidelium consolationem remaneret memoriale perhenne, in eodem loco, in quo miraculum contigit hujusmodi, fecit unam capellam construi et fundari, venerando ejusdem gloriose Marie Virginis vocabulo insignitam, que vulgariter, ipsius consideratione miraculi, ecclesia Beate Marie de Miraculo nuncupatur. In qua quidem capella domo Dei et orationis effecta, tres perpetuos capellanos, ad celebrandum missas ibidem et alia divina officia perpetuis temporibus deputavit, certis redditibus et proventibus, quos propter hoc acquiri fecerat, eisdem presbiteris et eorum successoribus in perpetuum pro sua sustentatione concessis, sicut in litteris suis apostolicis inde confectis plenius continetur. Postmodum autem predecessor predictus audiens quod ad eandem capellam in honorem ejusdem gloriose Virginis, ut prefertur, fundatam, devotio fidelium non modicum augebatur, et propter ea ipse cultum ibidem volens ampliari divinum, nonnullos alios redditus et proventus, preter illos quos dictis presbiteris, ut prefertur, assignaverat pro augendo dictorum presbiterorum numero, tam ipsius capelle seu ecclesie nomine, quam etiam sub alio titulo acquiri fecit, et quosdam alios presbiteros ibi poni, qui cum aliis tribus predictis presbiteris in capella ipsa divina officia celebrarent, intendens tam de redditibus et proventibus predictis tribus presbiteris primitus assignatis, quam de aliis postmodum, ut premissum est, acquisitis, taliter ordinare, quod in capella ipsa esset certus numerus capellanorum, tot videlicet quot de omnibus predictis redditibus et proventibus et aliis bonis, que ad ipsam capellam seu ecclesiam obvenerant, possent congrue sustentari, mature ac provide ordinare ; sed, sicut Domino placuit, morte preventus, quod pia intentione in hac parte conceperat, producere non posuit in effectum. Nos igitur ad tam pium opus et laudabile nostre considerationis dirigentes intuitum, et supplere volentes quod ipse humane sortis condictione subtractus super hiis adimplere nequivit, discretioni vestre, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus de omnibus et singulis redditibus et proventibus tam eisdem tribus presbiteris primitus, ut premittitur, assignatis, quam aliis quibuscumque postmodum propter hoc sub quocumque titulo acquisitis, seu qui ad ipsam capellam sive ecclesiam quomodolibet pervenerunt, informatione fideli et diligenti recepta, eorumque valore annuo communi extimatione compensato, quot exinde presbiteri congrue sustentari poterunt, arbitrari rationabiliter studeatis, ordinantes ac statuentes auctoritate nostra in eadem capella seu ecclesia numerum presbiterorum ipsorum qui de dictis redditibus et proventibus sustentationem habere poterunt competentem, et eos qui per eundem predecessorem vel alias institui canonice non fuerint, instituatis hac vice, illos tamen qui tempore sepefati predecessoris fuerunt positi, et usque nunc serviverunt ibidem, quamvis litteras institutionis non habuerint, nihilominus preferendo ; nam, sicut erat intentionis predecessoris ejusdem, collationem capellaniarum hujusmodi ad Avinionensem episcopum, qui est pro tempore, de cetero salva dispositione ac ordinatione sedis Apostolice volumus pertinere. Porro redditus et proventus predictos omnes et singulos necnon et quondam plateam sitam iuxta dictam capellam seu ecclesiam dudum eis concessam pro faciendo cimiterio, cum clausura claustrali, vel alia, sicut extiterit oportunum, presbiterorum predictorum collegio, quod in eadem capella seu ecclesia statueritis, et ipsi capelle seu ecclesie concedatis, eadem auctoritate applicetis et incorporetis perpetuo, et donetis, dic-

tamque plateam benedici pro cimiterio per aliquem antistitem faciatis, statuendo et ordinando nihilominus tam circa cultum divinum peragendum ibidem perpetuis temporibus ac etiam celebrandum, quam conversationem et vitam presbiterorum ipsorum, et alia que ad Dei honorem et gloriam animarumque commodum, ac mores, et bonum statum eorum, et ipsius capelle seu ecclesie videritis expedire. Contradictores etc. Demum, que super predictis feceritis, ordinaveritis et statueritis in scripturam redacta publicam, et nostris communita sigillis, nobis referre fideliter, ut ulterius ea confirmando vel alias possimus ordinare quod nobis videbitur, studeatis. Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno tercio.

978 Avignon, 18 juillet 1344.

Episcopo Lemovicensi sic indulget ut possit visitationis officium per procuratorem exercere, procurationesque debitas recipere. Judices simul designat. (Reg. 138, nos MCXXVIIII et XXX, fol. 301.)

Venerabili fratri Guidoni, episcopo Lemovicensi. Devotionis tue probata. — Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno tercio.

Judicibus episcopo Forojuliensi et... abbati monasterii Grandimontensis, Lemovicensis diocesis ac Helye de Baleto, canonico Lemovicensi.

979 Avignon, 19 juillet 1344.

Nuntium regis Castelle, Garciam Ferrandi de Bonesso, militem, benigne accepit. (Reg. 138, no CLIII, fol. 49.)

Carissimo in Christo filio Alfonso, regi Castelle. Letanter et benigne —. Datum Avinione, XIIII kalendas augusti, anno tercio.

980 Avignon, 19 juillet 1344.

Regem Castellæ rogat ne regis Angliæ exemplum sequatur, qui jura Ecclesiæ calcare audet. (Reg. 138, no CLIIII, fo 49 vo.)

Eidem Regi [Castelle]. Relatum nobis extitit hiis diebus quod aliqui de Romana curia transcriptum quarundam litterarum emanatarum, ut asseritur, a carissimo in Christo filio nostro Edwardo rege Anglie illustri, super quibusdam novitatibus contra Deum et libertatem ecclesiasticam in regno suo Anglie attemptatis, ut fertur, tibi, fili carissime, transmiserunt, et tam ipsi quam alii nequaquam Deum timentes, nec que sunt tui honoris, salutis et fame querentes, sed venantes potius forsitan propria lucra sua, te ad illicita super similibus pertrahere moliuntur, et utinam illi, qui tue celsitudini transcriptum miserunt predictum, transcripta litterarum nostrarum reprensiones et comminationes durissimas per nos factas, eidem regi super hiis continentium transmisissent, et notificassent nichilominus ea que nos et apostolica sedes contra temerarios presumptores novitatum hujusmodi, ac regnum et terras regis ejusdem, nisi novitates temerarie hujusmodi revocentur, deliberatione consulta disposuimus facienda. Sane, fili dilectissime, si gesta recolenda clare memorie progenitorum tuorum, qui erga deum et sanctam Romanam Ecclesiam fervore fidei et sinceritate devotionis fulgentes, et ipsam ecclesiam honorantes, tanquam principes catholici, sicut matrem, ab offensis ipsius abstinere, sicut benedictionis filii puris et devotis studiis juraverunt, revolveris, et nichilominus attendens diligenter quot et quantis benedictionibus tam in obtinendis gloriosis victoriis, quam aliis factis felicibus, te progenitorum ipsorum inherendo vestigiis, et in ejusdem ecclesie persistendo gratiis et favoribus. dominus prevenerit sponsus suus, et insuper quod, a nostre promotionis ad summum apostolatum auspiciis, te, sicut precarissimum et singularem filium, gessimus et gerere intendimus in visceribus caritatis, libenter ad ea, que tue commoditatis incrementa respicerent, paternis affectibus intendentes, pro firmo credimus quod talia vel similia, per que Deum et ipsam ecclesiam provocares contra te, suadentibus nullatenus tua regalis circumspectio acquiescet. Ideoque regiam rogamus magnificentiam et in domino attentius exhortamur, quatinus hujusmodi venenosis persuasionibus, si forsam auribus instillarentur regiis, abjectis penitus et repulsis, non permittas sic turpe maculam poni quomodolibet in gloria tui nominis et honoris, sed potius reputes, sicut reputare potes merito, tuos detractores et hostes, de nobis et apostolica sede certam fiduciam habiturus quod nos super tuis oportunitatibus reperies, quantum cum Deo fieri poterit, propicios et benignos. Datum Avinione, XIIII kalendas augusti, anno tercio.

981 Avignon, 19 juillet 1344.

Regi Castellæ gratulatur, qui præclaram victoriam ex Sarracenis retulerat, villam Algesiras post longam obsidionem, die dominica Ramis Palmarum, capiendo, cui quidem villæ nomen Insulæ Viridis posthac datur. (Reg. 138, n° CLV, f° 49 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso, regi Castelle illustri. Respersit rore gaudiorum spiritualium intima cordis nostri, ac ingentis consolationis et leticie materiam christiano populo ministravit audita illa gloriosa victoria, quam tibi pridem de celo exercituum dominus contulit adversus Sarracenos perfidos, blasfemos Christi nominis ac christiane fidei crudeles persecutores et hostes. Vox quidem exultationis et laudis in auribus fidelium insonuit, et litterarum regiarum nobis missarum series, quas leta manu jocundoque animo recepimus, patefecit qualiter post longam et laboriosam obsidionem, quam contra villam tunc vocatam Algezira, nunc vero civitatem Insuleviridis in manu forti et potenti virtute posuisti, et tanquam princeps christianissimus potens et magnanimus inconcussa et intrepida constantia diutino tempore tenuisti, tandem tecum divina cohoperante virtute sub manu tue potentie confusis inimicis ipsius fidei et sub jugo tue ditionis conclusis, civitatem eandem, locum utique fortissimum, populosum et quasi humano ingenio inexpugnabilem obtinens, die dominica Ramis palmarum proximo preterita, una cum prelatis baronibus et aliorum catholicorum virorum multitudine copiosa exultanter ad laudem et gloriam divini nominis, exaltationem et dilatationem ejusdem fidei catholice, tuique non modicum honoris augmentum, civitatem eandem cum triumphali gloria intravisti, et, eliminata exinde Sarra(ce)nice fetiditatis spurcitia, ecclesias erigi catholicas, et in eis fecisti divina officia celebrari, ut, quia in Sarracenorum mesquitis colebatur antea ille dampnatissimus Machometus, deinceps in ecclesiis fidelium domibus orationum effectis, perpetuis futuris temporibus laudetur divina potentia, precelse genitricis Dei Marie domine nostre semper virginis et omnium sanctorum habeatur memoria celebris, eorum imploretur devotis intercessionibus patrocinium, et immoletur pro peccatis populi hostia salutaris. Hec quidem, fili carissime, gesta proculdubio sunt inclita, et opera laudabilia principis catholici et specialis filii sancte matris Ecclesie predilecti, que matrem ipsam reddunt non indigne de tali et tanto filio letabundam. Profecto, fili dilectissime, inter ceteros catholicos reges et principes orbis terre multum habes unde gratias Altissimo referas, qui te tot prevenit benedictionibus et donis ditavit mirificis, ex quibus apud eum crescis meritorum cumulis, et apud homines fama tui nominis et honoris celebrius per orbem diffunditur, et incrementis felicibus ampliatur. Nos itaque, qui tanquam spiritualis pater tibi super bonis tuis congratulamur in Domino, et ei, qui ea tibi de sue clementie pietate donavit, in humilitate spiritus labiorum vinculum exolventes, magnificentiam tuam regiam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus, predictam et alias gloriosas victorias, quas ipse Rex regum et dominus dominantium, qui solus est potens, et in cujus ditione cuncta sunt posita, de sua ineffabili clementia tibi dedit, non tue vel tuorum humane, sed potius sue divine potentie cum humilibus actionibus gratiarum ascribas, sibique servire promptius totis viribus non ommittas, operando jugiter que grata et accepta occulis sue majestatis fuerint, et que ipsum offenderent quomodolibet evitando, ut majora de manu sua merearis accipere, tandemque per ipsius misericordiam diebus tuis in longevum cum votivis et felicibus protractis successibus de regno temporali, quod obtines, ad gloriam transeas sempiterni. Porro nos, tunc auditis de victoria predicta rumoribus, referendo gratias Altissimo, processionem generalem in Romana curia cum clero et populo fieri fecimus, ac coram nobis et fratribus nostris, presente prelatorum et aliorum fidelium magna multitudine, divina officia, verbo Dei sollempniter proposito, celebrari, ac subsequenter villam de Algezira predictam in civitatem, que vocatur Insula viridis, ut prefertur, et ecclesiam majorem civitatis ejusdem venerando beate Marie semper Virginis genetricis dei et domini nostri Jhesu Christi vocabulo insignitam, in cathedralem, ut cultus divinus agatur ibidem perpetuis temporibus sollempnius, duximus, sicut a nobis pro parte tue celsitudinis petitum extitit, erigendas. Datum Avinione, XIIII kalendas augusti, anno tercio.

982 Villeneuve-les-Avignon, 20 juillet 1344.

Diacono cardinali Sanctæ Mariæ in Via Lata indulget ut archidiaconatus Pontivi in ecclesia Ambianensi, de Condresio in ecclesia Leodiensi, et Vallispirii in ecclesia Elnensi, quos obtinuit, per procuratores visitare procurationesque recipere possit. (Reg. 138, n^os CLVI-CLVIII, fol. 50 v°.)

Dilecto filio Nicolao, Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali. Dignum et rationi congruum arbitramur ut, quanto Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, honoras plenius tuorum magnitudine meritorum, tantum per eam attolli mereris favore gratie potioris. Dudum siquidem tuis supplicationibus inclinati, ut ecclesias, monasteria et alia loca ecclesiastica in archidiaconatu de Pontivo, in ecclesia Ambianensi, quem ex concessione ac dispensatione Sedis apostolice obtinere dinosceris, consistentia eorumque personas, in quibus tibi ratione ipsius archidiaconatus visitationis officium competit de consuetudine vel de jure, posses libere per aliquam seu aliquas personam seu personas ydoneas, quam vel quas ad hoc deputandam duceres vel etiam deputandas, usque ad certum tempus, quotiens tempus visitationis ingrueret, visitare, ac procurationes ratione visitationis hujusmodi tibi debitas, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, locis et personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere moderatas, non obstantibus constitutionibus a felicis recordationis Innocentio IIII et Gregorio X et quibuslibet aliis Romanis pontificibus, predecessoribus nostris, in contrarium editis, ac privilegiis et indulgentiis apostolicis quibuscumque, specialibus vel generalibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialem oporteret fieri mentionem, tibi per nostras litteras duximus, sicut in eis continetur plenius, indulgendum. Ut autem officium visitationis hujusmodi comodius et citius valeat adimpleri, nos, tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, quod per personam vel personas ipsas debet circa dictum officium visitationis fieri quomodolibet ommittendo, et ab eisdem ecclesiis, monasteriis locis et personis, taliter visitatis, procurationes tibi debitas j xta tenorem litterarum predictarum recipere, premissis et aliis quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, valeas, tibi de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas augusti, anno tercio.

Item alia similis *pro archidiaconatu de Condresio in ecclesia Leodiensi.*

Item alia similis *pro archidiaconatu Vallispirii in ecclesia Elnensi.*

983 Villeneuve-les-Avignon. 19 juillet 1344.

Eidem cardinali sic indulget ut archidiaconatum Belcie per procuratores visitet. (Reg. 138, n° CLIX, fol. 50 v°.)

Item alia similis *pro archidiaconatu Belcie in ecclesia Aurelianensi.* Dat. apud Villanovam Avinionensis diocesis, XIIII kalendas augusti, anno tercio.

984 Villeneuve-les-Avignon, 20 juillet 1344.

Nuntium in Anglia liberat qui Camerae 4.000 florenorum tradiderat. (Reg. 138, n° DLXIIII, fol. 157 r°.)

Dilecto filio Ramundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie Apostolice Sedis nuncio. Cum de pecuniis per te collectis in partibus Anglie cameram nostram tangentibus, facto cambio de quingentis quinquaginta libris sterlingorum argenti cum sociis seu factoribus dilecti filii Jacobi Malabayla, civis et mercatoris Astensis, cum florenis auri et computatis in hujusmodi cambio singulis florenis pro duobus solidis novem denariis sterlingorum, quatuor milia florenorum auri per manus dicti Jacobi eidem camere duxeris die data presentium assignandos, nos volentes tuis indempnitatibus super hiis paterna diligentia providere, cambium et assignationem hujusmodi rata habentes et grata, te ac omnia bona tua de dictis quatuor milibus florenis auri assignatis, ut prefertur, dicte camere, absolvimus et quittamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas augusti, anno tercio.

985 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1344.

Cum consules Narbonenses a rege Franciæ petivissent ut in jurisdictione partis cujusdem villæ Narbonensis, ad capitulum ecclesiæ Sancti Pauli pertinentis, sedes perpetua regii viguerii crearetur, regem Franciæ orat ne petitionem inconsiderate exaudiat, quia nulla nova jurisdictio sine consensu archiepiscopi et Aymerici vicecomitis Narbonensis institui debet. (Reg. 138, n° CLX, fol. 51.)

Carissimo in Christo filio, Philippo regi Francie illustri. Dudum nobis exposito quod dilecti filii consules Narbonenses apud Curiam regiam instabant nimium importune, ut in jurisdictione certe partis ville Narbonensis

ad dilectos filios capitulum ecclesie Sancti Pauli Narbonensis, ut asseritur, pertinentis super qua quidem parte sine cause cognitione, ut dicebatur, capta per gentes regias in parlamento regio Parisius lis pendebat, sedes perpetua vigerii regii crearetur, nos preces nostras celsitudini regie meminimus porrexisse ut, cum hujusmodi petitio dictorum consulum tam eidem Sancti Pauli quam Narbonensi ecclesiis injuriosa quamplurimum diceretur, nollet excellentia regia petitioni predicte prebere auditum exaudibilem, nisi auditis primitus partibus quas tangebat, et eorum rationibus intellectis; et licet tunc, ut intelleximus, auditis in eadem Curia partibus ipsis, prefatis consulibus data repulsa fuerit super jurisdictione predicta, nunc tamen per vias excogitatas alias petitionem eandem refricare nituntur. Cum autem pro parte venerabilis fratris Gasberti archiepiscopi Narbonensis, camerarii nostri, et dilecti filii, nobilis viri, Aymerici vicecomitis Narbonensis, firmiter asseratur, quod nedum in parte jurisdictionis predicte, ymo nec in aliqua alia civitatis et burgi Narbonensis potest absque ipsorum injuria seu ipsorum communi consensu constitui dicta sedes, presertim cum, ut dicunt, persone ipsius ecclesie Sancti Pauli nihil possint alienare de bonis ejusdem ecclesie sine licentia Narbonensis archiepiscopi, obnitente privilegio speciali, et alia omnia, que sunt in civitate ac burgo predictis, sint de jurisdictione vel feudo archiepiscopi supradicti, aut pro indiviso communia de jurisdictione archiepiscopi et vicecomitis predictorum, serenitatem regiam iteratis instantiis deprecamur, quatenus super refricatione petitionis ejusdem nolit audire predictos consules, nisi pars alia, quam tangit, ut premittitur, principaliter, plenarie similiter audiatur. Justiciam autem ecclesiarum predictarum et ut etiam super restitutione dicte jurisdictionis, quam petit dictum capitulum ecclesie Sancti Pauli, exhibeatur complementum celeris justicie, benignitati regie commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diœcesis, IX kalendas augusti, anno tercio.

986 Villeneuve-les-Avignon, 24 juillet 1344.

Normanniæ ducem, regis Franciæ locumtenentem in partibus occitanis, similiter deprecatur. (Reg. 138, n° CLXI, fol. 51.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni primogenito locumquetenenti carissimi in Christo filii nostri, Philippi regis, Francie illustris, duci Normannie. Dudum nobis exposito et cœtera, ut supra, usque preces nostras. Carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri, genitori tuo meminimus, et cœtera. usque ad illa verba: aut pro indiviso... nobilitatem tuam rogamus attente quatinus, si forsan coram te vel tua curia prenominati consules proponerent peticionem eandem, eos admitti non permittas quomodolibet, nisi vocatis partibus aliis, quas tangere negocium hujusmodi noscitur et plene racionibus earum auditis, habiturus nichilominus eosdem archiepiscopum et ecclesiam Narbonensem pro divina et nostra Sedisque apostolice reverentia in suis juribus favorabiliter commendatos. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IX kalendas augusti, anno tercio.

987 Villeneuve-les-Avignon, 25 juillet 1344.

Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani gratias agit quod patriarcham Constantinopolitanum, Sanctæ Sedis legatum, adversus Turcos adjuverit. (Reg. 138, n° CLXII, fol. 51 v°.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Placibiliter audivimus ea que, obediendo, favendo et assistendo venerabili fratri nostro Henrico patriarche Constantinopolitano in partibus transmarinis apostolice sedis legato, circa negotium defensionis fidelium partium earundem contra Turchorum infidelium sevitiam truculentam per nos dudum ordinatum et eidem patriarche commissum, fecisti viriliter et potenter; super quibus, nobis et Sedi Apostolice multum gratis, promptitudinem hujusmodi devotionis et assistentie multipliciter in Domino commendantes, sinceritatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus premissa continuare constanter et strenue, ut apud Deum perhennis mercedis majora consequaris premia et a nobis ac eadem sede amplioribus commendationis attollaris titulis, non postponas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno tertio.

988 Villeneuve-les-Avignon, 25 juillet 1344.

Patriarcham Constantinopolitanum laudat quod negotia in Romania adversus Turcos bene cesserant. (Reg. 138, n° CLXIII, fol. 71 v°.)

Eidem Patriarche. Fraternitatis tue litteras felicem

processum negotiorum defensionis fidelium Romanie aliarumque circumadjacentium partium contra Turcorum infidelium truculentam sevitiam, per nos dudum ordinatorum et commissorum tue prudentie, describentes, leta manu recepimus, et earum, quarum grata nobis extitit lectio, seriem intelleximus diligenter, exhibita tue solicitudinis operosa super predictis studia, que ad Dei laudem et gloriam et fidei exaltationem catholice predictorumque utilitatem fidelium, ut habet series ipsa, fructu non carent laudabili, multipliciter in Domino commendantes. Sane quia, sicut tua novit prudentia, solis perseverantibus est corona glorie repromissa, fraternitatem solicitamus et hortamur eandem quatenus circa circumspectam et strenuam prosecutionem negotiorum hujusmodi sic labores et solicitudines constantie magnanimitate continues, quod ex illis divina gratia suffragante de bono semper in melius hujusmodi prosperentur negotia et fidei ac fidelibus sperata crescant comoda et ejusdem fidei hostium confusio subsequatur tuque, preter perennis retributionem mercedis, merearis amplius commendari. Rescripturus nobis, quotiens oportunum fuerit, que circa negotia, utinam semper felicia ! conti(n)gerint et tibi occurrerint nunclanda. Porro illas absolutiones pro marinariis postulatas favorabiliter concessimus et aliis tuis petitionibus nobis exhibitis duximus benigne, quantum cum Deo fieri potuit, annuendum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno tertio.

989 Villeneuve-les-Avignon, 25 juillet 1344.

Principi Achayæ mandat ut Bertrando de Baucio certam terram, quam dictus Bertrandus possidebat in principatu Achayæ et qua spoliatus erat, sine mora restituere velit. (Reg. 138, n° CLXIIII, fol. 52 r°.)

Dilecto filio nobili viro Roberto principi Achaye. Pro parte dilecti filii —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno tercio.

990 Villeneuve-les-Avignon, 25 juillet 1344.

Regem atque reginam Siciliæ rogat ut apud principem Achayæ super dicto negotio partes interponant. (Reg. 138, n°s CLXV et CLXVI, fol. 52 r°.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Pro parte dilecti filii —. Datum ut supra.

Item in eodem modo *carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.*

991 Villeneuve-les-Avignon, 25 juillet 1344.

Cardinali legato similiter scribit. (Reg. 138, n° CLXVIII, fol. 52 r°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Super eo quod —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII kalendas augusti, anno tercio.

992 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Regem Aragonum, comites Ripacursie et Urgellensem rogat ut episcopus Elnensis bona sua propter rerum turbationem jamdiu occupata recuperet. (Reg. 138, n°s CLXVIII à CLXX, fol. 52 r°.)

Carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri. Non sine compassionis affectu sepius audivimus oppressiones et dispendia multa, que venerabilis frater noster Petrus, episcopus et ecclesia Elnensis eorumque subditi tam in Elnensi civitate quam aliis suis castris et locis propter turbationem status illarum partium occupatis, et pro parte destructis, ut asseritur, hiis temporibus preteritis, sunt perpessi. Cum autem sub tuo, fili carissime, favore regio quiescere in pacis et justitie pulcritudine ac prosperari confidant, excellentiam regiam rogamus attentius in Domino et hortamur quatenus civitatem, castra et loca hujusmodi ad eosdem episcopum et ecclesiam spectantia que occupata, ut premittitur, tenebantur cum aliis bonis et juribus suis, eis libere restitui faciat ac ipsos et eorum subditos indebite gravari vel opprimi non permittat de cetero regia celsitudo, sed potius tam ipsos quam alias ecclesias et personas ecclesiasticas partium earundem in suis juribus et libertatibus oportunis gratiis et favoribus pro divina et apostolice Sedis reverentia prosequatur, ita quod apud Deum exinde perennis mercedis acquirat premium ac a nobis et sede predicta digne laudis et commendationis titulis attollatur. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti, anno tertio.

Dilecto filio, nobili viro, Petro nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Ripacurcie. Attentis non sine compassionis affectu. — Dat. ut supra.

Item in eodem modo *dilecto filio, nobili viro, Jacobo nato clare memorie Alfonsi regis Aragonum, comiti Urgellensi*, mutato, ubi dicitur nepoti, dicatur germano. Datum ut supra.

993 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Cum Petrus de Monterevello, judex major et locumtenens senescalli Tholosani quosdam clericos Tholosanæ diœcesis, videlicet Matheum de Mauriaco et Berengarium de Naversen, falsos monetarios judicare præsumpsisset, ducem Normanniæ rogat ne jura archiepiscopi Tholosani lædantur. (Reg. 138, n° CLXXI, fol. 52 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni primogenito locumquetenenti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Pro parte venerabilis fratris nostri Guillelmi, archiepiscopi Tholosani nuper fuit expositum coram nobis quod, licet Matheus de Mauriaco et Berengarius de Naversen, Tholosane diœcesis, ac quondam Petrus de Posanis, Tholosani clerici, qui pro usu, portatione ac expositione falsarum et reprobatarum monetarum, aliisque criminibus per eos, ut asserebatur, commissis, dudum detinebantur Tholose carceribus regiis mancipati, tanquam clerici et existentes notorie in habitu clericali, fuerint curie dicti archiepiscopi corrigendi et puniendi pro suis demeritis restituti, tamen dilectus filius Petrus de Monterevello, judex major et locumtenens dilecti filii nobilis viri... senescalli Tholosani, non advertens prudenter quod in personis et bonis clericorum, civiliter vel criminaliter delatorum, nulla sibi erat attributa potestas, sed ponens potius in messem alienam minus rationabiliter falcem suam, post restitutionem predictam pronunciasse seu ordinasse de facto dicitur bona dictorum clericorum debere ratione dictorum criminum in manu regia remanere, quousque de illis essent certe non modice summe pecunie solute thesaurarie regie Tholosane, quodque prefatus judex, qui super anullanda pronunciatione hujusmodi facta seu presumpta per eum, ad quem nulla jurisdictio super hiis competebat, mandatum dicitur recepisse regium, et pridem etiam in vestra presentia constitutus, se temperaturum, prout jura volunt, super predictis spopondit, nihil exinde facere penitus procuravit. Cum autem ex hiis, juris et rationis equitati, si veritas suffragetur relatibus, utique obviis, si remanerent irreparata, quod absit, cum jura non patiantur talia, nec, sicut a fidedignis audivimus, consueverint in illis partibus hactenus attemptari, divina magestas offenderetur graviter, et libertas ecclesiastica turpiter lederetur, nobilitatem tuam rogamus, et in Domino attentius exhortamur, quatenus tam circa revocationem seu reparationem dicte pronunciationis, quam alia que contra justiciam et ecclesiasticam libertatem reperientur super hiis attemptata, sic pie ac juste tue benignitatis circumspectio faciat, quod equum et justum fuerit ordinari, quod propter hoc acquiras tibi divinam propitiationem uberius, et eadem libertas illesa remaneat et persistat, habiturus nichilominus prefatum archiepiscopum et suam ecclesiam Tholosanam, quos favore prosequimur speciali, in eorum juribus et libertatibus, pro divina et apostolice Sedis reverentia, favorabiliter commendatos. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diœcesis, VII kalendas augusti, anno tertio.

994 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Johannem episcopum Belvacensem, qui per Stephanum tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbiterum cardinalem certior factus erat, similiter deprecatur. (Reg. 138, n° CLXXII, fol. 53.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi. Super certis revocandis gravaminibus per gentes et officiales regios senescallie Tholosane in prejudicium non modicum et derogationem libertatis ecclesiastice illatis, ut asseritur, venerabili fratri nostro Guillelmo archiepiscopo et ecclesie Tholosanis, de quibus dilectus filius noster Stephanus, tituli Sanctorum Johannis et Pauli, presbiter cardinalis expressam tibi fecisse dicitur mentionem, dilecto filio nobili viro Johanni primogenito, locumquetenenti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie, scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa ; ideoque fraternitatem tuam rogamus attente quatinus super hiis curet tua prudencia efficaciter interponere, sicut expedierit, partes suas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diœcesis, VII kalendas augusti, anno tercio.

995 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Cum, intervenientibus Johanne episcopo Belvacensi, Guillelmo Flote de Revello, cancellario Franciæ et Johanne de Nigella, domino de Aufumonte, qui Avinione tunc erant, abbates monasteriorum Fiscanensis et Sancti Medardi Suessionensis, O. S. B., composuissent, infrascriptis mandat ut dictam compositionem exsequantur. (Reg. 138, nº CLXXIII, fol. 53 vº.)

Dilectis filiis... Sancte Catherine juxta Rothomagum et... Sancti Martini juxta Pontisaram monasteriorum, abbatibus ac... decano ecclesie Belnensis, Rothomagensis diocesis. Dudum bona mobilia quecumque ac debita et credita, que dilectus filius Nicolaus abbas monasterii Fiscanensis, ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diœcesis, habebat, seu quomodolibet ad eum pertinebant, ratione abbatie monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ejusdem ordinis, tempore quo ipsum ab eodem monasterio Sancti Medardi ad prefatum monasterium Fiscanense duximus transferendum, ne alienari, distrahi, et asportari, vel inutiliter consumi valerent, volentes fideliter conservari, tibi, fili decane, per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut per te vel alium seu alios bona, debita et credita hujusmodi, quecumque forent, et per quascumque detinerentur vel deberentur personas, petere, colligere, recipere, ac conservare curares, quousque a nobis reciperes super hoc in mandatis; te tamen voluimus attentius provisurum, quod dilectis filiis conventui prelibati monasterii Sancti Medardi de bonis predictis illa fierent et ministrarentur, que per abbatem ipsius monasterii usque ad novos fructus fieri et ministrari debebant, ita quod per conservationem hujusmodi prefatum monasterium Sancti Medardi nullum detrimentum penitus pateretur, sicut in eisdem litteris nostris plenius continetur. Postmodum autem inter eundem Fiscanensem ex parte una et dilectum filium Thomam ejusdem Sancti Medardi ex altera, tam super bonis quam debitis, per prefatum Nicolaum abbatem, tempore quo abbatiali regimini ejusdem monasterii Sancti Medardi presidebat, contractis, mota materia questionis, tandem mediantibus venerabile fratre nostro Johanne episcopo Belvacensi, et dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo Flote, cancellario Francie, de Revello, et Johanne de Nigella de Aufomonte, dominis, in Romana Curia presentibus et de mandato nostro verbotenus eis facto tractantibus, hujusmodi questio de consensu Fiscanensis et procuratorum Sancti Medardi monasterii abbatum predictorum, modo qui sequitur extitit terminata : videlicet quod memoratus abbas Fiscanensis, per se vel alium seu alios, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, jura, nomina, credita et emolumenta que ad abbatiam monasterii Sancti Medardi predicti spectantia per eum tempore et per totum tempus quo abbatie predicte prefuit, usque ad diem translationis sue ad supradictum monasterium Fiscanense percepta non fuerint et reperientur extare vel rationabiliter extare debere, habeat, levet, et percipiat ; et exinde omnes expensas rationabiles conventus ejusdem monasterii Sancti Medardi usque ad diem translationis predicte, necnon et omnia et singula debita tam in Romana Curia, quam alibi pro tempore sui regiminis abbatie monasterii prelibati Sancti Medardi, quacumque occassione vel causa, usque ad diem translationis predicte contracta solvere teneatur, excepto quod dictus Thomas abbas Sancti Medardi, qui tum est, teneatur solvere dilecto filio nobili viro Guillelmo de Juvigne, domicello Suessionensi, summam mille septuaginta florenorum auri de Florentia solutam, ut asseritur, certis creditoribus sepefati monasterii Sancti Medardi pro quibusdam antiquis debitis contractis, antequam dictus Nicolaus abbas promoveretur ad abbatiale regimen monasterii Sancti Medardi predicti, sicut in litteris episcopi et nobilium predictorum inde confectis plenius dicitur contineri. Volentes igitur premissa, que de consensu predictarum partium, ut premittitur, sic fuerint ordinata, compleri et etiam observari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus per te, decane predicte, vel gerentem super vices tuas, de bonis, debitis et creditis predictis, amota manu vestra, vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, fructus, redditus et proventus, jura, nomina, credita, et emolumenta predicta, per eos qui ad solutionem vel restitutionem illorum tenentur, faciatis eidem Nicolao abbati vel ejus certo procuratori tradi, persolvi, restitui integraliter ac etiam assignari juxta tenorem et continentiam ordinationis predicte, ipsamque ordinationem super hiis et aliis observari ab eisdem partibus, prout ipsarum quamlibet tangere dinoscitur et compleri. Contradictores. Non obstante etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti, anno tercio.

996 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Infrascripto, qui Sedi Apostolicæ famulatur, privilegium de

fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, nos MCXVII-MCXVIII, fol. 298.).

Dilecto filio Bernardo de Scossaco, canonico Redonensi, familiari nostro. Ex tue devotionis —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti, anno tercio.

Judicibus venerabilibus fratribus... Carnotensi et Forojuliensi episcopis ac dilecto filio... abbati monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim, Aurelianensis diocesis.

997 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Archiepiscopo Auxitano monasteria per procuratorem visitandi atque procurationes recipiendi potestatem dat. (Reg. 138, n° MCXLV, fol. 304.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Auxitano. Sincera fraternitatis tue. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti, anno tercio.

998 Villeneuve-les-Avignon, 26 juillet 1344.

Cum inter eum et Pisanos, mediante archiepiscopo Januensi, pax componatur, eum rogat ut armigeras gentes suas auferat. (Reg. 138, nos CLXXIV-CLXXVIII, fol. 54.)

Dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus, civitatis, comitatus et districtus Mediolanensis nostro et ecclesie Romane vicario. Intelleximus noviter quod —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas augusti.

Archiepiscopo Mediolanensi, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi, nostro et Ecclesie Romane vicario ; — Mastino et Alberto de Lascala, nostris et Ecclesie Romane fidelibus et devotis ; — Opizoni, marchioni Estensi ; — Tadeo de Pepulis, jurium fiscalium ad nos et Ecclesiam Romanam spectantium in civitate, comitatu et districtu Bononiensi, administrationem gerenti.

999 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Ei mandat ut excessus prælatorum in Tuscia corrigat. (Reg. 138, n° LXXII, fol. 21.)

Dilecto filio Bernardo, electo Viterbiensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia. Intelleximus quod ex —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas augusti, anno tercio.

1000 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Cum nonnulli civitatem Maceratensem invadere ausi essent, rectorem approbat qui rem totam præcaverat. (Reg. 138, n° CLXXIX, fol. 55.)

Dilecto filio Johanni de Riparia, priori domorum Urbis et Pisarum, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Marchie Anconitane rectori. Sicut nuper expositum —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas augusti, anno tercio.

1001 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Cum Franciscus Accurrumbone et Thomas Jacobi Tucusmundi de Tolentino, laïci Camerinensis diœcesis, terram Tholentinam invadere conjuravissent, sicut Andreas de Bononia, judex in Marchia Ancomitana id nuntiaverat, ut dicta terra, Sedi Sanctæ subjecta, tyranno Bernardo Accurrumbone traderetur, quæ gesserit rector, approbat. (Reg. 138, n° CLXXX, fol. 55 v°.)

Eidem rectori — Sicut nuper expositum. — Datum ut supra.

1002 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Cum Gerardus de Sancto Miniate, vicarius in spiritualibus Marchiæ Anconitanæ idem nuntiavisset, scilicet supradictos et Benedictum Bonialbergatoris terram Tholentinam invadere velle, ea quæ gesserit, approbat. (Reg. 138, n° CLXXXI, fol. 55 v°.)

Eidem rectori. Sicut nuper expositum. — Datum ut supra.

1003 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Nuncios infrascriptæ civitatis remittit. (Reg. 138, n° CLXXXII, fol. 55 v°.)

Dilectis filiis communi et populo civitatis Maceratensis nostris et Ecclesie Romane fidelibus et devotis. Super petitis a vobis —. Datum ut suprà.

1004 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Eum rogat ut petitiones communium Maceratensis et Tholentinæ, inquisitione facta, exaudiat. (Reg. 138, nos CLXXXIII et CLXXXIV, fol. 56.)

Dilecto filio Johanni de Riparia, rectori Marchie Anconitane. Dilecti filii commune. — Datum ut supra.

1005 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Eos hortatur ut in fide erga Sanctam Sedem perseverent. (Reg. 138, nos CLXXXV-XXXVIII, fol. 56.)

Dilectis filiis communi et populo civitatis Maceratensis, nostris et ecclesie Romane fidelibus. Habet fide dignorum assertio —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas augusti, anno tercio.

Communi et populo terre Tholentine ; terre Sancti Genesii ; — dilectis filiis universis communitatibus, universitatibus et populis civitatum, castrorum et aliorum locorum Marchie Anconitane in nostra et ecclesie Romane fidelitate, devotione et obedientia persistentibus.

1006 Villeneuve-les-Avignon, 27 juillet 1344.

Approbat ea quæ facta fuerunt contra Polonum de Auximo, Gentilem de Camerino et Sineducium de Sancto Severino atque illos de Matelica et de Stafulo et eum laudat quod Marchiæ Anconitanæ statum composuerit. (Reg. 138, no CLXXXIX, fol. 57.)

Eidem rectori. Litteras tuas ea —. Datum ut supra.

1007 Villeneuve-les-Avignon, 31 juillet 1344.

Cum reginæ Siciliæ intentio per nuntium Ludovicum de Duratio haud lucide appararuerit, Hugonem de Baucio, comitem Avellini et senescallum Provinciæ ad reginam mittit, quo melius dubitationes omnes tollantur. (Reg. 138, no CLXXXX, fol. 57 ro.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Super diversis tuis, filia carissima, negotiis diversi ambassiatores et nuncii per te fuerunt hactenus, et etiam hiis diebus preteritis, cum diversis litteris ad nostram presentiam destinati, qui diversa et quandoque contraria pro parte tue celsitudinis proponere ac petere curaverunt ; et quia propter diversitates et contrarietates hujusmodi nobis de tua recta et principali super hiis intentione liquere nequivit, placuit nobis quod dilectus filius, nobilis vir, Hugo de Baucio, comes Avellini, senescallus tuus Provincie ad tue serenitatis accedens presentiam et ad nos inde rediens, de tua intentione hujusmodi collocutione familiari et secreta per te certitudinaliter informatus, nos efficere valeat sublata dubitatione qualibet certiores, cum nostre intentionis existat et extiterit quod nos, quantum cum Deo ac honore nostro et Ecclesie Romane fieri poterit, super predictis juxta rectam intentionem tuam benignos et propitios gaudeas reperisse. Interim autem nobis placuit, quod dilectus filius, nobilis vir, Ludovicus de Duratio et alii ambassiatores tui huc remaneant quousque senescallus redierit antedictus. Tu vero, filia dilectissima, sic discrete, mature ac provide ad certum finem stabilem te firmando, petitiones tuas studeas ordinare quod per nos possint et debeant honestate servata debita, sicut desiderabiliter appetimus, ad effectum exauditionis admitti. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas augusti, anno tertio.

1008 Villeneuve-les-Avignon, 31 juillet 1344.

Rectori Campaniæ Maritimæ mandat ne Guillelmo Roqueti, domicello Ruthenensis diœcesis damnum ferat. (Reg. 138, no CLXXXXII, fol. 58 ro.)

Dilecto filio Napoleoni de Tibertis, priori domus Venetiarum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Campanie Maritimeque rectori. Intellectis que presentate nobis nuper tue discretionis littere continebant, licet illos horrendos excessus, de quibus in ipsis litteris fiebat mentio, et quoslibet alios detestemur, volumus tamen ex causa, ut contra personam Guillelmi Roqueti, domicelli Ruthenensis diocesis, pro quodam exercendo in provinciis Campanie Maritimeque, quarum rector existis, officio, cum nostris litteris pridem missi, nichil attemptes penitus aliud, eo tamen custodito solerter, nec permittas quomodolibet attemptari, quousque aliud a nobis receperis super hoc in mandatis. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas augusti, anno tercio.

1009 Villeneuve-les-Avignon, 31 juillet 1344.

Eum liberat qui partem summæ 10.000 florenorum quolibet anno in festivitatibus Natalis et Sancti Petri et Pauli Cameræ Apostolicæ debitæ numeraverat. (Reg. 138, n° CLXXXXI, fol. 57 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Opizoni marchioni Estensi, in civitate Ferrariensi ejusque comitatu et districtu nostro et ecclesie Romane vicario. Sicut tue nobilitatis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas augusti, anno tercio.

1010-1011 Villeneuve-les-Avignon, 1er août 1344.

Regi, reginæ atque legato Siciliæ scribit se optare ut Johannes Minarbini, comes Palatinus et fratres ejus e carcere liberentur. (Reg. 138, nos CLXXXXIII à CLXXXXV, fol. 58 r°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Dudum pro liberatione —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis augusti, anno tercio.

Andree regi Sicilie illustri.

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, A. S. legato.

1012 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1344.

Cum David, archiepiscopus Armachanus, semel tribus annis Sedem visitare et 500 marcos solvere cogatur, visitationis terminus prorogatur. (Reg. 138, n° CLXXXXVI, fol. 58 v°.)

Dilecto filio Ramundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie Apostolice Sedis nuncio. Nuper venerabilis frater. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno tercio.

1013 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1344.

Cum Humbertus dalphinus Viennensis, dalphinatum et comitatum Viennensem, ducatum de Chaonsorio, principatum Briantonesii, marquesiatum Sezane, comitatus Alboriensem, Ebredunensem, Grisvaldani et Gapentesii, baronias de Turris Vallisbone, de Fonsigneyo, de Muolhon et de Montisalbani Johanni duci Normanniæ cessisset, hanc cessionem ratam habet. (Reg. 138, n° CCXVI, fol. 65.)

Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra, commodis filiorum libenter intendens, ea que pro illorum statu confovendo pacifico et tranquillo recte ordinatur et juste, ut illibata consistant, consuevit interdum, prout in deo conspicit expedire, munimine confirmationis et approbationis fulcire. Sane dudum carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris et dilecti filii nobilis viri Humberti, Dalphini Viennensis, petitio nobis exhibita continebat, quod idem Dalphinus diligenter considerans et advertens, (quod), sicut placuit dispensationi et voluntati divine, cui nemo potest resistere, nec valet quisquam profunditate alti consilii perscrutari, se prole carere legitima, per quam in terris et dominiis suis successivam, post ejusdem Dalphini decessum, cultus justicie, pacis bonum et concordie unitas possent in eisdem terris et dominiis observari, et formidans merito quod nisi divine pietatis clementia, que nunquam cessat a benedictionibus gratiarum, sibi de sobole legitima descendente corpore provideret, vel aliter ordinaretur interim salubriter et provide, terre, vassalli et subditi sui post decessum ejusdem, ad divisiones ac turbationes perniciosas et periculosas illi patrie mininum devenirent, profundis meditationibus cogitavit, quibus viis et modis utilius et salubrius valeret, prout humane rationis intellectus capere sufficit, hujusmodi periculis et scandalis obviari, et demum confidens quod gratia divina, sine qua nichil potest humana fragilitas, mediante, sub favore ac protectione ipsius regis ac liberorum et successorum suorum, terre, vassalli et subditi predicti, ab eisdem adversitatibus et periculis utilius preservari, ac sustentari, manuteneri et gubernari poterunt sub cultu justicie, tranquillitatis et pacis, et attendens nichilominus nexus sanguinis et affinitatis, qui ex diversis proximis lineis inter regem ejusque liberos et Dalphinum predictos vigere invicem dinoscuntur, prefatus Dalphinus de consilio et consensu multorum prelatorum, baronum, nobilium et aliorum sapientum virorum, fidelium et subditorum suorum deliberationeque diligenti provida et matura cum ipsis et aliis multis fidelibus suis prehabita et premissa, pro evidenti et communi utilitate terre, vassallorum et subditorum suorum ex sua certa scientia libero proposito previsus, certioratus et sufficienter instructus, non inductus per aliquem, vel aliquos fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi, coactione, vel metu, sed de sua mera, libera et spontanea voluntate, sub certis pactis, conventionibus, conditioni-

bus, formis et modis infrascriptis, dedit, cessit, et transtulit hereditario jure ad perpetuitatem, tam in possessione quam proprietate, dilecto filio nobili viro Philippo nato regis predicti, et in casu quo donatio in eodem Philippo compleri propter mortem vel aliud impedimentum legitimum, quod avertat dominus, non valeret, alteri de filiis dilecti filii nobilis viri Johannis memorati regis primogeniti Ducis Normannie, vel successorum suorum regum Francie, quem idem rex vel dux prefatus aut successor eorum rex Francie duxerit eligendum, donatione irrevocabili facta solemniter inter vivos, Dalphinatum Viennensem, Ducatum de Chaonsorio, Principatum Briantonesii, Marquesiatum Sozane, ac Viennensem, Albiorensem, Grisvaldani, Ebredunensem et Gapentesii comitatus necnon de Turre Vallisbone, de Fonsigneyo, de Muolhon, et Montis albani baronias, et generaliter ac specialiter omnes et singulas terras, comitatus et baronias, quos ipse vel alius pro eo tenebat aut tenere debebat, et ad eum poterant et debebant tunc temporis quomodolibet pertinere, cum omnibus juribus, justiciis et donationibus, feudis, nobilitatibus, honoribus, dignitatibus, preminentiis prerogativis, mero et mixto imperio, et universis suis appendiciis et pertinentiis quibuscumque, si, et in casu quo idem Dalphinus decederet sine herede vel heredibus masculinis vel femininis ex legitimo matrimonio de suo corpore procreatis, et si heredem vel heredes haberet, et casu quo heres vel heredes ipsi decederent sine herede vel heredibus de suo corpore, ac legitimo matrimonio, ut de predicto Dalphino dictum est superius descendentibus, ab hujusmodi tamen donatione terris suis, quas habet in Apulia et Alvernia, necnon et duobus milibus librarum Turonensium parvorum annui redditus, quas percipiebat in Thesauro Parisius dicti regis, exceptis et salvis etiam sibique reservatis decem milibus librarum annui et perpetui redditus quas retinuit in Dalphinatu et terris ac locis Dalphinatus eiusdem, recipiendis et assidendis pro facienda sua voluntante de illis, feudo tamen et superioritate in terris assidendis huiusmodi ei qui Dalphinus fuerit remanentibus et reservatis expresse; et acto nihilominus, quod si quoddam excambium, quod de villa de Romanis, Viennensis diœcesis, prolocutum fuisse dicitur, sortiatur effectum, prefatus Dalphinus posset pro eodem excambio et ex causa illius tradere castra de Avisano, de Niono, et de Mirabello, ac feuda de Vinsobriis, de Podio Hugonis, de Sancto Marcellino, de Sancto Mauricio, et de Ruppeacuta, eadem villa de Romanis eo casu Dalphinatui remanente predicto. In casu vero quo dictum excambium non consequeretur effectum, castra et feuda supradicta eidem Dalphino remaneant pro tanto, quantum valere possunt de redditu annuo, in deductionem et attenuationem dictarum decem milium librarum annui redditus sibi retentarum et reservatarum in Dalphinatu, sicut superius est expressum, absque eo quod ille, qui erit Dalphinus, nequaquam possit ibidem pro tempore jus feudale aliquod reclamare, prout in quibusdam litteris patentibus eorumdem Regis et Dalphini sigillis, ut prima facie apparebat, munitis, scriptis in gallico, coram nobis exhibitis, ac seriose de verbo ad verbum perlectis, premissa et alia quedam plenius continentur. Postmodum autem prefati rex et Dalphinus, certis rationabilibus causis ad hoc ipsos inducentibus, attendentes hujusmodi donationem, translationem et cessionem factas per eundem Dalphinum de predictis Dalphinatu, ducatu, principatu, marquesiatu, comitatibus, baroniis, terris, dominiis et aliis supradictis memorato Philippo nato regis prefati, sicut superius ennarratur, cedere principaliter melius et utilius in personam dicti Johannis primogeniti dicti regis, deliberatione super hiis habita, provida et matura, supradictus Dalphinus ex sua certa scientia liberoque proposito certificatus et previsus, certioratus, et sufficienter instructus de jure ac facto suo, sicut superius est expressum, de voluntate ac beneplacito dicti regis eandem donationem, translationem et cessionem, quas fecerat dicto Philippo nato regis ejusdem, in dictum Johannem transtulit, et illas eidem Johanni primogenito ipsius regis duci Normannie de Dalphinatu, ducatu, principatu, marquesiatu, comitatibus, baroniis, terris, dominiis, juribus jurisdictionibus ac omnibus et singulis supradictis solemniter fecit, sub modis, formis, conventionibus, pactis et condictionibus suprascriptis, illa conditione dumtaxat excepta que de matrimonio contrahendo inter dictum Philippum et filiam dicti Dalphini legitimam et naturalem, si deus eam forsitan pro tempore sibi daret, que in dicto Johanne primogenito locum habere non potest, cum sit in conjugio constitutus, intendentes tam memoratus rex quam prefati Johannes primogenitus et Humbertus Dalphinus Viennensis quod, quicquid juris tam in proprietate quam possessione quoquomodo ex prima donatione, translatione, ac cessione hujusmodi acquisitum erat, vel esse poterat prefato Philippo in prefati regis primogenitum dicti regis, eo ipso sit totaliter et intelligatur

translatum, sicut in litteris patentibus prefatorum Johannis ducis, et Dalphini nobis extitit humiliter supplicatum, ut donationem, cessionem, concessionem, translationem, translatas in eundem ducem et factas, ac omnia et singula supradicta, prout narrata sunt superius, et eorum effectum, tam apostolica, quam imperiali, cum Imperii Romani regimen, eo vacante sicut nunc vacat, in nobis et eadem Romana Ecclesia residere noscatur, auctoritate laudare, aprobare, et ex certa scientia confirmare, necnon defectus quoscumque, qui quomodolibet intervenissent in premissis, vel ea tangentibus supplere, de potestatis plenitudine, ut hec omnia robur perpetue firmitatis obtineant, dignaremur. Nos autem sperantes ex premissis toti patrie illi pacis et tranquillitatis aliaque innumera spiritualia et temporalia commoda proventura, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, donationem, cessionem, concessionem, translationem per eundem Dalphinum factas dicto Johanni primogenito duci Normannie, sicut exprimitur superius, et alia omnia et singula supradicta, prout narrata sunt, et in predictis litteris describuntur, rata et grata habentes, ea tam apostolica quam imperiali auctoritate predicta, laudamus, aprobamus et ex certa scientia confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus de gratia speciali, supplentes nichilominus utraque auctoritate predicta, quoscumque defectus, qui ratione solemnitatis ommisse, vel alio quovis modo intervenissent in predictis donatione, cessione, translatione vel contractu predicto inito super eis de plenitudine potestatis, ac insuper decernentes hujusmodi laudationem, approbationem, confirmationem, et omnia et singula contenta in presentibus perinde valere, ac perpetuam et inviolabilem obtinere roboris firmitatem, ac si predicte littere super eisdem donatione, cessione et translatione, ut fertur, confecte, ipsarumque series de verbo ad verbum essent in presentibus denotate. Non obstantibus juribus, consuetudinibus, privilegiis, constitutionibus, provisionibus, prohibitionibus, seu ordinationibus apostolicis vel imperialibus quibuscumque et quorumcumque tenorum existant, quibus donatio, cessio, translatio hujusmodi vel effectus earum posset quomodolibet enervari, aut juribus vacuari, seu nostre aprobationi et confirmationi hujusmodi, quominus stabilis, solida et efficax perpetuis temporibus permaneat, obviari. Juribus tamen nobis et ecclesie Romane in castro predicto de Avisano, quod ad nos et ipsam Romanam ecclesiam pleno jure devenisse noscitur, et quibuscumque locis aliis ad nos et eandem ecclesiam quoquomodo spectantibus vel spectare debentibus, necnon et ad Viennensem et Ebredunensem, Grationopolitanam et quasvis alias ecclesias in quibuscumque seu quarumcumque pertinentibus, et aliorum quorumlibet, quibus per premissa vel eorum aliqua prejudicare vel eis derogare in aliquo non intendimus, semper salvis. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno tercio.

1014 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXVIIII, fol. 316 v°.)

Item in eodem modo *dilecto filio Geraldo Fornerii, canonico Tornacensi, familiari nostro.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno tercio.

1015 Villeneuve-les-Avignon, 3 août 1344.

Infrascripto licentiam testandi concedit. (Reg. 138, n° MCLXVI, fol. 311 r°.)

Dilecto filio Geraldo Fornerii, canonico Tornacensi, familiari nostro. Quia presentis vite —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas augusti, anno tercio.

1016 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1344.

Florentinos rogat ut pro sedanda discordia inter eos et Galterum ducem Athenarum nuncios ad instans festum Beati Luccæ Avinionem mittere velint. (Reg. 138, n° CLXXXXVII, fol. 59.)

Dilectis filiis prioribus artium, vexillifero justicie, populo et comuni civitatis Florentine. Quamvis ubique inter —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno tercio.

1017 Villeneuve-les-Avignon, 5 août 1344.

Guidonem de Cassanhis, militem Lemovicensis diœcesis, rogat ut quinque libros juris, qui fuerunt Petri de Capella, episcopi Penestrini, sine mora Avinionem transmittat. (Reg. 138, n° CLXXXXVIII, fol. 59 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Guidoni de Cassanhis, militi, Lemovicensis diocesis. Volentes de quinque libris juris civilis, videlicet parvo volumine, Codice, Digesto veteri, Inforciato et Digesto novo, quos de bonis bone memorie Petri de Capella, episcopi Penestrini, penes te habere nosceris, prout nobis expedire videbitur, ordinare, nobilitatem tuam requirimus, tibi nichilominus injungentes quatinus dictos libros nobis mittere absque cunctatione morosa procures. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis augusti, anno tercio.

1018 Villeneuve-les-Avignon, 6 août 1344.

Infrascriptum rogat ut castrum Ameliæ Jordano de Columpna, episcopo Lunensi, restituat. (Reg. 138, nº XLII, fol. 11.)

Dilecto filio, nobili viro, Balduino quondam Jacobi de Vetzano. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII idus augusti, anno tercio.

1019 Villeneuve-les-Avignon, 7 août 1344.

Eis mandat ut lucrum illicitum factum per quosdam Venetos in partibus Sarracenorum exigant et ad subsidium Terræ Sanctæ convertant, ut de receptis per eos litteras quittatorias dare possint, ut denique nonnulla legata Venetiis facta ad usum pauperum colligant. (Reg. 138, nºs CLXXXXIX-CCI, fol. 59 vº.)

Venerabili fratri episcopo Castellanensi et dilecto filio abbati monasterii Sancti Georgii Majoris Venetiarum, Castellane diocesis ac Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in ecclesia Bituricensi. Illius qui non justos —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII idus augusti, anno tercio.

1020 Villeneuve-les-Avignon, 9 août 1344.

Eos liberat qui annuum censum 10000 florenorum Cameræ solverant. (Reg. 138, nº CCII, fol. 61.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et dilecto filio Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, Placentine et Laudensis civitatum, necnon Creme, Caranacii, Martinengi ac Castribuccadue castrorum eorumque comitatuum et dictrictuum, Mediolanensis, Pergamene et Cremonensis diocesis, nostris et ecclesie Romane vicariis. Exhibita coram nobis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus augusti, anno tercio.

1021 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1344.

Episcopo Parisiensi mandat ut in Henricum de Bellomonte, alias dictum de Malestricto, canonicum Venetensem et capellanum, reum et Parisius captivum inquirere velit. (Reg. 138, nº CCIII, fol. 61.)

Venerabili fratri... episcopo Parisiensi. Nuper tam litterali carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris insinuatione quam fama, seu potius infamia publica referente percepimus quod Henricus de Bellomonte, alias dictus de Malestricto, canonicus Venetensis, capellanus noster, quem dudum idem rex, credens sibi esse debere fidelem, ad sue familiaritatis vocando consilium non modicum honorarat, pridem instigante diabolo, fide, qua eidem regi tenebatur astrictus, in perfidiam execrandis et temerariis ausibus commutata, contra honorem prefati regis et regni sui, multa facinorosa scelera, non sine proditionis detestande vicio, machinatus, sicut fertur, extitit, et quantum in eo fuit, ea que sic machinatus extiterat, in executionem plectibilis, et dampnandi operis producere procuravit. Idem namque Henricus inter cetera sue iniquitatis et nequitie studia hujusmodi tractare nequiter, ut asseritur, non expavit, quod ruptis et violatis treugis pacis representantibus ymaginem, que dudum, tractantibus et procurantibus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrino et Annibaldo Tusculano, episcopis, tunc apostolice Sedis nunciis, inter eundem regem et carissimum in Christo filium nostrum Edvardum regem Anglie illustrem inite fuerant invicem, non solum terra Britannie, de qua dictus Henricus traxisse dicitur originem, sed etiam regna Francie et Anglie commoverentur ad guerras, dissentiones et strages, alia diversa crimina et delicta, in anime sue periculum, et multorum scandalum, que brevi nequirent explicari sermone, nequiter et enormiter committendo. Cum autem talia, que in perniciem multorum et rei detrimentum publice redundare, si veritas suffragetur relatibus, dinoscuntur, non possimus nec debeamus, absque correctione debita sub dissimulationis pertransire neglectu, fraternitati tue, de quo fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et manda-

mus, quatenus per te vel alium seu alios, super predictis et ea quomodolibet tangentibus, ac aliis pro parte dicti regis, vel quorumlibet aliorum, de quibus tibi videbitur coram te proponendis, tam cum eodem Henrico qui, captus in partibus predictis Britannie, deinde fuisse dicitur ad civitatem Parisiensem adductus, quam alias secundum canonicas sanxiones, non obstante quod predictus Henricus capellanus noster existat, fideli adhibita diligentia, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii veritatem inquirens, exhibere in hac parte auctoritate nostra studeas justicie complementum. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus augusti, anno tercio.

1022 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1344.

Regem Franciæ monet ne contra Henricum de Malestricto nimis severe sæviat. (Reg. 138, n° CCIIII, fol. 61 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Receptis novis litteris regiis de persona et delictis Henrici de Bellomonte, alias de Malestricto, Apostolice Sedis capellani, facientibus mentionem, mirati fuimus, quod littere, quas dudum presentatis nobis super predictis aliis litteris regiis fieri mandavimus, non fuerunt tunc temporis expedite. Nunc vero percepto quod pro eo expediende remanserant, quia non fuerat qui expeditionem prosequeretur illarum, celeriter eas mandavimus expediri, quas confectas in meliori forma qua de jure, honoris et status nostri honestate servata fieri poterunt, celsitudini regie destinamus. Sciturus pro certo, fili carissime, quod, licet illa, que contra tuum et regni tui honorem et statum attemptarentur per aliquos, adeo nos pungant, nobisque gravia et molesta existant, ac si contra nos et Romanam Ecclesiam molirentur, tamen absque offensa Dei et justicie nostraque magna indecentia non possumus aliud concedere de presenti, nec per te, fili dilectissime, potest ad alias super hiis, sine periculo magno, et indignatione divina procedi, sed tales pene possunt infligi per ecclesiam, que quoad honorem regium et aliorum exemplum possunt sufficere in hac parte, super quibus nos habeat, quesumus, regalis excellentie providentia excusatos. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus augusti, anno tercio.

1023 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1344.

Bertrandum de Laudo, domicellum papalem, qui pro suis negotiis ad partes Mediolanenses proficiscitur, eis commendat. (Reg. 138, n°s CCV-VI, fol. 62.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Mediolanensi in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi nostro et ecclesie Romane vicario. Dilectus filius nobilis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus augusti, anno tertio.

In eodem modo *Luchino de Vicecomitibus.*

1024 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1344.

Regem Aragonum hortatur ut Jacobo regi Majoricarum culpam remittere velit. (Reg. 138, n° CCVII, fol. 62 ; Raynaldi VI, 358.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Sicut justitie debitum exigit debite correctionis antidotum adhibere perversis, sic misericordia suggerit conversis et humilibus gratiam non negare ; gloriosa quidem illa merito reputatur in principe victoria quam clementia qua, juxta sapientis eloquium, thronus firmatur regius, commitatur. Hæc autem, fili carissime, pro tanto permittimus quia, sicut audivimus et fama celebris attestatur, rex ille summus et eternus, qui solus est potens et in cujus ditione cuncta sunt posita, sic in suis benedictionibus te prevenit quod quecumque adversus carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, Majoricarum regem illustrem, tibi, ut asserebatur, rebellem et inobedientem concepisti facere, quasi successerunt voto ut tandem, regno Majoricarum et majori parte terrarum regis ejusdem viribus tue potentie subjugatis, rex idem, certis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Cherica tibi promissis, ut fertur, ad presentiam tuam regiam veniens humiliter et devote, terram illam in posse tuo posuit, misericordiam implorando, adeo quod aliud circa negotium hujusmodi restare non videtur nisi mansuetudo miserationis et clementie regalis erga regem ipsum miserabiliter sic prostratum, ad quam nempe clementiam exercendam exuberanter et liberaliter in hac parte non solum compassionis affectus, quem casus tanti principis sicque tibi conjuncti nexu propinquo sanguinis et affinitatis inducit ac honoris tui regii stimulus necnon recolenda clare memorie progenitorum tuorum gesta magni-

fica debent magnificentiam regiam inducere, sed tuam non parum brutorum exempla movere : nam de leone rege animalium legitur quod pecori humiliato et prostrato miseretur et parcit. Ideoque celsitudinem rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur quatenus, premissis et aliis regie circumspectioni circa hec occurrentibus pia et benigna consideratione attentis, sic benigne, liberaliter et clementer tractare velit regem prefatum tua celsitudo regia et de statu suo benignius ordinare quod illi, qui omnipotentiam suam parcendo et miserando maxime manifestat et misericordiam viris misericordibus repromittit, reddaris acceptior et ipsius benedictionem et gratiam in majoribus et altioribus merearis quodque ad tui dilatationem honoris et fame rex prefatus de sua humilitate reportet gratiam ac cum consorte, germana et liberis suis, utique nepotibus tuis, merito remaneat consolatus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis Diocesis, IIII idus augusti, anno tertio.

1025 Villeneuve-les-Avignon, 10 août 1344.

Cisterciensis ordinis abbates in Capitulo generali congregandos orat ut pro mundi quiete preces effundant. (Reg. 138, n° CCVIII, fol. 62.)

Dilectis filiis... Cisterciensi ejusque coabbatibus in generali Cisterciensi capitulo congregandis. Dum candidatum vestri ordinis exercitum, in castris claustralibus virtuose militantem Domino, mentis oculis aspicimus, et qualiter armis precinctus divinis, devotarum scilicet orationum suffragiis, adversus hostium malignorum insidias continuis dimicare vigiliis, ne hostium ipsorum subcumbat insultibus, non desistit, paterne meditationis intuitibus contemplamur, merito ad prosperum statum ipsius ordinis, per cujus operationes salubres in agro dominico uberes fructus crescunt, afficimur, desideriis optantes intensis, ut ordo ipse spiritualibus incrementis proficiat et temporalibus subsidiis non decrescat. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus, et attentius in Domino exhortamur, quatenus in instanti vestri generalis congregatione capituli, ad ea que dei sunt ac religionem fovent et nutriunt, adeo sint corda vestra concordia, et opera manifesta, quod interius ipsius religionis veritas et exterius fame integritas conservetur. Et licet supponamus indubie, quod vos paternum, quem ad vos gerimus, orationum intercessionibus recompensetis affectum, exhortationibus tamen predictis adicimus, ut in eodem capitulo precum devotarum instantias, ad dominum in humilitate spiritus effundatis, et effundi per totum ordinem statuatis, quod ipse, qui solus est potens, et in cujus dictione cuncta sunt posita, turbatum mare mundi hujusmodi guerrarum et dissentionum tempestuosis fluctibus, sua ineffabili pietate quietet, ut fideles in pacis pulcritudine et fiducie tabernaculis quiescentes, ipsum pacis actorem colant devotius, et crebrius operibus pietatis intendant, malorum timore sublato, nobisque ad perferendam apostolici oneris[1] sarcinam humeris nostris[2] impositi virtutem tribuat et imbecillitatem nostram sue potentie fortitudine fulciat et sustentet, ut gregem dominicum cure nostre commissum juxta suum beneplacitum in viam salutis dirigere ac tandem, post laboriosos presentis vite decursus, cum grege ipso quietis perhennis mercede perfrui feliciter valeamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus augusti, anno tercio.

1026 Villeneuve-les-Avignon, 12 août 1344.

Regi et reginæ Franciæ Nicolaum abbatem commendat, qui de Avinione ad monasterium Fiscanense O. S. B., Rothomagensis diocesis revertitur. (Reg. 138, n^os CCVIIII et CCX, fol. 63.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum dilectus filius Nicolaus, abbas monasterii Fiscanensis ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis, de Romana curia, ubi diutius pro certis negociis institit, de beneplacito nostro recedens, ad regie serenitatis presentiam suumque predictum monasterium dirigat gressus suos, nos ipsum super suis et prelibati monasterii negociis et oportunitatibus regie benivolentie propensius commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus augusti, anno tertio.

Item in e. mo. *carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.*

1027 Villeneuve-les-Avignon, 12 août 1344.

Andreæ Dandolo, Venetorum duci, gratias agit quod nuntia-

1. Ms. : honeris.
2. Ms. : nostri.

verit Turcos in navali prælio a Venetis victos fuisse. (Reg. 138, nº CCXIII, fol. 63 vº.)

Dilecto filio nobili viro Andree Dandulo, duci Venetorum. Nobilitatis tue litteras, felices et jocundos rumores de victoriis per fideles tam cum comunibus quam communitatis tue Veneciarum stoliis galearum contra Turchos infideles blasfemos et hostes crudeles nominis Christiani obtentis, hiis diebus preteritis, nunciantes, recepimus leta manu, quarum serie diligentius intellecta, ei, a quo est omnis victoria et cuncta bona procedunt, exolvere in humilitate spiritus curavimus vinculum labiorum, ejusdem tue nobilitatis diligentiam adhibitam super nunciatione hujusmodi, admodum nobis gratam, multipliciter in Domino commendantes, et eam attentius exhortantes quatinus, sicut per predictas litteras obtulisti, de hiis, que tibi circa premissa innotuerint, nos, quotiens oportunum extiterit, efficere studeas certiores. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus augusti, anno tercio.

1028 Villeneuve-les-Avignon, 12 août 1344.

Eum hortatur ne bona episcopi Portugalensis indebite detineat. (Reg. 138, nºs CCXI-XII, fol. 63.)

Carissimo in Christo Alfonso regi Portugalie. Ad ea te, fili —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus augusti, anno tercio.

Eidem episcopo. Fraternitatis tue receptis —. Datum ut supra.

1029 Villeneuve-les-Avignon, 13 août 1344.

Eis mandat ut vota per Venetos facta in opera pietatis commutare et ab eisdem pro subsidio Terræ Sanctæ quantum ad dicta vota implenda expensuri forent, recipere possint. (Reg. 138, nº CCXIV, fol. 64.)

Venerabili fratri episcopo Castellano et dilectis filiis abbati monasterii Sancti Georgii Majoris de Venetiis Castellane diocesis ac Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in ecclesia Carnotensi. Dudum diris afflictionibus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus augusti, anno tercio.

1030 Villeneuve-les-Avignon, 13 août 1344.

Gaufridus de Serans, O. F. P., bacallarius in Theologiæ Facultate, qui jam per biennium Bibliam in Parisiensi Studio legerat, in vicem Guillelmi Munerii ad legendas sententias substituitur, juxta statutum promulgatum in capitulo Podii celebrato. (Reg. 138, nº CCXV, fº 64 vº.)

Dilecto filio Gaufrido de Serans, ordinis fratrum Predicatorum, in sacre Theologie facultate bacallario. Sicut tua nobis nuper exhibita petitio continebat, nos dudum, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris precibus inclinati, dilectis filiis magistro et capitulo generali ordinis fratrum Predicatorum per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut te, qui per biennium Bibliam in studio Parisiensi laudabiliter legeras et ad legendum ibidem sententias reputabaris ydoneus, super hujusmodi lectione locum in gradu debito juxta tuorum meritorum exigentiam assignarent, quodque prefati magister et capitulum, eisdem litteris nostris receptis, de diffinitorum dicti capituli consilio et assensu te ad legendum in predicto studio, anno tunc sequenti sententias loco dilecti filii Guillelmi Munerii, ejusdem ordinis, qui ad legendum eodem sequenti anno in prefato studio loco provincie Francie dictas sententias deputatus extiterat, eo casu quo ipsum Guillelmum impediri super eadem lectione contingeret, substituerunt ac etiam ordinarunt, et deinde supradictus magister, cui prelibatum capitulum ordinationem tam Parisiensis quam aliorum studiorum generalium commisisse dicitur, in casu quo sepefatus Guillelmus non impediretur super lectura predicta, te quantum sua intererat ad legendum sententias in supradicto Parisiensi studio primo anno provincie Francie, postea debito deputavit per suas litteras et eciam assignavit, sicut in eisdem litteris, quarum seriem annotari presentibus fecimus plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti, ut substitutionem et assignationem hujusmodi communire approbationis et confirmationis apostolice munimine dignaremur. Nos igitur volentes de tuis exigentibus meritis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, favoribus prosequi gratiosis, tue supplicationi hujusmodi benignius inclinati, predictas substitutionem et assignationem ratas habentes et gratas, eas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero litterarum dicti magistri sequitur in hec verba : *In Dei*

filio, sibi carissimo fratri Gaufrido de Serens in conventu Parisiensi ordinis predicatorum, frater Petrus fratrum ejusdem ordinis magister, licet indignus, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum capitulum Podii celebratum assignaverit fratrem Guillelmum Munerii ad legendum sententias Parisius anno immediate sequenti, michique commiserit ordinationem studii Parisiensis aliorumque generalium studiorum, vos, de cujus sufficientia in scientia et moribus fiduciam plenam gero, dicto fratri Guillelmo ad legendum sententias Parisius, loco ejus de diffinitorum consilio substituto, si eum contingeret simpliciter impediri, quo non impedito quantum mea interest ad legendum sententias Parisius primo anno provincie Francie, postea debito, vos deputo et assigno. Valete et orate pro me. Datum Podii vicesima nona die mensis maii, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto. Nulli ergo Etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus augusti, anno tercio.

1031 Villeneuve-les-Avignon, 15 août 1344.

Eum hortatur ne commune et habitatores castris Montisflasconis vexet et opprimat. (Reg. 138, n° CCXVII, fol. 66 v°.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Viterbiensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia. Ad nostri apostolatus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVIII kalendas septembris, anno tertio.

1032 Villeneuve-les-Avignon, 17 août 1344.

Rectorem Patrimonii Beati Petri in Tuscia rogat ut Helyæ de Ventadoro, domicello, marescallo in dicto Patrimonio castrum Orchiæ stipendiaque restituat, et iracundiam ponat. (Reg. 138, n° CCXVIII, f° 67 r°.)

Venerabili fratri Bernardo episcopo Viterbiensi, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia. Intelleximus displicenter quod, pro eo quod dilectus filius, nobilis vir, Helyas de Ventadoro, domicellus, quem dudum, ut nosti, ad exercendum marescallie officium in Patrimonio beati Petri in Tuscia, cujus rector existis, duximus deputandum, pro certis negociis et ad informandum nos de statu Urbis et partium illarum venire pridem ad presentiam nostram voluit, tu contra ipsum non leviter provocatus, post verbales injurias eidem per te, ut asseritur, irrogatas, ipsum a suis stipendiis et custodia castri Orchie per te, fili, concessa, sine causa rationabili suspendisti, de quibus miramur admodum si est ita, cum velle debuisses potius ipsum venturum ad eandem presentiam, ut nos de premissis instructi plenius videre possemus consultius quid agendum, et si deliquisset predictus domicellus in aliquo, nobis debebas, priusquam ad talem suspensionem procederes, intimare. Cum autem ipse, qui de nobili et magna domo traxit originem, non sit dehonestandus seu vituperandus faciliter, immo per te debuerat, etiam si non commisissemus sibi aliquod officium, honorari decenter, volumus et tue fraternitati mandamus quatinus ad omnia illa, que tenebat ex nostra et tua concessione, ipsum restituens et de stipendiis sibi et suis pro preterito tempore ac futuro debitis satisfieri faciens integraliter, pertractes favorabiliter et benigne. Sed si forsan aliqua commiserit, que in nostrum et Ecclesie dampnum vel dedecus seu in detrimentum rei publice provincie dicti Patrimonii redundarent, illa nobis veraciter et sine calumpnie mixtione aliqua procures fideliter intimare. Volumus autem quod idem Helyas custodiam castri Orchie per te sic commissam tenere valeat, constitutione olim per dilectum filium nostrum Bertrandum, tituli sancti Marchi presbiterum cardinalem, tunc archiepiscopum Ebredunensem, et reformatorem generalem in terris eidem Ecclesie Romane immediate subjectis, auctoritate apostolica deputatum edita non obstante. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVIII kalendas septembris, anno tercio.

1033 Villeneuve-les-Avignon, 17 août 1344.

Petitioni regis Franciæ annuens abbatissam monasterio de Andresiaco, O. S. B., Cathalaunensis diœcesis, quæ nonobstante reservatione jam electa fuerat, præficit. (Reg. 138, n° CCXIX, fol. 67 v°.)

Dilecte in Christo filie Isabelli, abbatisse monasterii de Andresiaco, ordinis Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis. Morum decor, vite puritas, religionis zelus, et alia virtutum merita, que tibi suffragari fide dignorum testimoniis percepimus, nos inducunt, ut personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur. Dudum siquidem ad audientiam nostram perducto, monasterium de Andresiaco, ordinis Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis, per

obitum quondam Margarite ultime abbatisse ipsius, que in partibus illis diem clausit extremum, vacare, nos certis causis rationabilibus ad hoc nos moventibus, volentes eidem monasterio ea vice per circumspectionem Sedis apostolice, si per electionem vel alias provisum prefato monasterio tunc non extiterat, providere, provisionem et dispositionem ipsius monasterii nobis specialiter auctoritate apostolica reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane si secus per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Cum autem, sicut ex serie tue petitionis percepimus, dilecte in Christo filie conventus eiusdem monasterii reservationem et decretum nostra hujusmodi probabiliter ignorantes, te tunc monialem prefati monasterii expresse ordinem supradictum professam, in suam et ejusdem monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ac deinde venerabilis frater noster episcopus Cathalaunensis, cui dictum monasterium subesse dinoscitur, similiter reservationis et decreti predictorum ignarus, predictam electionem confirmaverit, tibique munus benedictionis duxerit impendendum, fecisti nobis humiliter supplicari ut, cum ea circa predicta post reservationem et decretum predicta facta sunt, juribus non subsistant, providere tibi et sepefato monasterio super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tam hujusmodi tuorum meritorum obtentu, quam consideratione carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris nobis pro te super hoc instanter et humiliter supplicantis, volentes te dictumque monasterium prosequi gloriose, electionem, confirmationem et benedictionem predictas, et ea que inde secuta sunt post reservationem et decretum predicta, eisdem et quavis alia ordinatione per nos facta non obstantibus, dummodo alias rite ac canonice processerunt, rata et grata habemus, volentes et etiam concedentes ea perinde valere, ac eundem vigorem habere, quem haberent et obtinerent si reservatio, decretum et quevis alia nostra ordinatio minime super hiis precessissent. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVI kalendas septembris, anno tercio.

1034 Villeneuve-les-Avignon, 18 août 1344.

Cum Humbertus, dalphinus Viennensis castrum de Visano, Tricastrine diœcesis, pretio 12.000 florenorum auri Sedi Apostolicæ vendidisset, thesaurarios suos absolvit qui dicto dalphino 8.000 et Guillelmo de Ruivo militi Gratianopolitane diœcesis, familiari dicti dalphini 300 florenos auri solverant. Floreni 4.000, quos Dalphinus a Benedicto XII mutuatus erat, de summa deducti fuerant. (Reg. 138, n° CCXX, fol. 67 v°.)

Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Cum ex certis causis, pactis, conventionibus Ecclesiam Romanam tangentibus, per dilectum filium nobilem virum, Humbertum Dalphinum Viennensem, pridem nobiscum habitis, per que inter cetera castrum de Visano Tricastrinensis diœcesis cum suo districtu et territorio ac omni moda jurisdictione, alta et bassa, mero et mixto imperio aliisque suis juribus et pertinentiis universis debet nobis et nostris successoribus Romanis pontificibus et ecclesie Romane in proprietate ac possessione perpetuis temporibus remanere, duodecim milia florenorum auri prefato Dalphino persolvi facere teneremur, idemque Dalphinus ad solvendum nobis et Camere nostre quatuor milia florenorum auri de quodam mutuo per felicis recordationis Benedictum papam XII predecessorem nostrum, et cameram suam dudum sibi facto teneretur astrictus, vosque de mandato nostro verbotenus vobis facto, octomilia florenorum auri de pecunia camere nostre memorata Dalphino persolveritis, et dicta quatuor milia florenorum auri, in quibus dicte camere tenebatur predictus Dalphinus, ut premittitur, pro complemento solutionis totius summe dictorum duodecim milium florenorum, quos debebamus, exsolvi eidem Dalphino facere, ut premissum est, sibi tradideritis insolutum, et ultra hoc de consimili mandato nostro de pecuniis ejusdem camere dilecto filio nobili viro Guillelmo de Ruivo, militi Grationopolitane diœcesis familiari dicti Dalphini, trecentos florenos auri duxeritis assignandos, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis precavere, hujusmodi solutiones dictorum octomilium trecentorum florenorum auri et predictorum quatuor milium florenorum insolutorum traditionem, prout superius continetur, ratas et gratas habentes, vos et omnia bona vestra exinde absolvimus perpetuo et quittamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XV kal. septembris, anno tercio.

1035 Villeneuve-les-Avignon, 19 août 1344.

Infrascripto mandat ut a Jacobo Fava, mercatore Florentino, pecias scarleti, tobalias et manutergia de opere Tornacensi petat, quæ dicto mercatori Johannes Bovini, familiaris defuncti cardi-

nalis tituli Sanctæ Susannæ, tradiderat. (Reg. 138, nº CCXXIII, fol. 68b vº.)

Dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi. Fide digno relatu percepto quod dilectus filius Johannes Bovini, familiaris bone memorie Andree tituli Sancte Susanne presbiteri cardinalis, tres pecias scarleti et magnam quantitatem tobaliarum et manutergiorum de opere Tornacensi, que de bonis existebant cardinalis predicti, dilecto filio Jacobo Fava, mercatori Florentino in commenda tradidit et etiam assignavit, nos qui bonorum ejusdem cardinalis dispositionem nobis certis ex causis rationabilibus duximus reservandam, volentes de predictis scarletis, tobaliis et manutergiis certiorari plenius, et ea tibi nostro nomine integraliter, ut inde, quod nobis expedire videbitur, ordinare possimus utilius, assignari, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus hujusmodi tres pecias scarleti ac tobalias et manutergia, petere, exigere, ac recipere dicto nomine ab eodem mercatore procures, ipsum ad ea tibi restituenda et assignanda per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, si necesse fuerit, nichilominus compellendo. Non obstante si eis a sede apostolica sit indultum quod excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod de predictis scarletis, tobaliis et manutergiis eundem Jacobum, cum ea tibi assignaverit [1], absolvere valeas et quittare, quodque super assignatione predicta duo confici facias consimilia publica instrumenta in quibus predicta omnia, que tibi assignata per ipsum fuerint peciatim et singulariter distingantur, quorumque instrumentorum unum dimittas penes ipsum Jacobum, et aliud ad nostram Cameram fideliter mittere non postponas, eam redditurus nihilominus super hiis certiorem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas septembris, anno tercio.

1036 Villeneuve-les-Avignon, 19 août 1334.

Archiepiscopo Narbonensi eligendi confessorem potestatem dat. (Reg. 138, nº MCLXVII, fol. 311 vº.)

Venerabili fratri Gasberto, archiepiscopo Narbonensi, camerario nostro. Benigno sunt illa tibi concedenda favore, per que, sicut pie desideras, consciencie pacem et salutem anime Deo propicio consequaris. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi auctoritate apostolica indulgemus ut aliquem ydoneum et discretum presbiterum in tuum possis eligere confessorem, qui, quociens tibi fuerit oportunum, confessione tua diligenter audita, pro comissis tibi debitam satisfactionem impendat et injungat penitenciam salutarem, nisi forsan talia fuerint propter que sedes apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas septembris, anno tercio.

1037 Villeneuve-les-Avignon, 19 août 1344.

Eidem licenciam testandi concedit. (Reg. 138, nº MCLXVIII *bis*, fol. 312 rº.)

Eidem [Gasberto]. Quia presentis vite —. Datum ut supra.

1038 Villeneuve-les-Avignon, 19 août 1344.

Ei indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nº MCLXVIII fol. 311 vº.)

Eidem [Gasberto, archiepiscopo Narbonensi]. Provenit ex tue devotionis —. Datum ut supra.

1039 Villeneuve-les-Avignon, 19 août 1344.

Nuntiis regis Angliæ, videlicet Guillelmo, episcopo Norwicensi, Johanni de Offord, decano Lincolniensi, Andreæ de Offord, canonico Londoniensi, Hugoni de Nevill et Nicolas de Flisco qui pro tractatu pacis inter Angliam et Franciam Avinionem mittuntur, salvi et securi conductus litteræ conceduntur. (Reg. 138, nº MLXXXVI, fº 290.)

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis archipresbiteris, rectoribus ac aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vicesgerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis regularibus et secularibus exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini, et

1. Ms. : assignerit.

aliorum ordinum, ac domorum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, Calatravensis et Humiliatorum magistris prioribus et preceptoribus, nec non nobilibus viris, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bajulis, officialibus ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque, et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum quorumcunque locorum et aliis universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint. Nuper carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie illustris nobis per suas litteras significare curavit, quod ipse pro tractatu pacis inter ipsum et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem dissidentes invicem, divina suffragante gracia reformande, nuncios suos, videlicet venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum Norwiçensem, et dilectos filios Iohannem de Offorde decanum Lincolniensis, et Andream de Offorde canonicum Londoniensis ecclesiarum, ac nobiles viros Hugonem de Neville, et Nicolaum de Fliseo milites, et quosdam alios ad nostram disposuit presentiam destinandos. Sed proceres et communitas regni sui Anglie missioni nunciorum ipsorum, et quod extra regnum proficiscantur predictum, difficultatem, nisi eisdem nunciis in eundo, morando et (de) redeundo de securi conductu provideatur, opponunt. Quare nobis supplicavit humiliter rex predictus, ut prefatos nuncios et ablegatos sibi, et nuncios eosdem cum familia rebus et bonis suis ad sedem apostolicam et eandem presenciam ratione dicti tractatus simul vel separatim venientes, ibidemque morantes et recedentes exinde, sub nostra et sedis predicte protectione suscipere, quodque ipsi et eorundem ablegatorum nuncii, et iidem ablegati ac familiares ipsorum hujusmodi tractatus negocii prosecutione durante in curia Romana vel alibi ex quacunque causa beneficiali, civili vel criminali personali reali aut mixta seu alia quacunque, ad instanciam partis vel ex officio cujuscunque obligationis seu contractus delicti vel quasi, non citentur, moneantur, arrestentur, capiantur excommunicentur, suspendantur, aut contra ipsos quovismodo alio procedatur, per litteras apostolicas graciose concedere dignaremur. Et licet a predicta sede, apud quam patent, vigent et vigere debent securitas et libertas, et per quam adversus injuriatores, perturbatores, captivatores et spoliatores illarum qui ad curiam Romanam predictam veniunt et recedunt ad ipsa, et in ea moram trahunt, graves excommunicationis et alie pene et sentencie fore promulgate noscantur, securus conductus hujusmodi nequaquam postulari consueverit nec concedi per eam ; nos tamen qui summis desideriis inter prefatos reges ac utriusque ipsorum amicos et subditos, reformari pacis et unitatis deo gratam et eis accommodam concordiam affectamus, nolentes quod super materia tractatus predicti ex causa quacunque possit impedimentum vel obstaculum quomodolibet interponi, prefati regis Anglie in hac parte supplicationibus inclinati, omnes et singulos predictos nuncios clericos et laicos ex causa tractatus hujusmodi ad nostram presentiam destinandos, volentes cum omnibus familiis, rebus et bonis suis que secum deferent in veniendo ad sedem predictam, et eandem presenciam, ibique morando, et inde recedendo, plena securitate gaudere, ipsos sub nostra et ejusdem sedis protectione suscipimus speciali, statuentes ac eciam decernentes quoscunque injuriatores, molestatores, offensores, captivatores aut spoliatores eorum quamdiu in itinere veniendi et recedendi predicto, etiam pace predicta reformata vel non reformata fuerint, aut moram in eadem curia propter hoc traxerint, excommunicationes et alias penas et sentencias que adversus illos qui venientes ad sedem prefatam, vel recedentes ab ea injuriis seu dampnis afficiunt, aut captivatores spoliatores vel detentores eorum per nos et predecessiores nostros Romanos Pontifices promulgate sunt generaliter incursuros. Et insuper eisdem nunciis presencium auctoritate concedimus quod durante prosecutione negocii antedicti, ipsi vel familiares, commensales eorum clerici vel laici ex quacunque causa beneficiali, civili vel criminali, personali, reali seu mixta vel alia quacunque sub quovis colore ex officio seu ad partis instanciam occasione, promissionum, obligationum, contractuum, delictorum vel quasi que ante iter eorum arreptum facta habita vel commissa dicerentur, nullatenus citentur, conveniantur, moneantur, arreptentur, capiantur, excommunicentur, suspendantur vel interdicantur, aut contra eos quomodolibet procedatur, sed ab omni molestatione ac vexatione in veniendo morando et recedendo tam in Romana curia quam alibi sint liberi penitus atque quiti. Quocirca universitatem vestram rogamus monemus requirimus et attentius in Domino exhortamur quatinus supradictos nuncios et singulos eorundem, cum per terras, districtus, portus et loca vestra simul vel separatim transiverint, benigne recommendatos habentes,

eis in personis aut rebus et bonis suis vel familiarium eorundem que secum habebunt vel deferent, injurias offensas, molestationes vel impedimenta quecunque nullatenus inferatis, nec inferri ab aliis quantum in vobis fuerit permittatis, sed eis potius de securo conductu si a vobis illum petierint, sic providere libere sicut in vobis fuerit pro nostra et ejusdem sedis reverencia procuretis, quod nos devocionem vestram exinde possimus merito in Domino commendare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII kalendas septembris, anno tercio.

1040 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1344.

Ei mandat ut in quosdam neophytos hæreticos in regno Siciliæ quærat, qui de judaismo ad fidem catholicam venerant. (Reg. 138, n° CCXXI, fol. 68.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato. Ad ingentis anxietatem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno tercio.

1041 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1344.

Horribilia quædam per neophitos in regno Siciliæ perpetrata nolens in litteris patentibus explicari, articulos ea continentes presentibus interclusos cardinali legato mittit. (Reg. 138, n° CCXXII, fol. 68 v°.)

Eidem legato. Illa horribilia que —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno tercio.

1042 Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1344.

Eum rogat ut Taldo Taldini de Clarentia, Olenensis diocesis, bona restituat quibus per officiales adeo spoliatus erat ut, quamvis nobilis, mendicitatis opprobrium experiri cogeretur. (Reg. 138, n° CCXXIV, fol. 69.)

Dilecto filio, nobili viro, Roberto principi Tarentino. Nuper dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno tercio.

1042 *bis* Villeneuve-les-Avignon, 20 août 1344.

Mercatoribus Societatis Azayalorum de Florentia, qui quasdam summas Cameræ apostolicæ debebant, ad solvendum annuatim mille florenos auri auctoritatem dat. (Reg. 138, n° CCXXV, f° 69.)

Dilecto filio Petro Vitalis, primicerio Ecclesie Lucane. Dudum tibi dedisse per nostras litteras meminimus in mandatis, ut a dilectis filiis... sociis et mercatoribus societatis Azayalorum de Florentia tria milia sexcentorum triginta florenos auri, duomilia ducentos viginti octo pavalliones auri, decem octo denarios Turonensium grossos argenti, mille ducentas libras Turonensium, et quinque denarios parve monete, quas quidem pecuniarum summas in diversis locis de bonis et pecuniis ad cameram nostram spectantibus receperant, et ad eas solvendas ipsi camere noscebantur astricti, petere, exigere ac recipere ab eisdem sociis et mercatoribus nostro et ejusdem camere nomine procurares, sicut in litteris nostris tibi directis super hoc plenius continetur. Cum autem, sicut intelleximus, post processus per te auctoritate dictarum litterarum super hiis habitos contra eos, ipsi tandem volentes, ut tenebantur, prefate camere de summis satisfacere supradictis, nonnulla bona sua immobilia tibi recipienti predicte camere nomine usque ad valorem predictarum summarum et ultra tradiderint insolutum, humiliter supplicando, ut cum ipsi parati sint mille florenos auri singulis annis in certo termino eis prefigendo, sepefate camere solvere, quousque de predictis summis totalis et integra solutio sit completa, et super hoc cautiones prestare ydoneas, eisdem sociis et mercatoribus bona predicta, prout inferius continetur, dimitti, terminosque predictos concedi facere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur eisdem sociis et mercatoribus pio compatientes affectu, discretioni tue per apostolium scripta committimus et mandamus quatinus super solutione hujusmodi de mille florenis, singulis annis sicut superius est expressum, certo termino prefigendo predicte camere facienda, sufficientibus obligationibus et ydoneis cautionibus per te nomine camere predicte receptis, indeque confectis publicis instrumentis per te ad prefatam cameram fideliter destinandis, bona predicta, quorum possessio penes cameram supradictam remaneat, donec de summis expressis superius eidem fuerit integraliter satifactum, tradas fidejussoribus qui se pro solutione facienda hujusmodi obligabunt, qui ea

nomine ipsius camere teneant et custodiant, fructusque convertant in extenuationem solutionis predicte, super quibus omnibus cautelas ydoneas fieri volumus, et exinde per te cameram ipsam effici certiorem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas septembris, anno tercio.

1043 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Cum rex Angliæ nuntios pro pace incunda Avinionem mittat, regem Franciæ rogat ut nuntios similiter destinet. (Reg. 138, n° CCXXVI, fol. 69 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Nuper carissimus in Christo filius noster Edwardus, rex Anglie illustris, super missione nunciorum suorum ad nostram presenciam pro tractatu pacis inter te, carissime fili, ex parte una, et ipsum regem, ex altera, divina faciente gracia, reformande, scripsit nobis per suas binas litteras, juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Ideoque regalis prudentia, cum nuncios ejusdem regis esse citra mare audiverit in itinere veniendi, ad eandem presentiam constitutos suos nuncios ydonea potestate suffultos, quesumus, destinare procuret, nosque de illorum adventu efficere per sua[s] litteras regias certiores. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno tercio.

1044 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Ei gratias agit quod Nicolao archiepiscopo Ravennatensi auxilium præstaverit. (Reg. 138, n° CCXXVII, fol. 69 v°.)

Dilecto filio, nobili viro Aymerico Rolandi, militi, rectori Romandiole. Gratis venerabilis fratris —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno tercio.

1045 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Eis mandat ut archiepiscopo Ravennatensi castrum Piagie, Cesennatensis diocesis, restituant. (Reg. 138, n° CCXXVIII, fol 70.)

Venerabili fratri episcopo Forosunfroniensi et dilecto filio nobili viro Galeatio et Nolphio, comitibus de Monteferetro, germanis suis. Cum sicut intelleximus. Dat. ut supra.

1046 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Eis mandat ut castra Montisglani, Montisacuti, Savignani, Gemignani, Marazani, Montiscolumbi, Crucis, Montiscudoli, Coriglani archiepiscopo Ravennatensi restituant. (Reg. 138, n° CCXXIX, fol. 70.)

Dilectis filiis, nobilibus viris, Malateste et Galeoto de Malatestis, nec non communi civitatis Ariminensis. Cum sicut intelleximus. Dat. ut supra.

1047 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Eis mandat ut castra Castrimedii, Granarole et Favani archiepiscopo Ravennatensi restituant. (Reg. 138, n° CCXXX, fol. 70.)

Dilectis filiis communi civitatis Pensauriensis. Cum sicut intelleximus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno tercio.

1048 Villeneuve-les-Avignon, 21 août 1344.

Gerardo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis, qui pro petendis, colligendis et recipiendis proventibus in Lugdunensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Treverensi provinciis, quarum collector est, ad diversa loca provinciarum ipsarum pro collectionis officio exsequendo se confert, litteræ salviconductus conceduntur. (Reg. 138, n° MLXXXXIII, fol. 292 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. ut supra usque pervenerint. Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XII kalendas septembris, anno tercio.

1049 Villeneuve-les-Avignon, 23 août 1344.

Episcopo Electensi mandat ut Jacobum de Oliveriis et Johannem Conilhati de Bellopodio Mirapiscensis diocesis Avinionem captos mittat qui falsas bullas fabricaverant. (Reg. 167, n° IIII, De Curia, fol. 1 v° ; — Reg. 216, fol. 10 v°.)

Venerabili fratri... episcopo Electensi. Nuper per tuas

litteras nobis intimare curasti quod Jacobus de Oliveriis, nominans se abbatem monasterii sancte Marie de Altofonte, ordinis Cisterciensis, nostrumque familiarem et nuncium ad Cypri et Armenie regnorum partes per nos destinatum, divino timore ac apostolice sedis reverentia retrojectis, ad tuam veniens presentiam quasdam litteras bulla nostra bullatas continentes de securo conductu expensisque et aliis necessariis sibi et ejus familie ministrari tibi exhibere curavit, petens et exigens a te ei ad nos, ut dicebat, de predictis partibus redeunti earundem litterarum auctoritate pro dictis expensis pecuniam exhiberi; tuque, visis hujusmodi litteris et diligenter inspectis ipsarumque considerato tenore, cum tam in scripture quam dictaminis forma a stilo Romane Curie dissimiles evidentissime apparerent, ipsas litteras vehementer suspectas reputans, prefatum Jacobum et Johannem Conilhati de Bellopodio Mirapicensis diocesis ejusdem Jacobi famulum arrestati et ab eis super premissis habere desiderans veritatem, eodem cum juramento, unde litteras ipsas habuerant, unum post alium separatim inquisivisti, qui tandem in judicio sponte confessi fuerunt se in civitate Neapolitana anno, preterito, ad instar quarundam litterarum nostrarum Raymundo de Bellagardia quondam domicello et familiari nostro et per nos ad eorundem regnorum partes, ut asseritur, destinato hactenus concessarum, sub eisdem verbis, nomine proprio prefati Jacobi in locum nominis dicti domicelli defuncti posito transcribi et fabricari fecisse et cordulam canapis cum bulla in nostris dicti domicelli, quas ipse Johannes post ejusdem domicelli obitum apud Perusum habuerat, et receperat, appositam incisisse et eam cum dicta bulla in hujusmodi falsis litteris appendisse, prout aptius et subtilius potuerunt, Raymundo de Caslucio habitatore dicte civitatis ad hec omnia presente prebenteque opem et operam, auxilium et favorem; adicientes insuper iidem Jacobus et Johannes in hujusmodi suis concessionibus cum predictis litteris sic falsis per diversas Italie Provincieque et earum partium civitates et loca discurrentes, utendo litteris ipsis tanquam veris, a pluribus episcopis et nonnullis aliis ecclesiarum prelatis vigore hujusmodi falsarum litterarum nonnullas pecunie summas exegisse et etiam recepisse, prout hec omnia in eorum confessionibus latius asseris contineri. Nos igitur tuam super hiis prudentiam et adhibitam diligentiam quamplurimum in Domino commendantes, ac volentes de premissis scire plenius veritatem nec talia facinora, si vera sint, velimus, sicut nec debemus, pertransire coniventibus oculis incorrecta, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus eosdem Jacobum et Johannem cum prefatis litteris et processibus super hiis habitis ad nos sub fida custodia quam citius transmittere non postponas, ut quid in hac parte agendum fuerit deliberare plenius valeamus. Dat. apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, X kalendas septembris, anno tertio.

1050 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1344.

Regem atque reginam Siciliæ rogat ut nuncium episcopi Forojuliensis benigne exaudiant, qui dolet quod officiales comitatuum Provinciæ et Forcalquerii subditos suos indebitis exactionibus gravent. (Reg. 138, nos CCXXXI et CCXXXII, fol. 70 ro.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Exposuit nobis nuper venerabilis frater Guillelmus, episcopus Forojuliensis, thesaurarius noster, quod officiales tui comitatuum Provincie ac Forcalquerii, subditos et homines ipsius episcopi et ecclesie sue Forojuliensis contra privilegia, per quondam comites Provincie episcopo et ecclesie Forojuliensi ac subditis et hominibus supradictis olim et per claro memorie reges Sicilie, progenitores tuos, ex certa scientia confirmata, concessa, quibusdam impositionibus, exactionibus et collectis gravare ac alias molestare multipliciter indebite moliuntur. Cum autem prefatus episcopus certum suum nuncium exhibitorem presentium propterea providerit ad tue celsitudinis presentiam destinandum, serenitatem rogamus regiam et attentius in Domino exhortamur quatinus officiales predictos ab hujusmodi gravaminibus et molestationibus indebitis prohibens et cohercens, predictum nuncium, qui gravamina hujusmodi plenius explicabit, benigne regalis circumspectio audiat, et remittat favorabiliter, sicut honestas justicie suaserit, expeditum, habendo nichilominus supradictum episcopum, nostris et ecclesie Romane continuis obsequiis insistentem, super premissis et aliis suis et ecclesie sue negociis pro nostra et apostolice Sedis reverentia prerogativa favoris regii commendatum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno tercio.

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri.

1051 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1344.

Episcopo Cavallicensi cardinalique legato similiter scribit. (Reg. 138, nos CCXXXIII et CCXXXIIII, fol. 70 vo.)

Venerabili fratri, episcopo Cavallicensi. Cum venerabilis frater Guillelmus, episcopus Forojuliensis, thesaurarius noster, super certis gravaminibus et molestationibus sibi ecclesie ac subditis et hominibus suis, que per officiales regios Provincie et Forcalquerii comitatuum, sicut asserit, inferuntur, seu temptantur inferri, suum certum nuncium exhibitorem presentium ad curiam regiam providerit destinandum, fraternitatem tuam rogamus attente quatinus super expeditione ipsius nuncii, qui tibi gravamina hujusmodi poterit plenius explicare, sic partes tue solicitudinis, sicut honestas suaserit, interponas, quod tua possit et debeat devotio exinde merito commendari. Datum ut supra.

Item in eodem modo *dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice sedis legato.*

1052 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1344.

Infrascripto officium tabellionatus concedit ad quod exercendum per Raymundum de Valle, archidiaconum de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi, notarium, idoneus repertus fuerat. (Reg. 138, no MCLIX, fol. 309 ro.)

Dilecto filio Johanni Guithalmini, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Uticensis diocesis. Ne contractuum memoria —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno tercio.

1053 Villeneuve-les-Avignon, 24 août 1344.

Cum Berengarius de Burbone, miles, Bernardus Rascacii, juris civilis professor, Franciscus Raymundi, domicellus, et Petrus Lartissuch licentiatius in legibus, cives Avinionenses, ambassiatores et nuncii communis et civium civitatis Avinionensis ad partes Neapolitanas pro certis dictæ civitatis negociis mittantur, litteras salviconductus eis concedit. (Reg. 138, no MLXXXXIIII, fol. 292 vo.)

Venerabilibus fratribus etc. ut supra, usque pervenerint. Cum dilecti filii —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIIII kalendas septembris, anno tercio.

1054 Villeneuve-les-Avignon, 25 août 1344.

Familiares suos, videlicet magistros Stephanum Ancelini, praecentorem, phisicum, et Gasbertum de Septemfontibus, canonicum Ilerdensem, scriptorem, commendat. (Reg. 138, no CCXXXV, fol. 70 vo.)

Venerabili fratri episcopo et capitulo Ilerdensi. Referentibus nobis dilectus. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas septembris, anno tercio.

1055 Villeneuve-les-Avignon, 25 août 1344.

Regi et reginæ Siciliæ nuncios civium Avinionensium commendat. (Reg. 138, nos CCXXXVI et CCXXXVII, fol. 71 ro.)

Carissimo in Christo filio Andree, regi Sicilie illustri. Paterna nos monet affectio et zelus gratitudinis et caritatis inducit, ut civitatem Avinionensem, in qua multis continuis temporibus feliciter et quiete Romana curia resedit, sicut nos adhuc residemus cum ea, et cives ac habitatores ejusdem oportunis prosequamur gratiis et favoribus apostolicis muniamus. Cum autem ipsi super certis suis negociis, in regali curia promovendis, dilectos filios nobiles viros Berengarium de Burbone, militem, Bernardum Rascacii, juris civilis professorem, Franciscum Ramundi, domicellum, et Petrum Lartissuch, licenciatum in legibus, concives et nuncios suos, ad eandem regalem curiam et regie celsitudinis presentiam providerint cum magna et matura deliberatione sui consilii, sicut intelleximus, destinandos, nos cives et nuncios supradictos, quos prerogativa dilectionis paterne prosequimur, regie benivolentie propensius commendantes, eam plenis affectibus deprecamur quatinus prefatos nuncios benigne recipiens et super hiis, que proponere curaverint, patienter et favorabiliter audiens et audiri faciens, super expeditione illorum gratiosa et celeri, quantum honestas patietur justicie, ipsos pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, favore regio prosequaris, ita quod nos exinde devotionem regiam merito commendare possimus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas septembris, anno tercio.

Item in eodem modo, *Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.*

1056 Villeneuve-les-Avignon, 26 août 1344.

Eis mandat ut Camerse Apostolicæ bona defuncti Johannis Amalrici, episcopi Sorani, mittat qui Romandiolæ rector et in regno Sardiniæ collector fuerat deputatus. (Reg. 138, n° CCXXXVIII, fol. 71 v°.)

Venerabilibus fratribus Turrritano et Caleritano archiepiscopis. Cum bone memorie —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas septembris, anno tercio.

1057 Avignon, 26 août 1344.

Gaudet quod regina Siciliæ ægrotans ad sanitatem reversa sit et optat ut concordia inter regem et reginam vigeat. (Reg. 138, n° CCXXXIX, fol. 71 v°.)

Carissimo in Christo filio, Andree regi Sicilie illustri. Presentate nobis tue celsitudinis littere corporalem infirmitatem, qua carissima in Christo filia nostra Johanna regina Sicilie illustris, consors tua, gravata multipliciter hiis diebus preteritis fuerat et applicata, et subsequenter restitutam sibi sanitatem a Domino describentes, super infirmitate ipsa paterne compassionis amaritudine[m] et restituta sanitate letitiam nostris precordiis ministrarunt, sed non modicum ipsam auxit letitiam cordi nostro, quod de unitate caritatis et concordie vigente, sicut ipsius caritatis et rationis exigit debitum, inter te ac eandem reginam ultima litterarum ipsarum clausula subjungebat. Sane, fili carissime, quia talis concordia multum est Deo placibilis, et discordia displicibilis et exosa, tuam exhortamur excellentiam attentius in Domino et rogamus quatenus, consideranter et prudenter attendens quod ex tua et ejusdem regine, quorum negotia sunt, ut in predictis adjecisti litteris, indivisa, unitatis amoris et amoris concordia, tu et ipsa totaque domus regia et status regni successibus prosperabimini continuis et ex odiosis dissentionibus, si, quod absit, ab illo, qui est sator malorum omnium, permitterentur nutriri quomodolibet vel foveri, preter offensam divinam et subditorum summe vitandum et cavendum contemptum qui procul dubio generaretur, exinde varia, que faciliter non possent estimari, dispendia provenirent, hujusmodi caritatis et unitatis concordiam mutuam, sicut tui et sui status decet excellentiam et honorem, quibusvis contrarium suggerentibus tanquam hostibus, detractoribus et emulis per te rejectis penitus et expulsis, confovere constanter et inviolabiliter studeas et etiam observare. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas septembris, anno tertio.

1058 Villeneuve-les-Avignon, 26 août 1344.

Reginæ Siciliæ similiter scribit. (Reg. 138, n° CCXXXX, fol. 72 r°.)

Eidem regine. Serenitatis tue, filia carissima, littere nuper nostro apostolatui presentate infirmitatem gravem, qua, visitante te misericordiarum Domino, gravata fueras hiis diebus preteritis multipliciter et afflicta, necnon et liberationem ab eadem infirmitate felicem tibi collatam a Domino describentes, simul paterne compassionis super afflictione hujusmodi amaritudinem et restituta sanitate consolationis et letitie materiam nostris precordiis ministrarunt. Sane, filia dilectissima, quia te gerentes in visceribus caritatis per viam salutis juxta divinum beneplacitum dirigi cupimus actus tuos, tuam excellentiam attentius in Domino exhortamur quatenus ad eum, qui sperantes in se non deserit, dirigens in omnibus vota tua, non solum super restitutione, sanitatis sed etiam visitatione predicta, per quam tibi dilectionis signum ostendit, cum corripiat, castiget et flagellet quos diligit, eidem ad devotas et humiles gratiarum actiones assignes que sue magestatis oculis grata esse cognoveris, ut de manu ipsius alia inennarrabilia bona merearis accipere jugiter operando certam cum Deo fieri poterit et benignos. Ceterum cum aliquibus tuis gentibus harum partium scripseris, sicut nobis earum grata relatio patefecit, quod inter carissimum in Christo filium nostrum Andream regem Sicilie illustrem, virum tuum, qui tibi summe dilectionis affectum in predicta infirmitate ostenderat et te plena viget, sicut caritatis exigit debitum, concordia conjugalis. Nos exinde leti ejusdem regis et tuam prudentiam super hiis multipliciter in Domino commendantes, exhortationibus nostris adicimus tibique paterno consilio suademus ut, prudenter et consideranter attendens quod talis concordia Deo est valde placibilis et inter sic conjunctas personas discordia displicibilis et exosa et nichilominus quod ex illa tua et ipsius regis indivisa negotia totaque domus regia et status regni successibus prosperabimini continuis et ex ista si per-

mitteretur ab illo, qui est sator malorum omnium, foveri, quod absit, preter divinam offensam et subditorum summopere vitandum et cavendum contemptum qui proculdubio generaretur exinde varia, que faciliter non possent extimari, dispendia provenirent, mutuam hujusmodi caritatis et unitatis concordiam, sicut tui et sui status decet excellentiam et honorem, quibusvis contrarium suggerentibus tanquam hostibus, detractoribus et emulis per te rejectis penitus et expulsis, confovere constanter et inviolabiliter studeas et etiam conservare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII kalendas septembris, anno tertio.

1059 Villeneuve-les-Avignon, 26 août 1344.

Abbati de Aureliaco, O. S. B., Sancti Flori diocesis, ecclesiam reconciliandi potestatem concedit quæ sanguinis effusione polluta fuerat. (Reg. 138, nº CCXLI, fol. 72b.)

Dilectis filiis... de Aureliaco, et... de Maurcio monasteriorum, abbatibus [ordinis] Sancti Benedicti, Sancti Flori diocesis. Illa libenter Sedis apostolice benignitas concedere consuevit, per que removentur scandala, et divino cultui providetur. Sana tui, fili abbas, monasterii de Aureliaco petitio coram nobis exhibita continebat, quod ecclesia tui monasterii, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, hiis diebus extitit sanguinis effusione polluta, et quia in partibus illis nequit antistes, per quem reconsiliari valeat commode reperiri, nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationi hujusmodi favorabiliter annuentes, ut hac vice vos, vel alter vestrum, predictam ecclesiam et capellas et cimiteria ipsius monasterii per hujusmodi effusionem polluta, a quo per antistitem catholicum, ut moris est, benedicta reconsiliare possitis, plenam vobis et vestrum cuilibet concedimus tenore presentium facultatem. Per hoc autem constitutioni que id precipit per episcopos fieri tantum, nullum volumus imposterum prejudicium generari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, septimo kalendas septembris, anno tercio.

1060 Villeneuve-les-Avignon, 27 août 1344.

Cum quidam cives Lucani lapides pretiosos thesauri apostolici subtraxissent et vendidissent, infrascripto mandat ut inquisitionem faciat. (Reg. 138, nº CCXLII, fº 72 vº.)

Dilecto filio Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in Ecclesia Carnotensi. Relatu fidedigno percepto quod unus carbunculus, et alii lapides preciosi, qui fuerunt de thesauro Ecclesie Romane olim in civitate Lucana violenter et furtive subtracti(s), dudum venditi Veneciis, Castellane diocesis per quosdam cives Lucanos non modicis preciis extiterint, nos volentes effici super hiis certiores, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus meliori modo et forma quibus poteris super hiis et ea tangentibus, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, veritatem inquirens, que inde repereris, nobis et camere nostre fideliter studeas intimare. Contradictores, etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI. kalendas septembris, anno tercio.

1061 Villeneuve-les-Avignon, 27 août 1344.

Ei mandat ut pecunias collectas, quæ ad Cameram pertinent, Jacobo de Malabayla, vel ejus procuratoribus assignet. (Reg. 138, nºs CCXLIII-XLIV, fol. 73.)

Dilecto filio Johanni de Casleto, canonico Leodiensi, collectori proventuum ad cameram nostram in civitate, diocesi et provincia Coloniensi spectantium auctoritate apostolica deputato. Volentes omnes et singulas —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas septembris, anno tercio.

Eidem mercatori.

1062 Villeneuve-les-Avignon, 27 août 1344.

Cum VIIII kal. aprilis Dalphinus de Flessis, civis Ferrariensis, jurisperitus, infrascriptorum procurator, nonnulla in consistorio promisisset, miratur quod tabellio et scriptor errorem commiserint. (Reg. 138, nº CCXLV, fol. 73 vº.)

Dilectis filiis, nobili viro, Opizoni marchioni Estensi, in civitate nostra Ferrariensi ejusque comitatu et districtu vicario ac consilio, populo et communi civitatis ejusdem. Dudum videlicet VIIII —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas septembris, anno tercio.

1063 Villeneuve-les-Avignon, 29 août 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nº MCLXXI, fol. 312 vº.)

Dilecto filio Petro Pelhissardi, rectori parrochialis ecclesie de Nisassio, Bitterrensis diocesis. Provenit ex tue —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII kalendas septembris, anno tercio.

1064 Villeneuve-les-Avignon, 30 août 1344.

Indulget quod Petrus Rogerii, archidiaconus Blesensis in ecclesia Carnotensi, in cathedralibus et collegiatis ecclesiis, quarum est canonicus, in superioribus chori sedibus sedere possit et almuciam deferre. (Reg. 138, nº CCXLVI, fol. 74.)

Dilecto filio Petro Rogerii, archidiacono Blesensi in ecclesia Carnotensi. Circumspecta sedis apostolice benignitas status et conditiones devotorum diligenter considerans et attendens, ipsos specialis honoris et gratie prerogativa prosequitur, prout devotionis meritis singulorum exigentibus in Deo conspicit expedire. Cum itaque, sicut intelleximus, in quibusdam cathedralibus et collegiatis ecclesiis, in quibus, tu canonicus prebendatus existis ex privilegio, statuto, observantia, vel consuetudine habeatur, quod canonici ecclesiarum ipsarum in sacris ordinibus minime constituti, sedes chori superiores non ascendunt, sed sine almuciis, discohopertis capitibus, tenentur in inferioribus residere, nos te, cum quo dudum dispensasse meminimus, ut tu, quamvis constitutus infra sacros ordines non existas, vocem habeas in capitulo ecclesiarum ipsarum, et ad tractatus communes, Viennensis concilii et aliis quibuscumque constitutionibus aut statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum predictarum, juramento, confirmatione Sedis apostolice, vel alia quacumque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, admittaris, volentes favore prosequi gratie amplioris, quod in omnibus et singulis ecclesiis predictis, in quibus existis canonicus, ut prefertur, in choris et capitulis ac processionibus intra et extra ecclesias ipsas cum aliis canonicis earumdem stare, incedere, ac sedere, almuciam sicut ipsi defferendo, non obstantibus omnibus supradictis, valeas, tibi de speciali gratia tenore presentium indulgemus, non videntes tamen propter hoc eisdem privilegiis, statutis, observanciis et consuetudinibus in aliis quomodolibet derogare. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III kalendas septembris, anno tercio.

1065 Villeneuve-les-Avignon, 31 août 1344.

Episcopo Parisiensi mandat ut Henricus de Malestricto, canonicus Venetensis, si culpam commisisse reperiatur, secundum canonicas sanctiones degradetur. (Reg. 138, nº CCXLVII, fol. 74.)

Venerabili fratri... episcopo Parisiensi. Dudum tam per litteras carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, quam fama seu potius infamia publica referente perducto ad nostri apostolatus auditum, quod Henricus de Bellomonte, alias dictus de Malestricto, canonicus Venetensis, capellanus noster, tam contra honorem et statum regis predicti, qui eum ad sui familiaritatem consilii antea vocaverat et regni sui Francie, nonnulla proditionaliter fuerat machinatus, illaque, quantum in eo erat, deducere studuerat malitiosis conatibus in effectum, quam alia varia et diversa crimina et scelera commiserat detestanda, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino specialem gerimus, per nostras duximus litteras committendum, ut per te vel alium seu alios, cum eodem Henrico qui, captus in partibus Britannie, fuisse dicebatur ad civitatem Parisiensem adductus, et alias secundum canonicas sanxiones, non obstante quod idem Henricus capellanus noster existeret, super predictis et aliis proponendis contra eum simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, veritatem inquirere, ac exhibere auctoritate nostra complementum justicie procurares, sicut in litteris nostris inde plenius continetur. Cum autem utilitatis rei publice intersit, quod scelera et crimina et maxime detestanda et enormia, ut ceteris non relinquatur in similibus exempli pernicies, lima justicie corrigantur, volumus quod super premissis fideliter et diligenter procedens, si talia per eundem Henricum fore patrata repereris, per que debeat degradari, de jure ad hujusmodi degradationem secundum formam juris procedas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas septembris, anno tercio.

1066 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Ei mandat ut castrum Vetrallæ, quod Sanctæ Sedis est, occupet

et rocham seu fortalicium cum dictæ Sedis detrimento constructum retineat. (Reg. 138, nº CCXLVIII, fol. 74 vº.)

Venerabili fratri Bernardo episcopo Viterbiensi, rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia. Hiis que super facto —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1067 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Cum Luchinus de Vicecomitibus, contra treugas per archiepiscopum Januensem initas armatos congregare et terras invadere præsumat, eos rogat ne ex contraria parte idem faciant. (Reg. 138, nº CCXLIX, fol. 74 vº.)

Dilectis filiis consilio et communi civitatis Pisane. Super eo quod —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tertio.

1068 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Cum inter gentes Amedei de Pictavia, domini de Taulinhano et habitatores castri de Valriaco, Sedis Apostolicæ subditos in loco de Monteacuto et pro jure piscandi in flumine vocato Les, jurgium ortum fuisset, thesaurario comitatus Venaissini mandat ut vocatis partibus, judice ac clavario, inquisitionem faciat. (Reg. 138, nº CCL, fol. 75.)

Dilecto filio Petro de Artisio, canonico Mimatensi, comitatus Venaissini nostro et ecclesie Romane thesaurario. Infeste relationis assertio pertulit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod gentes et subditi dilecti filii nobilis viri Amedei de Pictavia, domini de Taulinhano, adversus nonnullos homines et habitatores castri de Valriaco nobis et ecclesie Romane immediate subjecti in quodam rivo seu flumine vocato *Les*, territoria dictorum locorum Taulinhani et Valriaci dividente, ac in loco de Monteacuto, et locis aliis infra dictum Comitatum Venaissini consistentibus, commiserunt excessus varios et enormes, volentes itaque tam super dictis excessibus quam jure piscandi in dicto flumine, et utrum flumen ipsum sit commune, et territoria predicta dividat, informari, discretioni tue, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus ad dictum castrum de Valriaco et alia loca, de quibus expedire videris, te personaliter conferre procurans, vocatis... judice, ac clavario dicti castri necnon gentibus nobilis supradicti, de quibus tibi videbitur, super premissis et eorum singulis solerti et fideli adhibita diligentia diligenter inquirens, et inquisitionem seu informationem, quam inde feceris, sub tuo clausam sigillo, ad nostram Cameram, quantocius commode poteris, transmittere non ommittas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1069 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Quo melius dissensio inter episcopum ex una parte atque decanum ecclesiæ Parisiensis ex altera sopiatur, episcopum rogat ut procuratorem suum ad festum Omnium Sanctorum Avinionem mittat. (Reg. 138, nº CCLI, fol. 75.)

Venerabili fratri Fulconi episcopo Parisiensi. Molesta nobis existit ad modum dissentio, quam inter te, frater, ex parte una, et dilectos filios... decanum et capitulum ecclesie tue Parisiensis ex altera suscitare, sicut intelleximus, studuit hostis pacis, et propterea cupientes eam, que si, quod absit, procederet, varia secum procul dubio periculosa et scandalosa traheret incommoda, per viam tractatus amicabilis, ut eisdem salubriter obvietur incommodis, terminari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus personam discretam aliquam, sufficienter instructam, et ydoneo mandato ad tractandum super hiis et componendum suffultam, hinc ad instans festum Omnium Sanctorum ad nostram presentiam mittere non postponas, interim a quibusvis novitatibus contra prefatos decanum et capitulum ipsorumque officiales et ministros quomodolibet attemptandis penitus abstinendo, cum super eodem ac missione pro parte sua persone similiter instructe, mandatoque sufficienti munite, per alias litteras scribamus eisdem. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1070 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Decano et capitulo ecclesiæ Parisiensis similiter scribit. (Reg. 138, nº CCLII, fol. 75 vº.)

Dilectis filiis... decano et... capitulo ecclesie Parisiensis. Molesta nobis existit ad modum et cœtera. Verbis compe-

tenter mutatis, usque mittere studeatis ; interim a quibusvis novitatibus contra prefatum episcopum ac officialem et ministros suos quomodolibet attemptandis, et maxime a denunciatione officialis Parisiensis predicti penitus abstinendo, cum super eodem, ac missione persone similiter instructe mandatoque sufficienti munite, prefato episcopo per alias litteras nostras scribamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1071 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Ei mandat ut bona defuncti episcopi Teatini colligat. (Reg. 138, nº CCLIII, fol. 76.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Brundusino, in regno Sicilie et terris citra Farum apostolice Sedis nuncio. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1072 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Ei mandat ut bona et blada defuncti episcopi Sorani colligat. (Reg. 138, nº CCLIV, fol. 76.)

Venerabilibus fratribus Turritano et Calaritano archiepiscopis. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1073 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Cum Johannes Amalrici, episcopus Soranus, collector proventuum ad cameram in regno Sardiniae spectantium et olim rector Romandiolæ deputatus, in diversis pecuniarum quantitatibus esset obligatus et cum Ramundus Amalrici de Pedenatio, Agathensis diocesis, frater ejusdem episcopi nonnulla de dictis bonis occupavisset, Jacobum de Broa, archidiaconum de Lunatio, rogat ut dictum Raymundum ad restitutionem faciendam compellat. (Reg. 138, nº CCLV, fol. 76.)

Dilecto filio Jacobo de Broa, archidiacono de Lunacio in ecclesia Bitterrensi. Cum bone memorie —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1074 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Ei mandat ut bona archiepiscopi Tarsensis, quæ decanus et thesaurarius Nicosiensis ac archiepiscopus Famagustanus detinent, sub manu Cameræ ponat. (Reg. 138, nº CCLVI, fol. 76 vº.)

Venerabili fratri Odoni, episcopo Paphensi. Suadentibus certis causis —. Datum ut supra.

1075 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Thesaurario comitatus Venaissini mandat ut inquisitionem faciat de flumine vocato « lo Lez » quod territoria Taulinhani et Valriaci dividit. (Reg. 138, nº CCLVII, fol. 76 vº.)

Dilecto filio Petro de Artisio, canonico Mimatensi, comitatus Venaisini nostro et ecclesie Romane thesaurario. Infeste relationis assertio pertulit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod gentes et subditi dilecti filii nobilis viri Amedei de Pictavia, domini de Taulanhano, diversos excessus adversus nonnullos homines et habitatores castri de Valriaco nobis et ecclesie Romane immediate subjecti, in quodam rivo seu flumine vocato lo Les commiserunt. Volentes itaque tam super eisdem excessibus, quam jure piscandi, videlicet ad quem vel ad quos pertinet seu pertinere consueverit retroactis temporibus, informari, discretioni tue, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad dictum castrum de Valriaco, et alia loca, de quibus expedire videris, te personaliter conferre procurans, vocatis... judice ac... clavario dicti castri, necnon gentibus nobilis supradicti, de quibus tibi videbitur, super premissis et eorum singulis solerti et fideli adhibita diligentia te informes, informationem quam inde feceris sub tuo clausam sigillo ad nostram Cameram quantocius commode poteris transmissurus. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1076 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Ei de decima regi Bohemiæ concessa scribit. (Reg. 138, nº CCLVIII, fol. 77.)

Venerabili fratri Pretzlao, episcopo Wratislaviensi. Pro parte carissimi —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1077 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Cum a nonnullis civibus de Nemauso, Sancto Egidio vel Bellicadro, salmata vindemie vel vini in Nemausensi, Arelatensi et Uticensi diœcesibus nimis care venderetur, decernit ut salmata hoc anno VII solidi et VI denarii ematur, secundum pretium quod Johannes Durandi, decanus Beatæ Mariæ de Villanova et Stephanus Sudre, canonicus Rivensis, fecerant ; imo Casinensi et Forojuliensi episcopis, thesaurariis suis mandat ut hii, qui non parebunt, ad solvendum subsidium contra Turcos cogantur. (Reg. 138, nº CCLIX, fol. 77 vº.)

Venerabilibus fratribus Stephano, Casinensi, et Guillelmo, Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Clamor querulosus et validus multorum Romane Curie curialium perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod adeo nonnullorum civium Nemausensium et habitatorum castrorum, seu locorum de Sancto Egidio, et de Bellicadro, ac partium circumadjacentium Nemausensis, Arelatensis et Uticensis diocesis, de quibus nos et fratres nostri sancte Romane ecclesie cardinales ac curiales predicti habere vina pro magna parte ad usus nostros tempore vindemiarum consuevimus hactenus, curia ipsa in civitate Avinionensi residente, sicut nunc residere noscitur, sic creverat excogitata malicia hiis diebus, quod, licet anno presenti tanta, illo donante, a quo cuncta bona procedunt, fore dicatur esse fructuum vinearum civitatis et locorum predictorum fertilitas, quod pro competenti precio vendi et emi potest vindemie seu vini salmata, que ibi ab hactenus fieri consuevit ; ipsi tamen, quasi facto, sicut asseritur, monopolio inter eos, quasi ex uno loquentes ore, nostris et eorumdem cardinalium aliorumque curialium predictorum ministris et emptoribus missis ad partes illas propter hoc, se daturos salmatam hujusmodi, nisi pro excessivo et inmoderato precio, considerata qualitate presentis temporis responderunt. Nos igitur, clamoribus et querelis hujusmodi nimis displicenter auditis, ad instar quorumdam Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, volentes, ne sic enormiter possit ledi ejusdem Curie publica utilitas, de oportuno remedio super hiis providere, vobis nuper dedisse verbotenus meminimus in mandatis, ut ad civitatem Nemausensem et alia castra seu loca predicta probos viros aliquos mitteretis, qui cum consulibus et administratoribus aliisque probis viris civitatis, castrorum et locorum predictorum, rationabilibus habitis colloquiis et tractatibus, poni salmatam predictam sub competenti et rationabili precio, fertilitate presentis temporis, et currentis monete in regno Francie valore attentis, viis et modis quibus possent, melius procurarent, cum facultate censuram ecclesiasticam exercendi adversus illos, qui essent extimationis et moderationis faciendarum super hiis transgressores. Cumque vos mandatum nostrum hujusmodi reverenter, ut tenebamini, exequentes, dilectos filios Johannem Durandi, decanum ecclesie Beate Marie de Villanova, Avinionensis diocesis, et Stephanum Sudre, canonicum Rivensem pro predictis ad civitatem et castra seu loca predicta cum nostris litteris duxeritis destinandos, ipsique, sicut relatum extitit coram nobis, cum consulibus et probis viris civitatis, castrorum seu locorum ipsorum tracta(n)tibus habitis, et attentis hiis que secundum rationem et equitatem attendi poterant predictis circumspectis omnibus et debebant, ad hoc tandem devenerunt cum eis et in hanc concordiam remanserunt, quod salmata racemorum, eo modo quo in locis consuevit fieri supradictis, ultra vel supra precium, septem solidorum et sex denariorum Turonensium parvorum, monete nunc currentis in regno predicto, hiis presentibus vindemiis per curiales eosdem non emeretur, vel eis venderetur in civitate ac castris et locis predictis, adversus transgressores quoscumque curiales prefatos per memoratos decanum et canonicum, ex potestate per nos eisdem auctoritate nostra concessa, excommunicationis sententia promulgata. Nos autem, premissis omnibus diligentius intellectis, ea rata habentes et grata, volumus, quod nullus clericus vel laycus, eandem Romanam sequens curiam, cujuscumque conditionis, ordinis, dignitatis vel status existat, qui pro nobis vel eisdem cardinalibus, ac se ipso vel alio hujusmodi ordinationis transgressor excommunicationis sententiam incurrerit supradictam, ab ea possit a quoquam absolvi preterquam in mortis articulo, sicut est expressum in jure, nisi prius tantum de bonis suis dederit et solverit, pro subsidio fidelium Romanie ac aliarum transmarinarum partium contra Turchos, quantum erit precium totius vindemie seu vini, quam vel quod emerint vel solverint pro emptione hujusmodi, directe vel indirecte, publice vel occulte, sub quovis quesito colore ultra precium supradictum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus contenta in presentibus litteris, ne aliqui pretextu ignorantie velamen excusationis assumat, faciatis in eadem curia et locis aliis, de quibus expedire videritis, publicari, supradictas sententias adversus contumaces et rebelles in hac parte quoslibet prout eorum rebellionis et contumacie protervitas exe-

gerit et expedire videritis, nihilominus aggravando. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1078 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Infrascriptis concedit altare portatile. (Reg. 138, nos MCLXXXVIIII-MCLXXXXI, fol. 313 vo.)

In eodem modo *dilecte filie, nobili mulieri, Guie relicte quondam Guidonis de Pestello, vidue Tutellensis diocesis.* Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

Florie uxori dilecti filii, nobilis viri, Aymerici de Pestello, domicelli, Tutellensis diocesis.

Petro de Sancto Marciale, domicello, Tutellensis diocesis.

1079 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, no MCCII, fol. 315.)

Item in eodem modo *dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Heliadi uxori dilecti filii nobilis viri Astorgii de Duroforti, domicelli, Lemovicensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis Diocesis, IIII nonas septembris, anno tercio.

1080 Villeneuve-les-Avignon, 2 septembre 1344.

Eis mandat ut Petrum archipresbiterum ecclesie Galtellinensis qui quasdam falsas litteras fabricari fecerat, capiant et sub fida custodia mittant ad Curiam. (Reg. 163, De Curia, no I, fol. 1 ro.)

Clèmens episcopus venerabilibus fratribus... archiepiscopo Turritano et... Castrensi ac... Empuriensi episcopis salutem. Nuper si quidem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas septembris, anno tertio.

1081 Villeneuve-les-Avignon, 4 septembre 1344.

Infrascripto, qui Sedi Apostolicæ famulatur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, nos MCXX et MCXXI, fol. 298 vo.)

Dilecto filio Guidoni de Pestello, archidiacono Beneventano in ecclesia Ovetensi, bacallario in decretis. Ex tue devotionis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas septembris, anno tercio.

Judicibus dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim Aurelianensis diocesis ac archidiacono Lomberiensis et sacriste Avinionensis ecclesiarum.

1082 Villeneuve-les-Avignon, 5 septembre 1344.

Regi Franciæ Guillelmum de Aqueria, familiarem suum, Avinionensem commendat. (Reg. 138, no CCLX, fol. 78.)

Carissimo in Christo filio, Philippo, regi Francie illustri. Dilectum filium, nobilem virum, Guillelmum de Aqueria, de Avinione, familiarem nostrum, servientemque armorum regium, ad regalem presentiam se, ut intelleximus, conferentem, super suis agendis benivolentie regie propensius commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis septembris, anno tercio.

1083 Villeneuve-les-Avignon, 8 septembre 1344.

Jacobo de Broa, archidiacono de Lunatio in ecclesia Biterrensi mandat ut Andreæ Fredoli, abbatis Sancti Aphrodisii Biterrensis defuncti bona colligere atque conservare velit. (Reg. 138, no CCLXI, fol. 78.)

Dilecto filio Jacobo de Broa, archidiacono de Lunatio in ecclesia Bitterrensi. Dudum certis rationabilibus causis ad hoc nos moventibus, dispositionem bonorum mobilium quondam Andree Fredoli, abbatis secularis ecclesie Sancti Affrodisii Bitterrensis, nobis duximus specialiter reservandam. Volentes igitur de bonis hujusmodi, ut inde possit melius et plenius, quod ordinandum super hoc duxerimus, certius informari, eaque nostro nomine colligi et fideliter conservari, discretioni tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, per te vel alium seu alios, bona ipsa, quecumque sint et in quibuscumque rebus consistant, et per quascumque detineantur vel debeantur personas super quibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit, te informes, petere, exigere, recipere ac fideliter conservare procures. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno tercio.

1084 Villeneuve-les-Avignon, 8 septembre 1344.

Eidem Jacobo mandat ut bona defuncti Guillelmi Lombardi, rectoris ecclesiæ de Montegiscardo, Tholosanæ diœcesis, colligat. (Reg. 138, nº CCLXII, fol. 78 vº.)

Eidem, similis, de bonis quondam Guillelmi Lombardi, rectoris ecclesie de Montegiscardo, Tholosane diocesis; Datum ut supra.

1085 Villeneuve-les-Avignon, 8 septembre 1344.

Eis rogat ne episcopum Lucanum, cujus sunt castra Montiscoperi et Sanctæ Mariæ in Monte, vexent. (Reg. 138, nº CCLXIV, fol. 79.)

Dilectis filiis prioribus artium, consilio et communi civitatis Florentine. Venerabilem fratrem nostrum —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno tercio.

1086 Villeneuve-les-Avignon, 8 septembre 1344.

Regi Armeniæ, qui Franciscum Presbyterum de Pisis Avinionem miserat, respondet se ecclesiæ Tarsensi providere et legato mandare ut naves ei mittat in subsidium. (Reg. 138, nº CCLXV, fol. 79 rº.)

Carissimo in Christo filio Guidoni regi Armenie illustri. Nuper dilectum filium Franciscum Presbyterum de Pisis, tue celsitudinis nuncium destinatum ad nostram presentiam, et litteras regias per ipsum nostro apostolatui presentatas letanter mittentis consideratione recepimus et benigne, tandemque hiis, que idem nuncius coram nobis ex parte regia curavit proponere, favorabiliter et plene auditis contentisque in eisdem litteris intellectu pleno collectis, quia te velut nostrum et ecclesie filium carissimum gerimus in visceribus caritatis, circa ea, que tui honoris et commodi respicerent incrementa, paternis et benivolis affectibus intendentes, super provisione Tarcensis ecclesie, tuis petitionibus utique justis et honestis, ut credimus, gratiose duximus annuendum et nichilominus venerabili fratri nostro Henrico, patriarche Constantinopolitano in partibus transmarinis apostolice Sedis legato, per litteras scribimus oportunas, ut super navali subsidio et alias, sicut commode fieri poterit, tibi et fidelibus regni tui assistere non postponat. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno tertio.

1087 Villeneuve-les-Avignon, 8 septembre 1344.

Henricum, patriarcham Constantinopolitanum, in partibus transmarinis legatum, rogat ut Guidoni regi Armeniæ copias vel naves contra Agarenos in subsidium mittat. (Reg. 138, nº CCLXVI, fol. 79 rº.)

Eidem legato. Cum regnum Armenie, in quo catholice fidei viget cultus, per Agarenorum infidelium sevitiam, sicut compassibiliter intelleximus, sepius molestetur, volumus quatinus carissimo in Christo filio nostro Guidoni, regi Armenie illustri et fidelibus regni sui, contra ipsos Agarenos, tam navali quam aliis auxiliis et favoribus oportunis, quibus decenter et commode poteris, assistere non postponas, rescripturus nobis sepius super statu partium illarum et aliis que tue prudentie occurrerint rescribenda. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus septembris, anno tercio.

1088 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Ei mandat ut bona Berengarii Tusculani episcopi colligat, quæ per Andream Fredoli detinebantur. (Reg. 138, nº CCLXIII, fol. 78 vº.)

Dilecto filio Jacobo de Broa, archidiacono de Lunatio in ecclesia Bitterrensi. Cum quondam Andreas Fredoli, abbas secularis ecclesie Sancti Affrodisii Bitterrensis, nonnulla bona que fuerant bone memorie Berengarii episcopi Tusculani et pro executione testamenti sui seu ultime dispositionis dimissa receperit, ut intelleximus conservanda, nos volentes de bonis hujusmodi quecumque sint... certiores effici eaque fideliter... conservari... discretioni tue per apostolica scripta mandanus quatinus bona predicta sub manu nostra recipere ac fideliter conservando... cum integritate procures. Non obstante... Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1089 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Thesaurariis suis mandat ut fructus quorumdam beneficiorum

reservatorum pro Camera colligantur. (Reg. 138, nº CCLXVII, fol. 79 vº.)

Venerabilibus fratribus Stephano, Casinensi et Guillelmo, Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Multorum instanciis, etiam importunis interdum, quorum aliqua ecclesiastica beneficia, cum cura vel sine cura, etiam dignitates, personatus, prioratus, administrationes, canonicatus, prebendas, officia et alia loca, secularia vel regularia per nos vel predecessores nostros Romanos pontifices cum interpositione decreti reservata, ex causa permutationis, alii vero ex simplici collatione seu provisione illorum, ad quos alias spectabat de jure, reservationem et decretum ignorantes predicta, nonnulli etiam illegitime nati vel excommunicati seu irregulares aut alios defectus, impedimenta vel inhabilitates alias patientes, absolutionibus, dispensationibus et habilitationibus non obtentis, se assecutos dicebant, sepius inclinati, collationes et provisiones hujusmodi per modum gratificationis, ratificationis vel alias, sicut habent diversarum litterarum nostrarum inde confectarum tenores, duximus approbandas, illas proinde valere volentes, ac si reservationes et decretum non processissent hujusmodi, aut defectus, inhabilitates, irregularitates, seu alia impedimenta tempore collationum et provisionum sibi factarum de dictis beneficiis minime paterentur, fructus medio tempore bona fide perceptos aliquibus eorum de speciali gratia nihilominus remittendo. Attendentes igitur quod gratie nostre hujusmodi vim nove collationis obtinent, et quod propter hoc fructuum, redditum et proventuum annalium beneficiorum ecclesiasticorum, ubicumque consistentium, ex nostra vel eorundem predecessorum speciali vel generali reservatione vel aliis justis et canonicis causis, sub certis modis et formis reservatorum et applicatorum nostre Camere, perceptione non debet eadem Camera defraudari, nostre intentionis extitit et existit, quod, non obstantibus gratiis nostris, hujusmodi fructus, redditus et proventus annales beneficiorum predictorum, juxta tenorem litterarum nostrarum super reservatione ac applicatione predictis confectarum, exigantur et recipiantur, et idem de illis beneficiis intelligimus que, ut prefertur, reservata per quoscumque, cujuscumque status vel conditionis existant, obtenta sunt, vel obtinebuntur de cetero, ex concessione nostra sub quacumque conceptione verborum ipsis facta vel inantea facienda, ut de beneficiis reservatis hujusmodi sibi valeant facere provideri. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos vel alter vestrum, per vos ac collectores et subcollectores vestros ad exactionem et receptionem fructuum annalium beneficiorum predictorum, que reservata fuerant, ut prefertur, juxta tenorem litterarum predictarum procedere, providendo indempnitati ejusdem Camere super hiis, studeatis. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1090 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Hugo, canonicus Parisiensis episcopatui Lingonensi præficitur. (Reg. 138, nº CCLXVIII, fol. 80.)

Dilecto filio Hugoni electo Lingonensi. Pridem ecclesia Lingonensis per obitum bone memorie Johannis, episcopi Lingonensis, in illis partibus decedentis, pastoris solatio destituta, nos de provisione illius, quam certis causis rationabilibus nobis ea vice reservaveramus specialiter, ne diutine vacationis subjaceret incommodis, solicite cogitantes, et ad te, canonicum ecclesie Parisiensis, dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua, nobis et fratribus nostris accepta, duximus, eidem Lingonensi ecclesie de dictorum fratrum consilio providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, onus impositum tibi super hiis suscipiens reverenter, sic ad providam gubernationem dicte Lingonensis ecclesie cures dirigere studia mentis tue, quod sub tuo fructuoso regimine, assistente tibi divina gratia, commodis spiritualibus et temporalibus augeatur, tuque nostram et apostolice Sedis gratiam merearis uberius non indigne Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1091 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Petrus, decanus ecclesiæ Parisiensis, episcopatui Silvanectensi præficitur. (Reg. 138, nº CCLXIX, fol. 80.)

Item in eodem modo *dilecto filio Petro electo Silvanectensi* mutato ubi dicitur, canonicum, dicatur decanum ecclesie Parisiensis, ac ubi dicitur bone memorie Johannis, dicatur bone memorie Roberti. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1092 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Regi Franciæ gratias agit de venatione per Colardum de Trapis missa. (Reg. 138, nº CCLXX, fol. 80.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Leto recepimus animo venationem a regia celsitudine missam nobis copiosissime, et per dilectum filium, nobilem virum, Colardum de Trapis, servientem armorum regium, placibiliter presentatam, super que regali benivolentie gratiarum referimus actiones. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1093 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Hugo de Rupe, miles, rector comitatus Venaissini constituitur. Reg. 138, nº CCLXXXII, fol. 85 vº.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Rupe, militi, rectori comitatus Venayssini. Inter ceteras terras et provincias nobis et ecclesie Romane inmediate subjectas, comitatum Venaissini paternis affectibus... et ad te, per cujus fidelem et circumspectam industriam posse confidimus... te generalem rectorem ejusdem comitatus ipsiusque districtus et pertinentiarum usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum in temporalibus deputamus, et volumus quod jurisdictionem spiritualem, que in fulcimentum temporalis duntaxat exerceri per rectores ejusdem comitatus consuevit, ibidem facias per personam ydoneam ecclesiasticam, a te super hoc deputandam, in fulcimentum hujusmodi, tantummodo cum necesse fuerit, exerceri... Quocirca etc... Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1094 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Infrascriptis mandat ut rectori Hugoni de Rupe obœdire velint. (Reg. 138, nº CCLXXXIII, fol. 86.)

Venerabilibus fratribus universis episcopis et dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum rectoribus, et personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus Cisterciensibus, Cluniacensibus, Sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum ordinum, magistris quoque prioribus et preceptoribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, necnon comitibus, baronibus et aliis nobilibus ac communitatibus, universitatibus et populis ceterisque personis ecclesiasticis et secularibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per comitatum Venayssini constitutis. Inter ceteras terras et provincias. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1095 Villeneuve-les-Avignon, 10 septembre 1344.

Rectori comitatus Venaissini cotidianum stipendium, videlicet XL solidi turonensium, datur. (Reg. 138, nº DCXLVIII, fol. 175 vº.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Rupe, militi, rectori comitatus Venayssini. Cum tibi, de cujus fidelitate et circumspectione confidimus, rectoriam comitatus Venayssini, ad nos et ecclesiam Romanam immediate spectantis, duxerimus usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum per nostras litteras, sicut in eis continetur, plenius comitendam, nos volentes tibi pro te tuisque familiaribus de necessariis congrue provideri, quadraginta solidos turonensium parvorum per te, singulis diebus quibus rectoriam hujusmodi gesseris, percipiendos, et per dilectum filium... thesaurarium nostrum et ejusdem ecclesie Romane in eodem comitatu tibi solvendos de proventibus ibidem colligendis per eum pro tuis stipendiis tenore presentium deputamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII idus septembris, anno tercio.

1096 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Cardinali tituli Sancti Martini in Montibus Guillelmum Furnerii, militem, Benedicti XII parentem, commendat. (Reg. 138, nº CCLXXI, fol. 80.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato. Cupientes dilectum filium, nobilem virum, Guillelmum Furnerii, militem, presertim consideratione felicis memorie Benedicti pape XII, predecessoris nostri, de cujus parentela proxima existebat, gratiosis prosequi favoribus ac in suis bonis et juribus confoveri, prefatum militem, ut eidem in suis agendis, prout honeste fieri poterit, favoribus

oportunis assistas, tue benivolentie propensius commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tercio.

1097 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Duci Brabantiæ, qui nuntios decanum ecclesiæ Terremondensis et Robertum de Glinden, senescallum, Avinionem pro quibusdam negotiis miserat, respondet. (Reg. 138, n° CCLXXII, fol. 80.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, duci Brabancie. Nuper ad nostram venientes presentiam dilectos filios, magistrum Henricum, dictum Coke, decanum ecclesie Terre mondensis, Cameracensis diocesis, capellanum nostrum, et nobilem virum Robertum de Glinden, militem, ducalis tue domus senescallum, nuncios tuos, et litteras nobilitatis tue ab eis nostro apostolatui presentatas, solite benignitatis affectu recepimus, et ea que ipsi nuncii pro parte nobilitatis ejusdem curaverunt exponere, predicteque continebant littere, pleno collegimus intellectu. Cumque primo prefati nuncii tangerent illa super quibus alias jamdudum prefatus capellanus nobis pro parte tua locutus fuerit, et nos responderamus tue prudentie per cedulam in nostris inde tibi directis litteris interclusam, attentis hiis que nobis possunt ad presens occurrere, nichil videmus aliud, nisi quod in ipsa continebatur, respondendum ; ad olim vero quod de quodam interdicto subsequenter adjecerunt nuncii supradicti, precibus tuis, quantum fieri honeste potuit, favorabiliter annuimus, sicut ipsi nuncii referre tue magnificentie poterunt viva voce. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tercio.

1098 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Regem Armeniæ, cujus nuntios, videlicet Mascarensem et Trapisundensem episcopos, Danielem Armenum, ordinis Fratrum Minorum, et Gregorium de Sargiis militem clementer accepit, hortatur ut hæresim in regno exstirpet. (Reg. 138, n° CCLXXIII, fol. 80 v° ; Raynaldi VI, 345.)

Carissimo in Christo filio Guidoni, regi Armenie illustri. Pridem ad nostram venientes presentiam et tue celsitudinis litteras presentantes venerabiles fratres nostros Johannem, Mascarensem et Antonium Trebosonensem, episcopos ac dilectos filios Danielem Armenum ordinis fratrum Minorum et nobilem virum Gregorium de Sargiis militem, ambassiatores et nuncios regios benigne recepimus et que ipsi super ambassiata sua juraverunt coram nobis proponere predicteque continebant littere, favorabiliter et patienter audivimus et pleno collegimus intellectu. Et quamvis, fili carissime, tam ex propositis per ipsos ambassiatores et nuncios quam aliorum fidedignorum relatibus compererimus nimium displicenter quod per nonnullos Armenos contra veritatem fidei catholice, quam ad salutem docet, tenet et predicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra, foventur, tenentur, et docentur in aliquibus articulis execrandi et detestandi errores in aliquibus partibus dicti regni, speramus tamen quod tu, fili dilectissime, qui, sicut letanter admodum intelleximus, velut princeps christianissimus et ejusdem fidei splendore prefulgidus, ad eam colendam et dilatandam studiis devotis et ferventibus te impendis, ad tollendos et radicitus extirpandos hujusmodi et quosvis errores alios, obnubilantes claritatem ejusdem fidei de medio fidelium dicti regni, operosis tibique apud Deum non parum meritoriis solicitudinibus effectualiter laborabis : ex quo quidem si hoc, ut desideranter optamus et efficaciter petimus, feceris, procul dubio tuis et regni tui predicti status continuis prosperabitur sucessibus et ecclesia que, sicut cum fide ipsa communionem habet indivisibilem, quod una in honore non habita nequit altera honorari, nec derogatur quomodolibet fidei quominus ecclesie detrahatur, tibi, tanquam predilectissimo filio intra ipsius ecclesie brachia dulciter recumbenti, aderit, quantum poterit consiliis, auxiliis et favoribus oportunis et nichilominus ex hiis et aliis tuis meritoriis operibus, quibus assistente tibi gratia illius, qui dat regnare principibus, ut in Domino confidimus, insudabis, post coronam regni temporalis, quod obtines, coronam perennem et immarcessibilem regni consequeris sempiterni. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tertio.

1099 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Petitioni ducis Normanniæ, locumtenentis regis Franciæ in partibus occitanis annuens, magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani rogat ut Stoutus de Riuterio, tunc preceptor domus de Villadei ad prioratum Tholosanum transferatur, quem Aycardus de Miromonte defunctus obtinuerat. Optat quoque ut Simo de Rupecavardi, miles, preceptor domus Villædei nominetur. (Reg. 138, n° CCLXXIIII, fol. 81.)

Dilectis filiis Heliono de Villanova, magistro, et conventui Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Dudum veridica relatione percepto prioratum Tholosanum domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, per obitum quondam Aycardi de Miromonte, prioris ejusdem domus, vacare, quodque dilectus filius Stoutus de Riuterio, preceptor domus de Villadei, ejusdem Hospitalis, Montisalbane diocesis, de multis virtutum meritis apud nos et sedem apostolicam multipliciter commendatus, per visitatores et majorem partem preceptorum domorum predicti Hospitalis infra prioratum predictum consistentium, in priorem dicti prioratus Tholosani concorditer nominatus fuerat, et eidem tanquam sufficienti, circumspecto et ydoneo administratio dicti prioratus juxta morem religionis Hospitalis ejusdem extiterat commendata, nostras exhortatorias litteras tibi, fili magister, ut eundem Stoutum tanquam sufficientem, utilem, et ydoneum predicto prioratui curares preficere, direxisse et responsionem tuam ad eas recepisse inter cetera continentem meminimus, quod prioratum predictum ad duos annos reservandum provideras, ut de illius proventibus usque ad certam summam utilius provideretur navali stolio, quod ad presens tenere in partibus transmarinis dinosceris contra Turchos ; quamobrem super provisione prioratus predicti te pro tunc supplicasti haberi humiliter excusatum. Et licet tunc nobis, qui ad defensionem et subsidium fidelium partium predictarum contra sevientem et crudelem Turchorum predictorum rabiem non parum afficimur, grata ex causa hujusmodi advenerit excusatio supradicta, quia tamen dilectus filius, nobilis vir, Johannes primogenitus carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, dux Normannie, ipsiusque regis locumtenens, qui diebus hiis in partibus Tholosanis moram traxit, sicut adhuc trahere noscitur, multum cordialiter, et quamplures alii nobis affectuosis instantiis supplicarunt, ut memoratum Stoutum ordinaremus prefici prioratui supradicto, aliquibus nichilominus apud nos instantibus, ut eidem de dicto prioratu providere auctoritate apostolica, quibus propter bonum Hospitalis predicti annuere in hac parte pro tunc noluimus, dignaremur. Videtur nobis procul dubio tibi, tueque religioni et prioratui sepefato expediens, presertim cum diutina ipsius vacatio manifesta eidem afferre asseratur incommoda, quod prenominato Stouto de dicto prioratu non differas amplius providere, retenta tamen pensione de proventibus prioratus ejusdem moderanda juxta nostre dispositionis arbitrium pro dicto navali subsidio, et ab eodem Stouto per tempus solvenda predictum. Quocirca volumus ac universitatem vestram rogamus et hortamur attente, sano paternoque vobis nihilominus consilio suadentes, quatenus provisionem hujusmodi de dicto prioratu, ejusque domibus, grangiis et aliis juribus et pertinentiis suis, prout idem Aycardus ea tenebat, dum viveret, sub retentione predicta, dicto Stouto ad vitam suam facere studeatis. Rursus quia dilectum filium Symonem de Ruppecavardi, militem Hospitalis predicti, tam ipsius probitatis meritis olim ante ingressum religionis predicte familiari experientia nobis notis, quam certis aliis considerationibus gerimus in visceribus caritatis, precibus et exhortationibus nostris adicimus, ut de preceptoria domus predicte Villedei, quam presentialiter obtinet dictus Stoutus, eidem Symoni, non obstante quod per tempus statutum ab ordine vestro, in eodem vel in conventu Rodi non fuerit, aut in prioratu predicto receptus ad religionem Hospitalis predicti non extiterit, et aliis oportunis clausulis ad vitam suam providere velitis, sic preces et exhortationes nostras hujusmodi efficaciter et benivole completuri, quod nos devotionis vestre promptitudinem exinde commendare merito valeamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tercio.

1100 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Eum rogat ne procuratores Ademari, presbiteri cardinalis tituli Sanctæ Anastasiæ vexare velit, quibus mandatur ut fructus et proventus ecclesiæ de Ayemyustre, Exoniensis diœcesis percipiant. (Reg. 138, n° CCLXXV, fol. 81 v°.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Exoniensi. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tercio.

1101 Villeneuve-les-Avignon, 11 septembre 1344.

Compositionem factam inter dalphinum et archiepiscopum Viennensem pro jurisdictione villæ de Romanis, ratam habet. Castrum de Visano a dalphino Sedi Apostolicæ pro 12.000 florenorum auri datur. (Reg. 138, n° CCLXXX, fol. 82 v°.)

Venerabili fratri... episcopo Grationopolitano et dilectis filiis Guillelmo de Varey, priori Sancti Benedicti de Seys-

siaco, nec non nobilibus viris, Geraldo de Margarita, Ludgunensis, et Lemovicensis diocesis ac Guillelmo de Ruyvo, Grationopolitano, militibus. Quia regis pacifici et eterni, cujus in pace locus factus est, vices, licet insufficientibus meritis, tenemus in terris, ut eas utroque saltem exequamur ipsius, ad removenda de medio fidelium scandala, et salubria inter eos pacis semina jacienda, solicitudinis nostre studia libenter dirigere, quantum nobis ex alto permittitur, procuramus. Sane frequentibus et plerumque molestis nimis insinuationibus perducto sepius ad nostri apostolatus auditum, quod inter dilectos filios nobilem virum Humbertum Dalphinum Viennensem, ejusque predecessores ex parte una, et homines habitatores ville de Romanis, Viennensis diocesis, que ad ecclesiam beati Bernardi de Romanis spectare consuevit, et in eadem villa archiepiscopus Viennensis, qui est pro tempore, velut abbas ecclesie prelibate, jurisdictionem omnimodam, preterquam in certis casibus ad dilectos filios capitulum ipsius ecclesie spectantibus, exercere solitus est, ex altera, graves variis, dispendiosis amicte periculis dissentiones et discordie, instigante inimico humani generis, hactenus suscitate fuerunt, ex quibus guerrarum calamitas, vastitates hostiles, invasiones, rapine, vulnerationes, homicidia, et alia mala innumera, pro dolor ! sunt secuta, et ampliora suscitare, ac suscitata inflammare ipsius hostis malicia minabatur ; et nichilominus relatibus veridicis intellecto quod inter felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, et eundem Dalphinum, ratione cujusdam donationis de castro de Avisano, Tricastrine diocesis, jurium et pertinentiarum ipsius, per prefatum Dalphinum memorato predecessori et ecclesie Romane, ut asseritur, dudum facte, questionis materia invicem orta fuit, nos, ad quos omnium ecclesiarum dispositio et earum providere utilitatibus et precavere indempnitatibus plene spectat, per vias accomodas, ac honorem Dei, utilitatem ejusdem Romane Ecclesie, ac pacem, quietem et commodum partium predictarum, cupientes discordias, discentiones et questiones hujusmodi, ut Viennensis et predicta de Romanis ecclesie ipsarumque persone, necnon Dalphinus prefatus et ejus successores, ac homines ville jamdicte deinceps, precisis et omnino sublatis eisdem discordiis, dissentionibus et questionibus letentur amenitate pacis et concordie, terminare, habita cum quibusdam ex fratribus nostris ejusdem Romane ecclesie cardinalibus deliberatione provida et matura, attendentes quod dicti archiepiscopus Viennensis, et capitulum ecclesie de Romanis predicte, qui prefatam villam de Romanis tenuerunt et possederunt, in eaque consueverunt jurisdictionem omnimodam, sicut premittitur, exercere, quamvis asseratur ab aliquibus fidedignis et in scripturis quibusdam antiquis contineri dicatur villam eandem pertinuisse ad supradictam Romanam ecclesiam ab antiquo, tam ipsi, quam populus ac homines et habitatores ville predicte, considerata multitudine vicinorum potentium, emulorum suorum, fore ad deffentionem ipsius videntur et visi sunt, hiis temporibus preteritis, adeo, docente magistra rerum experientia, impotentes, quod propter hoc villa, populus et habitatores predicti varia personarum et rerum dispendia sunt perpessi, et nihilominus proventus et emolumenta jurisdictionis predicte prelibatis archiepiscopo et capitulo quasi penitus inutilia reddebantur. Tandem pro utilitate communi, ac bono tranquillitatis et pacis, certus tractatus per nos cum eodem Dalphino habitus extitit, et cum deliberatione provida et matura concordatus et perfectus, secundum articulos qui secuntur : In primis videlicet concordatum est inter nos et prefatum Dalphinum Viennensem, quod dicta villa de Romanis communicetur, et pro parte communicata de novo in perpetuum dicto Dalphino Viennensi heredibus et successoribus suis, et tamen ab eo habentibus et habituris, ita quod, remanentibus et manere debentibus archiepiscopo Viennensi et ecclesie collegiate dicte ville de Romanis omnibus redditibus in solidum, et obventionibus suis propriis, exceptis hiis que obvenire possunt ex jurisdictione, omnis jurisdictio alta et bassa, justicia, merum et mixtum imperium et omne emolumentum ex eis proveniens sint et erunt communes et communia pro indiviso inter predictos archiepiscopum et capitulum dicte Ecclesie de Romanis, ac prefatum Dalphinum, per communes officiales exercenda ; ita tamen quod dictus Dalphinus medietatem et archiepiscopus ac capitulum habeant aliam medietatem pro partibus per nos declarandis, inter archiepiscopum et capitulum prelibatos, et quod claves portarum dicte ville etiam sint communes, et etiam fortalicium Montissecuri in quo fiat carcer communis. Item quod nec archiepiscopus nec capitulum nec etiam Dalphinus predicti possint ibi habere aliquos officiales seu administratores speciales pro exercitio jurisdictionis vel alicujus superioritatis, sed quod omnia, ut predicitur, per communes officiales exerceantur, hoc tamen salvo quod archiepiscopus et capitulum

ac Dalphinus predicti pro redditibus et obventionibus, quos ibi habent et habebunt in futuro, possint habere aliquos bajulos seu ministros, quilibet pro suis redditibus colligendis et conservandis, ita quod nec archiepiscopus, nec capitulum nec etiam Dalphinus supradicti per se vel suos officiales possint in dicto loco de Romanis jurisdictionem temporalem aliquam exercere nisi per officiales communes cognoscende et terminande. Item quod prime appellationes pertineant communiter ad predictos archiepiscopum et capitulum et Dalphinum per officiales communes cognoscende et determinande; secunde vero appellationes, et ulteriores, ad nos et Romanam ecclesiam et successores nostros debeant pertinere. Item quod prefati homines de Romanis non teneantur sequi nec juvare dictum Dalphinum contra ecclesias Romanam, Lugdunensem, Viennensem, Valentinensem et Diensem et dicti loci de Romanis, et alias quascumque. Item quod prefatus Dalphinus possit edificare palatium et fortalicium in dicta villa de Romanis et extra, ubicumque sibi placebit, juxta muros dicte ville, et supra, vel alibi, cum ingressu et egressu per dictos muros. Item quod homines dicte ville de Romanis non teneantur ad aliquod homagium prestandum dicto Dalphino, sed juramentum fidelitatis, de quo in eorum statutis antiquis mentio habetur, quod prestabunt eisdem archiepiscopo ac capitulo ac Dalphino. Item quod prefatus Dalphinus teneatur dicte ville de Romanis competens et moderatum territorium assignare et declarare, quod territorium sit commune archiepiscopo, capitulo et Dalphino sicut et villa predicta. Item quod idem Dalphinus teneatur laudabiles libertates dicte ville de Romanis observare. Item quod teneatur bastidam noviter edificatam citra pontem de Romanis funditus tollere et removere, que ulterius reedificari non possit. Item quod prefatus Dalphinus det et dare teneatur nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus ex causa permutationis et infeudationis predicte, dictum castrum de Avisano cum hominibus, mandamento et territorio, mero et mixto imperio, jurisdictione alta et bassa, juribus, redditibus et proventibus universis ad tenendum et possidendum per nos et eosdem Romanos pontifices successores nostros imperpetuum, nichil penitus sibi retento in castro, hominibus, mandamento et Territorio, et aliis predictis. Item quod, pro majori valentia dicti castri de Avisano, nos demus et dare teneamur ipsi Dalphino duodecim milia florenorum auri, in quibus computentur quatuor milia florenorum auri in extenuationem cujusdam debiti sexdecim milium triginta quinque florenorum auri, in quibus idem Dalphinus Camere apostolice noscitur esse obligatus, et octo milia florenorum auri restantia tradantur realiter dicto Dalphino. Rursus super electione officialium dicte ville de Romanis concordatum est inter nos et prefatum Dalphinum, ut sequitur ; videlicet, quod uno anno prefati archiepiscopus et capitulum ecclesie de Romanis eligant correarium, et eodem anno dictus Dalphinus eligat judicem, et alio anno sequenti prefatus Dalphinus eligat correarium, et dicti archiepiscopus et capitulum eligant judicem et sic fiat annis sequentibus successive. Item quod archiepiscopus capitulum et Dalphinus predicti nominent notarios pro communi curia regenda. Item quod unus nominet unum, et alius alium, vel plures si videbitur expedire modo predicto, et hoc item fiat de preconibus, servientibus, et aliis ministris et officialibus, prout viderint expedire. Item quod precones in quibuscumque preconizationibus ex parte archiepiscopi, ecclesie de Romanis et dicti Dalphini faciant preconizationes suas. Et sigillum Curie, mensure, pondera, signa servientum, vexilla et alia pertinentia ad jurisdictionem sint sub signo archiepiscopi ecclesie de Romanis et Dalphini predictorum, et sint communia inter eos. Item quod dictus Dalphinus heredes et successores sui et causam ab eo habentes et habituri in dicta medietate ville de Romanis et pro dicta medietate teneantur facere homagium Curia Romana citra montes existente, nobis et ecclesie Romane ac successoribus nostris canonice intrantibus. Si vero Curia Romana esset ultra montes, teneantur facere homagium supradictum rectori comitatus Venaissini qui fuerit pro tempore. Quibus quidem articulis sic inter nos et prefatum Dalphinum, ut predicitur, concordatis, et coram nobis et eodem Dalphino lectis, ac etiam in presentia plurium notabilium personarum, nos tractatum et concordiam hujusmodi volentes, quantum in nobis est, attendere et complere, prefato Humberto Dalphino, presenti, petenti nomine suo heredum et successorum suorum quorumcumque et causam habentium seu habiturorum, ab eo infeudavimus, communicavimus et in feudum dedimus et concessimus medietatem dicte ville de Romanis pro indiviso, cum medietate territorii, quod dictus Dalphinus debet dicte ville, ut premittitur, assignare juxta seriem dictorum articulorum, ita quod remanentibus predicto archiepiscopo Viennensi et ecclesie predicte de Romanis omnibus redditibus et obventionibus suis

propriis, sicut prius et uti hactenus extitit observatum, exceptis dumtaxat hiis que obvenire poterunt ex jurisdictione et emolumento ipsius, omnis jurisdictio alta et bassa justicia, merum et mixtum imperium et omne emolumentum ex eis proveniens et proventurum imposterum, sint communes et communia pro indiviso inter predictos archiepiscopum capitulum et Dalphinum, ita tamen quod dicti archiepiscopus et capitulum habeant medietatem pro partibus inter eosdem archiepiscopum et capitulum per nos declarandis et decernendis, et Dalphinus et eius successores predicti aliam medietatem, que iurisdictio, merum et mixtum imperium pro indiviso per communes officiales ipsorum archiepiscopi capituli et Dalphini exercebuntur et debebunt in perpetuum exerceri, regi et gubernari dumtaxat, et cum aliis pactis modis, formis et conditionibus in dictis articulis contentis et ennarratis. Et nichilominus post hoc, statim et incontinenti, nos prefatum Humbertum Dalphinum de dicta medietate pro indiviso ville de Romanis et territorii, ut premittitur. assignandi per quemdam rotulum papireum, quem in manu nostra tenebamus, presentialiter investivimus cum pactis, conditionibus et conventionibus supradictis, quam quidem communicationem, infeudationem et investituram superius nominatas, dictus Dalphinus quo supra nomine a nobis et ecclesia Romana, ac successoribus nostris, nomine suo, et successorum suorum et causam habentium seu habiturorum ab eo, sub modis, pactis et condicionibus supradictis, et cum ipsis sponte recepit et acceptavit. Et ibidem denudato capite, flexis genibus coram nobis, et manibus complexis et junctis inter manus nostras, nobis nomine nostro et ecclesie Romane ac successorum nostrorum canonice intrantium pro dicta medietate ville de Romanis et ejus territorii predicti, nunc habiti et habituri secundum conventiones predictas, quam nunc inantea per imperpetuum se et suos quoscumque successores constituit possidere in feudum predictum sub dominio nostro et ecclesie Romane ac successorum nostrorum canonice intrantium, fecit homagium, et tactis sanctis Dei evangeliis corporaliter, fidelitatis prestitit iuramentem sub quo iuramento, ut fuit dictum et actum, illa sex capitula veniant et venire intelligantur expresse, que sub juramento fidelitatis comprehenduntur, scilicet incolume, tutum, honestum, utile, facile et possibile, que promisit inviolabiliter observare. Confitens et recognoscens se teneri ad recognoscendum et prestandum fidelitatis juramentum et faciendum homagium nobis et Romane ecclesie ac successoribus nostris canonice intrantibus, coram personis propriis, Curia Romana citra montes existente, sed ubi esset ultra montes, tunc coram rectori Commitatus Venayssini qui erit pro tempore pro ipsis, juxta formam superius expressatam, in commutatione cujuslibet domini vel vassalli. Et nihilominus dictus Dalphinus dictum territorium competens et moderatum dicte ville de Romanis declarare et assignare, et prenominatis archiepiscopo et capitulo communicare realiter et cum effectu, necnon et omnia alia et singula supradicta, pacta, modos, conventiones et conditiones superius expressatas et appositas, expressatos appositos, expressata et apposita in dicta communicatione et infeudatione, et articulis supradictis attendere, complere, observare et observari facere per se et successores suos quoscumque et non contrafacere vel venire de jure vel de facto aliqua ratione seu causa solemniter promisit, et juravit ad sancta Dei evangelia corporaliter manu propria, tacto libro. Et predictum territorium sic assignandum et declarandum, ut predicitur, constituit se possidere nomine nostro et ipsius Romane ecclesie ac dictorum archiepiscopi et capituli ville predicte et cujuslibet ipsorum, prout eos et eorum quemlibet tangit et tangunt occasione assignationis, communicationis, infeudationis et conventionis predictarum, donec predictum territorium assignatum et communicatum realiter et cum effectu per eundem Dalphinum fuerit, ut prefertur. Subsequenter autem prefatus Dalphinus juxta ea que premissa sunt, dedit nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus, ac in nos et ecclesiam Romanam predictam et eosdem successores transtulit castrum de Avisano predictum cum hominibus, mandamento et territorio. mero et mixto imperio, jurisdictione alta et bassa ac juribus, proventibus et redditibus universis ipsius ratione communionis et infeudationis predictarum, et aliis causis in instrumentis inde confectis contentis plenius et expressis ad tenendum et possidendum per nos et eosdem successores nostros Romanos pontifices imperpetuum, nichil in eis sibi penitus retinendo, sicut in eisdem instrumentis hec et alia plenius continentur. Volentes igitur communionem hujusmodi et omnia supradicta, que, sicut speramus in Domino, prefatorum archiepiscopi capituli Dalphini ac hominum et habitatorum ville predicte illiusque patrie, pacem, tranquillitatem et utilitatem non modicam secum portant, sicut expressa sunt superius et seriosius et in instrumentis continentur predictis, deduci realiter in

effectum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos vel duo vestrum ad villam de Romanis predictam vos personaliter conferentes prefatum Dalphinum vel procuratorem suum ejus nomine pro se suisque heredibus et successoribus in possessionem medietatis dicte ville pro indiviso ac jurisdictionis alte et basse, meri et mixti imperii et emolumentorum exinde provenientium, secundum modum et formam superius ennarratos et in instrumentis predictis contentos, vice et auctoritate nostra inducere studeatis, mandantes ex parte nostra et districtius injungentes hominibus et habitatoribus supradictis ut prefatis archiepiscopo capitulo et Dalphino tanquam dominis ejusdem ville, ut supradictum est, communibus, eorumque officialibus et ministris deputandis juxta tenorem et continentiam ejusdem communionis perpetuis temporibus pareant et intendant. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus septembris, anno tercio.

1102 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1344.

Robertus, præpositus ecclesiæ Uticensis, episcopatui Massiliensi præficitur. (Reg. 138, n° CCLXXVI, fol. 81 v°.)

Dilecto filio Roberto electo Massiliensi. Ecclesia Massiliensis per obitum bone memorie Johannis episcopi Massiliensis, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos de provisione ipsius ecclesie, ne diutinis subjaceret vacationis incommodis, solicite cogitantes et ad te, prepositum ecclesie Uticensis, dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua nobis et fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta, eidem ecclesie de fratrum ipsorum consilio duximus providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter ad providam ejusdem Massiliensis ecclesie gubernationem sic tue solicitudinis studia dirigere non omittas, quod, assistente tibi divina gratia, sub tuo fructuoso reginine in spiritualibus et temporalibus prosperetur, tuque nostram et apostolice Sedis graciam valeas uberius promereri. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno tercio.

1103 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1344.

Rogat reginam Siciliæ ut componat cum Philippo archiepiscopo Tranensi, quia certæ decimæ archiepiscopi prædicti receptæ per curiam regiam retentæ fuerant. (Reg. 138, n° CCLXXVII, fol. 82.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Relatus fide digni assertione —. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno tercio.

1104 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1344.

Legatum in regno Siciliæ orat ut archiepiscopum Tranensem auxilio adjuvare velit. (Reg. 138, n° CCLXXVIII, fol. 82.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. In favorem venerabilis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno tercio.

1105 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1344.

Cum Guillelmus, archiepiscopus Brundusinus nonnulla bona quæ ad ecclesiam Tranensem spectabant recepisset et detinuisset, mandat eidem legato ut litem ordinet. (Reg. 138, n° CCLXXIX, fol. 82.)

Eidem legato. Exponente nobis venerabili —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno tercio.

1106 Villeneuve-les-Avignon, 13 septembre 1344.

Infrascripto qui Sedi Apostolicæ famulatur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n° MCXVIIII, fol. 298 v°.)

Item in eodem modo *dilecto filio Guillelmo de Bordis, canonico Seguntino, familiari nostro* et dirigatur executoria *venerabilibus fratribus Casinensi et Forojuliensi episcopis ac dilecto filio abbati monasterii Sancti Tiberii, Biterrensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus septembris, anno tercio.

1107 Villeneuve-les-Avignon, 14 septembre 1344.

Januenses rogat ut judicem et clavarium civitatis Vigintimiliensis pro regina Siciliæ liberent qui capti fuerant die sexta mensis septembris cum duæ galeæ Januenses ad dictum portum occupandi causa applicuissent. (Reg. 138, n° CCLXXXIIII, fol. 86 v°.)

Dilectis filiis, nobili viro, Symoni Bocanegra gubernatori et comuni civitatis Januensis. Percepimus noviter insinuatione displicibili admodum et molesta quod, die sexta presentis mensis septembris, duabus galeis vestris que stabant in custodia contra illos de Monacho ad portum civitatis Vigintimiliensis applicantibus, subito homines armati exeuntes de illis more hostili et predonico civitatem discurrerunt eandem, et prehabito tractatu cum quibusdam ipsius proditoribus, civitatem ipsam capiendi et occupandi vobisque subjugandi fecerunt posse suum; sed per cives fideles ejusdem, homines armati predicti, a suis ausibus hujusmodi armorum repulsi potentia, coacti fuerunt predictas galeas per fuge subsidium reintrare, dilectos filios Jacobum Muncii, judicem et quendam alium clavarium civitatis prefate pro carissima in Christo filia nostra Johanna, regina Sicilie illustri, quos ab initio agressionis ejusdem ceperant, secum ad ipsas galeas ducendo captivos, quamquam deinde idem clavarius manus eorum subtiliter evaserit, sicut fertur; et licet premissa supponamus indubie de vestra conscientia minime processisse, presertim cum regnum ejusdem regine sub manu nostra et ecclesie Romane administratione ac gubernatione hiis temporibus persistere nullatenus ignoretis, quia tamen ex talibus status patrie posset periculose turbari pacificus, et alia dispendia non sedanda faciliter suboriri, nec regnum et terre prefate regine possent offendi sic indebite, nobis et eadem ecclesia remanentibus inoffensis, universitatem vestram rogamus et in Domino attentius exhortamur quatenus judicem predictum liberari et pristine libertati restitui facientes, officiales, ministros, gentes, districtuales et subditos vestros a talibus et similibus effectualiter prohibere ac, ut evidentius appareat predicta de vestra nequaquam conscientia processisse, corrigere ac punire rationabiliter delinquentes in hac parte velitis, ita quod nos devotionis vestre prudentiam in hac parte commendare merito valeamus. Datum apud Villamnovam, Avinionen diocesis, XVIII kalendas octobris, anno tertio.

1108 Villeneuve-les-Avignon, 14 septembre 1344.

Regem Franciæ hortatur ut nuncios pro pace cum Anglia ineunda Avinionem mittat et de pacis conditionibus respondeat. (Reg. 138, n° CCLXXXV, fol. 87.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Venerunt nuper ad Sedem apostolicam nuncii carissimi in Christo filii nostri Edvardi regis Anglie illustris, inter quos sunt unus episcopus, unus miles, et duo clerici, tuorum, fili carissime, nunciorum super tractatu pacis mutue prestolantes adventum. Cumque regis ejusdem nuncii super reformatione illorum, que attemptata fore dicuntur contra treugas, inter tuam regiam excellentiam et regem ipsum initas invicem, super quibus alias magnitudini regie scripsimus, et nobis per dilectum filium nobilem virum Johannem primogenitum tuum ducem Normannie respondit regalis circumspectio, duxerint plurimum insistendum, nos super fiendis oportunis regiis circa hec litteris, quandam cedulam ordinari fecimus et nunciis ostendi predictis, qui addiderunt aliqua super ea. Nos igitur cedulam tam per nos, ut prefertur, primitus ordinatam, quam aliam cum additionibus per nuncios ipsos factis, excellentie regie interclusas presentibus destinantes, eam attente rogamus quatenus aut juxta tenorem ultime, vel saltem alterius cedule, ut premissum est, primitus per nos facte, mittere nobis confectas litteras regias regalis providentia, prout idem expedientius videbitur, non ommittat, nunciorum suorum accelerando nichilominus missionem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVIII kalendas octobris, anno tercio.

1109 Villeneuve-les-Avignon, 14 septembre 1344.

Ei mandat ut commissa dudum episcopo Sorano juxta litterarum formam exsequatur. (Reg. 138, n° CCLXXXVI, fol. 87.)

Venerabili fratri Sebastiano, archiepiscopo Calaritano. Dudum super diversis. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVIII kalendas octobris, anno tercio.

1110 Villeneuve-les-Avignon, 14 septembre 1344.

Cum quondam Johannes Amalrici, episcopus Soranus, dudum rector provinciæ Romandiolæ et collector proventuum in regno

Sardiniæ in diversis pecuniæ summis Cameræ teneretur astrictus, et Sanctæ Sedi de bonis ejus in regno predicto repertis duo milia quingentos frumenti et mille ordei raserios per Johannem Berbilii, laicum Bitterrensem, deferri papa jussisset, salviconductus litteræ conductoribus dicti frumenti ab omni pedagiio sen gabella liberi, conceduntur. (Reg. 138 nos MLXXXXV-LXXVI, fol. 293.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis etc. ut supra, usque pervenerint. Cum bone memorie — Dat. apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVIII kalendas octobris, anno tercio.

Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Cernillione gubernatore regni Sardinie. Cum bone memorie — Datum ut supra.

1111 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1344.

Ei sic indulget ut a quocumque antistite consecrationis munus recipiat. (Reg. 138, no CCLXXXVII, fol. 87 vo.)

Dilecto filio Michaeli, electo Suellensi. Pridem ecclesia Suellensis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno tercio.

1112 Villeneuve-les-Avignon, 16 septembre 1344.

Ei qui præbendas de Brocia, Senonensis diocesis, Sancti Venancii, Turonensis et Sancti Gaugerici Cameracensis assecutus fuerat, dispensationem concedit, quia natalium defectum patitur. (Reg 138, no CCLXXXVIII, fol. 87 vo.)

Dilecto filio Riccardo de Vest, rectori parrochialis ecclesie Sancti Pauli Parisiensis. Apostolice sedis copiosa benignitas illis nonnunquam se exhibet liberalem, qui gratiam ejus implorant suppliciter quibusve ad id propria virtutum merita fide dignorum affirmata testimoniis suffragantur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod defectum non obstante predicto, posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam animarum haberet, tecum obtinuisti per Sedem Apostolicam dispensari, et quod post dispensationem hujusmodi parrochialem ecclesiam de Brocia, Senonensis diocesis, alias fuisti canonice assecutus eamque fere per annum retinens, et fructus ex ea percipiens, te non fecisti ad sacros ordines promoveri, nec resedisti etiam in eandem, ac deinde dictam parrochialem ecclesiam, ad canonicatum et prebendam ecclesie Sancti Venancii Turonensis sine dispensatione alia permutasti, ac postmodum libere dimisisti eosdem, et demum cum de transmarino passagio ageretur, obtinuisti, per nos tunc Rothomagensis ecclesie regimini presidentes, tecum asserente dispensationem hujusmodi ammisisse, vigore quorundam privilegiorum tunc a sede apostolica dicto passagio concessorum, dispensari super premissis, et quod posses ecclesiasticum beneficium etiam curatum, dummodo certam summam pecunie dicto passagio persolveres, obtinere, ac subsequenter canonicatum et prebendam ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis a sede impetrasti eadem, ex quibus nihil percepisse te asseris, pro eo quod te oportebat jurare quod esses de legitimo matrimonio procreatus, et tandem illos cum quadam capellania perpetua permutasti, cujus capellanie non curasti, ut asseris, professionem habere, ac deinde parrochialem ecclesiam Sancti Pauli Parisiensis, alias tibi collatam, canonice recepisti, illamque per triennium et amplius tenens et fructus ex ea percipiens, te fecisti alias rite ad sacerdotium promoveri ac eam adhuc teneas pacifice et quiete. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super premissis de oportune habilitationis et dispensationis beneficio ex ejusdem sedis solita clementia dignaremur. Nos igitur attendentes testimonia commendanda que tibi alias super probitatis meritis prehibentur, ac volentes tibi apostolice munificentie dexteram aperire, omnem inhabilitatis maculam per te ex premissis vel eorum occasione contractam, auctoritate apostolica abolemus, ac nihilominus collationem hujusmodi tibi factam de dicta ecclesia Sancti Pauli auctoritate predicta confirmamus et etiam approbamus, supplentes omnem defectum que in dicta collatione provenit ex defectu natalium supradicto de apostolica plenitudine potestatis; tecum etiam, ut duo alia beneficia etiam si sint canonicatus et prebende in ecclesia etiam cathedrali, libere recipere, et illa una cum dicta parrochiali ecclesia Sancti Pauli licite retinere, illaque permutare valeas defectu hujusmodi, ac generalis Concilii, et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta de uberioris dono gratie dispensamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVI kalendas octobris, anno tercio.

1113 Villeneuve-les-Avignon, 18 septembre 1344.

Cum audiverit Græcos qui ad unitatem Ecclesiæ revertebantur, ad congregationem cum Turchis faciendam paratos esse, quia Martinus Zachariæ, capitaneus pontificalium galearum insulam Chio, quæ Græcorum erat, occupavisset, legato in partibus transmarinis mandat ut rem præcaveat. (Reg. 138, n° CCLXXXIX ; Raynaldi VI, 342.)

Venerabili fratri Henrico, patriarche Constantinopolitano, in partibus transmarinis apostolice Sedis legato. Insinuatione percepimus displicibili et infesta quod, licet nos christicolis Romanie aliarumque transmarinarum partuim super diris afflictionibus, persecutionibus et oppressionibus, quas a Turchis infidelibus fidei catholice inimicos passi sunt hactenus graviter et sepius patiuntur, paterno compatientes affectu pro ipsorum defensione fidelium ac repressione et expugnatione infidelium predictorum certum galearum subsidium per nos et ecclesiam Romanam et quosdam fideles alios ad partes illas procuraverimus, sicut tua novit prudentia, destinari, te volentes circa premissa superintendere tibique pareri plenarie in hac parte, tamen dilectus filius, nobilis vir, Martinus Zacharie, miles, quem velut expertum in talibus et nobis super hoc multipliciter commendatum galearum nostrarum et ecclesie capitaneum providimus deputandum, non directe ad deffensionem predictorum fidelium sed expugnationem potius insule Chio, que dicitur detineri per Grecos, ut eam dictus Martinus sibi posset subicere, stolium galearum predictarum direxit et nichilominus tam ipse quam venerabilis frater noster... archiepiscopus Thebanus, tuus delegatus seu commissarius, dilectum filium magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Ciprenses etiam requisiverunt instanter ut ad hoc suas galeas destinarent, eosdem Ciprenses ad id prefatus archiepiscopus per excommunicationis sententias compellendo ; ex quibus sequitur, ut eadem insinuatio subjungebat, quod Grecis, qui ex missione galearum predictarum Turchos predictos suos utique persecutores et hostes debilitari sperabant et ad se reuniendos cum ecclesia sancta catholica disponebant, videntes contra se predictarum dirigi stolium galearum et quod ad utilitatem publicam, defensionem videlicet fidelium et expugnationem Turchorum infidelium ad commodum privatum converti, a suo proposito reunionis hujusmodi tepescendo, tractant de confederatione cum Turchis facienda predictis ; quod, si verum esset, in detrimentum fidei ejusdem catholice ac dilatationem secte dampnate Machometi perfidi, quod misericordiarum avertat Dominus, redundaret. Ideoque tu, frater, de cujus circumspecta prudentia et fidelitate plenius in Domino confidimus, taliter super premissis et ea tangentibus celeriter, ut expedit, studeas providere quod, cessantibus dictis periculis et incommodis, per aliqua cum eisdem galeis facienda nostre intentioni principali, que pie fertur, circa defensionem fidelium ac repressionem et expugnationem infidelium nullatenus obvietur, nobis super premissis et aliis que tibi occurrerint, quantocius et quotiens poteris et tibi oportunum extiterit, nichilominus rescripturus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris, anno tertio.

1114 Villeneuve-les-Avignon, 18 septembre 1344.

Patriarchæ Constantinopolitano committit ut ordinem belli contra Turchos gerendi componat. (Reg. 138, n° CCLXXXX, fol. 88 v°.)

Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano in partibus Transmarinis Apostolice Sedis Legato. Verentes quod pecunia decimalis subsidii pro tenendis utilius galeis ad defensionem fidelium Romanie aliarumque transmarinarum partium contra Turchos blasfemos et hostes fidei Christiane, ipsorum fidelium persecutores et oppressores crudeles, pro eo nequiret sic cito, ut expedit, colligi et haberi, quod littere apostolice super hoc ordinate non potuerunt celeriter expediri et mitti et providere volentes quod propter defectum pecunie negotium defensionis hujusmodi nequaquam patiatur detrimentum interim sed potius ad laudem divini nominis et ejusdem exaltationem fidei continue prosperetur, de pecunia nostre Camere pro quatuor mensibus a fine anni pro quo dudum, sicut nosti, satisfieri fecimus, inchoandis ordinavimus medio tempore, donec de dicto subsidio decimali collecte pecunie fuerint, subveniri. Verum cum eadem Camera mercatores nondum reperiat ydoneos et securos, per quos paratam ad hoc pecuniam valeat destinare, dilecto filio Heliono de Villanova, Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani scribimus per alias litteras, quas tibi cum presentibus mittimus, ut pecuniam pro dictis quatuor mensibus mutuet, quousque sibi restituatur celeriter, statim videlicet cum reperientur per quos commode possit mitti. Tu vero circa dispositionem

tam illius quam aliarum pecuniarum assignatarum et assignandarum pro defensionis negotio supradicto ipsiusque negotii directione utili sic prudenter, solerter et fideliter te operosis studiis gerere non postponas quod per directionem hujusmodi dictum prosperetur negotium et eedem pecunie non consumantur vel expendantur inutiliter quoquo modo. Hec quidem pro tanto dicimus quia, sicut nobis est a fidedignis relatum, in illis partibus non potest yemali tempore utiliter navigari et hoc, antequam galee recederent de hiis partibus, in consilio per illos qui tractabant hujusmodi negotium tactum sed publice relevari omissum tunc extitit, ne propter hoc retardaretur vel impediretur negotium antedictum; quamobrem tua prudentia circumspiciat diligenter si tempore predicto pro toto vel pro parte sit minuenda gens galearum ipsarum, ut expense inutiles evitentur, ita tamen quod nec illo nec alio tempore per talia vel quevis alia permittas detrahi utilitati negotii predicti, quod magis prosperari cupimus, quam parcere quomodolibet sumptibus et expensis. Hec autem et alia prosecutionem ejusdem negotii tangentia in illis partibus tibi qui, constitutus in scola experientie, que prosecutioni hujusmodi expediunt, plenius scire potes, relinquendi duximus tuam exinde conscientiam onerando. Demum quamvis multa bona in favorem et consolationem fidelium adversus Turchos operata cum galeis audiverimus exultanter, tamen de dilecto filio nobili viro Martino Zacharie, quod aliqua notabilia vel laude digna cum eis fecerit, non recolimus audivisse. Ideoque tu qui de hiis et aliis premissa tangentibus veritatem, docente magistra rerum experientia, scire debes, si finito anno per quem dictum Martinum capitaneum galearum nostrarum deputavimus, tibi utilis minime videatur, habita deliberatione cum capitaneis ceterarum galearum et aliis de quibus expedire videris, de alio utili et ydoneo capitaneo providere procures, quo casu accidente utilius de persona fratris alicujus strenui et in talibus experti Hospitalis predicti, deliberato tamen cum eodem magistro et aliquibus fratribus Hospitalis ejusdem, quos zelatores fideles utilitatis dicti negotii noveris, quam de alio posse credimus hujusmodi capitanatus officio provideri. Porro de receptione presentium ac hiis que in premissis et circa ea gesseris nos, quantocius commode fieri poterit, efficere per tuas litteras studeas certiores. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris anno tertio.

1115 Villeneuve-les-Avignon, 18 septembre 1344.

Magistro Hospitalis mandat ut pecuniam mutuam sumat, si summæ a Sancta Sede missæ oportuno tempore deficiant. (Reg. 138, n° CCLXXXXI, fol. 89.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani. Licet nos verentes quod pecunia decimalis subsidii pro tenendis utilius galeis ad defensionem fidelium Romanie aliarumque transmarinarum partium contra Turchos blasfemos et hostes fidei Christiane ipsorumque fidelium crudeles persecutores et hostes per nos una cum tuis et quorundam, sicut tua novit prudentia, illuc missis non posset sic celeriter, ut expediret, colligi et haberi, ne negotium pie defensionis hujusmodi detrimentum propter defectum pecunie patiatur, de pecunia nostre Camere pro quatuor Mensibus a fine anni pro quo dudum satisfieri ad tenendum galeas nostras ydonee fecimus inchoandis ordinaverimus subveniri eandemque pecuniam pro eisdem quatuor mensibus debitam preparari fecerimus ad mittendum; quia tamen Camera ipsa nondum reperire potest certos mercatores vel alios per quos secure hujusmodi paratam pecuniam illuc mittat, sinceritatem tuam rogamus attente quatenus, si contingeret forsitan missam non esse oportuno tempore pecuniam supradictam, super quo adhibebit ipsa Camera quantum poterit diligentiam operosam, tu de illa sic provideas interim mutuanda quod nullum propter hoc galearum ipsarum stolium defectum vel dispendium patiatur, pro certo sciturus quod missio dicte pecunie parate ac prompte, ut premittitur, non poterit retardari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris, anno tertio.

1116 Villeneuve-les-Avignon, 18 septembre 1344.

Infrascripto licentiam testandi et indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCLXX et MCLXXXIII, fol. 312-313.)

Item pro *magistro Stephano de Foresta, canonico ecclesie Sancti Ilarii Pictavensis, scriptori et familiari nostro.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris, anno secundo.

1117 Villeneuve-les-Avignon, 18 septembre 1344.

Infrascriptis qui in Romana Curia manent et scriptoris munere funguntur, hoc privilegium concedit ut fructus, redditus et proventus canonicatuum et prebendarum percipere valeant; et judicibus mandat ut privilegium exsequantur. (Reg. 138, nos MCCXLVI-MCCLXXVI, fol. 320.)

Dilecto filio magistro Albizo de Luca, canonico Tervisino, scriptori nostro. Ratio juris hoc —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris, anno tertio.

Judicibus venerabili fratri... archiepiscopo Ravennatensi et abbati monasterii Sancti Georgii de Venetiis, Castellane diocesis ac... preposito ecclesie Avinionensis. Mandamus quatinus vos —. Datum ut supra.

Item in eodem modo alie II littere, gratiosa et executoria, pro *dilecto filio magistro Arnaldo Demerii, canonico ecclesie Sancte Walburgis Furnensis, Morinensis diocesis* et dirigatur executoria *dilecto filio abbati secularis Sancti Affrodisii Biterrensis et Guillelmo de Castaneto, canonico Aniciensis, ecclesiarum, ac... officiali Morinensi.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Bernardo Bruni, canonico ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis.* Et dirigatur executoria *dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Andree de Sancto Andrea et... Beate Marie de Villanova, Avinionensis diocesis ac... Sancti Agricoli Avinionensis decanis, ecclesiarum.*

Item in e. mo. pro *dilecto filio magistro Andrea de Secia, canonico Aquensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis abbati secularis Sancti Pauli de Secia, et... de Villanova, Terracinensis et Avinionensis diocesis ac Sancti Agricoli Avinionensis, ecclesiarum decanis.*

Item in e. mo. pro *dilecto filio Nicolao Mathei de Anagnia, canonico Anagnino* et dirigatur executoria *dilectis filiis decano Sancti Agricoli Avinionensis et... archipresbitero Sancti Laurentii de Frisano, Anagnine ac Egidio de Ulcheyocastro canonico Metensis, ecclesiarum.*

Item in e. mo pro *dilecto filio magistro Johanne quondam Percivalli de Verula, canonico Verulano, scriptore nostro.* Et dirigatur executoria *venerabili fratri episcopo Alatrino et .. abbati secularis Sancti Erasmi Verulani ac... sacriste Avinionensis ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto magistro Mathia de Zagarolo canonico ecclesie Sancti Ursmari Lobiensis, Cameracensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabili fratri archiepiscopo Ravennatensi et dilecto filio scolastico Cameracensis ac Petro de Scandrilia canonico Lateranensis ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Petro Margariti, canonico ecclesie Sancti Servatii Trajectensis, Leodiensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilecto filio magistro Francisco de Filiis Ursi, thesaurario Eboracensi, notario nostro et... Remensis ac... Sancti Agricoli Avinionensis decanis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Petro Paste, canonico Albanensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis Raynaldo de Filiis Ursi, archidiacono de Campinia in ecclesia Leodiensi, notario nostro et... Sancti Blasii in Cantusecuto ac... Sancti Sabe de Urbe, monasteriorum, abbatibus.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Raymundo Ays, canonico Beate Marie Bitturicensis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabili fratri episcopo Avinionensi et dilecto filio Xanctonensis ac... Pictavensis archidiaconis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio Trasmontano Raymbaudi de Falcone, canonico Vasionensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria dilectis filiis Valentinensis et Vasionensis prepositis, ac Francisco Petrarchi, canonico Lomberiensis, ecclesiarum.

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Martino de Testis, canonico ecclesie Sancte Agathe de Sancta Agatha, Vercellensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Iporiensi et dilectis filiis. Avinionensis et... Sancti Stephani de Bugella, Vercellensis diocesis, ecclesiarum prepositis.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Johanni Michaelis, canonico Noviomensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis... Premonstratensi et... de Bonofonte Laudunensis et Remensis diocesis monasteriorum abbatibus ac preposito ecclesie Avinionensis.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Blasio Johannis Blasii de Urbe, canonico ecclesie Ariensis, Morinensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria

dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Sabbe et... archipresbitero Sancte Marie rotunde de Urbe, ac... magistro Jacobo de Insula, canonico Remensis, ecclesiarum, capellano nostro.

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Petro de Campis, canonico ecclesie Sancti Germani de Castra, Bituricensis diocesis, scriptore nostro.* Et dirigatur executoria *dilectis filiis... decano ecclesie Bituricensis et... Bituricensi ac Avinionensi officialibus.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Johanni Andree, canonico Leonensi, scriptore nostro.* Et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Aleriensi et dilectis filiis... sacriste ecclesie Avinionensis et... officiali Avinionensi.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Petro Masaulanhi, canonico Vivariensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis... decano Castrinovi de Arrio, Sancti Papuli diocesis et... sacriste Avinionensis ac Arnaldo de Fuxo canonico Aquilegensis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Guillelmo de Flandria, canonico Atrebatensi, scriptore et familiari nostro.* Et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Eduensi et... dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Vedasti Atrebatensis ac... sacriste ecclesie Avinionensis.*

Dilecto filio magistro Rigaldo de Albofolio, rectori parrochialis ecclesie Sancti Macuti de Magneyo, Baiocensis diocesis, scriptori nostro Ratio juris hoc exigit —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kalendas octobris, anno tercio. — *Judicibus dilectis filiis... Massiliensis et ...Montismirabilis Albiensis archidiaconis ac... sacriste Avinionensis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos —. D. ut supra.

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Bernardo de Marchia, rectore parrochialis ecclesie Beate Marie de Avalhia, Pictavensis diocesis* et dirigatur executoria *venerabili fratri episcopo Nivernensi et dilectis filiis... preposito Avinionensi et... decano Pictavensis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Arnaldo de Bico, rectore parrochialis ecclesie de Mauriseto, Vasatensis diocesis, scriptore nostro.* Et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Avinionensi et dilectis filiis... preposito ecclesie Avinionensis ac... officiali Agennensi.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Johanni de Sancto Quintino, rectore parrochialis ecclesie Sancti Christofori de Valayranico, Uticensis diocesis, scriptore nostro,* et dirigatur executoria *dilectis filiis... decano Sancti Petri Duacensis, Tornacensis diocesis et Johanni de Blandiaco, Aquensis ac Petro Maurelli Ebredunensis, canonicis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Bernardo de Vallo, rectore parrochialis ecclesie de Aubiaco, Burdegalensis diocesis.* Et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Avinionensi et dilectis filiis preposito ecclesie Avinionensis ac... officiali Burdegalensi.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Petro Stephani, rectore parrochialis ecclesie de Cerama, Narbonensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabili fratri episcopo Avinionensi et dilectis filiis Michaeli Ricomanni, Valentinensis diocesis ac Johanni Cortoys Ambianensis, canonicis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Bernardo de Sabadello, capellano perpetuo in ecclesia Sancti Caprasii, Agennensis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis decano Sancti Agricoli et... preposito Majoris, Avinionensis ac... archidiacono Montismirabilis, Albiensis, ecclesiarum.*

Item in e. mo. pro *dilecto filio magistro Bartholomeo de Spello, rectore ruralis ecclesie Sancti Petri de Meianis, Arelatensis diocesis, scriptore nostro.* Et dirigatur executoria *dilectis filiis decano Sancti Agricoli Avinionensis diocesis et archidiacono Forojuliensis ac Johanni Rigaldi canonico Albiensis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Arnaldo de Villanova, rectore parrochialis ecclesie Beate Marie de Gandia, Valentinensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabili fratri episcopo Avinionensi et dilectis filiis... preposito Avinionensis ac Jacobo de Pertusia canonico Valentinensis, ecclesiarum.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Guillelmo Orceti, rectore parrochialis ecclesie de Carlipaco, Carcassonensis diocesis, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabilibus fratribus... Mirapiscensi et... Appamiarum episcopis ac sacriste ecclesie Avinionensis.*

Item in eodem modo pro *dilecto filio magistro Raymundo de Lanconia, rectore parrochialis ecclesie de Pratis, Caturcensis diocesis scriptore nostro* et dirigatur executoria *dilectis filiis de Vicano, Caturcensis diocesis et Sancti Angeli decanis ac sacriste Majoris Avinionensis ecclesiarum.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIIII kal. octobris, anno tertio.

1118 Villeneuve-les-Avignon, 19 septembre 1344.

Infrascripto indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXVII, fol. 316 v°.)

Item in eodem modo, *dilecto filio magistro Petro Stephani, rectori parrochialis ecclesie de Cerama, Narbonensis diocesis, scriptori nostro.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas octobris, anno tercio.

1119 Villeneuve-les-Avignon, 19 septembre 1344.

Infrascripto licenciam testandi concedit. (Reg. 138, n° MCLXIII, fol. 310.)

Dilecto filio magistro Petro Stephani, rectori parochialis ecclesie de Cerama, Narbonensis diocesis, scriptori nostro. Quia presentis vite... — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XIII kalendas octobris, anno tercio.

1120 Avignon, 20 septembre 1344.

Episcopo Noviomensi sic indulget ut possit visitacionis officium per procuratorem exercere procurationesque debitas recipere. Judices simul deputat. (Reg. 138, n^os MCXXXI et XXXII, fol. 301.)

Venerabili fratri Bernardo episcopo Noviomensi. Devotionis tue probata. — Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno tercio.

Judicibus magistro Guidoni de Calma, decano Sancti Aredii Lemovicensis, notario nostro et... thesaurario Noviomensis ac Hugoni de Payraco canonico Cameracensis ecclesiarum.

1121 Villeneuve-les-Avignon, 21 septembre 1344.

Eis mandat ut in castri de Visano, Tricastrinæ diœcesis, possessionem ingrediantur, quod Dalphinus Viennensis Sedi vendiderat. (Reg. 138, n° CCLXXXXII, fol. 89 v°.)

Venerabili fratri Hugoni, episcopo Carpentoratensi et dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Rupe militi, rectori comitatus Venaissini, vel ejus locumtenenti. Pridem certi tractatus inter nos et dilectum filium, nobilem virum, Humbertum Dalphinum Viennensem, super quibusdam rebus et negociis utilibus habiti, provida et matura deliberatione adhibita extiterunt, per quos ex causis justis et legitimis castrum de Visano, Tricastrine diocesis, una cum totali ejus territorio et mandamento, ac omnibus et singulis edificiis, fortaliciis, mero et mixto imperio jurisdictioneque omnimoda, alta et bassa et media, et cum omnibus et singulis exercitiis, et emolumentis eorundem, feudis, retrofeudis, vassallis, hominibus et quibuscumque subditis dictorum castri, territorii et mandamenti, ac omnibus et singulis redditibus, proventibus, questis, talliis, et aliis quibusvis emolumentis et pertinentiis omnium premissorum nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus, pleno jure in proprietate ac possessione remanere debet, ac ad nos et eosdem successores perpetuis temporibus pertinere, idemque Dalphinus quicquid juris, proprietatis vel possessionis ad eum in eisdem castro, territorio et mandamento ac omnibus et singulis supradictis pertinebat seu pertinere poterat quoquo modo, pro se suisque heredibus et successoribus, in nos dictosque successores nostros perpetuo transtulit, nihil in eis vel eorum aliquibus penitus retinendo, sicut in instrumentis publicis inde confectis hoc et alia plenius et seriosius continetur; volentes igitur pro nobis et successoribus nostris predictis, castri, territorii et mandamenti ac omnium predictorum corporalem possessionem vel quasi apprehendi, haberi et etiam retineri et de vestre fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obdinentes, vobis, et cuilibet vestrum insolidum tenore presentium committimus et mandamus quatenus ad dictum castrum et alia loca territorii et mandamenti predictorum, de quibus vobis expedire videbitur, vos personaliter conferentes, eorundem castri, territorii et mandamenti ac predictorum omnium possessionem corporalem vel quasi nomine nostro ac successorum nostrorum predictorum adipisci, apprehendere, ac retinere, nec non recognitiones, homagia et juramenta

fidelitatis, a vassallis, hominibus, habitatoribus et subditis castri, territorii et mandamenti predictorum, dicto nomine recipere, castellanum quoque, ballivum et alios officiales et ministros necessarios, vel etiam oportunos pro exercitio jurisdictionis castri, territorii et mandati eorundem, ipsorum redditibus, proventibus, obventionibus, et emolumentis exigendis, colligendis et recipiendis que nobis debentur, vel debebuntur ibidem, usque ad nostrum beneplacitum deputare, aliaque facere gerere, expedire, ac exercere curetis, que circa premissa et ea tangentia necessaria fuerint, vel etiam oportuna, contradictores super hiis et rebelles tu, frater episcope, spirituali et ecclesiastica censura, tu vero, rector vel locumtenens, temporali districtione, appellatione posposita, compescendo. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XI kalendas octobris, anno tercio.

1122 Villeneuve-les-Avignon, 21 septembre 1344.

Eisdem mandat ut castellaniam castri de Visano Geraldo de Margaritis, militi Lemovicensis diocesis committant. (Reg. 138, n° CCLXXXXIII, fol. 90.)

Eisdem. Cum vobis, de quorum fidelitate ac circumspectione confidimus, adipiscendi, aprehendendi et retinendi pro nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus possessionem corporalem vel quasi castri de Visano, Tricastrinensis diocesis, ipsiusque territorii et mandamenti ad nos spectantium, ibidemque officiales deputandos necessarios per alias nostras litteras concesserimus, sicut in eis continetur plenius, potestatem, volumus quod adepta possessione predicta, vos et quilibet insolidum dilecto filio, nobili viro, Geraldo de Margaritis, militi Lemovicensis diocesis, de cujus fidelitatis et circumspectionis industria fiduciam gerimus in Domino pleniorem, castellaniam et regimen castri, territorii, et mandamenti predictorum usque ad nostrum beneplacitum committatis, eidemque faciatis super hiis que ad officia, que sibi committetis, pertinuerint, pareri plenarie ab illis quorum interest et intendi. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XI kalendas octobris, anno tercio.

1123 Villeneuve-les-Avignon, 21 septembre 1344.

Florentinos, qui castrum de Petra Santa situm in comitatu Lucano quod comitis Augi, constabularii Franciæ est, indebite occupaverant, rogat ut nuncios Avinionem pro controversia componenda mittant. (Reg. 138, n° CCLXXXXIIII, fol. 90.)

Dilectis filiis prioribus artium, consilio et communi civitatis Florentine. Pridem pro parte dilecti filii, nobilis viri, Radulphi comitis Augi, costabularii Francie, fuit expositum coram nobis quod, licet vos ad preces et instantias carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, et comitis supradicti castrum de Petrasanta, situm in comitatu Lucano, quod ipse comes pacifice possidebat, assecuravissetis promittendo quod eundem comitem vel gentes suas non molestaretis super castro predicto, sed potius, si opus esset, assisteritis eidem; tamen postmodum occupastis seu occupari fecistis, ejectis exinde ipsius comitis gentibus, castrum ipsum, et quod propterea, et quia recusaveratis et recusatis illud sibi restituere sufficienter pro parte sua super hoc requisiti, vos idem comes fecerat diffidari. Nos igitur, qui libenter periculis et incommodis vestris paterna solicitudine occurrimus et talia scandala, ex quibus varia discrimina sequi possunt de medio fidelium, prout ad hoc nos excitat apostolice servitutis officium, removemus, cupientes dissentionem hujusmodi per viam tractatus amicabilis terminari, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus vos ad viam hujusmodi vobis expedientem et accomodam cooptantes, procuratorem seu syndicum vestrum sufficienter super predictis instructum, et ydoneo mandato suffultum, hinc ad instans[1] festum Omnium Sanctorum ad nostram presentiam transmittatis, cum idem mandaverimus comiti supradicto, nobis vestre intentionis in hac parte propositum nihilominus per exhibitorem presentium rescripturi. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XI kalendas octobris, anno tercio.

1124 Villeneuve-les-Avignon, 22 septembre 1344.

Ei mandat ut fructus canonicatus ecclesiæ Ulixbonensis, Sanctæ Sedi reservatos, petat. (Reg. 138, n° CCLXXXXV, fol. 90 v°.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Bracharensi. Dudum felicis recordationis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, X kalendas octobris, anno tercio

1. Ms. : instas.

1125 Villeneuve-les-Avignon, 22 septembre 1344.

Carolum ducem Britanniæ et officiales Johannis comitis Montisfortis rogat ut treugas in Britannia observent, quas cardinales Penestrinus et Tusculanus inter Franciæ et Angliæ reges indixerant. (Reg. 138, nos CCLXXXXVI-VII, fol. 91.)

Dilecto filio nobili viro Carolo duci Britannie. Inter cetera que hiis temporibus solicitant profundis et anxiis cogitationibus studia mentis nostre, negocium reformationis mutue pacis inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie, et Eduardum Anglie reges illustres, quos nexu sanguinis et affinitatis conjunctos hostis pacis et caritatis emulus, cunctorumque malorum incentor suscitatis invicem odiis, discentionibus et guerrarum commotionibus in magnum utriusque ipsorum et subditorum eorum totiusque christianitatis dispendium procuravit disjungi, eo ardentius insidet cordi nostro, quo majora ex hujusmodi guerris et dissentionibus hactenus provenisse discrimina conspicimus, et ampliora proventura, si, quod absit, ulterius procederent, probabiliter formidamus. Sane quia treugarum dudum inter reges eosdem ac subditos, valitores et adherentes ipsorum, laboriosis solicitudinibus venerabilium fratrum nostrorum Petri Penestrini et Annibaldi Tusculanensis, episcoporum, Apostolice Sedis nunciorum, quos ad partes illas propterea destinavimus, mediantibus, initarum observatio reformationi pacis hujusmodi multum potest existere fructuosa, et earum fractio seu violatio non modicum odibilis et nociva, nobilitatem tuam requirimus, rogamus et attentius in Domino exhortamur, quatenus premissa necnon quod in eisdem treugis, hinc inde juramenti religione firmatis, clausula que sequitur inter ceteras est adjecta : « Item quod dicte treuge serventur in Britannia inter reges predictos et adherentes eisdem, etiam si jus in ducatu se habere pretendant », consideranter et prudenter attendens, easdem treugas observari inviolabiliter studeas, et per tuos facias observare omnino, abstinendo et tuos abstinere faciendo a quibusvis contra tenorem et effectum Treugarum earundem in illis partibus attemptandis, et attemptata quecumque per te vel tuos in contrarium quomodolibet quantocius nihilominus effectualiter revocando. Sciturus quod, si hujusmodi nostris exhortationibus utique salubribus effectualiter non pareres, Deum, ac nos et Sedem predictam graviter offenderes, nec nos dissimulare possemus quominus procedi contra te, ac alios violatores treugarum predictarum per penas et sententias, de quibus nobis videretur rationabiliter, faceremus, cum super eisdem similes parti alteri litteras destinemus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, X kalendas octobris, anno tercio.

Item in eodem modo, verbis competenter mutatis *dilectis filiis... officialibus et... ministris pro dilecto filio nobili viro Johanne, comite Montisfortis, in partibus Britannie constitutis.*

1126 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1344.

Regem Franciæ rogat ut archiepiscopo et capitulo Viennensi pro villa Sanctæ Columbæ recompensationem decentem præstare velit. (Reg. 138, no CCLXXXXVIII fol. 91 vo.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum venerabilis frater noster... archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Viennenses pro villa Sancte Columbe prope Viennam, que ad manum regiam devenisse noscitur hactenus recompensationem propter penarum juris formidinem, sicut intelleximus, recusantes, nunc per nos inducti eam recipere sint parati, excellentiam rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur, quatenus Deum, a quo datur regnare principibus, ponens ante occulos mentis tue, condecentem recompensationem prestari eisdem archiepiscopo et capitulo pro eadem villa faciat favorabiliter et celeriter regia celsitudo, ita quod ipsi exinde consolati et leti, merito devotiores oratores constituantur pro statu prospero regio apud Deum, ac saluti et honori regiis congrue super hiis satisfiat. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno tercio.

1127 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1344.

Cancellario Franciæ similiter scribit. (Reg. 138, no CCLXXXXIX, fol. 91 vo.)

Dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii Philippi, regis Francie illustris, cancellario. Meminimus te nobis pridem dixisse, cum esses in nostra presentia constitutus quod, si venerabilis frater noster... archiepiscopus et dilecti filii capitulum Viennenses vellent recompensationem pro villa

Sancte Columbe prope Viennam recipere, tu illam per carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem prestari procurares eisdem. Cum autem nos ipsos, qui abhactenus dicte recompensationi recipiende metu penarum juris consentire noluerant, ad id duxerimus inducendos et super hoc regi scribamus predicto, nobilitem tuam attencius deprecamur quatinus, quod in hac parte promisisti, sicut premittitur, procures sic celeriter et congrue adimpleri, quod Deo ac saluti et honoris satisfiat super hiis dicti regis. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno tercio.

1128 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1344.

Nicolao Rogerii tres præbendas in Suessionensi, Lingonensi et Pictavensi ecclesiis, confert quæ ei jam collatæ fuerant, cum clericus non esset. (Reg. 138, n° CCC, fol. 92.)

Dilecto filio Nicolao Rogerii, canonico Rothomagensi. Quia in tue juventutis primordiis inherere virtuosis studiis, prout apud nos te fidedignorum commendant testimonia, non desistis, nos exinde sperantes in Domino quod, sicut tibi generis suffragatur nobilitas, sic morum venustate prefulgeas et producas, assistente tibi divina gratia, bonum virum, libenter tibi, ut ad hec attingere melius Domino donante valeas, favoribus assistimus oportunis. Cum itaque nos dudum premissorum consideratione volentes tibi facere gratias speciales, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, de canonicatibus Lingonensis, Suessionensis et Pictavensis ecclesiarum sub prebendarum expectatione tibi, quem tunc credebamus esse, quamvis non existeres, tunc temporis clericali caractere insignitum, duxerimus per diversas litteras nostras, sicut in eisdem continetur plenius, providendum; tuque postmodum, sicut ex parte tua nobis expositum extitit, clericali tonsura recepta in predictis Lingonensi et Suessionensi ecclesiis virtute dictarum litterarum prebendas fueris pacifice assecutus, et adhuc prebendam vacaturam in prefata ecclesia Pictavensi expectes, nos, hiis ad noticiam nostram deductis, volentes tibi providere salubriter super eis, motu simili, et ex certa scientia, predictas gratias et earum quamlibet per predictas litteras tibi factas, ut premittitur, necnon processus et omnia et singula que secuta sunt ex eis et ipsarum qualibet, vel ob eas, et secundum tenores litterarum predictarum et processuum inde habitorum sequi debent et possunt inposterum perinde valere, de gratia speciali, et robur obtinere volumus inviolabilis firmitatis, ac si tempore date litterarum predictarum et cujuslibet earundem, tu clericali existeres caractere insignitus, et nihilominus ex habundanti cautela tibi canonicatus et prebendas predictos cum plenitudine juris canonici, ac aliis omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi auctoritate apostolica conferimus et providemus de illis. Insuper auctoritate decernentes eadem quod objectus, seu defectus hujusmodi, videlicet quod clericus non esses temporibus, quibus tibi dictas gratias fecimus, nunquam tibi possit in judicio vel extra judicio obici vel opponi. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus editis, aut statutis, et consuetudinibus ecclesiarum ipsarum, et cujuslibet earum contrariis juramento, confirmatione apostolica vel alia firmitate quacumque vallatis, per que presens gratia nostra hujusmodi et ejus effectus possent quomodolibet impediri. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno tercio.

1129 Villeneuve-les-Avignon, 24 septembre 1344.

Ei, quamvis ætatem legitimam non habeat, prioratum de Autoyre, O. S. B., Lemovicensis diœcesis confert; quem Helyas Leguti, prior de Sorzaco, Petragoricensis diœcesis obtinuerat. (Reg. 138, n° MCCXLII, fol. 317 v°.)

Dilecto filio Hugoni de Croso, priori prioratus de Autoyre ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. Religionis zelus, vite ac morum honestas et alia tuarum dona virtutum, super quibus apud nos fidedigno testimonio commendaris, exposcunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum si quidem cum prioratus de Autoyre, ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis, quem dilectus filius Helyas Leguti, prior prioratus de Sorsaco dicti ordinis, Petragoricensis diocesis, tunc temporis obtinebat, vacare tunc in proximo speraretur, nos volentes tibi facere graciam specialem, predictum prioratum de Autoyre, cum eum vacare contingeret, conferendum tibi donatione apostolica duximus per nostras certi tenoris litteras specialiter reservandum, prout in eisdem litteris nostris plenius continetur, tuque postmodum, sicut oblata nobis tua petitio continebat, vigore dictarum litterarum nostra-

rum prioratum de Autoyre prefatum tunc vacantem fuisti pacifice assecutus, illumque possedisti ex tunc, sicut adhuc possides, pacifice et quiete, fructus percipiens ex eodem. Cum autem, sicut eadem tua petitio subjungebat, tu tempore gratie et assecutionis prioratus de Autoyre etatem legitimam, cum in quintodecimo etatis tue anno vel circa illum dumtaxat existeres, constitutus non haberes, sicut adhuc dinosceris non habere, et de hujusmodi defectu etatis non fuerit facta mentio in predictis litteris hujusmodi gracie per nos, ut premittitur, tibi facte, nobis humiliter supplicasti, ut tibi et statui tuo super hoc providere misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes te premissorum meritorum favore intuitu prosequi gracioso, hujusmodi tuis supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam, quam propter hoc quomodolibet contraxisti, tenore presencium auctoritate apostolica totaliter abolentes, teque habilitantes plenarie ac restituentes in integrum, eadem auctoritate tenore presentium decernimus predictas litteras et processus habitos per easdem et quecumque inde secuta perinde valuisse et valere, ac habuisse et habere vim, efficaciam et effectum, ac si de hujusmodi defectu, super quo tecum, ut eo, necnon premissis omnibus ac generalis concilii, et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ejusdem ordinis contrariis nequaquam obstantibus, ipsum prioratum de Autoyre licite retinere, et quecumque alia beneficia ecclesiastica tui ordinis, dummodo tibi alias canonice conferantur, libere recipere et licite valeas etiam retinere, tenore presentium dispensamus, specialis et expressa mentio facta, et super ipso defectu, tecum die date predictarum litterarum nostrarum dispensatum eciam extitissent, ac insuper te ampliori gracia prosequentes, fructus per te ex eodem prioratu de Autoyre perceptos tibi remittimus et donamus. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionionensis diocesis, VIII kalendas octobris, anno tercio.

1130 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1344.

Reginam Siciliæ sciscitatur utrum pacem cum Ludovico de Aragonia atque Siculis firmare velit, necne. (Reg. 138, n° CCCI, f° 92 v°.)

Carissime in Christo filie, Iohanne regine Sicilie illustri. Venientes jam dudum ad apostolicam sedem nuncii nobilis viri Ludovici de Aragonia, Insule Sicilie detentoris, in nostra et fratrum nostrorum presentia constituti, pro parte dicti Ludovici et certorum dicte Insule nobilium, exponere inter cetera curaverunt, quod idem detentor tam nobiscum, quam tecum, filia carissima, super facto ejusdem Insule paratus erat subire tractatum, et propter hoc suos solennes nuncios potestate suffultos ydonea, juxta nostrum beneplacitum ad eandem presentiam destinare. Subjungentes nichilominus quod si forsan pars tua procedere nollet ad tractatum hujusmodi, et obmitteret propterea nuncios destinare, ipse paratus erat tractare nobiscum, et cum ecclesia et etiam concordare. Nos siquidem eisdem nunciis in effectu duximus respondendum quod cum nostrum et tuum circa hoc negocium adeo sit connexum quod divisionem super ea nullatenus pateretur, sine te non procederemus aliqualiter ad tractatum super quo tibi scripsisse recolimus quod tu deliberatione prehabita diligenti, de intentione tua super hiis ut uni ex eisdem nunciis propter hoc in curia remanenti respondere possemus certitudinaliter efficeres quantocius certiores. Tu autem, filia dilectissima, nobis in effectu ad hec per tuas litteras rescripsisti quod tam ex prohibitione clare memorie Roberti regis Sicilie avi tui, quam ex certis aliis causis in tuis litteris comprehensis, nullo modo expediebat tibi, sicut nec nobis, ut dicebas, inire tractatum cum Siculis, qui de more cum mellicis fallaciis ambulabant. Sane superveniente postea alio dicti Ludovici nuncio in locum illius qui recesserat, subrogato, tam ipse quam alius qui ut prefertur, remanserat, in nostra et predictorum fratrum nostrorum constituti presentia instantius supplicarunt, quod cum dicta Insula longis fuisset temporibus, et adhuc esset ecclesiastico supposita interdicto, ex quo multum excreverat populi indevotio, minuebatur, ymmo quodam modo cultus negligebatur divinus, et animarum infinita pericula procedebant, ac ecclesie, sine culpa earum, ultra divinorum officiorum subtractionem in suis juribus spiritualibus et temporalibus importabilia onera, et incommoda varia sustinebant, nos dicte Insule Christicolis paterno compatientes affectu, interdictum hujusmodi quod tamdiu periculose duraverat, de solita sedis apostolice benignitate tollere et relaxare, aut saltem ad aliquod tempus suspendere dignaremur, presertim cum processus auctoritate apostolica per dilectum filium nostrum Gocium tituli sancte Prisce presbiterum cardinalem, tunc patriarcham Constantinopolitanum facti, per quos ibidem predictum appositum fuerat interdictum,

aut ipso jure nulli ut dicebant existerent, aut iniquitatem notoriam continerent; offerentes juxta potestatem eis traditam dictum Ludovicum paratum existere bona ecclesiarum dicte Insule per Fredericum de Aragonia avum suum, et quosvis alios occupata, ipsis ecclesiis realiter et efficaciter restituere, et ipsas ecclesias reintegrare, et in eundem statum per omnia reponere, in quo erant tempore quo dicta Insula fuit per recolende memorie Petrum regum Aragonum occupata, addentes quod suis propositis hujusmodi, et si eis super hoc gratiam facere non vellemus, saltem super dictis processibus ex mero officio, et non ad instantiam partis factis, eis justiciam quam denegare non debemus nec possumus, faceremus. Et licet predicti nuncii ex tunc non cessaverint, nec adhuc cessent aures nostras et fratrum nostrorum predictorum super relaxatione, vel saltem suspensione interdicti hujusmodi molestare, nos tamen, nisi te quam negocium ipsum tangere dinoscitur, de predictis reddidissemus primitus certiorem, precise respondere volentes eisdem, ecce quod tibi scribimus paterne solicitudinis studio tuam magnificentiam exhortantes quatinus attente considerans regni tui statum, et conditionem temporis, ac expensarum quas, amantissima filia, te in custodia castri Melacli, et diversis aliis oportet de necessitate subire, quodque redditus et proventus regni tui non sic sunt pingues sicut erant temporibus avi tui predicti, qui tamen interdum considerata prudenter conditione instantis tunc temporis, et in treugis et suspensione predictis dinoscitur consensisse, plene cum illis qui deum et honorem tuum ac bonum statum regni tui diligunt deliberare procures, utrum tibi et tuis expediat, prout multis tuum zelantibus honorem et commodum indubitanter expedire videtur, quod ad aliquod tempus treugas bene firmatas cum Siculis habeas, suspenso eodem, pro predicto dumtaxat tempore interdicto, rescribendo nobis quantotius tuam super hoc voluntatem. Ubi autem sensu tuo, vel alieno ducta, in treugis et suspensione predictis, nolueris concordare, scire te volumus quod dictis Siculis, sicut et quibusvis aliis petentibus negare justiciam nec volumus, nec valemus. Ideoque mittas ad curiam Romanam procuratorem ad causam, cujus erit eventus incertus, ydoneum, si tua putaveris interesse. Super predictis autem seriosius scribimus dilecto filio nostro Aymerico tituli sancti Martini in Montibus presbitero cardinali legato nostro in illis partibus cui super hiis que circa ea tibi ex parte nostra dixerit, fidem credulam adhibeas, et utinam ipsius salutaribus exhortationibus acquiescas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas octobris, anno tercio.

1131 **Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1344.**

Apostolicæ sedis legato mandat ut Siciliæ reginam ad pacem cum Siculis in undam inducat. (Reg. 138, n° CCCII, f° 93.)

Eidem Legato. Venientes jamdudum ad apostolicam sedem nuncii nobilis viri Ludovici de Aragonia Insule Sicilie detentoris, in nostra et fratrum nostrorum presentia constituti, pro parte dicti Ludovici et certorum dicte Insule nobilium exponere inter cetera curaverunt, quod idem detentor tam nobiscum quam cum carissima in Christo filia nostra Iohanna regina Sicilie illustri, super facto ejusdem Insule paratus erat subire tractatum, et propter hoc suos solennes nuncios potestate suffultos ydonea, juxta nostrum beneplacitum ad eandem presentiam destinare. Subjungentes nichilominus quod si forsan pars altera procedere nollet ad tractatum hujusmodi et obmitteret propterea nuncios destinare, ipse praratus erat tractare nobiscum et cum ecclesia, ac etiam concordare. Nos siquidem eisdem nunciis in effectu duximus respondendum, quod cum nostrum et ipsius regine circa hoc negocium adeo sit conexum, quod divisionem super eo nullatenus pateretur, nos sine prefata regina non intendebamus procedere aliqualiter ad tractatum, super quo eidem scripsisse recolimus, quod ipsa deliberatione prehabita diligenti, de intentione sua super hiis ut uni ex eisdem nunciis propter hoc in curia remanenti respondere possemus certitudinaliter, efficeret quantotius certiores. Ipsa namque regina per litteras suas nobis in effectu rescripsit quod tam ex prohibitione clare memorie Roberti regis Sicilie avi sui, quam ex certis aliis causis in suis litteris comprehensis, nullo modo expediebat sibi, sicut nec nobis ut dicebat, inire tractatum cum Siculis qui de more cum mellicis fallaciis ambulabant. Demum superveniente postea alio dicti Ludovici nuncio in locum illius qui recesserat subrogato, tam ipse, quam alius qui, ut prefertur, remanserat in nostra et predictorum fratrum nostrorum constituti presentia, instantius supplicarunt, quod cum dicta Insula longis fuisset temporibus et adhuc esset ecclesiastico supposita interdicto, ex quo multum excreverat populi indevotio, minuebatur, ymmo quodam modo negligebatur

cultus divinus, et animarum infinita pericula procedebant, ac ecclesie sine culpa earum, ultra divinorum officiorum subtractionem, in suis juribus spiritualibus et temporalibus importabilia onera et varia incommoda substinebant, dicte Insule Christicolis paterno compatientes affectu, interdictum hujusmodi quod tandiu periculose duraverat, de solita sedis apostolice benignitate tollere et relaxare, aut saltem ad aliquod tempus suspendere dignaremur presertim cum processus auctoritate apostolica per dilectum filium nostrum Gocium tituli sancte Prisce presbiterum cardinalem tunc patriarcham Constantinopolitanum facti, per quos ibidem predictum appositum fuerat interdictum, aut ipso jure nulli ut dicebant existerent, aut iniquitatem notoriam continerent, offerentes juxta potestatem eis traditam, dictum Ludovicum paratum existere bona ecclesiarum dicte Insule per Fredericum de Aragonia avum dicti Ludovici et quosvis alios occupata ipsis ecclesiis realiter et efficaciter restituere, et ipsas ecclesias reintegrare, et in eundem statum per omnia reponere in quo erant tempore quo dicta Insula fuit per recolende memorie Petrum regem Aragonum occupata. Addentes suis propositionibus hujusmodi, quod et si eis super hoc gratiam facere non vellemus, saltem super dictis processibus ex mero officio, et non ad instantiam partis factis, eis justiciam quam denegare non debemus nec possumus faceremus; et licet predicti nuncii non cessaverint, nec adhuc cessent aures nostras et fratrum nostrorum predictorum super relaxatione vel saltem suspensione interdicti hujusmodi molestare, nos tamen dictis nunciis, nisi sepefatam reginam quam negocium ipsum tangere cognovimus, de predictis reddidissemus primitus certiorem, precise respondere nolentes. Ecce quod sibi iterato scribimus, ejus magnificentiam exhortantes, ut attente considerans regni sui statum et conditionem temporis, ac expensas quas ipsam in custodia castri Melacii, et diversis aliis oportet de necessitate subire, quodque redditus et proventus regni sui predicti non sic sint pingues, sicut erant temporibus avi sui predicti, qui tamen interdum considerata prudenter conditione instantis tunc temporis, et in treugis et suspensione predictis dinoscitur consensisse, plene cum illis qui Deum et honorem ejus ac bonum statum regni predicti diligunt, deliberare procuret, utrum ei et suis expediat, prout multis suum zelantibus honorem et commodum indubitanter expedire videtur, quod ad aliquod tempus treugas bene firmatas cum Siculis habeat, suspenso eodem pro predicto duntaxat tempore, interdicto, et quod nobis suam rescribat super hoc voluntatem. Adicientes insuper quod si sensu suo vel alieno ducta, in treugis et suspensione predictis noluerit concordare, ipsam latere nolumus, quod cum dictis Siculis sicut et quibusvis aliis petentibus negare justiciam nequeamus, mittat ad curiam Romanam procuratorem, ad causam cujus erit eventus incertus ydoneum si sua putaverit interesse, et quod tibi cum super predictis seriosius scribimus in hiis que sibi ex parte nostra dixeris, fidem credulam adhibeat, et tuis utinam salutaribus exhortationibus acquiescat. Cum autem nobis et fratribus nostris, consideratis predictis et quod post tempus modicum illi de domo sua et genere erunt etatis perfecte ad armorum exercitium, quod non sic ex adversa parte continget, quodque partes Italie et Alamanie sic nunc diversis insidiis supposite sunt, et turbate, quod eidem regine plus expedit fideles suos ad conservanda ea que tenet, istis temporibus retinere, quam pro recuperando detenta per adversarium pro quo predecessores sui non cum fructu quem vellemus tam longis temporibus laborarunt, expensas magnas facere, et terram quam tenet, et ad quam multi occulos ingerunt dimittere periculosius indeffensam, ac multis aliis pro utilitate regine et regni predictorum expediens, prima facie, videatur quod inter ipsam reginam et Siculos ad certum tempus treuga firmanda, prout melius poterit inhiatur, discretioni tue, tam ex corporali presentia, quam magistra rerum experientia de negociis et eorum circumstanciis plenius informate, de eorundem fratrum consilio duximus injungendum, quatinus nostris litteris per te regine presentatis eidem, sibi predicta et alia que tibi in scola experientie constituto expedire pro utilitate negocii videbuntur exponas, ac ipsi viis et modis quibus poteris persuadere procures quod in treugis ad biennium vel triennium duraturis consentiat, et quod interim interdictum in predicta Insula Sicilie appositum non solum pro animarum salute, sed etiam pro validandis in favorem partis sue factis processibus suspendatur. Ubi vero regina predicta tuis exhortationibus salubribus acquiescere recusaret, tu prelatis et nobilibus dicti regni honorem et commodum ipsius regine ac bonum statum patrie zelantibus ad tuam presentiam evocatis, ab eis prout discretioni tue videbitur diligenter inquiras utrum consideratis omnibus regine et terre predictis ad certum tempus, et ad quod inire cum Siculis qui multa ultra predicta promittunt, treugas

expediat, suspenso interim ut premittitur interdicto, Nos de hujusmodi deliberatione tua et prelatorum ac nobilium predictorum redditurus sine more dispendio nichilominus certiores. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII. kalendas octobris, anno tercio.

1132 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1344.

Miratur quod regina Siciliæ censum 8000 unciarum auri, pro regno Siciliæ atque terris citra Pharum annuatim debitum, Sanctæ Sedi nondum solverit. (Reg. 138, n° CCCIII, f° 94 v°.)

Carissime in Christo filie Iohanne, regine Sicilie illustri. De te, filia carissima, tuoque consilio grandis admirationis materiam habuimus hiis temporibus preteritis, et habemus quod sicut nuper in consistorio in nostra, et fratrum nostrorum presentia extitit recitatum, tu censum octomilium unciarum auri nobis et ecclesie Romane pro regno Sicilie ac terris citra Farum annis singulis in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli debitum nec in termino festi ejusdem proximo preteriti, nec infra duos menses ex tunc subsequentes, nec adhuc etiam solvere procurasti, quamquam, ut ibidem dictum extitit, pecunia pro facienda solutione parata fuisset in hiis partibus, quam ad te hujusmodi solutione non prestita fecisse diceris revocari, quod nobis et eisdem fratribus grave non immerito redditur et molestum. Te quidem, filia dilectissima, penas excommunicationis et alias contentas in litteris apostolicis super concessione regni et terrarum predictorum confectis et inflictas si census predictus debito tempore non solvatur non credimus ignorare quarum periculis te illi qui retardationem solutionis dicti census faciendam tibi suaserunt forsitan quod displicenter referimus, subiecerunt, nec te occasione administrationis regni et terrarum predictorum posse videmus rationabiliter super hiis excusari, cum antequam eadem administratio per dilectum filium nostrum Aymericum tituli sancti Martini in Montibus presbiterum cardinalem apostolice sedis legatum fuerit realiter de mandato nostro pro nobis et ecclesia Romana suscepta, toto anno pre cedente dictum terminum festi eorundem apostolorum proximo preteriti, nisi forsam preterquam uno mense vel circa et etiam a tempore obitus clare memorie Roberti regis Sicilie avi tui redditus et proventus regni et terrarum predictorum integraliter perceperis sicut nosti, et certum est quod pro anno illo census debetur predictus. Hec itaque tibi, amantissima filia, paterne caritatis intimantes affectu, tuam rogamus excellentiam, sano tibi nichilominus consilio suadentes, quatinus tuis occurrendo prudenter et provide periculis, et utilitatibus consulendo dictum censum pro eodem termino solvere, cessante cujusquam alterius tarditatis obstaculo, non postponas, alias autem nostram et fratrum eorundem quorum favoribus et gratiis egere continue nosceris offensam, quod absit, posses periculose incurrere, ac per publicationem sententiarum et penarum predictarum ad quam opporteret necessitate cogente procedere, detraheretur non modicum, non sine magna nostra displicentia fame tui nominis et honoris. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas octobris, anno tercio.

1133 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1344.

Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali mandat ut Siciliæ reginam ad censum solvendum inducat, quippe quum cardinales de re gesta conquererentur. (Reg. 138, n° CCCIV, f° 94 v°.)

Eidem legato. Litteras tuas nobis super certis negociis missas, et per dilectum filium Guillelmum Danielis tuum nuncium primo, et subsequenter quasdam alias super aliquibus de quibus tibi scripseramus excusatorias presentatas benigne recepimus, quarum tenoribus intellectu pleno collectis, adhuc dictum Guillelmum retinendum, ut per ipsum dum certificati per litteras tuas, vel per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum archiepiscopum Brundusinum fuerimus, de illis que facta fuerunt super hiis, que dicto archiepiscopo pridem, dum a nostra discessit presentia, tibi et carissime in Christo filie nostre Iohanne regine Sicilie illustri referenda, et nobiscum tractanda imposuimus rescribere, quod nobis expediens videbitur, valeamus. Porro quia regina predicta censum annuum in festo apostolorum Petri et Pauli pro regno Sicilio ac terris citra Farum nobis et Ecclesie Romane debitum in termino ejusdem festi proximo preteriti solvere non curavit, pecuniam ad hoc paratam, ut fertur in hiis partibus ad se non prestita solutione hujusmodi revocando, eidem scribimus juxta formam, quam cedula continet presentibus interclusa, de te non modicum admirantes quod licet tibi super facto solutionis hujusmodi scripserimus etiam per cedulam propria manu nostra conscriptam, tuque postmodum nobis dixeris

super aliis rescribendum, de hiis tamen nullam fecisti penitus mentionem. Volumus autem, et tue prudentie suademus quatinus eidem regine litteras supradictas quas, ei ut promittitur, destinamus presentans, eidemque pericula quibus se subjecit propter retardationem dicte solutionis ostendens, ipsam exhorteris efficaciter et inducas, ut solutionem exhibere non differat supradictam, quod si facere forsan, quod absit, ommitteret, et pecunie proventuum regni et terrarum predictorum sint apud te de quibus possit solutio ipsa compleri, eam pro solutione ipsa facienda mittere quamtotius non postponas, cum conquerantur graviter super hoc fratres nostri, dicentes quod tua providentia debuisset circa hec primo et principaliter intendisse, nobis rescripturus celeriter, que per te dictamque reginam actum quomodolibet fuerit in hac parte. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII. kalendas octobris, anno tercio.

1134 Villeneuve-les-Avignon, 25 septembre 1344.

Eum rogat ut cum Firmino de Bellavalle, pro numero aureo corrigendo, Avinionem veniat. (Arch. Vat. Reg. 138, nos CCCVVI, fol. 95.)

Dilecto filio Johanni de Muris, canonico ecclesie de Maseriis, Bitturicensis diocesis. Cum super quibusdam dubiis seu defectibus aureum numerum tangentibus, ad utilitatem universalis ecclesie declarandis seu corrigendis, tu, tanquam peritus, ut intelleximus, in talibus dicaris existere multipliciter oportunus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus una cum dilecto filio Firmino de Bellavalle, alias dicto de Ambianis, perito similiter in arte hujusmodi, sicut fertur, venire ad Sedem Apostolicam quantocius non postponas. Nos autem venerabilibus fratribus nostris... Parisiensi et... Ambianensi episcopis damus per alias litteras in mandatis ut tibi et eidem Firmino curent de sumptibus necessariis providere. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas octobris, anno tercio.

Item in eundem modum *predicto Firmino.*

1135 Villeneuve-les-Avignon, 26 septembre 1344.

Regi et reginæ Siciliæ mandat ut Ramundum de Tribus Salicibus, Ramundum de Usetia, Ramundum Carbonelli et Guillelmem Bertrandi Jauserani nuncios civitatis Arelatensis benigne recipiant atque exaudiant. (Reg. 138, nos CCCVII-CCCIX, fol. 95.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Cum, sicut dilecti filii universitas civitatis Arelatensis nobis nuper fecerunt exponi, super certis suis et ejusdem civitatis negociis explicandis regie celsitudini, ac promovendis et expediendis in regali Curia, dilectos filios nobiles viros Ramundum de Tribus Salicibus, militem, Ramundum de Usetia, Ramundum Carbonelli, et Guillelmum Bertrandi Jauserani concives, nuncios et ambassiatores suos, ad regalem providerint presentiam destinandos, nos ipsos, quos benivolentie paterne favore prosequimur, regie magnificentie propensius commendantes, eam rogamus et in Domino exhortamur attente quatenus eisdem nunciis et ambassiatoribus favorabiliter et benigne, ut decet regium honorem, receptis sibique super suis petitionibus audientia benigna concessa, eos super celeri et favorabili expeditione illarum, quantum honestas patietur justicie, pro nostra et apostolice sedis reverentia favore regio prosequaris. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI kalendas octobris, anno tercio.

Item in eundem modum *carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Datum ut supra.

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis nuncio. Cum dilecti filii... nos ipsos tue benivolentie ut eos, quantum honeste ac commode poteris, super suis agendis et expediendis celeriter negociis prosequaris favorabiliter commendamus. Datum ut supra.

1136 Avignon, 30 septembre 1344.

Eis mandat ut blada et bona quondam Amalrici, episcopi Sorani, ad Cameram transmittere permittant. (Reg. 138, no CCCX, fol. 95 vo.)

Dilectis filiis... comiti Gosiani et ceteris nobilibus in Sorana et Turritana civitatibus et diocesibus constitutis. Cum nos attendentes —. Datum Avinione, II kalendas octobris, anno tercio.

1137 Avignon, 30 septembre 1344.

Ei mandat ut bona quondam Johannis Recuperi, canonici Pisani, Sedis Apostolice capellani et in civitate et diocesi Pisana subcollectoris sub manu Cameræ ponat. (Reg. 138, n° CCCXI, fol. 96.)

Dilecto filio Petro Vitalis, premicerio ecclesie Lucane. Cum quondam Johannes —. Datum ut supra.

1138 Avignon, 30 septembre 1344.

Eos rogat ut Petrum Vitalem, primicerium ecclesie Lucane et Franciscum de Massiis, ordinis Fratrum Minorum, auxilio adjuvent, quibus commisit ut mercatores societatis de Bonsegnoribus de Senis pecunias sine mora solvant quas Sanctæ Sedi debent. (Reg. 138, n° CCCXII, fol. 96.)

Dilectis filiis gubernatori, consilio et communi civitatis Senensis. Dudum veridica relatione —. Datum Avinione, II kalendas octobris, anno tercio.

1139 Avignon, 1er octobre 1344.

Archiepiscopo Bituricensi mandat, ut Johannis de Muris, canonici ecclesie de Maseriis qui Avinionem pergit, sumptus solvat. (Reg. 138, n° CCCXIII, fol. 96 v°.)

Venerabili fratri... archiepiscopo Bituricensi. Cum nos, multorum instantiis excitati, super quibusdem dubiis seu defectibus numerum aureum tangentibus ad utilitatem universalis ecclesie declarandis seu corrigendis, per aliquos viros peritos et expertos in talibus ordinaverimus diligenter et fideliter insistendum, et, sicut intelleximus, dilectus filius Johannes de Muris, canonicus ecclesie de Maseriis, tue diocesis, tanquam peritus et expertus in talibus dicatur existere multipliciter circa hec oportunus, nosque per litteras nostras mandemus eidem, ut ad sedem apostolicam procuret propterea quantocius se conferre, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, per te ac clerum tuum eidem Johanni studeas de necessariis sumptibus super hiis providere. Datum Avinione, kalendis octobris, anno tercio.

1140 Avignon, 1er octobre 1344.

Episcopo Parisiensi pro Firmino de Bellavalle, clerico Parisiens similiter scribit. (Reg. 138, n° CCCXIIII, fol. 96.)

Venerabili fratri... episcopo Parisiensi. Cum nos... et, sicut intelleximus, dilectus filius Firminus de Bellavalle, clericus Parisius moram trahens, tanquam peritus et expertus in talibus, et cœtera, ut in alia. Datum Avinione, kalendis octobris, anno tercio.

1141 Avignon, 1er octobre 1344.

Reservationes canonicatuum et prebendarum ac aliorum beneficiorum quorum fructus si cum cura sexaginta, si sine cura quadraginta libras Turonensium parvorum secundum taxationem non excedunt, usque ad biennium suspenduntur. (Reg. 167, n° VI, *De Curia* ; — Reg. 216, fol. 11 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex plerumque —. Datum Avinione, kalendis octobris, anno tertio.

1142 Avignon, 1er octobre 1344.

Decernit ne revocatio reservationum facta per biennium se extendat ad dignitates, prepositurasq, personatus et officia ecclesiastica aut ad prioratus regularium tunc temporis reservata vel imposterum. (Reg. 167, *De Curia*, n° XI ; — Reg. 216, fol. 15 r°.)

Ad futuram rei memoriam. Apostolice Sedis providentia —. Datum Avinione, kalendis octobris, anno tercio.

1143 Avignon, 2 octobre 1344.

Episcopum Magalonensem regi Franciæ commendat. (Reg. 138, n° CCCXV, fol. 96 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum venerabilis frater noster Arnaldus, episcopus Magalonensis, super quibusdam novitatibus indebitis, quas per officiales et commissarios regios in suis et ecclesie sue Magalonensis spiritualibus et temporalibus juribus inferri contra justiciam asserit, in regali Curia habeat, sicut intelleximus, expedire, nos eundem episcopum ac sua et ecclesie sue predicta negocia regie benivolentie propen-

sius commendantes, eam plenis effectibus deprecamur, quatenus prefato episcopo vel ejus procuratori super hiis, audientia benigna concessa, sic se velit regia sublimitas ergo ipsos episcopum et ecclesiam pro divina et apostolice Sedis reverentia super revocandis quibusvis novitatibus indebitis et aliis suis agendis propiciam exhibere, quod apud Deum, qui salutem dat regibus, meritorum cumulis augeatur. Datum Avinione, VI nonas octobris, anno tercio.

1144 Avignon, 2 octobre 1344.

Comitem Flandriæ rogat ne episcopum Cameracensem vexet. (Reg. 138, n° CCCXVI, fol. 97.)

Dilecto filio nobili viro Ludovico, comiti Flandrensi. Infeste relationis assertio nuper nostri apostolatus auditui patefecit quod pretextu quarundam questionum seu discordiarum, quas inter venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum et dilectos filios capitulum ecclesie Cameracensis invicem suscitare studuit hostis pacis, tu, fili, instigatus pro parte dicti capituli, sicut fertur, vicarios et gentes ejusdem episcopi diffidasti seu diffidari fecisti. Cum autem, hujusmodi questionibus et discordiis jamdudum ad examen nostrum et apostolice sedis deductis, nos unum ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus deputaverimus super eis auditorem, coram quo lis apud dictam sedem inter partes pendet predictas, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus, quod absque Dei et nostre dicteque sedis offensa te de premissis intromittere non valeres diligenter advertens, et a predictis diffidationibus utique deo displicibilibus, et aliis molestationibus prefati episcopi ac vicariorum predictorum desistens, eundem episcopum, quem nos favore dilectionis specialis prosequimur, ac gentes et negocia sua habere velis, quantum honestas justicie suaserit, pro nostre et dicte sedis reverentia propensius commendata, rescripturus nobis, quesumus, tue voluntatis et intentionis propositum in hac parte. — Datum Avinione, VI nonas octobris, anno tercio.

1145 Avignon, 3 octobre 1344.

Raynaldus de Tribussalicibus, miles, et Raymundus de Usetia, domicellus, necnon Raymundus Carbonelli ac Guillelmus Bertrandi Jaucerandi ambassiatores et nuncii civitatis Arelatensis ad Andream regem et Johannam reginam Sicilie pro certis comunitatis negociis se conferunt et litteræ salviconductus eis concedunturur. (Reg. 138, n° MLXXXXVII, fol. 293 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. ut supra, usque pervenerint. Cum dilecti filii —. Datum Avinione, V nonas octobris, anno tercio.

1146 Avignon, 3 octobre 1344.

Aymerico tituli S. Martini in Montibus presbitero cardinali mandatur ut Raymundum de Caslucio capi caute faciat et ipsum sub fida custodia ad curiam transmittat. (Reg. 167, *De Curia*, n° V, fol. 1 v° ; — Reg. 216, fol. 11.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Apostolice solicitudinis studium. — Datum Avinione, V nonas octobris, anno tercio.

1147 Avignon, 4 octobre 1344.

Eis mandat ut Placitum de Platomone capi faciant et cum litteris falsis illum ad Curiam transmittant. (Reg. 167, *De Curia*, n° VII ; — Reg. 216, fol. 11 v°.)

Venerabilis fratribus... archiepiscopo Panormitano et... episcopo Mileritano, salutem etc. Nuper ad apostolatus —. Datum Avinione, IIII nonas octobris, anno tertio.

1148 Avignon, 5 octobre 1344.

Eis mandat ut Thomasium et Thomacellum Gotefridi ac Berardum de Seccano ex parte una et Jacobum Nofum Siccum in gratiam reducant. (Reg. 138, n° CCCXVII, fol. 97.)

Venerabilibus fratribus Reatino, vicario nostro in spiritualibus in Urbe, et Anagnino ac Terracinensi episcopis. Perduxit nuper infausti —. Datum Avinione, III nonas octobris, anno tertio.

1149 Avignon, 5 octobre 1344.

Campanie rectori mandat ut prædictos nobiles ad Curiam citet. (Reg. 138, n° CCCXVIII, fol. 98.)

Dilecto filio Neapoleoni de Tibertis, priori domus Veneciarum, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Campanie Maritimeque rectori. Nuper non absque —. Datum Avinione, III nonas octobris, anno tercio.

1150 Avignon, 5 octobre 1344.

Eis mandat ut Heliadem, filiam Geraldi Dalvernh, Tutellensis diœcesis, in monacham monasterii de Bragiaco, O. S. B., Claromontensis diœcesis recipiant. (Reg. 138, n° CCCXIX, fol. 98 v°.)

Judicibus dilectis filiis... Sancti Tiberii et Sancti Benedicti Floriacensis ac... de Bona Aqua Agathensis, Aurelianensis et Lemovicensis diocesis, monasteriorum, abbatibus. Copiosa Sedis Apostolice benignitas operibus exposita pietatis, prudentium votis virginum, que spreto mortalis viri thoro, ei qui speciosus est pre filiis hominum desponsari desiderant, consuevit se benignam et propiciam exhibere. Cum itaque dilecta in Christo filia Heliadis, nata dilecti filii nobilis viri Geraldi Dalvernh puella litterata, Tutellensis diocesis, cupiat, sicut accepimus, una cum dilectis in Christo filiabus... abbatissa et conventu monasterii de Bragiaco, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, in eodem monasterio sub regulari habitu virtutum domino famulari, nos volentes eandem puellam in hujusmodi suo laudabili proposito confovere, mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si predicta puella que, sicut asseritur, habet in altero suorum occulorum maculam, alias sit ydonea, et aliud canonicum non obsistat, in dicto monasterio, si in eo certus monialium numerus non habetur, vel etiam si hujusmodi numerus forsitan ibidem existat, et de ipso numero aliqua deest ad presens, ex nunc, alioquin quam primum aliquam deesse continget, recipi faciatis auctoritate nostra in monacham et sororem, sibique juxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi, ac de communibus ejusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis ipsius monasterii monialibus integre provideri, eamque ibidem sincera in domino caritate tractari ; Non obstante defectu predicto, et quibuscumque statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis, juramento, confirmatione Sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si pro aliis scripta forsan ibidem apostolica sint directa ; seu si eisdem abbatisse et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Contradictores etc. Datum Avinione, III nonas octobris, anno tercio.

1151 Avignon, 5 octobre 1344.

Decernit ut infrascripti conjuges in contracto matrimonio licite remaneant. (Reg. 138, n° CCCXX, fol. 99.)

Dilecto filio nobili viro Girberto d'Alboy, Tutellensis diocesis, familiari nostro et dilecte in Christo filie nobili mulieri Helis, ejus uxori. Exuberans Apostolice Sedis benignitas eis, quos Deo et sibi fideles repperit et devotos, quedam, plerumque rigorem canonum mitigando mansuetudine, prout ipsorum merita et sinceritas devotionis exposcunt, gratiose concedit, que aliis merito denegantur. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod dudum utriusque vestrum amicis tractantibus, super matrimonio inter vos invicem contrahendo, quamvis tunc temporis nobis ab aliquibus diceretur existere inter vos lineam parentele impedientem hujusmodi matrimonium contrahendum, primo contractis sponsalibus, et deinde bannis, ut est moris, publice in ecclesiis, quarum parrochiani eratis, editis, ad contrahendum inter vos in facie ecclesie solemniter matrimonium hujusmodi processistis, et in eo consumato carnali copula diutinis temporibus permansistis, multis utriusque sexus liberis ex ipso matrimonio procreatis. Demum autem certificati plenius de impedimento parentele hujusmodi, et reperto quod in quarto gradu linee parentele discendendo equaliter ex utraque parte vos invicem attinetis, propter quod hujusmodi matrimonium non subsistit, vos ambo, apud sedem eandem presentes, nobis humiliter supplicastis, ut, cum tam propter liberos predictos, de nobilibus trahentes originem, quorum aliqui sunt adulti, quam vestram et utriusque amicorum confusionem esset magnum scandalum, si vos oporteret ab invicem propterea separari,

providere vobis de oportune dispensationis super hiis remedio de benignitate apostolica dignaremur, nos igitur, premissis omnibus pia consideratione pensatis, et eorum circumstantiis, que nos magis ad clementiam quam rigorem circa hec monere poterant et debebant, diligenter attentis, supplicationi vestre hujusmodi benignius inclinati, vobiscum, ut impedimento hujusmodi, quod ex parentela predicta provenit et quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, possitis in eodem contracto matrimonio licite remanere, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem ex ipso matrimonio procreatam, et etiam procreandam, eadem auctoritate legittimam nihilominus decernentes Nulli ergo etc. Datum Avinione, III nonas octobris, anno tercio.

1152 Avignon, 5 octobre 1344.

Cum jurisdictio villæ de Romanis inter archiepiscopum Viennensem capitulumque ex una parte et Dalphinum ex altera, dividatur, decernit ut tres partes hujus medietatis ad archiepiscopum, quarta pars ad capitulum pertineant. (Reg. 138, n° CCLXXXI, fol. 85.)

Ad perpetuam rei memoriam. Dum commoda pacis attendimus, et dissentionum incommoda diligenti meditatione pensamus, pacem ipsam inter filios ecclesie, cure nostre commissos, habundare, dissentionum extirpatis fomitibus, cupimus, et ad hoc libenter, prout nobis ex apostolice servitutis desuper injuncte competit officio, adhibere paterne solicitudinis studium procuramus. Sane frequens et anxia sepe insinuatio preteritis temporibus ad audientiam nostram perduxit quod ex multis odiis, discordiis et dissentionibus inter dilectos filios, nobilem virum, Humbertum Dalphinum Viennensem, ipsiusque predecessores ex parte una, et homines habitatores, et incolas ville de Romanis, Viennensis diocesis, que ad ecclesiam Sancti Bernardi de Romanis spectare consuevit, et in eadem villa archiepiscopus Viennensis, qui est pro tempore, velut abbas ecclesie predicte jurisdictionem omnimodam, preterquam in certis casibus ad dilectos filios capitulum ipsum ecclesie spectantibus, exercere solitus est, ex altera, hactenus hoste procurante humani generis suscitatis, tam per guerrarum bellicosos insultus, quam alias diversimode lapsus rerum, personarum excidia, et animarum amarius dolenda discrimina, diversis temporibus provenerunt, et provenire ulterius, nisi de oportuno provideretur remedio, ampliora et periculosiora pericula probabiliter timebantur. Nos igitur attendentes quod ex premissis sepius oprimebantur innocentes et pauperes, cultus minuebatur divinus ibidem, pia negligebantur opera, et aliis malis et scandalis variis aditus pandebatur, et insuper quod prefatis archiepiscopo et capitulo jurisdictionis exercitium ville predicte tam in emolumentis quam aliis quasi inutile reddebatur, dudum sub manu nostra et ecclesie Romane ad instar felicis recordationis Benedicti pape XII, predecessoris nostri, jurisdictionis exercitium, ut saltem utroque pro tunc obviaretur periculis et scandalis hujusmodi, gubernari ordinavimus, quousque per nos foret aliud super hoc salubriter ordinatum. Deinde vero nos, ad quos ecclesiarum omnium dispositio, et providere ipsarum utilitatibus ac precavere indempnitatibus plene spectat, prefatis Dalphino, ejusque successoribus, ac hominibus, incolis, et habitatoribus supradictis dare super predictis pacem perpetuam, necnon archiepiscopo memorato suisque successoribus et capitulo supradictis providere, quod eadem jurisdictio deinceps existat eis utilis, et in eadem villa cultus observetur justicie, sepefatis sublatis incommodis, cupientes, cum quibusdam ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus, deliberatione prehabita provida et matura, quamvis assereretur ab aliquibus fidedignis, et in quibusdam scripturis antiquis continere diceretur, predictam villam pertinuisse ad memoratam Romanam ecclesiam ab antiquo, per certum tractatum habitum cum predicto Dalphino nobiscum pro communi tam ejusdem ecclesie Romane quam archiepiscopi et capituli ecclesie de Romanis, ac hominum, habitatorum et incolarum predictorum utilitate, inter cetera, in tractatu eodem contenta, concordatum extitit ac etiam ordinatum, quod dicta villa de Romanis et omnis jurisdictio ejusdem, alta et bassa justicia, merum et mixtum imperium, et omne emolumentum ex eis proveniens, sint a modo communia et communicata pro indiviso, inter archiepiscopum Viennensem, qui est pro tempore, et capitulum ecclesie predicte de Romanis, ac prefatum Dalphinum, per communes officiales ipsorum perpetuis temporibus exercenda, ita quod Dalphinus predictus medietatem ac prenominati archiepiscopus et capitulum pro indiviso, sicut premissum est, aliam medietatem haberent pro partibus, per nos inter eosdem archiepiscopum et capitulum declarandis, sic tamen quod eisdem

archiepiscopo et capitulo, ac ecclesie de Romanis omnes sui redditus, proventus et obventiones, libertates et jura, que habent quomodolibet in villa de Romanis predicta vel ejus pertinentiis in omnibus et per omnia salva consistant, cum in communione hujusmodi solum jurisdictio temporalis dicte ville, ac territorii per dictum Dalphinum juxta conventiones communionis predicte, concedendi, dandi, et assignandi ville predicte, ac emolumenta, que provenient et provenire poterunt ex jurisdictione predicta, veniant in eadem communione dumtaxat, sicut in instrumentis publicis et litteris inde confectis hec et alia plenius continentur. Ut autem inter prenominatos archiepiscopum et capitulum prelibate ecclesie de Romanis, ad quos medietas jurisdictionis predicte, tam ville quam territorii predictorum pro indiviso, ut premissum est, et emolumenta inde provenientia spectent, tenore presentium, prout rationis equitati convenire cognovimus, declarantes, volumus, statuimus, ac etiam ordinamus, quod tres partes medietatis jurisdictionis predicte, ac emolumentorum ex ea provenientium ad eundem archiepiscopum qui est pro tempore, reliqua vero quarta pars ad prefatos capitulum et ecclesiam de Romanis perpetuis temporibus plene spectet, utriusque ipsorum tamen salvis suis aliis redditibus, juribus et proventibus in villa et territorio consistentibus supradictis. Nulli ergo etc. Datum Avinione, III nonas octobris, anno tercio.

1153 Avignon, 7 octobre 1344.

De venatione missa regi Franciæ gratias agit. (Reg. 138, n° CCCXXI, fol. 99.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Gratanter et animo leto recepimus venationem optimam a liberalitate regia copiosissime nobis missam, exinde regali magnificentie graciarum actiones uberes referentes. Datum Avinione, nonis octobris, anno tercio.

1154 Avignon, 7 octobre 1344.

Salviconductus litteræ conceduntur Thomæ de Kant, servienti armorum et familiari, ab Anglia oriundo qui pro negociis proficiscitur ad Angliam inde ad Sedem Apostolicam in proximo reversurus, dictis litteris post octo menses minime valituris. (Reg. 138, n° MLXXXXVIII, fol. 293 v°.)

Venerabilibus fratribus etc. ut supra, usque pervenerint. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, nonis octobris, anno tercio.

1155 Avignon, 8 octobre 1344.

Eum rogat ut pro pace firmanda inter Angliæ et Franciæ reges eo attentius laboret quod quædam conventiones secrete nunc tractentur. (Reg. 138, n° CCCXXII, fol. 99 v°.)

Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye. Missum nuper ad presentiam nostram dilectum filium Johannem de Rippis, ordinis beate Marie de Montecarmelo, capellanum nostrum ac tue nobilitatis confessorem et nuncium necnon litteras tuas de credentia nobis presentatas per ipsum, leta manu recepimus, et tam contenta in eisdem litteris, quam ea que dictus capellanus sub eadem credentia curavit exponere, pleno collegimus intellectu, tuas prudentiam, affectionem, sollicitudinem et diligentiam, quas in exponendo carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri, ac ipsum exhortando et inducendo ad explicata nobis negocia, et inter nos et te, cum esses nobiscum apud Sedem apostolicam, familiariter collocuta, devotis et sedulis adhibere curasti studiis, commendantes multipliciter in Domino, et gratiarum actionibus prosequentes. Pro certo sciturus quod in eodem proposito, quo nos reperisti tunc temporis, persistimus firmiter et constanter, cum inter cetera desiderabilia cordis nostri, pacis reformationem mutue inter prefatum regem Anglie ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem subsequi accensis affectemus desideriis et ad faciendum transmarinum passagium ad honorem Dei et fidei exaltationem catholice nostris temporibus aspiremus, prefatum regem Anglie inter ceteros catholicos principes orbis terre ad hujusmodi prosequendum passagium valde aptum convenientem et ydoneum proculdubio reputantes. Ceterum quia prefato capellano injunctum erat, ut asseruit, quod predicta dilecto filio Johanni de Orforde, decano ecclesie Lincolniensis, aperiret secrete, et super hoc etiam tam regias quam tuas litteras eidem decano presentasse diceretur directas, nos prefatis decano et capellano ad nostram presentiam evocatis, aliqualem collationem circa hec habuimus cum eisdem, tandemque nobis et ipsis concorditer visum fuit quod, antequam appropinquaremus ad locum de quo eadem tua nobilitas nobis scripsit, propter

multas rationes quas tibi dictus capellanus explicare plenius poterit viva voce, admodum expediens honori nostro et negociorum ipsorum commodo censebatur, nos super via pacis predicte aliqua de intentione partium magis specifice pressentire presertim cum, licet dictus capellanus nobis super predicta credentia explicasset, quod certe terre ac pecunie regi Anglie darentur predicto, tamen quas terras et pecunie summas sibi rex ipse dari vellet, nescivit aliquatenus explicare. Quapropter, ut negocium ipsum inchoaretur feliciter sub spe divine misericordie, fine votivo et prospero consummandum, quam plurimum expediens et utile crederemus, quod se tibi memoratus rex Anglie super hiis aperiret, tuque nobis viam, quam reperires super hoc per te, si videres expediens, vel per fidelem nuncium vel secretas litteras specifice intimares, quia nos ea, que in hac parte referres vel scriberes, sub secreto tanquam confessionis sigillo reciperemus, et teneremus, laboraremusque fideliter et soleriter, ut predictus rex Francie se ad ea que decentia et tolerabilia existerent inclinaret, tuncque si, partium hinc inde intentione prescita, materiam videremus dispositam, circa concordiam hujusmodi reformandam, et quod non esset frustratorius vel illusorius labor noster, apropinquare libenter et letanter parati erimus, et aliis pretermissis negociis expensis et laboribus non parcendo, cum omni studio et diligentia super predictis interponere solicitudinis nostre partes. Ideoque nobilitatem rogamus eandem et hortamur quatenus inennarrabilia merita, que tibi ex hujusmodi laboribus et solicitudinibus apud Deum cumulare poteris, consideranter attendens, in premissis et circa ea tua fidelis et devota diligentia non tepescat. Datum Avinione, VIII idus octobris, anno tercio.

1156 Avignon, 8 octobre 1344.

Comitem Derbeyæ rogat ut, quæ gesserit circa revocationem novitatum contra libertatem ecclesiasticam, rescribat. (Reg. 138, nº CCCXXIII, fol. 100).

Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Derbeye. Inter cetera que tecum fili, cum esses pridem nobiscum apud sedem apostolicam, fuimus collocuti, de revocatione illarum novitatum contra libertatem ecclesiasticam attemptatarum in Anglia, sicut nosti, nobilitati tue fecisse meminimus mentionem. Verum quia super eis postmodum nichil nobis significare curasti, nobilitatem rogamus eandem quatinus, sicut tecum presentialiter fuimus super hiis collocuti, cures efficaciter interponere partes tuas, nobis que acta circa hec fuerint nichilominus rescripturus. Datum ut supra.

1157 Avignon, 8 octobre 1344.

Archiepiscopo Cantuariensi similiter scribit. (Reg. 138, nº CCCXXIIII, fol. 100.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi Novit tua fraternitas quam graviter ex illis novitatibus contra Deum et ecclesiam sanctam suam hiis temporibus in partibus Anglie pro dolor! attemptatis, divina magestas offenditur, libertas ecclesiastica ledi(di)tur ac honori et fame regiis necnon cleri et populi totius regionis illius non parum detrahitur, et animarum amarius dolenda pericula subsecuntur. Crederemus quidem Deo placibile tucque saluti expediens et honori ut tu, frater, qui locum majorem inter prelatos Anglie obtines, et illius gloriosi martiris beati Thome videlicet, qui pro tuendis ecclesie libertatibus coronam martirii est adeptus, in archiepiscopali sede successor esse dinosceris, ac carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris assistis lateri, super revocandis eisdem novitatibus efficaciter curares interponere partes tuas, cum communiter arbitretur quod tue solicitudinis studium esse in hac parte poterit multipliciter fructuosum. Quocirca fraternitatem rogamus et in Domino exhortamur eandem quatenus super hiis sic te geras quod illi, qui famam tuam suggillare circa premissa nisi sunt hactenus et nituntur, per tue operose solicitudinis in hac parte ministerium minus veraces reperiantur probabiliter tuque nostre et apostolice sedis gratiam consequaris uberius non indigne, nobis que super premissis acta fuerint nichilominus rescripturus. Datum Avinione, VIII idus octobris, anno tertio.

1158 Avignon, 8 octobre 1344.

Eum rogat ut pro pace firmanda laborare velit. (Reg. 138, nº CCCXXV, fol. 100.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi. Fraternitatis tue litteras nobis per dilectum filium Johannem de Rippis, ordinis beate Marie de Montecarmelo,

capellanum nostrum, benigne recepimus presentatas, quarum serie diligentius intellecta, solicitudinem tuam super hiis, que continebantur in ipsis, et nobis expressit etiam capellanus predictus, admodum nobis gratam multipliciter in Domino commendamus. Sane quia vocatis ad nostram presentiam eodem capellano et dilecto filio Johanne de Orforde, decano ecclesie Lincolniensis, cui tam regias quam tuas et dilecti filii nobilis viri Henrici, comitis Derbeye, litteras presentasse super hiis dicebatur, et aliquali habita collatione cum ipsis, nobis et eis concorditer propter multas rationes, quas idem capellanus tibi poterit verbotenus explicare, honori nostro et negociorum, de quibus agitur, commodo nequaquam expediens visum fuit, nos appropinquare ad locum de quo comes predictus nobis scripsit, quousque super via pacis reformande aliqua de intentione partium magis pacifice sentiremus, fraternitatem rogamus eandem quatenus consideranter attendens quod cuicumque fideliter laboranti super hujusmodi negociis magnum crescit meritum apud Deum, tuos labores continuando, sic cures super premissis operose solicitudinis interponere partes tuas, quod hujusmodi augearis meritis, et dignis attolli non indigne commendationibus merearis. Datum Avinione, VIII idus octobris, anno tercio.

1159 Avignon, 8 octobre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nos MCCXXXVIII et VIIII, fol. 317.)

Item in eodem modo, *dilecto filio Bernardo Stephani et dilecte in Christo filie Raymunde, ejus uxori, Narbonensibus civibus.* Datum Avinione, VIII idus octobris, anno tercio.

Dilecte in Christo filie Petronille relicte quondam Guillelmi de Ascheriis, vidue, Parisiensis Diocesis.

1160 Avignon, 9 octobre 1344.

Sanctæ Mariæ in Via Lata diacono cardinali sic indulget ut in archidiaconatibus et decanatibus visitacionis officium per procuratorem exercere procurationesque debitas recipere possit. Judices simul deputat. (Reg. 138, nos MCXXXIX et MCXL, fol. 302 vo.)

Dilecto filio Nicolao Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali. Quanto Romanam ecclesiam —. Datum Avinione, VII idus octobris, anno tercio.

Judicibus Sancti Benedicti supra Ligerim et de Belloloco monasteriorum abbatibus, Aurelianensis et Lemovicensis diocesis, ac Ramundo de Cornaco, canonico Ruthenensi.

1161 Avignon, 10 octobre 1344.

Eidem indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, no MCLXXII, fol. 312 vo.)

Dilecto filio Bernardo Amelii, archidiacono Albiensi. Provenit ex tue —. Datum Avinione, VI idus octobris, anno tercio.

1162 Avignon, 10 octobre 1344.

Infrascripto licenciam testandi concedit. (Reg. 138, no MCLXXV, fol. 312 et 313.)

Item pro *Bernardo Amelii, archidiacomo Albiensi.* — Datum Avinione, VI idus octobris, anno tercio.

1163 Avignon, 11 octobre 1344.

Eum certiorem facit se, quo ad Stoutum de Rioterio et Symonem de Rupecavardi attinet, sententiam non mutasse. (Reg. 138, no CCCXXVIII, fol. 100 vo.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Pridem pro dilecto filio Stouto de Rioterio, preceptore domus de Villadei, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Montisalbane diocesis ad prioratum Tholosanum Hospitalis predicti, et dilecto filio Symone de Rupecavardi ad dictam domum de Villadei promovendis, tibi, fili, nostras litteras deprecatorias et hortatorias meminimus affectualiter direxisse. Sane quia forsan aliqui tue prudentie suggerere verbo vel litteris niterentur, nos ab eisdem precibus et exhortationibus destitisse, seu mutasse super hiis nostre voluntatis affectum, sinceritatem tuam scire ac tenere voluimus pro constanti, quod nos in eisdem precibus et exhortationibus immobiliter persistimus, nec cuicumque credas vel fidem adhibeas contrarium asserenti. Datum Avinione, V idus octobris, anno tercio.

1164 Avignon, 12 octobre 1344.

Eos rogat ut in ecclesiæ libertatibus defendendis perseverent. (Reg. 138, n° CCCXXVI, fol. 100 v°).

Dilecto filio magistro Thome Hatfeld, clerico, consiliario et custodi sigilli secreti carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris. Referente nobis dilecto filio Johanne de Rippis, ordinis Beate Marie de Montecarmelo, capellano nostro, de te percipimus leta mente quod ad ea, que divinum beneplacitum et honorem ecclesie sancte sue respiciunt, libenter promptis et devotis studiis te impendis, suber quibus eciam devocionem et prudenciam multipliciter in Domino commendantes, sinceritatem tuam attentius exhortamur quatinus in premissisque te deo acceptiorem efficient, tibique nostram et apostolice Sedis graciam uberius vendicabunt, operosis affectibus immobiliter persistere non postponas. Datum Avinione, IIII idus octobris, anno tercio.

Dilecto filio nobili viro Johanni de Gonovzell.

1165 Avignon, 13 octobre 1344.

Eum rogat ut comitum Sabaudiæ et Gebennensis atque Ludovici de Sabaudia, domini Vaudi, preces exaudiat. (Reg. 138, n° CCCXXIX, fol. 101.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Scripserunt nobis dilecti filii nobiles viri... Sabaudie et... Gebennensis comites, ac Ludovicus de Sabaudia, dominus Vaudi, sicut continet eorum littera quam tue prudentie mittimus presentibus interclusam. Sane quia tua circumspectio novit plenius quid utilius et melius, secundum honestatem et decentiam tui ordinis, valet fieri super hiis, que continent littere supradicte, tuam sinceritatem rogamus quatenus, quantum cum Deo et honestate poteris commode, precibus annuas eorundem. — Datum Avinione, III idus octobris, anno tercio.

1166 Avignon, 13 octobre 1344.

Regi Franciæ capitulum ecclesie Brivatensis, Sancti Flori diocesis, commendat. (Reg. 138, CCCXXX, fol. 101.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super hiis que dilecti filii capitulum ecclesie Brivatensis, ecclesie Romane immediate subjecto, Sancti Flori diocesis, habent, sicut accepimus, in regali curia expedire, ipsas et eorum causas et negocia ut, sicut honestate servata justicie fieri poterit, tractentur favorabiliter, regie benivolentie propensius commendamus. Datum Avinione, III idus octobris, anno tercio.

1167 Avignon, 14 octobre 1344.

Eis mandat ut ad Sanctam Sedem Ramundum Amalrici, laicum Agathensis diœcesis, citent qui nonnulla bona ad fratrem ejus, defunctum episcopum Soranum, in Sardinia collectorem et Romandiolæ rectorem pertinentia servaverat. (Reg. 138, n° CCCXXXI, fol. 101.)

Dilectis filiis... Narbonensi et... Agathensi officialibus. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Ramundus Amalrici, laycus Agathensis diocesis, diversas quantitates bladorum, carnium salsarum, caseorum, pellium bovinarum, ac nonnullos boves et vitulos, de bonis bone memorie Johannis, episcopi Sorani, germani sui, pridem in partibus regni Sardinie decedentis, receperit, et ad diversas partes regni Francie transtulerit, sicut per informationem de mandato nostro factam super hoc est repertum, nos attendentes quod dictus episcopus, qui dudum rector pro ecclesia Romana provincie Romandiole, ac deinde collector proventuum ad Cameram nostram in regno predicto Sardinie spectantium auctoritate apostolica deputatus diversis temporibus extitit, prefate Camere, cui nondum de hiis, que ratione officiorum rectorie ac collectorie predictorum nomine ipsius Camere receperat, rationes reddiderat, tempore quo decessit, in diversis pecuniarum summis, propter quas bona sua obligata remanserant, tenebatur astrictus, et volentes ejusdem Camere indempnitatibus super hiis precavere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum in solidum, qui super hoc fuerit requisitus per vos, alium seu alios, eundem Raymundum peremptorie citare curetis ut infra quindecim dierum spacium a die citationis hujusmodi conputandorum apud sedem apostolicam in eadem Camera coram camerario et thesaurariis nostris personaliter se presentet, super predictis debite responsurus, ac facturus et recepturus quod justicia suadebit. Diem autem hujusmodi citationis

et formam et quicquid inde feceritis, eidem Camere per instrumentum publicum harum seriem continens intimare curetis. Datum Avinione, II idus octobris, anno tercio.

1168 Avignon, 14 octobre 1344.

Eum rogat ut Henricum Storthlin et Conradum de Beremiels, nuncios episcopi Basiliensis, libertati restitui jubeant qui, dum ad Sanctam Sedem veniebant, capti fuerant et in castro vocato Rochefort detinebantur. (Reg. 138, nos CCCXXXII-XXXIII, fol. 101 vo.)

Dilecto filio nobili viro Humberto dalphino Viennensi. Intelleximus admodum displicenter quod dilecti filii Henricus Storthlin, jurisperitus, rector ecclesie in Hugestorler, Argentinensis diocesis, et nobilis vir Conradus de Beremiels, miles, nuncii venerabilis fratris nostri... episcopi Basiliensis, qui pridem ad sedem apostolicam pro certis negociis mittebantur, cum per terras dilecti filii nobilis viri Ludovici de Sabaudia, domini Vaudi, suum iter prosequendo ad sedem eandem venientes transirent, Nicolaus de Glan et Raynaldus frater suus, cum quibusdam suis nequaquam in hac parte complicibus more predonico irruentes in eos, violenter ipsos ceperunt et miserabiliter captivarunt, raptis omnibus bonis suis, que secum tunc temporis habebant vel etiam deferebant, ipsosque ad quoddam castrum tuum vocatum Rochefort duxerunt captivos, ubi detineri duris mancipati carceribus asseruntur, excommunicationis et anathematis sententias adversus omnes et singulos qui venientes ad sedem predictam vel recedentes ab ipsa impediunt, molestant, indebite capiunt vel spoliant bonis suis, per processus apostolicos tam antiquis quam modernis temporibus in certis anni sollempnitatibus publicatos promulgatas, preter alias penas, a jure contra tales inflictas, dampnabiliter incurrere, ac Deum et sedem eandem graviter offendere non verentes. Cupientes igitur prefatos captivos sic celeriter liberari, et exequi justicie debitum de premissis, quod contra terras illarum partium ac fautores et receptatores predonum ipsorum predictos non oporteat agravare processus, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus hujusmodi excessuum proditiosam enormitatem, necnon contumeliam Dei et ecclesie, tanquam filius benedictionis aborrens, quod prefati captivi absque difficultate restituantur libertati pristine cum omnibus bonis suis et super tam scelerosis [1] criminibus complementum exhibeatur justicie, sicut cures efficaciter interponere partes tuas, quod inde possit et debeat merito tua commendari devotio, nec ad gravationem predictam procedere sit necesse. Datum Avinione, II idus octobris, anno tercio.

Item in eundem modum *prefato Ludovico* [*de Sabaudia*], verbis competenter mutatis.

1169 Avignon, 16 octobre 1344.

Magistro Stephano archidiacono et Guillelmo de Guardia, canonico ecclesiæ Belvacensis, fratribus et exsecutoribus defuncti Geraldi, O. F. P. tituli Sancte Sabinæ presbiteri cardinalis, auctoritatem dat 5.300 florenorum auri petendi pro solvendis plurimis debitis dicti cardinalis necnon expensis sepulcri faciendi in ecclesia fratrum ordinis Prædicatorum de Briva, Lemovicensis diœcesis, ubi supradictus Geraldus sepulturam suam elegerat. (Reg. 138, no CCCXXXIIII, fol. 102.)

Venerabili fratri Stephano episcopo Casinensi, thesaurario, et dilectis filiis magistro Guidoni de Calma, decano sancti Aredii, notario, nostris, ac Stephano de Pinu abbati secularis ecclesie Dauratensis ecclesiarum Lemovicensis diocesis. Dudum ad nostram noticiam relatibus fidedignis perducto quod bone memorie Geraldus tituli sancte Sabine presbiter cardinalis, qui de ordine fratrum ordinis predicatorum fuerat ad statum cardinalatus assumptus, pro hiis que sibi juxta status sui decentiam necessaria fuerant, tot debitorum oneribus erat, tempore quo decessit, oppressus, quod preter illa que de cardinalatus et quoramcunque beneficiorum que optinebat, tunc temporis, et aliis quibusvis proventibus ad eum spectantibus quoquomodo perceperat, in nonnullis pecuniarum summis erat diversis creditoribus obligatus, ita quod ultra omnia bona que de predictis vel quibuscumque aliis habebat, seu ad eum tunc temporis pertinenant, solutis tamen expensis funerariis, et quibusdam familiaribus suis, qui ei servierant, dum viveret, remuneratis aliqualiter, et etiam aliquibus debitis persolutis, adhuc deductis et computatis hiis que ipsum de proventibus dicti cardinalatus juxta morem Romane Curie contingere poterant, nondum tunc perceptis, usque

1. Ms. : Scelerosus.

ad summam trium milium octingentorum florenorum auri, eisdem creditoribus remanebat astrictus, nos volentes anime ipsius cardinalis saluti prospicere super hiis, et creditorum ipsorum indempnitatibus providere, non obstante quod fructus, redditus et proventus annuales beneficiorum ecclesiasticorum ubique vacantium ad dispositionem nostram immediate spectantium ex reservatione de illis sub certis modis et formis per nos facta, nostre camere deberentur, ex pietate commodo ipsius camere necessitates hujusmodi preferentes, voluimus, et de gratia concessimus speciali, quod fructus, redditus et proventus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum cum cura vel sine cura ubicumque consistentium, que idem cardinalis obtinebat, vel ad eum de jure pertinebant, seu pertinere debebant, tempore quo fuit ab hac luce substractus, in solutionem dictorum debitorum usque ad dictam summam per executores testamenti cardinalis ejusdem convertendi, tandiu executorum predictorum nomine colligerentur et reciperentur quousque de summa predicta creditoribus predictis existeret integre satisfactum. Proviso tamen, quod medio tempore, de fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum sic provideretur decenter, quod beneficia ipsa non fraudarentur divinis obsequiis interim, et animarum cura in eis quibus illa immineret neglectui quomodolibet non daretur, nec etiam prejudicaretur dicte camere, quominus post solutionem debitorum hujusmodi annatum dictorum fructuum, redditum et proventuum sibi debitam, posset percipere et habere, vobisque per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut vos vos duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, hujusmodi fructus, redditus et proventus usque ad summam trium milium octingentorum florenorum auri predictam, colligi, exigi et percipi, prefatorum executorum nomine, ac illos eisdem executoribus, videlicet dilectis filiis magistris Stephano archidiacono et Guillelmo de Guardia, canonico ecclesie Belvacensis, dicti cardinalis germanis, vel aliis executoribus predictis, et quotiens dicti archidiaconus et canonicus vel alter eorum hiis nollent aut non possent vacare, assignari convertendos in solutionem predictam juxta concessionem nostram hujusmodi faceretis. Et insuper, ut quibusvis obviaretur fraudibus et maliciis in hac parte, voluimus quod semel in anno per executores eosdem fidelis et integra redderetur ratio coram nobis, de omnibus et singulis que percepta fuissent de redditibus, fructibus et proventibus supradictis, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem nos, post concessionem predictam, beneficia que dictus cardinalis tempore sui obitus obtinebat, vel de jure pertinebant ad eum, aut majorem partem ipsorum, diversis personis duxerimus conferenda, reservatis tamen dictis executoribus specialiter et expresse fructibus, redditibus et proventibus eorundem, juxta tenorem hujusmodi concessionis nostre debitis usque ad complementum summe predicte, ac deinde, sicut intelleximus, aliqui, quibus de hujusmodi beneficiis duximus, ut premittitur, providendum, super fructibus eorum prefatis executoribus juxta tenorem concessionis predicte debitis, cum prenominatis archidiacono et canonico executoribus vel altero eorum ad certas summas, quarum major biennales uniuscujusque beneficiorum ipsorum fructus non excedit, finaverunt et concordaverunt simpliciter et voluntarie, quavis illicita impulsione seu coactione cessante, supplicarunt nobis humiliter executores predicti quod cum summe financiarum hujusmodi jam factarum usque ad predictam trium milium octingentorum florenorum auri summam ascendant et ultra, et tam solutio debitorum predictorum quam expense, quas eosdem executores pro fabricando sepulcro dicti cardinalis in ecclesia fratrum ordinis predicatorum de Briva, Lemovicensis diocesis, ubi suam elegit sepulturam, quam transferendis ipsius cardinalis de Avinione ad ecclesiam predictam ossibus, subire oportet necessario, et etiam oportebit, preter trium milium octingentorum florenorum auri summam, duo milia florenorum auri sufficere probabiliter non credantur, predictas financias seu compositiones factas, ut premissum est, cum obtinentibus beneficia supradicta, et super fructibus aliorum beneficiorum predictorum, de quibus nondum facte fuerunt, faciendas rationabiliter, de voluntate obtinentium predictorum ratas et gratas habere, ac illas supradictis executoribus, pro premissis omnibus faciendis et complendis, concedere ultra dictam trium milium octingentorum florenorum summam per nos dudum, ut prefertur, concessam, usque ad summam mille quingentorum florenorum auri de speciali gratia dignaremur. Nos igitur, premissis diligentius intellectis, et super eis informatione certa recepta, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, predictas financias factas et faciendas rationabiliter de consensu et libera volun-

tate obtinentium, dicta beneficia cum prefatis executoribus vel eorum altero, ratas habentes et gratas, tenore presentium concedimus quod de illis per executores predictos, videlicet per dilectos filios magistros Stephanum archidiaconum, et Guillelmum de Gardia, canonicum ecclesie Belvacensis, dicti cardinalis germanos, vel alios executores quando et quotiens dicti archidiaconus et canonicus vel alter eorum hiis nollent vel non possent attendere vel vacare, possint, ultra sepefatam dictorum trium milium octingentorum florenorum auri, summam dictorum mille et quingentorum florenorum auri percipi, colligi et haberi dumtaxat in usus predictos rationabiliter et fideliter convertendam, sic tamen quod eisdem summis sint contenti executores predicti, et omnia supradicta decenter complere ac perficere teneantur, et si forsan eis aliquid circa hoc defficeret, nichil amplius petere propterea valeant, et ab eis etiam, si superesset, nichil similiter peti possit nec inde rationes nobis vel cuiquam alii deinceps reddere sint astricti. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, prenominatis executoribus, vel eorum alteri, sicut vos requirendos duxerint super predictis, oportunis favoribus assistatis. Contradictores etc. Datum Avinione, XVII kalendas novembris, anno tercio.

1170 Avignon, 18 octobre 1344.

Religiosis, quibus hospitium præbet episcopus Lomberiensis, carne vescendi licenciam concedit. (Reg. 138, n° CCCXXXV, fol. 103.)

Venerabili fratri... episcopo Lomberiensi. Sinceritas tue devotionis, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, frequenter contingat nonnullos religiosos ad mensam tuam tuumque hospicium declinare, et aliquos tecum etiam residere, quibus secundum statuta et consuetudines suorum ordinum est esus carnium interdictus, nos tuis supplicationibus benignius inclinati, ut eisdem religiosis auctoritate apostolica vescendi carnibus in hospicio, in quo tu presentialiter fueris, illis diebus dumtaxat exceptis quibus a sacris canonibus est esus carnium communiter interdictus, dummodo ipsi juramento vel voto ad abstinentiam esus hujusmodi minime sint astricti, licentiam concedere et cum eis dispensare super hiis, cum hoc probabiliter expedire videris, super quo tuam oneramus conscientiam, predictis statutis seu consuetudinibus ac constitutionibus et privilegiis apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, fraternitati tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno tercio.

1171 Avignon, 19 octobre 1344.

Eis mandat ut officiales castri de Visano juramenta solita vassallis præstent. (Reg. 138, n° CCCXXXVI, fol. 103 r°.)

Venerabili fratri Hugoni episcopo Carpentoratensi et dilecto filio nobili viro, Hugoni de Rupe, militi, rectori comitatus Venaissini vel ejus locumtenenti. Nuper vobis, de quorum fidelitate ac circumspectione plene confidimus, et vestrum cuilibet adipiscendi, aprehendendi et retinendi pro nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus possessionem corporalem vel quasi castri de Visano, Tricastrinensis diocesis, ipsiusque territorii et mandamenti ad nos et eosdem successores ex forma et tenore certi contracti per nos dudum cum dilecto filio nobili viro Humberto Dalphino Viennensi, deliberatione previa provida et matura habiti, spectantium, necnon recognitiones, homagia et juramenta fidelitatis a vassallis, hominibus, habitatoribus et subditis castri, territorii et mandamenti predictorum nostro et successorum eorundem nomine recipiendi, castellanum quoque, ballivum et alios officiales et ministros necessarios vel etiam oportunos pro exercitio jurisdictionis castri, territorii et mandamenti predictorum usque ad nostrum beneplacitum deputandi, ceteraque faciendi et exercendi que pro nobis ibidem facienda et exercenda incumbent, per alias nostras certi tenoris litteras, sicut in eis continetur plenius, concessimus potestatem. Sane quia nostre intentionis existit quod jura nostra sic in eisdem castro, territorio et mandamento inviolabiliter observentur, quod non derogetur indebite juribus aliorum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, postquam possessionem predictam fueritis pro nobis et eisdem successoribus, ut prefertur, adepti, juramenta que fuerunt hactenus per officiales dictorum castri, territorii et mandamenti prestari solita vassallis, hominibus, habi-

tatoribus et subditis supradictis, faciatis per officiales, quos ibidem nomine nostro deputabitis, eisdem prestari, totaliter super hiis provisuri quod nihil novum attemptetur prejudiciale super hiis nec antiquis observanciis derogetur. Datum Avinione, XIIII kalendis novembris, anno tercio.

1172 Avignon, 19 octobre 1344.

Decernit ut nonnullæ præbendæ, nonobstantibus quibusdam indultis, reserventur. (Reg. 138, n° DCXLIX, fol. 175 v°; — Reg. 163, *De Curia*, n° II.)

Ad futuram rei memoriam. Provida sedis apostolice benignitas, quietem et pacem subditorum perquirens, ea que sunt dubia et obscura, ne lites et jurgia patiantur, sepe, sicut oportunum fore conspicit, dilucidat et declarat. Dudum si quidem nobis exposito quod propter reservationes de certis canonicatibus et prebendis, ac beneficiis ecclesiasticis, dispositioni nostre et sedis predicte per nos factas, plures et diverse persone ecclesiastice, quibus de canonicatibus cum reservatione predictarum in diversis tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis, seu etiam de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, si tunc vacabant, vel cum vacarent in diversis mundi partibus, per nostras certi tenoris litteras tam in speciali quam in communi forma gratias auctoritate apostolica feceramus, expectantes prebendas et beneficia hujusmodi, ab assecutione dictarum gratiarum eis per nos, ut premittitur, concessarum, fuerant diutius retardate, propter quod eedem persone, ut supradictum est, expectantes, nullum reportasse dicebantur de predictis gratiis comodum sed labores potius et expensas, nos eisdem expectantibus pio super hiis compatientes affectu volumus et eadem auctoritate decrevimus, quod quibuscumque reservationibus specialibus de certis canonicatibus et prebendis singularium et certarum personarum in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis quibuscumque, seu de certis beneficiis ecclesiasticis certarum personarum cum cura vel sine cura per nos tunc factis, aut imposterum faciendis, nequaquam obstantibus, prefati expectantes, presentes pariter et futuri, per biennium dumtaxat continuum, a kalendis octobris proximo preteritis inchoatum, prebendas tam in cathedralibus quam collegiatis ecclesiis supradictis, necnon beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura, que vigore dictarum litterarum nostrarum expectabant, seu etiam expectarent, quorum quidem beneficiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura sexaginta, si vero sine cura forent quadraginta librarum Turonensium parvorum, valorem annuum secundum taxationem decime non excederent, proinde libere acceptare, sibique de ipsis facere provideri volerent, ac si predicte reservationes per nos, ut prefertur, facte, seu medio tempore faciende, acceptationes et provisiones hujusmodi minime processissent, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane quia, quandoque contigit hactenus et contingit nos dignitates, personatus, officia, beneficia, prioratus, prepositures, administrationes, seu mensatas, in cathedralibus vel collegiatis existentes, auctoritate apostolica reservare, aliqui, sicut intelleximus, esitare seu revocare in dubium moliuntur, an prebendas illorum, qui easdem dignitates, personatus, officia, beneficia, prioratus, prepositures, administrationes, seu mensatas, cum eis, dum viverent, in eisdem ecclesiis obtinebant, possint expectantes predicti, vigore predicte relaxationis, in favorem eorum, ut premittitur, per nos facte, acceptare, sibique facere provideri de illis, nos volentes esitationis, seu dubitationis hujusmodi materiam, ne per eam litigiosis aditus prestetur amfractibus, amputare, tenore presentium declaramus, nostre intentionis existere, ac etiam extitisse, prebendas, que per easdem personas una cum prefatis dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, prioratibus, prepositures, administrationibus seu mensatis in eisdem obtinebantur ecclesiis, etiam si eis annexe non existant, sic esse per reservationem nostram affectatas, quod sub relaxatione predicta nullatenus includantur, ad alias vero prebendas, quas in aliis obtinebant ecclesiis, presentem declarationem nostram intelligimus non extendi. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XIIII kalendas novembris, anno tercio.

1173 Avignon, 21 octobre 1344.

Infrascripto qui Hugoni de Rupe, marescallo Romanæ curiæ famulatur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n^os MCXV et MCXVI, fol. 297 r°.)

Dilecto filio Berengario Rossilionis, rectori parrochialis ecclesie de Vinaxa, Terraconensis diocesis. Tue probitatis merita —. Datum ut supra.

Judicibus dilectis filiis... priori et... archidiacono Terraconensis ac Michaeli Ricomanni, canonico Valentine, ecclesiarum.

1174 Avignon, 21 octobre 1344.

Infrascriptis qui Sanctae Sedi famulantur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, nos MCXI-MCXIIII, fol. 297).

Dilecto filio Raymundo de Spona, rectori parrochialis ecclesie de Mequinensa, Ilerdensis diocesis. Tue probitatis merita —. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno tercio.

Judicibus dilectis filiis Bernardo de Requezen et Guillelmo de Oculo Molendinorum ac Raymundo Guillelmi de Fabica, canonicis Ilerdensibus.

...Guillelmo Raymundo de Montecatheno, canonico Ilerdensi.

Petro Palhayren, canonico Barchinonensi.

1175 Avignon, 21 octobre 1344.

Eis mandat ut quasdam personas Terraconensis et Cæsaraugustanæ provinciarum ac Elnensis et Majoricensis civitatum et diocesium, quæ commercium illicitum cum Sarracenis exercuerunt, absolvant. (Reg. 138, n° CCCXXXVII, fol. 103 v°.)

Venerabili fratri episcopo Barchinonensi et dilectis filiis Almeracio de Cabrespina, canonico Ilerdensi. Ad nostri apostolatus —. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno tercio.

1176 Avignon, 21 octobre 1344.

Ei duas galeas mercibus oneratas ad Alexandriæ partes transvehendi licentiam concedit. (Reg. 138, n° CCCCXLII, fol. 124 v°.)

Dilecto filio Garino de Castronovo, priori domorum Navarre Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Devotionis et fidelitatis sinceritas —. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno tercio.

1177 Avignon, 22 octobre 1344.

Eis significat se officialibus castri de Visano mandasse ut solita juramenta præstentur. (Reg. 138, n° CCCXXXVIII, fol. 104.)

Dilectis filiis hominibus, habitatoribus et incolis castri de Avisano, Tricastrinensis diocesis. Cum castrum de Avisano, Tricastrinensis diocesis, cum suo territorio et mandamento ac jurisdictione omnimoda, mero et mixto imperio aliisque omnibus juribus et pertinentiis suis per certum tractatum dudum inter nos et dilectum filium nobilem virum Humbertum, Dalphinum Viennensem, cum magna et matura deliberatione habitum, in nos et successores nostros Romanos pontifices canonice intrantes per eundem Dalphinum translatum fuerit, habendum, possidendum perpetuis temporibus et tenendum, sicut in instrumentis publicis et litteris inde confectis plenius continetur, nos volentes vobis libertates et franchisias vestras laudabiles et aprobatas hactenus observari, concedimus tenore presentium et mandamus, quod nostri et eorundem successorum officiales, qui nunc vel imposterum in castro, territorio et mandamento deputabuntur predictis, in ingressu sui regiminis, prestent vobis ad requisitionem vestram super observandis eisdem libertatibus et franchisiis, sub modis, formis et conditionibus, quibus consuetum est retroactis temporibus, juramenta, nihil addendo de novo super hiis nec antiquis laudabilibus observantiis derogando. Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno tercio.

1178 Avignon, 22 octobre 1344.

Eum rogat ut in gratiam cum Pisanis redeat et optat ut nuncii, videlicet Perolus de Alliate de Mediolano pro parte ejus, Raynerius Tanquerelli, jurisperitus ac Villanus de Poinlino, cives Pisani, pro parte eorum rem feliciter gerant. (Reg. 138, n° CCCXXXIX, fol. 104.)

Dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi nostro et ecclesie Romane vicario. Tanto nobis displicibiliores. — Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno tercio.

1179 Avignon, 22 octobre 1344.

Ei omnia bona predecessorum ejus, Arnaldi et Guidonis episcoporum confert. (Reg. 138, n° CCCXL, fol. 104 v°.)

Dilecto filio Bertrando electo Tutellensi. Promeretur sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, ut super tuis et ecclesie tue Tutellensis

necessitatibus nos reperias liberales. Cum itaque, sicut tua nobis exhibita petitio continebat, pro tuis et ecclesie tue predicte negociis utiliter prosequendis te multa subire oporteat onera expensarum, ad que perferenda ejusdem ecclesie quo ad presens non sufficiunt facultates, nos, ne negocia ipsa propterea periclitari valeant, tibi adesse volentes auxiliis et favoribus oportunis, omnia et singula que de redditibus, proventibus et obventionibus ad mensam tuam episcopalem spectantibus, tempore vacationis ipsius per obitum bone memorie Arnaldi episcopi Tutellensis quomodolibet obvenerunt, et restant in illis partibus, seu auditis rationibus legittimis illorum, qui administratores seu vicarii ejusdem ecclesie aut collectores bonorum ipsorum, sive per dilectos filios capitulum ipsius ecclesie, aut sedem apostolicam deputati fuerunt, reperientur rationabiliter restare debere, necnon omnia et singula bona que habebat tam in Romana Curia, quam in partibus predictis, de proventibus ipsius ecclesie vel aliis rebus suis pie memorie Guido, episcopus Tutellensis, immediatus predecessor tuus, qui pridem in hiis partibus fuit, sicut Domino placuit, ab hac luce substractus, tibi remittimus, dâmus et concedimus de gratia speciali, volentes quod exinde tam expensas funerarias, quam alia debita et legata dicti Guidonis episcopi solvere, ac alia tibi et eidem ecclesie incunbentia onera una cum redditibus et proventibus ecclesie prelibate, qui tibi deinceps obvenient, debeas supportare, petendi, exigendi, et recipiendi fructus, redditus et proventus, ac bona predicta, in quibuscumque rebus consistant, et per quascumque detineantur vel debeantur personas, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, facultatem tibi plenariam tenore presentium concedentes. Non obstante etc. Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno tercio.

1180 Avignon, 24 octobre 1344.

Episcopo Gebennensi et Bertrando abbati monasterii de Sixt mandat ut de pecunia Johannis episcopi Tiburtini defuncti 80 florenos conventui Gebennensi, 120 florenos conventui de Montemeliano tradant. (Reg. 138, n° CCCXLIII, fol. 106.)

Venerabili fratri Alamanno, episcopo Gebennensi. Dudum nobis exposito quod certum non modice quantitatis pecunie depositum olim per bone memorie Johannem, episcopum Tiburtinum, factum fuerat et adhuc etiam existere penes dilectos filios priorem et conventum fratrum ordinis Predicatorum Gebennenses, nos volentes de hujusmodi deposito informari certius illudque nostre Camere restitui et persolvi, ut inde posset melius et liberius fieri, quod duceremus super hoc ordinandum, tibi et dilecto filio Bertrando abbati monasterii de Sitz, tue diocesis, dedimus per nostras certi tenoris litteras in mandatis ut vos, vel alter vestrum, super deposito et quantitate ipsius diligentius informantes, ipsum depositum petere et exigere ac recipere ad prefatamque Cameram deferre vel mittere fideliter curaretis; et nichilominus suggesto nobis quod de mille florenis erat depositum supradictum, vobis per alias mandavimus litteras quod de illo, cum per vos recuperatum existeret, ducentos florenos auri eisdem priori et conventui nomine nostro largiri per elemosinam studeretis; deinde vero nos intellecto quod dictum depositum, quod de mille florenis auri primo esse dicebatur, solum erat de quadringentis nonaginta septem florenis et quod littere nostre predicte, quantum ad eandem elemosinam faciendam prefatis priori et conventui Gebennensibus contra intentionem nostram per errorem vel inadvertentiam emanaverat, cum nostre intentionis existeret predictam elemosinam dilectis filiis priori et conventui de Montemeliano, predicti ordinis Predicatorum, plus indigentibus et pro quibus fuerat nobis supplicatum, specialiter largiretur, pro parte dicte Camere fuit vobis de conscientia nostra mandatum ut de hujusmodi deposito per vos recuperato et recepto centum viginti florenos auri curaretis eisdem priori et conventui de Montemeliano pro elemosina elargiri, quod ex eo facere noluistis quia juxta tenorem priorum litterarum predictarum, que quo ad elemosinam predictam faciendam memoratis priori et conventui Gebennensibus per errorem vel inadvertentiam emanaverant, ut prefertur, ducentos florenos prelibatis priori et conventui Gebennensibus duxeratis realiter assignandos. Nos igitur, premissis diligentius intellectis, non intendentes super hujusmodi elemosina retrahere manum nostram sed volentes quod inter priores et conventus predictos, ut sequitur, dividatur, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus per te vel alium seu alios eosdem priorem et conventum Gebennenses ex parte nostra moneas eisque districte precipias et injungas ut de dictis ducentis florenis eis, ut premittitur, assignatis, octoginta dumtaxat sibi retentis, residuos centum viginti florenos supradictis priori et conventui de Montemeliano tradant liberaliter et assignent, ipsos

ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Non obstantibus etc. Rursus reliquos ducentos nonaginta septem florenos ejusdem depositi dilecto filio Geraldo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis dicte Camere nomine facias integraliter assignari. Datum Avinione, VIIII kalendas novembris, anno tertio.

1181 Avignon, 24 octobre 1344.

Infrascriptis mandat ut ab omnibus ecclesiasticis personis et ordinibus prcurationes debitas exigant, quæ Philippo archiepiscopo Senonensi debentur, cujus sumptus propter negocia graves fuere. (Reg. 138-n° MCXLVI, fol. 304 v°.)

Judicibus dilectis filiis... abbati monasterii Sancte Columbe Senonensis diocesis et... Sancti Aredii ac... Brivatensis Lemovicensis et Sancti Flori diocesum decanis, ecclesiarum. Dudum ex serie —. Datum Avinione, VIIII kalendas novembris, anno tercio.

1182 Avignon, 24 octobre 1344.

Eum hortatur ne episcopum Cracoviensem de cætero vexet. (Reg. 138, n° CCCXLIV, fol. 106 v°.)

Carissimo in Christo filio Cazimiro regi Polonie illustri. De te, fili carissime —. Datum Avinione, VIIII kalendas novembris, anno tercio.

1183 Avignon, 25 octobre 1344.

Eis mandat ut civitates Firmanam et Esculanam in gratiam reducant, et salvi conductus litteras concedit. (Reg. 138, n^os CCCXLI-XLII, fol. 105.)

Venerabilibus fratribus Francisco, Esino et Isaac, Esculano, episcopis. Pertulit infausti rumoris —. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno tercio.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc... Cum nos venerabiles —. Datum ut supra.

1184 Avignon, 25 octobre 1344.

Ei mandat ut illos puniat qui casale Luci, Marsicane diœcesis, invaserant. (Reg. 138, n^os CCCXLV-CCCXLVII, fol. 107 r°.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice Sedis legato. Nuper venerabilis frater — Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno tercio.

In eodem modo *Andree regi Sicilie ; — Johanne regine Sicilie.*

1185 Avignon, 25 octobre 1344.

Regi Franciæ matrem Hugonis de Rupe, Romanæ Curiæ marescalli, commendat. (Reg. 138, n^os CCCXLVIII-CCCLVIII, fol. 107 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum, sicut intelleximus, dilecta in Christo filia nobilis mulier Mata, mater dilecti filii nobilis viri Hugonis de Rupe, militis, Romane curie marescalli, nepotis nostri, neptisque quondam Petri de Malomonte defuncti, ratione bonorum et hereditatis dicti defuncti, in quibus se asserit jus habere, tecum, fili carissime, habeat expedire, nos prefatam Matam et ipsius in hac parte justiciam regie benivolentie plenis affectibus commendamus. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno tercio.

Item in eundem modum *Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri*, mutato, ubi dicitur *tecum*, dicatur *in curia regia.*

Item in e. mo. *dilecto filio nobili viro Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie.*

Item in e. mo. *dilecte in Christo filie nobili mulieri Bone ducisse Normannie.*

Raymundo episcopo Morinensi ; Johanni episcopo Belvacensi ; Fulconi episcopo Parisiensi ; Hugoni episcopo Laudunensi ; Dilecto filio Hugoni electo Lingonensi.

Item in e. mo. *dilecto filio, nobili viro, Guillelmo Flote, domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.*

Item in eodem modo *dilecto filio nobili viro Johanni de Nigella, domino de Aufomonte, consiliario regio.* Datum in omnibus, mutatis mutandis, VIII kalendas novembris, anno tertio.

1186 Avignon, 25 octobre 1344.

Episcopo Forojuliensi monasteria per procuratores visitandi

atque procurationes per biennium recipiendi potestatem dat. (Reg. 138, nos MCXLVII et MCXLVIII, fol. 305.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Forojuliensi, thesaurario nostro. Sincera fraternitatis tue —. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno tercio.

Judicibus venerabili fratri nostro episcopo Casinensi ac dilecto filio abbati monasterii Celle Trecensis ac... cantori ecclesie Rothomagensis. Mandamus quatenus vos. — Datum ut supra.

1187 Avignon, 26 octobre 1344.

Regem Franciæ hortatur ut petitionem dalphini Viennensis benigne exaudiat, et dicto dalphino 400 libras assignet. (Reg. 138, n° CCCLIX, fol. 108.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Pridem dilectis filiis, nobilibus viris, Johanne primogenito tuo duce Normannie, et Humberto, Dalphino Viennensi coram nobis presentibus, cum inter cetera que acta in nostra presentia extiterunt tunc temporis inter eos, idem Dalphinus peteret quod dux ipse quadringentas libras Turonensium parvorum annui redditus, vel circa, quas certa terra eidem pro duobus milibus librarum rendualium ejusdem monete dudum de mandato regio assignata excedit, eidem Dalphino concederet in perpetuum hereditagium et faceret assignari, prefatus dux tunc secum presentibus venerabili fratre nostro Johanne episcopo Belvacensi, et dilecto filio nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario regio, prudenter et mature respondit, se id absque speciali licentia regia non facturum sed, cum ad regalem redisset presentiam, super hiis per te, fili carissime, faciendis, intercedendo apud te interponeret partes suas. Cum autem idem Dalphinus propterea mittat, sicut intelleximus, ad regiam presentiam gentes suas, regalem excellentiam deprecamur, quatenus benigna consideratione advertens quod dictus Dalphinus super hiis, que secum acta per prenominatum ducem fuerunt, se multum exhibuit liberalem et promptum, gentes predictas, que negocium hujusmodi plenius poterunt explicare, benigne recipiat, plene ac patienter audiat et favorabiliter expediat regia celsitudo. — Datum Avinione, VII kalendas novembris, anno tercio.

1188 Avignon, 26 octobre 1344.

Johanni duci Normanniæ similiter scribit. (Reg. 138, n° CCCLX, fol. 108.)

Eidem duci. Tenet nostra memoria et a tua, fili, non credimus excidisse quod pridem te ac dilecto filio, nobili viro, Humberto Dalphino Viennensi in presentia nostra existentibus, inter cetera, que tunc tractata et acta inter vos fuerunt invicem, cum idem Dalphinus peteret quod quadringentas libras turonensium vel circa annui et perpetui redditus, quas certe terre sibi pro duobus milibus libris ejusdem monete dudum de mandato regio assignate dicuntur excedere, sibi concederes in perpetuum hereditagium et faceres assignari, prudenter eidem respondere curasti, te id sine speciali licentia regia non facturum, sed apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, genitorem tuum, cum ad ejus redires presentiam, intercedendo super hiis interponeres partes tuas. Cum autem prenominatus Dalphinus mittat propter hoc ad regiam et tuam presentiam gentes suas, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus premissa procuret tua prudencia liberaliter et favorabiliter adimpleri. Datum ut supra.

1189 Avignon, 26 octobre 1344.

Episcopum Belvacensem et Guillelmum Flote, dominum de Revello, cancellarium Franciæ, rogat ut pro dicti Dalphini petitione exaudienda apud Franciæ regem intercedant. (Reg. 138, nos CCCLXI-LXII, fol. 108 vo.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi. Novit tue fraternitatis prudentia qualiter dilectus filius, nobilis vir, Johannes primogenitus carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, dux Normannie, super hiis que inter ipsum, et dilectum filium nobilem virum Humbertum Dalphinum Viennensem, in nostra presentia, te ac dilecto filio nobili viro Guillermo Flote domino de Revello ejusdem regis cancellario presentibus, acta fuerunt, prefato Dalphino petente quadringentas libras vel circa Turonensium parvorum annui et perpetui redditus quas excedit, ut asserebatur, certa terra dudum sibi pro duobus milibus librarum ejusdem monete rendualium de mandato regio assignata, in perpetuum hereditagium sibi concedi, prudenter respondit, se id

absque speciali licentia regia non facturum, sed apud eundem regem intercedendo, cum ad ejus rediret presentiam, interponeret super hiis partes suas, tuque frater, et dictus cancellarius, vos adhibituros super hoc operosam diligentiam obtulistis. Cum autem memoratus Dalphinus ad eosdem regem et ducem mittat propterea, sicut intelleximus, gentes suas, fraternitatem tuam rogamus attente quatenus circa premissa complenda cures efficaciter interponere partes tuas. Datum ut supra.

Item in eundem modum *dicto cancellario*, verbis competenter mutatis. Datum Avinione, VII kalendas novembris, anno tercio.

1190 Avignon, 26 octobre 1344.

Infrascripto mandat ut bona Johannæ Pomairole, uxori Erberti de Timera restitui jubeat. (Reg. 138, n° CCCLXIII, fol. 109.)

Dilecto filio Guillelmo Balbeti, civi Claromontensi, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris thesaurario. Dudum pro parte dilecti filii, nobilis viri, Erberti de Timera, militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Johanne Pomairole, uxoris sue, Claromontensis diocesis, exposito coram nobis quod olim eisdem conjugibus in minori etate constitutis, pater ejusdem militis, et quidam curator dicte Johanne, bona ipsius Johanne hereditaria, tibi et dilectis filiis Durando et Hugoni Pomayroli, ac Roberto de Prato, et Johanni Amblardi, civibus Claromontensibus, certo precio vendiderunt, cui quidem venditioni prefati conjuges, qui tunc temporis in etate, que multis exponi consuevit captionibus, ut premittitur, existebant, expresse consensisse dicuntur, nos attendentes quod rationi non videbatur congruere, quod dicta Johanna, ratione talis contractus, bonis suis hereditariis remaneret totaliter denudata, dictique conjuges parati essent, ut dicebatur, de precio, quo empta fuerunt bona predicta, satisfacere competenter, eosdem Durandum, Hugonem, Robertum, et Johannem duximus per nostras litteras attentiùs deprecandos, ut circa restitutionem bonorum eorundem prelibatis conjugibus cum solutione predicti precii faciendam, sic se vellent reddere liberales, quod ad aliud non haberent recurrere propter hoc remedium, sed ipsorum discretio valeret super hiis potius commendari. Cum autem, sicut intelleximus, prenominati Durandus, Hugo, Robertus, et Johannes, litteris nostris hujusmodi reverenter receptis, responderint quod, si tu velles super restitutione hujusmodi cum eodem precio facienda, sicut premittitur, consentire, ipsi parati erant in hac parte sequi totaliter viam tuam, sinceritatem tuam attentius deprecamur quatenus, quid super predictis justicie conveniat ac equitati, et honestati congruat, diligenter attendens, super restitutione bonorum predictorum, modo quo premissum est, memoratis conjugibus facienda, non solum liberaliter, pro divina et nostra sedisque Apostolice reverentia, consentias sed ad hoc idem faciendum prenominatos tuos concives inducere viis, modis expedientibus non postponas. Datum Avinione, VII kalendas novembris, anno tercio.

1191 Avignon, 26 octobre 1344.

Infrascriptis altare portatile concedit. (Reg. 138, n^os MCLXXXV et MCLXXXVI, fol. 313 r°.)

...Marie abbatisse monasterii de Regula, Ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. Datum Avinione, VII kalendas novembris, anno tercio.

...Petro de Sancto Martiale, domicello, Tutellensis diocesis.

1192 Avignon, 26 octobre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n^os MCCIII-IV, fol. 315.)

Item in eodem modo *dilecto filio Bartholomeo de Bletis laico, et dilecte in Christo filie Arnalde, ejus uxori, Caturcensis diocesis.* Datum Avinione, VII kalendas novembris, anno tercio.

Dilecte in Christo filie Marie, abbatisse monasterii de Regula, ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis, verbis competenter mutatis et specialiter ubi dicitur per heredes tuos, dicatur per alios.

1193 Avignon, 27 octobre 1344.

Suetiæ regem hortatur ut quasdam litteras, quæ ei contra episcopum Arasiensem praesentatæ fuerunt, tanquam falsas reputet. (Reg. 138, n° CCCLXV, fol. 109 v°.)

Magno regi Suessie illustri. Non sine admiratione magna. Datum Avinione, VI kalendas novembris, anno tercio.

1194 Avignon, 28 octobre 1344.

Infrascripto, qui cardinalis tituli Sancti Ciriaci in Termis nepos est, dispensatur in octavo etatis anno ad adipiscenda beneficia, etiam si sacer ordo sit annexus. (Reg. 138, n° CCCLXIIII, fol. 109 r°.)

Dilecto filio Bertrando de Albia, canonico Urgellensi. Ex laudabilibus tue juventutis —. Datum Avinione, V kalendas novembris, anno tercio.

1195 Avignon, 28 octobre 1344.

A quocumque episcopo benedictionis munus recipiendi licentiam infrascriptis concedit. (Reg. 138, n°s CCCCXLIII-XLIV.)

Dilecto filio Petro abbati monasterii de Terrasonio, ordinis Sancti Benedicti, Sarlatensis diocesis. Cum nos pridem monasterio de Terrassonio ordinis Sancti Benedicti, Sarlatensis diocesis, abbatis regimine destituto, de persona tua, licet absente, nobis et fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta duxerimus de fratrum eorundem consilio providendum, preficiendo te prefato monasterio in abbatem, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur, nos super hiis, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, et volentes ipsius monasterii parcere laboribus et expensis, quos in veniendo ad sedem apostolicam pro recipiendo munere benedictionis impendendo tibi, tu et idem monasterium haberetis de necessitate subire, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris antistite catholico gratiam et communionem ejusdem sedis habente, munus benedictionis hujusmodi recipere valeas, et eidem antistiti munus predictum auctoritate nostra impendere, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam juramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hoc venerabili fratri nostro episcopo Sarlatensi, cui prefatum monasterium ordinario jure subesse noscitur, nullum imposterum prejudicium generetur, [indulgemus]. Datum Avinione, V kalendas novembris, anno tercio

Item in eodem modo *dilecto filio Johanni abbati monasterii Vallishoneste, alias de Feneriis, ordinis Cisterciensis, Claromontensis diocesis.*

1196 Avignon, 29 octobre 1344.

Archiepiscopo Cantuariensi mandat ut Radulphum de Omenevilla, monachum monasterii Sancti Dionysii in Francia, rebellem et excommunicatum capi jubeat. (Reg. 138, ep. n° CCCLXVI fol. 109 v°.)

Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Cantuariensi ejusque suffraganeis. Licet sedi apostolice, que justicie diligit puritatem, moleste sint quorumlibet insolentie transgressorum, illis tamen excessibus, qui per personas ecclesiasticas et maxime religiosas, in quibus fulgere debet potius mandatorum observantia, committuntur, tanto provocatur vehementius, quanto ex actibus earum reprobis amplius honestati detrahitur, et ceteris prestatur audacia delinquendi, propter quod sedes ipsa circa correctionem talium debitam libenter medicine antidotum adhibet salutaris. Sane nuper dilectus filius Egidius, abbas monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, sua nobis insinuatione monstravit, quod Radulphus de Omenevilla, monachus monasterii predicti, obedientie jugo, sub quo tenebatur ex voto sue religionis Domino famulari, et ipsius maturitate religionis rejectis, ab eodem monasterio et ipsius abbatis obedientia illicentiatus recedens, et per campum licentie laxatis rationis et honestatis habenis preceps discurrens, diutius dampnabiliter in sue religionis opropbrium apostatando vagavit, ad eundem abbatem, qui eum benigne ac caritative volebat salva ordinis disciplina recipere, contempnendo redire, in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Tandemque sic vagus et perfugus et per eundem abbatem excommunicationis sententiis innodatus, ad partes Anglie se transtulit, in quibus perniciose non modicam moram trahens, tanquam partus vipereus materna corrodens viscera, prefatis abbati et monasterio eorumque bonis, et rebus que habent in illis partibus dampna inferre non cessat varia, et nichilominus in detractionem honoris, status et fame

ipsius abbatis, et personarum aliarum monasterii et ordinis predictorum, laxare suis mendosis et iniquis latratibus nimis impudenter non desinit ling[u]am suam. Quare dictus abbas mestus de proditione talis filii et de recuperatione ipsius, ut de morte spirituali, quam sic incurrisse dicitur, ad vitam valeret resurgere, solicitus, nobis humiliter supplicavit, ut eidem super hiis apostolici favoris presidium inpendere paterna solicitudine curaremus. Nos igitur attendentes quod, ubi disciplina contemnitur, restat quod religio naufragetur, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus eundem monachum sic profugum, inobedientem, rebellem et excommunicatum, diligenter ad requisitionem abbatis predicti perquiri, et ubicumque repertum extra loca sacra et religiosa capi et detineri fideliter facientes, eum memorato abbati vel ejus certo procuratori corrigendum debite secundum sanxiones canonicas et statuta ipsius ordinis, restituere et assignare curetis. Invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Avinione, IIII Kalendas novembris, anno tercio.

1197 Avignon, 29 octobre 1344.

Regem Angliæ hortatur ut archiepiscopum Cantuariensem auxilio adjuvet. (Reg. 138, nº CCCLXVII, fol. 110.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Nuper dilectus filius Egidius, abbas monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, sua nobis insinuatione monstravit quod Radulphus etc... archiepiscopo Cantuariensi ejusque suffraganeis damus... in mandatis... ut eundem monachum sic profugum, inobedientem, rebellem et excommunicatum etc... ; quocirca regiam excellenciam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus eisdem archiepiscopo et suffraganeis super premissis pro divina et apostolice sedis reverencia velis assistere ac per officiales et ministros regios assisti facere auxiliis et favoribus oportunis. — Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1198

Isabelli reginæ Angliæ similiter scribit. (Reg. 138, nº CCCLXVII. fol. 110.)

Carissime in Christo filie Isabelle regine Anglie illustri. Nuper etc... Quocirca tuam regiam excellentiam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus prefato monacho tanta criminum labe resperso, ut asseritur, nullum prestes de cetero fulcimentum auxilii vel favoris, sed quantum in te, filia carissima, fuerit, adhibere studeas solicitudinem operosam, quod idem monachus per abbatem predictum caritative correctus et debite, ad famulatum juxta sue votum religionis debitum in prefato monaterio virtutum dono jugiter impendendum redeat et moretur. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1199 Avignon, 29 octobre 1344.

Ei mandat ut bona defuncti Geraldi, abbatis monasterii Trenorchiensis, O. S. B. Cabilonensis diœcesis petat et colligat. (Reg. 138, nº CCCLXIX, fol. 110 vº.)

Dilecto filio magistro Johanni Regis, rectori ecclesie Sancti Gironcii, Sancti Flori diocesis, scriptori penitentiarie nostre. Volentes de bonis, peculio ac creditis et debitis quondam Geraldi abbatis monasterii Trenorchiensis, ordinis Sancti Benedicti, Cabilonensis diocesis, nuper extra Romanam Curiam decedentis, quorum dispositionem, certis rationabilibus causis suadentibus, nobis reservavimus, plenius informari, eaque conservari fideliter, ut de illis possit melius et utilius fieri quod duxerimus super hoc ordinandum, discretioni tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem et per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus bona, peculium, debita et credita hujusmodi, que ipse habebat, vel ad eum pertinebat, tempore quo decessit, quecunque sint et in quibuscumque rebus consistant ac per quascumque detineantur seu debeantur personas, et super quibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit, te informes, petere nostro nomine, exigere, recipere ac fideliter sub manu nostra ne dissipentur, consummantur inutiliter, vel per aliquos asportentur, sed potius tuta remaneant pro illis ad quos pertinere poterunt et debebunt, conservare, quousque aliud super illis ordinaverimus, non postponas. Dat. Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1200 Avignon, 29 octobre 1344.

Cum bellum inter Thomasium, Thomasium juniorem, Jacobum,

Ciccum et Noffum de Ceccano fratres, ortum sit, eos hortatur ut pacem faciant et Anibaldo, episcopo Tusculano cardinali obediant. (Reg. 138, n° CCCLXX, fol. 111 r°.)

Dilecto filio Thomasio de Ceccano. Non sine mentis amaritudine —. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

Jacobo, Cicco, Noffo et Thomasio juniori de Ceccano.

1201 Avignon, 29 octobre 1344.

Eum hortatur ut pro pace inter illos de Ceccano stabilienda laboret. (Reg. 138, n° CCCLXXVIII, fol. 111 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Gaytano, comiti Fundorum. Moleste sunt nobis —. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1202 Avignon, 29 octobre 1344.

Reginam Angliæ orat ut pro tollendis novitatibus laboret. (Reg. 138, n° CCCLXXVIIII, fol. 111 v°.)

Carissime in Christo filie Philippe, regine Anglie illustri. Nuper venientem ad nostram presentiam dilectum filium, nobilem virum, Tedicium Benedicti de Falchinello, servientem nostrum armorum tuumque scutiferum et litteras tue serenitatis regie nobis ab eo presentatas, benigne recepimus, et que ipse pro parte tua, filia carissima, nobis prudenter exposuit, favorabiliter audivimus et pleno collegimus intellectu. Sane quia super eis, circa que dictus scutifer circumspectam et solertem erga nos adhibuit diligentiam, decenter votis tuis annuere, propter illas novitates, quas nimis displicenter contra Deum et libertatem ecclesiasticam attemptatas audivimus in Anglia, non potuimus pro tunc, sicut affectabamus desiderabiliter, habeat nos, quesumus, excusatos tua regalis prudentia et super eisdem revocandis et tollendis novitatibus, ex quibus Deus graviter offenditur et honori regio non parum detrahitur, curet efficaciter interponere partes suas. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1203 Avignon, 29 octobre 1344.

Infrascriptæ indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCV, fol. 315.)

Item in eodem modo *dilecte in Christo filie, nobil mulieri, Almodie relicte quondam Guillelmi de Malosicco, domicelli, Tutellensis diocesis.* Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno tercio.

1204 Avignon, 30 octobre 1344.

Regi Francie Archambaldum, abbatem monasterii Trenorchiensis, ordinis Cluniacensis, Cabilonensis diocesis, commendat. (Reg. 138, n° CCCLXXX, fol. 111 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum nos nuper dilectum filium Archambaldum, abbatem monasterii Trenorchiensis, ordinis Cluniacensis, Cabilonensis diocesis, eidem monasterio prefecerimus tunc vacanti, idemque abbas tam ratione prestationis, recognitionis seu homagii, quam [pro] aliis suis et ejusdem monasterii negociis habeat tecum, fili carissime, sicut intelleximus, expedire, nos ipsum regie benivolentie plenis affectibus commendamus. Datum Avinione, III kalendas novembris, anno tercio.

1205 Avignon, 31 octobre 1344.

Episcopo Norwicensi mandat ut nonnulla præbendas et beneficia quibusdam canonicis rectoribus et clericis conferat. (Reg. 138, n° CCCLXXXI, fol. 111 v°.)

Venerabili fratri... episcopo Norwicensi. Gratiosa sedis apostolice benignitas status et conditiones singulorum provida circumspectione considerans et attendens, quandoque consideratione sublimium personarum, prout in Deo expedire conspicit, exuberare favores et gratias consuevit. Sane dudum nos volentes dilectos filios Thomam de Londonia Cicestrensis, Edmundum de Rammesburi Saresbiriensis, Johannem de Hull, Lincolniensis ecclesiarum canonicos, Robertum Poumart de Saham Tony, Nicolaum La Tonk de Stanford Rivers, Edmundum de Burnham de Hovingtone, ac Walterum de Notingham de Southwooton et Alanum de Retford de Oxburgh, Willelmum de Waltote de Puddingnorton, Eliam de Sancto Edmundo de Hucham, Johannem de Hardeshull de Stiltone parrochialium ecclesiarum rectores, Johannem de Neuby et Willelmum de Mundele, clericos tue ac Londoniensis, Wigorniensis, Lincolniensis, Karleolensis et Wintoniensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque virtutum meritis fidedigno testimonio

commendatos, tam horum intuitu quam consideratione carissime in Christo filie nostre Ysabellis regine Anglie illustris pro eis in hac parte nobis humiliter supplicantis, favoribus prosequi gratiosis, tibi dedisse meminimus in mandatis ut, si simpliciter et de plano dictos canonicos, rectores et clericos ad hoc esse reperires ydoneos, Thome, Edmundo de Ramesburi, Johanni, Roberto, Nicolao, Edmundo de Burnham, Waltero et Alano de canonicatibus sub expectatione prebendarum in certis ecclesiis tunc expressis providere ac Willelmo de Waltote, Elie, Johanni de Hardeshulh, Johanni de Neuby et Willelmo de Mundele supradictis beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura usque ad certam summam ad certorum collationem provisionem vel presentationem seu quamvis aliam dispositionem spectantia, si tunc vacabant vel cum vacarent, auctoritate nostra conferre et assignare curares, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem tu qui, prout asseritur, ad executionem dictarum litterarum adhuc minime processisti, sis ad presens apud sedem apostolicam constitutus dictique canonici, rectores et clerici ad te ac sedem predictam commode venire nequeant ad subeundum examen, pro parte ipsorum nobis extitit humiliter supplicatum ut eis providere super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes quod prefate nostre littere suum debitum sortiantur effectum, prefate regine nobis etiam apud nos super hiis precibus devotis instantis ac ipsorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue de uberioris habundantia gratie per apostolica scripta mandamus quatenus ad executionem dictarum litterarum et gratiarum nostrarum in eis contentarum sine hujusmodi examinatione vel alia canonicorum rectorum et clericorum predictorum, de quorum sufficientia laudabilia testimonia percepimus, alias juxta formam et continentiam litterarum ipsarum auctoritate nostra procedere non postponas. Datum Avinione, II kalendas novembris, anno tertio.

1206 Avignon, 31 octobre 1344.

Ei mandat ut ea quæ Johanni de Amelio archidiacono Forojuliensi, in Spoletano ducatu commissa fuerunt, adimpleat. (Reg. 138, n° CCCLXXXII, fol. 112.)

Dilecto filio Berengario Blasini, rectori ecclesie de Serviano, Bitterrensis diocesis, ducatus Spoletani nostro et ecclesie Romane thesaurario. Cum, sicut intelleximus. Datum Avinione, II kalendas novembris, anno tercio.

1207 Avignon, 31 octobre 1344.

Ei mandat ut 200 florenos colligat, quos episcopus Anconitanus per testamentum Cameræ Apostolicæ debebat. (Reg. 138, n° CCCLXXXIII, fol. 112.)

Eidem. Perlatum nuper extitit —. Datum ut supra.

1208 Avignon, 31 octobre 1344.

Ei mandat ut bona Thomæ episcopi Anconitani colligat. (Reg. 138, n° CCCLXXXIV, fol. 112 v°.)

Dilecto filio Johanni de Riparia, priori domorum Urbis et Pisarum, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Marchie Anconitane rectori. Intellecto nuper quod —. Datum ut supra.

1209 Avignon, 1er novembre 1344.

Thesaurarios suos absolvit qui 13.400 florenos pro stipendiis et expensis belli contra Turcos tradiderant. (Reg. 138, n° CCCLXXXV, fol. 113.)

Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi episcopis, thesaurariis nostris. Cum vos de mandato nostro verbotenus vobis facto, et de pecunia Camere nostre tradideritis et assignaveritis dilecto filio Garino de Castronovo, priori domorum Navarre, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et in Romana Curia ejusdem Hospitalis procuratori generali, tresdecim milia quadringentos florenos auri per eundem priorem vel alium seu alios suo nomine ac mandato, ut sequitur, persolvendos : videlicet duodecim milia Octingentos florenos ejusdem summe venerabili fratri nostro Henrico Patriarche Constantinopolitano, in partibus transmarinis apostolice sedis legato, vel patronis galearum, quas in partibus Romanie teneri pro defensione fidelium in partibus ipsis degentium facimus contra Turchos crudeles persecutores Catholice fidei et fidelium eorundem, solvendos pro stipendiis patronorum predictorum et aliorum qui serviunt in galeis supradictis pro tempore

quatuor mensium inchoandorum die decima nona mensis decembris proximo jam instantis et reliquos octingentos florenos auri dilecto filio nobili viro Martino Zacharie, capitaneo galearum ipsarum pro suis stipendiis de quatuor mensibus supradictis necnon et pro portagio dictorum florenorum trecentos triginta quinque florenos ad rationem duorum florenorum cum dimidio pro quolibet centenario, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis precavere, vos et omnia bona vestra de dictis tresdecim milibus quadringentis florenis auri per vos dicto priori creditis et assignatis de pecunia dicte Camere, ut prefertur, absolvimus tenore presentium et quittamus. Datum Avinione, kalendis novembris, anno tercio.

1210 Avignon, 1er novembre 1344.

Thesaurarios absolvit qui 6.000 flor. cardinali tituli Sancti Laurentii in Damaso pro hospicio emendo mutuaverant. (Reg. 138, n° CCCLXXXVI, fol. 113 v°.)

Eisdem. Nuper vobis duximus verbotenus injungendum ut dilecto filio nostro Hugoni, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbitero cardinali, qui hospicium, quod olim fuit bone memorie Neapoleonis Sancti Adriani diaconi cardinalis ultra Pontem Avinionensem situm, emit de novo, sex milia florenorum auri pro complenda solucione precii ejusdem hospicii de pecunia nostre camere mutuetis. Cum autem nos hujusmodi sex milium florenorum auri summam de predicta pecunia eidem cardinali nomine mutui duxeritis assignandam, nos volentes vestris indempnitatibus super hiis providere vos et omnia bona vestra de dictis sex milibus florenorum auri absolvimus tenore presentium et quittamus. Datum Avinione, kalendis novembris, anno tercio.

1211 Avignon, 2 novembre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nos MCCXXX et XXXI, fol. 316 v°.)

Item in eodem modo, *dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Cecilie de Esparrono, domine de Issaciis, Avinionensis diocesis.* Datum Avinione, IIII nonas novembris, anno tercio.

Dilecto filio Rostagno de Esparrono, priore prioratus de Flassinis, ordinis Sancti Benedicti, Forojuliensis diocesis, verbis competenter mutatis usque ad illa verba, si supervixeris et etc. vel per alios si tunc forte transieris, et etc. usque ad finem.

1212 Avignon, 2 novembre 1344.

Ei sic indulget ut usque ad summam 2.000 florenorum auri mutuum contrahere possit. (Reg. 138, n° CCCLXXXVII, fol. 113 v°.)

Venerabili fratri Jacobo, episcopo Sambiensi. Cum sicut proposuisti —. Datum Avinione, IIII nonas novembris, anno tercio.

1213 Avignon, 3 novembre 1344.

Ei mandat ut illa petant et exigant quæ collectores ibidem Cameræ Apostolicæ debent. (Reg. 138, n° CCCLXXXVIII, fol. 114 r°.)

Dilecto filio Poncio de Pereto, archidiacono Vinlocinensi in ecclesia Carnotensi, collectori proventuum ad Cameram nostram in partibus Veneciarum et Lombardie spectantium, auctoritate apostolica deputato. Perlatum extitit ad —. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1214 Avignon, 3 novembre 1344.

Ei mandat ut residua sexennalis decime præsertim in Lombardia et Papiensi diœcesi exigat et colligat. (Reg. 138, n° CCCLXXXIX, fol. 114 v°.)

Eidem. Intelleximus relatibus fide dignis —. Datum ut supra.

1215 Avignon, 3 novembre 1344.

Propter gravamina quæ incolis a Turcis inferuntur, suspenduntur termini solucionis sexennalis decimæ in provincia Patracensi. (Reg. 138, n° CCCLXXXX, fol. 114 v°.)

Eidem. Pro parte venerabilium. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1216 Avignon, 3 novembre 1344.

Regem Angliæ rogat ut salviconductus litteras archiepiscopo Ravennatensi et Astoricensi episcopo, quos ad Angliam misit, tradere velit. (Reg. 138, n° CCCLXXXXI, fol. 115.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Cum super certis negociis nos et ecclesiam Romanam ac te, fili carissime, tangentibus, venerabiles fratres nostros Nicolaum, archiepiscopum Ravennatensem, et Petrum Astoricensem episcopum, viros utique scientie profunditate preditos, ac probitatis et discretionis maturitate conspicuos, ad tue celsitudinis presentiam, de fratrum nostrorum consilio, cum nostris aliis tibi presentandis per eos litteris providerimus destinandos, excellentiam regiam attencius deprecamur quatinus oportunas litteras regias de securo conductu, ut ad eandem accedere presenciam ibique morari ac ad nos redire secure valeant, liberaliter velit circumspectio regalis concedere prefatis archiepiscopo et episcopo quantocius destinandas. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1217 Avignon, 3 novembre 1344.

Archiepiscopum Cantuariensem de nunciis missis certiorem facit. (Reg. 138, n° CCCLXXXXII, fol. 115.)

Venerabili fratri archiepiscopo Cantuariensi. Cum super certis negociis... prefatoque regi per alias litteras nostras scribimus ut litteras oportunas de securo conductu regias quod prefati archiepiscopus et episcopus ad ejusdem regis presentiam accedere ibique morari et ad nos redire secure valeant. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1218 Avignon, 3 novembre 1344.

Eum iterum rogat ut pacem cum Jacobo rege Majoricarum faciat. (Reg. 138, n° CCCLXXXXIII, fol. 115 v°.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Etsi nos qui licet —. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1219 Avignon, 3 novembre 1344.

Infrascriptio nuncio omnia quæ a Johanne XXII et Benedicto XII commissa fuerunt adimplendi, terras interdicto supponendi, decem notarios in Ungaria et totidem in Polonia creandi, rationes a collectoribus exigendi, munus consecrationis recipiendi potestatem concedit. (Reg. 138, n^os CCCCX-CCCCXIV, CCCCXXII-CCCCXXIV, fol. 118-120).

Dilecto filio Galhardo, electo Senadiensi, in partibus regnorum Ungarie et Polonie, apostolice Sedis nuncio. Tam tibi quam —. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

1220 Avignon, 3 novembre 1344.

Galhardum electum Cenadiensem infrascriptis commendat. (Reg. 138, n^os CCCCXV-CCCCXXI, CCCCXXV-CCCCXXVI, fol. 119-120.)

Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri. Cum nos dilectum —. Datum Avinione, III nonas novembris, anno tercio.

In eodem modo *Elisabeth, reginæ Ungariæ ; — Kazimiro, regi Polonie ; — Johanni regi Bohemiæ ; — Karolo, primogenito regis Bohemiæ, marchioni Moraviæ ; — archiepiscopo Strigoniensi et ejus suffraganeis ; — archiepiscopo Colocensi et ejus suffraganeis ; — archiepiscopo Gneznensi et ejus suffraganeis ; — Andree regi Sicilie ; — Johanne reginæ Sicilie.*

1221 Avignon, 4 novembre 1344.

Dolet de filii morte, atque viduam, patrem et matrem consolatur. (Reg. 138, n^os CCCLXXXXIIII-XXV, fol. 116.)

Dilecto filio nobili viro Bertrando, domino de Turre. Quamvis fidelibus qui moriuntur in Domino, cum de laboribus ad quietem et de miseriis ad beatitudinem transeant, a suis caris congaudendum esset, si posset imperio rationis cohiberi doloris acerbitas, [potius] quam dolendum, audito tamen nuper transitu quondam Guillermi de Turre, nati tui, non potuimus, cum simus inter homines, non dolere, presertim dum gratam familiaritatem ipsius et affinitatem placidissimam, qua nobis et nostris conjunctus noscebatur existere, attenta meditatione pensamus ; sed dum diligenter attendimus viam universe carnis, quam omnem humanam creaturam tam sublimem

quam humilem ingredi cogit indicta moriendi hominibus necessitas non parcens sexui vel etati, cujus quidem mortis judicium differri nequit de creatoris beneplacito etiam per momentum, audimusque relatibus fidedignis quod idem Guillelmus, tanquam vir devotus et catholicus, sacramentis permunitus ecclesiasticis, finivit laudabiliter et feliciter terminum vite sue, consolamur in Domino et ei gratiarum referimus in humilitate spiritus actiones. Ideoque nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatenus premissa, necnon quod ille, qui eum tibi de sua gratia dederat absque tua et alterius cujusvis injuria, ipsum ad se potuit juxta sue voluntatis beneplacitum revocare, in eo qui totius consolationis est pater, consolatione recepta, super hiis divinis beneplacitis te coaptes, et mitigatis suspiriis et abstersis penitus lacrimis, tam illos de domo tua, quam ceteros mestos de dicto transitu, tanquam vir fortis et magnanimus, presertim cum aliis multis liberis elegantibus te misericordiarum ditaverit dominus, studeas consolari. Pro certo sciturus, fili, quod tua et tuorum consolatio super hiis cedet in nostri beneplaciti et consolationis augmentum, quodque propter substractionem nati tui predicti, erga te, domum et liberos tuos nostre dilectionis affectus quomodolibet non decrescet. Ceterum precibus nostris adicimus, ut dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Helitz, relictam dicti defuncti, neptem nostram, super tanti viri amissione doloris acerbitate respersam, paterna consoleris dulcedine, ipsamque habeas specialiter commendatam. Datum Avinione, II nonas novembris, anno tercio.

Item in eodem modo, verbis competenter mutatis *dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Isabelle de Levis, uxori dilecti filii nobilis viri Bertrandi domini de Turre*, ut supra.

1222 Avignon, 4 novembre 1344.

Dolet quod neptis sua maritum amiserit. (Reg. 138, n° CCCLXXXXVI, fol. 116 v°.)

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Helis, nate dilecti filii nobilis viri Guillelmi, vicecomitis Bellifortis, nepti nostre. Quia te, filia, de substractione quondam Guillelmi de Turre, viri tui, quem hiis diebus sortis humane conditio sustulit ab hac luce, arbitramur verisimiliter doloris acerbitate respersam, tibi compatimur in visceribus caritatis. Cum autem mortis judicium, quod omni humane creature sublimi et humili procul dubio est commune, restitutionis beneficium non admittat, te attentius in Domino exhortamur quatenus, repressis quantum poteris suspiriis et lacrimis, in Domino consoleris, scitura quod te paterne caritatis affectibus habemus et habere intendimus favorabiliter commendatam. — Datum ut supra.

1223 Avignon, 4 novembre 1344.

Abbatem monasterii Casæ Dei rogat ut consolatorias litteras Bertrando domino de Turre transmittat. (Reg. 138, n° CCCLXXXXVII, fol. 116 v°.)

Dilecto filio Rigaldo, abbati monasterii Case Dei, Claromontensis diocesis. Audito non sine mentis amaritudine transitu quondam Guillelmi de Turre, familiaris et affinis nostri, ecce quod dilecto filio nobili viro Bertrando, domino de Turre genitori, ac dilectis in Christo filiabus Isabelli de Levis matri, et Helitz relicte ipsius defuncti, consolatorias destinamus litteras, juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa, volentes, tueque discretioni mandantes, quatenus litteras ipsas, quas tibi per presentium portitorem mittimus, recipiens, et ad prenominatos nobiles te absque cunctactione quacumque conferre procurans, presentes eis et eorum singulis dictas litteras, te ipsos ex parte nostra tam per contenta in ipsis, quam per ea que tue prudentie juxta materiam occurrerint, studeas dulciter consolari. Datum Avinione II nonas novembris, anno tercio.

1224 Avignon, 4 novembre 1344.

Eis mandat ut certa castra, a Francisco de Ordelafis capta archiepiscopo Ravennatensi restitui jubeant. (Reg. 138, n° CCCLXXXXVIII, fol. 116 v°.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et Luchino de Vicecomitibus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensibus nostris et ecclesie Romane vicariis. Referente venerabile fratre —. Datum Avinione, II nonas novembris, anno tercio.

1225 Avignon, 4 novembre 1344.

Regi, reginæ Franciæ et duci Normanniæ Guidonem electum Eduensem commendat. (Reg. 138, nos CCCLXXXXIX-CCCCI, fol. 117.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Nuper dilectum filium Guidonem, electum Eduensen, super cujus promotione quandoque preces receperamus regias, tam meritorum suorum consideracione quam precum interventione ipsarum, Eduensi ecclesie tunc vacanti prefecimus in episcopum et pastorem. Cum autem ipse ad regiam presentiam pro suis et ecclesie sue predicte negociis expediendis accedat, nos ipsum, qui nostris ac regiis obsequiis diutinis institit, fideliter laborando, suamque predictam ecclesiam regie benivolentie propensius commendamus. Rursus cum nos eidem electo, de cujus fidelitate plenam fiduciam gerimus, quedam imposuerimus regali magnitudini explicanda, ad hiberi rogamus sibi fidem credulam super eis. Datum Avinione, II nonas novembris, anno tercio.

It. in eundem modum *carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Datum ut supra.

Dilecto filio nobili viro Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie.

1226 Avignon, 5 novembre 1344.

Ei mandat ne in prioratu Sancti Honorati Arelatensis, O. S. B. generale capitulum celebret. (Reg. 138, no CCCCII, fol. 117.)

Dilecto filio Amaluino, abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis. Sua nobis dilectus filius Guillelmus de Sonheto, prior prioratus Sancti Honorati Arelatensis, ordinis Sancti Benedicti, gravi conquestione monstravit quod tu, nescitur qua ductus consideratione vel motus, in dicto prioratu utique simplici et non conventuali, tibi et monasterio tuo immediate subjecto, hac instanti die lune tuum intendis generale capitulum celebrare. Timens autem prefatus prior ex hoc sibi suisque successoribus, ac predicto prioratui imposterum prejudicium generari, presertim cum contra morem antiquum in eodem ordine hactenus observatum celebrare dictum capitulum disposueris in prioratu predicto, nobis humiliter supplicavit ut providere super hiis paterna diligencia de opportuno remedio dignaremur, nos igitur premissis non sine quadam admiratione auditis, volentes, antequam novitas fiat hujusmodi, de premissis ac eorum causis et rationibus plenius informari, tibi sub excommunicationis pena, quam in te ferimus, si contrarium presumpseris attemptare, per apostolica scripta mandamus et inhibemus expresse ne hujusmodi capitulum in prioratu predicto celebrare aut in eosdem priorem et prioratum jurisdictionem aliquam vel visitationis officium exercere seu ab eis procurationem recipere quoquomodo presumas, donec nos qua ratione vel causa contra morem antiquum fere in omnibus monasteriis dicti ordinis observatum, non in tuo monasterio, sed in tali prioratu, hujusmodi capitulum celebrare ordinaveris, informati plenius fuerimus, et aliud duxerimus super hoc ordinandum. Porro super presentatione presentium tibi facienda confici publicum instrumentum volumus earum seriem continens nobis fideliter transmittendum. Datum Avinione, nonis novembris, anno tercio.

1227 Avignon, 5 novembre 1344.

Episcopum Caturcensem regi Francie commendat. (Reg. 138, no CCCCIII, fol. 117 vo.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum venerabilis frater noster Bertrandus, episcopus Caturcensis, super quibusdam novitatibus, quas in civitate Caturcensi tam suis et ecclesie sue Caturcensi, quam regiis juribus nimis prejudicialiter asserit esse factas, et aliis suis et ecclesie memorate negociis habeat, sicut intelleximus, in regia curia expedire, regalem excellentiam attentius deprecamur quatinus eidem episcopo suisque procuratoribus benignam super premissis concedat audientiam regia magnificentia, et celerem faciat justitiam exhiberi. Datum Avinione, nonis novembris, anno tercio.

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri; — dilecto filio, nobili viro Johanni, primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi, regi Francie illustris, duci Normannie; — venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi; — dilecto filio, nobili viro Guillelmo Flote, domino de Revello, regis Francie cancellario; — Hugoni electo Lingonensi.

1228 Avignon, 5 novembre 1344.

Ei mandat ut bona defuncti Guillelmi episcopi Eduensis colligat. (Reg. 138, n° CCCCXXVII, fol. 120 v°.)

Dilecto filio Geraldo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis. Providere volentes quod bona mobilia, que habebat bone memorie Guillelmus episcopus Eduensis vel ad eum spectabant, tempore quo decessit, absque consumptione, alienatione ac asportatione indebitis conserventur fideliter, ut de illis possit utilius et liberius, quod racioni et equitati congruerit, ordinari, discretione tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios bona hujusmodi, quecunque sint et in quibuscunque rebus consistant ac per quascunque detineantur vel debeantur personas, super quibus, si necesse fuerit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii te informes, sub manu nostra recipias fideliter et conserves, quousque aliud a nobis receperis in mandatis. Contradictores etc. Non obstante... etc... Volumus autem... etc. Datum Avinione, nonis novembris, anno tercio.

1229 Avignon, 5 novembre 1344.

Johanni Justice cantoriam ecclesiæ Baiocensis confert, quam Johannes Sancti Angeli diaconus cardinalis resignaverat. (Reg. 138, n° CCCCXLVI, fol. 125.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Baiocensis. Dudum volentes dilecto filio magistro Johanni Justice, cantori ecclesie vestre, clerico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, suis meritis exigentibus gratiam facere specialem, canonicatum ac prebendam et cantoriam ecclesie vestre Baiocensis tunc vacantes apud Sedem Apostolicam, per liberam resignationem dilecti filii nostri Johannis Sancti Angeli diaconi cardinalis, in manibus nostris factam, eidem Johanni Justice contulimus, et nihilominus fructus, redditus, et proventus unius anni earundem prebende et cantorie, quos ratione reservationis generalis per nos dudum ad certum tempus facte, de fructibus, redditibus et proventibus unius anni beneficiorum ecclesiasticorum vacantium, ad dispositionem nostram, ex quibuscumque causis immediate spectantium, sibi nostra camera, cui eosdem applicavimus, vendicabat, eidem Johanni de gratia remisimus speciali, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem nostre intentionis existerit remissionem hujusmodi sic esse plenam et liberam, quod idem cantor ad solvendum annale vel onus subire aliud pro fabrica ecclesie vestre, presertim cum pro illa, sicut, intelleximus, semel de fructibus cantorie et prebende predictarum satisfactum per eum fuerit, nunc teneretur, quodque ipse, qui dictas prebendam et cantoriam ante collationem nostram hujusmodi tenuerat et possederat, locum et vocem quos tunc habebat in choro et capitulo ipsius ecclesie, non obstante nova collatione nostra hujusmodi retineat et habeat absque contradictione quacumque, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum super premissis vel eorum occassione nullatenus impediatis vel etiam molestetis. Datum Avinione, nonis novembris, anno tercio.

1230 Avignon, 7 novembre 1344.

Rufino de Placentia, servienti armorum quem in Campaniam et Maritimam mittit, litteræ salviconductus conceduntur per sex menses tantummodo valituræ. (Reg. 138, n° MLXXXXIX, fol. 294 r°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. ut supra usque pervenerint. Cum nos dilectum —. Dat. Avinione, VII idus novembris, anno tercio.

1231 Avignon, 7 novembre 1344.

Cum inter archiepiscopum Terraconensem et ejus subditos quo ad procurationes visitationis ratione pertinet, lis orta fuerit, eis judicandi potestatem dat. (Reg. 138, n°s CCCCXXIX-CCCCXXX, fol. 121.)

Dilecto filio Guillelmo de Planilis, archidiacono de Villasicca in ecclesia Terraconensi. Volentes dudum venerabilem —. Datum Avinione, VII idus novembris, anno tercio.

In eodem modo *episcopo Ilerdensi.*

1232 Avignon, 7 novembre 1344.

Fructus, redditus et proventus unius anni beneficiorum ecclesiasticorum quæ ecclesiis, monasteriis et prioratibus uni-

untur, Sedi Apostolicæ et Cameræ reservantur. (Reg. 138, n° CCCCXXVIII, fol. 121.)

Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Cum a nonnullis —. Datum Avinione, VII idus novembris, anno tercio.

1233 Avignon, 8 novembre 1344.

Eis mandat ut illos ab excommunicatione absolvant qui corpus Guillelmi de Turre, in Italia defuncti, exanteraverant. (Reg. 138, n° CCCCIX, fol. 118.)

Dilectis filiis... abbati monasterii Casedei, Claromontensis diocesis, et Geraldo de Torterio, canonico Claromontensi ac gardiano fratrum ordinis Minorum Brivatensis, Sancti Flori diocesis —. Expositum nuper extitit coram nobis quod quondam Guillelmo de Turre, domicello, nato dilecti filii nobilis viri Bertrandi domini de Turre, Claromontensis diocesis, pridem in partibus Ytalie viam universe carnis ingresso, cum ipse in vita sua inter cetera ordinasset quod corpus suum ad partes Claromontenses, de quibus traxerat originem deferretur, ibidem cum suis majoribus tumulandum, nonnulli qui erant in ipsius commitiva defuncti, et alii considerantes quod corpus predictum de tam remotis partibus integrum non poterat commode ac secure deferri, ad exanterationem illius cum aqua bullienti, et alias, sicut eis visum fuit expediens, procedere presumpserunt. Cum autem omnes et singuli premissa facientes seu fieri mandantes, cujuscumque ordinis, conditionis, status, gradus fuerint, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, sint juxta tenorem felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri edite super hoc excommunicationis vinculo innodati, et nichilominus corpus ipsius defuncti carere debeat ecclesiastica sepultura, nos attendentes quod potius ex simplicitate ac juris ignorantia quam ex malicia fuit processum per ipsos, et propterea volentes favorabiliter agere cum eisdem, discretioni vestre, ut vos et quibus vestrum insolidum omnibus et singulis, qui commiserunt predicta seu eis interfuerunt, aut ea fieri mandaverunt, seu in eis committendis prestiterunt auxilium, consilium vel favorem, ab hujusmodi excommunicationis sententia possitis hac vice de absolutionis beneficio auctoritate nostra juxta formam ecclesie providere, injuncta eis proinde penitentia de quo vobis videbitur salutari, nihilominus auctoritate dispensando predicta quod ossa dicti defuncti, non obstante constitutione predicta, ecclesiasticam habeant sepulturam, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, VI idus novembris, anno tercio.

1234 Avignon, 8 novembre 1344.

Ducem Normanniæ rogat ne episcopum Vasatensem ad fidelitatis juramentum præstandum compellat. (Reg. 138, n° CCCCXXXI, fol. 122 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Exposuit nobis venerabilis frater Galhardus, episcopus Vasatensis, quod licet ipse ac dilecti filii capitulum ecclesie sue Vasatensis, temporalitatem episcopatus Vasatensis, et jurisdictionem altam et bassam habeant et teneant, ac habuerint et tenuerint ipsi et eorum predecessores ab antiquo per tempora, de quorum contrario memoria non existit, pacifice et quiete, in franchum et liberum allodium, ita quod nec ipsi nec predecessores prefati pro eisdem temporalibus quacumque causa cuiquam domino temporali debuerunt, vel consueverunt juramentum fidelitatis seu alia servicia quecumque prestare, pridem tamen, cum esses in Vasconia, tibi ab eodem episcopo ratione dictorum temporalium petisti juramentum fidelitatis et alia prestari servicia, et eundem episcopum non obstantibus defensionibus et rationibus efficacibus in tua Curia, sicut asserit, propositis, ex quibus se ad premissa non teneri quomodolibet manifeste ostendere dicebatur, citari mandasti, ut certo termino coram te, ubicumque te tunc esse contingeret, compareret, juramentum et servicia hujusmodi prestiturus. Cum autem asserat episcopus memoratus, quod hujusmodi juramenti et servitiorum prestatio, si ad ea de novo procederet, in sui status periculum cederet et ecclesie sue predicte prejudicium manifestum, nos de tua, fili, sinceritate tenentes indubie, quod gravamina ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum non tolerares scienter, nobilitatem tuam attentius in Domino exhortamur, quatenus, si, quod de immunitate ipsorum episcopi et ecclesie in hac parte proponitur, repertum fuerit veritate fulciri, eos non molestet propterea tua benignitas, nec permittat ab officialibus illarum partium, inde directis eis oportunis litteris, molestari, cum alias dictus episcopus

tibi devotus velit existere, sicut credimus, et fidelis. Datum Avinione, VI idus novembris, anno tercio.

1235 Avignon, 8 novembre 1344.

Episcopum Belvacensem similiter hortatur. (Reg. 138, n° CCCCXXXII fol. 122 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Belvacensi. Exposuit nobis etc., ut supra, usque manifestum, verbis competenter mutatis. Nos eidem duci, de cujus sinceritate indubitanter tenemus quod ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum gravamina non toleraret scienter, dirigimus preces nostras ut si, quod de immunitate ipsorum episcopi et ecclesie in hac parte proponitur, repertum fuerit veritate fulciri, eos occasione premissorum non molestet ulterius, nec permittat ab officialibus illarum partium, inde directis eis oportunis litteris, molestari, cum alias dictus episcopus sibi devotus velit existere, sicut credimus, et fidelis. Quocirca fraternitatem tuam attente rogamus quatinus super hiis efficaciter et sedule velis interponere partes tuas. Datum Avinione, VI idus novembris, anno tercio.

1236 Avignon, 9 novembre 1344.

Infrascriptis procuratorem Nicolai de Jamvilla, Comitis Terræ Novæ commendat. (Reg. 138, n°s CCCCXXXIII-XXXV, fol. 123.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Cum dilectus filius nobilis vir Nicolaus de Jamvilla, comes Terre Nove, pro suis negociis, que habere dicitur in partibus regni Sicilie expedire, procuratorem suum exhibitorem presentium ad partes easdem providerit destinandum, nos eundem procuratorem et negocia tue benivolentie commendamus. Datum Avinione, V idus novembris, anno tercio.

In e. mo. *Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri* —; *Johanne regine Sicilie.*

1237 Avignon, 11 novembre 1344.

Hugonem de Rupe rectorem generalem partis castri et territorii Montilii Ademari, quæ ad Sedem pertinent, deputat. (Reg. 138, n° CCCCXXXVI, fol. 123.)

Dilecto filio nobili viro Hugoni de Rupe, comitatus Venayssini et castri de Montilio ejusque territorii et districtus, Valentinensis diocesis, pro parte nos et successores nostros Romanos pontifices ibidem contingente, rectori. Quamvis ubique observari cultum pacis et justicie affectemus, in castro tamen de Montilio ejusque territorio et districtu, Valentinensis diocesis, pro parte nos et successores nostros Romanos Pontifices contingente ibidem, ex acquisitione per felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, pro se suisque successoribus Romanis pontificibus dudum facta, tanto habundantius cultum hujusmodi vigere cupimus, quanto castrum ipsum cum eisdem territorio et districtu ad nos pro dicta parte specialius conspicimus pertinere. Sperantes igitur per [1] tue fidelitatis et circumspectionis industriam familiari experientia nobis notam, posse in hac parte satisfieri, divina tibi assistente gratia, votis nostris, te, castri, territorii et districtus predictorum pro dicta parte rectorem generalem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum constituimus tenore presentium et etiam deputamus, disponendi, ordinandi, statuendi, mandandi, precipiendi et alia omnia et singula faciendi, gerendi et exercendi, alienatione bonorum expressive excepta, que ad hujusmodi rectorie officium pertinere noscuntur, contradictores quoque quoslibet et rebelles temporali districtione nihilominus compescendo, tibi facultatem plenam et liberam concedentes. Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, onus rectorie hujusmodi suscipiens reverenter, sic illud fideliter et utiliter studeas exercere, quod inde tibi apud Deum crescat meritum, et a nobis valeas merito commendari. Nos enim processus et sentencias sive penas, quos rite feceris, tuleris, seu statueris in rebelles, ratos habebimus et faciemus actore Domino usque ad satisfactionem condignam rationabiliter observari. Datum Avinione, III idus novembris, anno tercio.

1238 Avignon, 11 novembre 1344.

Infrascriptis mandat ut dicto rectori obœdiant. (Reg. 138, n° CCCCXXXVII, fol. 123 v°.)

1. Ms : *pro.*

Dilectis filiis clero et populo castri de Montilio ejusque territorii et districtus, Valentinensis diocesis, nobis pro parte nos ibidem contingente immediate subjectis. Quamvis etc. usque concedentes. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et in Domino exhortamur, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes quatenus prefatum Hugonem, rectorem castri, districtus et territorii predictorum pro dicta parte devote recipientes et honorificentia debita pertractantes, eidem super omnibus, que spectant ad hujusmodi officium, plenarie pareatis et efficaciter intendatis, ita quod inde nobis tranquillitatis et pacis quies proveniat et vestra possit devotio merito commendari. Alioquin processus, sententias sive penas quos idem rector rite fecerit, tulerit, seu statuerit in rebelles, ratos habebimus et faciemus actore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

1239 Avignon, 11 novembre 1344.

Hugonem de Rupe rectorem castri de Visano deputat. (Reg. 138, n° CCCCXXXVIII, fol. 123 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Ruppe, militi, comitatus Venayssini et castri de Avisano ejusque territorii et districtus, Tricastrinensis diocesis, rectori. Cupientes castrum de Avisano, Tricastrinensis diocesis, cum suo territorio et districtu ad nos et successores nostros Romanos pontifices pertinens ac habitatores, homines et incolas castri, territorii et districtus predictorum sub cultu pacis fidelitatis et justicie confoveri et sperantes quod per tue fidelitatis et circumspectionis industriam, familiari experiencia nobis notam, in hac parte satisfieri poteris divina tibi assistente gratia votis nostris, te castri, territorii et districtus predictorum rectorem generalem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum constituimus tenore presentium et etiam deputamus disponendi etc... ut in alia, usque in finem. Datum Avinione, III idus novembris, anno tercio.

1240 Avignon, 11 novembre 1344.

Infrascriptis mandat ut dicto rectori obœdiant. (Reg. 138, n° CCCCXXXIX, fol. 123 v°.)

Dilectis filiis clero et populo castri de Avisano ejusque territorii et districtus ad nos et successores nostros Romanos pontifices spectantium. Cupientes etc... Datum ut supra.

1241 Avignon, 11 novembre 1344.

Omnibus qui in certis festivitatibus ecclesiam collegiatam per duces Normanniæ et Burgundiæ fundatam visitabunt, indulgentias concedit. (Reg. 138, n° CCCCXLVII, fol. 125 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Ad illam vite perennis gloriam, qua mira conditoris omnium sanctorum benignitas beatorum coronat aciem civium supernorum, debent fideles, pretiosi effusione cruoris redemptoris nostri Domini Jesu Christi redempti, virtutum meritis festinare, ad que uberius promerenda esse potissimum procul dubio creditur, si devota ipsorum humilitas sanctorum precibus adjuvetur. Nos equidem, qui summi et eterni pastoris vices, licet inmeriti, gerimus, ad hoc fideles ipsos cure nostre commissos piis exhortationibus libenter inducimus, et quandoque muneribus spiritualibus invitamus. Dudum si quidem dilectorum filiorum nobilium virorum Johannis primogeniti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, Normannie, ac Odonis Burgundie, ducum, asserentium coram nobis quod idem dux Normannie affectu magne devotionis inductus, cum consilio et assistentia prefati ducis Burgundie, unam ecclesiam collegiatam de bonis suis propriis in aliquo loco regni Francie congruo, ad honorem sancte et individue Trinitatis, patris et filii et Spiritus Sancti, ac precelse genitricis Dei Marie semper Virginis Domine nostre ac omnium sanctorum, venerandis eiusdem Virginis gloriose, ac beati Georgii martiris vocabulis specialiter insignitam, de consensu et voluntate regis predicti constituere decenter et sufficienter dotare intendebat, pro certo servitorum numero instituendorum in ea, supplicationibus inclinati, eidem duci Normannie construendi eandem ecclesiam et sufficienter dotandi sub certis modis, formis et conditionibus auctoritate apostolica per nostras certi tenoris litteras licentiam duximus concedendam, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cupientes igitur ut ecclesia ipsa, cum constructa et dotata fuerit, ut prefertur, continuis honoribus fidelium frequentetur, et fidelis populus eo concurrat devotius ad eandem quo ibidem potiora salutis sue munera se posse senserit adipisci, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino in remissionem vobis

peccâminum suadentes, quatenus et ecclesiam ipsam, dum constructa, sicut premissum est, fuerit et dotata, imploraturi a Domino veniam delictorum in humilitate spiritus accedatis. Nos autem ut Christi fideles quasi per premia salubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad eandem ecclesiam, postquam, ut premittitur, constructa fuerit et dotata, in singulis Nativitatis et Resurectionis Domini, et ipsius Beate Virginis Marie, ac beati Georgii, Sancti Ludovici de Francia et Sancti Ludovici de Marsilia confessorum, beati Johannis Baptiste festivitatibus, et in Paraceve ac Dedicationis ipsius ecclesie, cum eam dedicari contigerit, et anniversarii dedicationis ejusdem diebus, unum annum et quadraginta dies, per octo vero dies festivitates ipsas immediate sequentes causa devotionis accesserint annuatim, centum dies de injunctis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, III idus novembris, anno tercio.

1242 Avignon, 11 novembre 1344.

Infrascriptis sic indulget ut omnibus vere pænitentibus et confessis, qui ad ecclesiam prædictam in diebus festivis accedent, unius anni et quadraginta dierum indulgentiam de injunctis sibi pænitentiis concedat. (Reg. 138, n° CCCCXLVIII, fol. 126.)

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcòpis presentes litteras inspecturis. Ad illam vite —. Datum Avininone, III idus novembris, anno tercio.

1243 Avignon, 12 novembre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCCVI-MCCIX, fol. 315 v°.)

Item in eodem modo : *dilecto filio, nobili viro, Guidoni de Podiovallis, domicello, Tutellensis diocesis.* Datum Avinione, II idus novembris, anno tercio.

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Heliadi, uxori dilecti filii nobilis viri Guidonis de Podiovallis, domicelli Tutellensis diocesis.

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Margarite de Podiovallis, relicte quondam Guidonis de Podiovallis, Tutellensis diocesis.

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Almodie relicte quondam Bernardi Baudoini, Lemovicensis diocesis.

1244 Avignon, 13 novembre 1344.

Miratur quod archiepiscopus Senonensis, licet ægrotans, dignitatem cedere velit. (Reg. 138, n° CCCCXL, fol. 123 v°.)

Venerabili fratri Philippo, archiepiscopo Senonensi. Presentate nobis fraternitatis tue littere continebant, quod tu, cedendi dignitatis pontificalis status concepto proposito, a nobis licentiam super hoc postulabas, quod quidem, cum adhuc satis juvenis et aptus ad laborandum existas, nostris sensibus grandis ingessit admirationis materiam non indigne ; nam licet, visitante te misericordiarum Domino, qui flagellat quos diligit, audiverimus fuisse infirmitate corporali gravatum, nec adhuc fore resumpta convalescentia plenarie sanitati pristine restitutum, potens est tamen Dominus, qui percutit et sanat, mortificat et vivificat juxta sue misericordissime beneplacitum voluntatis, repressa valitudine, de sue plenitudine gratie tibi virtutem fortitudinis elargiri, et nonnunquam infirmitas corporis fortitudinem auget cordis. Nempe credimus quod tu, qui statum ecclesie tibi commisse in spiritualibus et temporalibus novisti plenius, eidem uberiores fructus ex tuis solicitudinibus ad tuorum meritorum augmentum afferre poteris, quam alius etiam te fortior corpore, qui ad illius regimen assumeretur de novo, tibique a Deo posset merito, si ecclesia pateretur, forsitan propter hoc imputari. Ideoque fraternitatem tuam in Domino attentius exhortamur quatenus premissis et aliis, que in hac parte tue circumspectioni possunt occurrere, diligenti meditatione pensatis, ac in illo, qui sperantes in se non deserit, fortitudine mentis assumpta, in ministerio presulatus commisso tibi a Domino laborando, quantum poteris, de gratia divina et favore nostro confisus, virtuosius et fructuosius perseveres. Verumtamen cum te scire supponamus indubie quibus causis de jure cessio hujusmodi postulanda, si super hiis conscientia te forsitan urgeat, aut cause alie rationabiles te inducant, illas nobis poteris rescribere seriose, ut, eis plenius intellectis, tibi, quem favore dilectionis speciali prosequimur, sicut Deo gratum existere tueque saluti expediens crediderimus, paterna solicitudine consulamus. — Datum Avinione, idibus novembris, anno tercio.

1245 Avignon, 13 novembre 1344.

Quamdam domum sitam Avinione in parrochia Sancti Symphoriani, quæ nonnullis precario concessa fuerat, ad tituli Sancti Clementis cardinalem pertinere declarat. (Reg. 138, n° CCCCXLI, fol. 124.)

Dilecto filio Petro, tituli Sancti Clementis presbitero cardinali. Nuper in nostra constitutus presentia nobis exponere curavisti, quod domum dilecti filii Bertrandi de Fonte, servientis nostri armorum, sitam Avinione in parrochia Sancti Simphoriani, confrontatam cum dilectorum filiorum magistri Bernardi Rascassii, jurisperiti, et Pontii Gisberti, civium Avinionensium, hospiciis ac via publica, et aliis suis finibus, quam, ut de librata tua semper possedisti, et tenuisti hactenus, tenebas tunc, et eciam possidebas, dilectis filiis Raimundo abbati monasterii Sancti Johannis Angeliacensis et Guillelmo priori Abbatisville, ac Petro de Agrifolio decano de Rivopetroso, Xanctonensis, Ambianensis et Ruthenensis diocesis, familiaribus nostris, tua liberalitate mera precario concessisti, per eosdem abbatem et priorem ac decanum a te tanquam de tua librata tenendam, et inhabitandam, usque dumtaxat ad tue beneplacitum voluntatis. Quare nobis humiliter supplicasti, ut ne tibi vel librate tue ex concessione predicta vel alias ex premissis quo ad recuperationem dicte domus a te, quandocumque tibi videbitur, faciendam, possit prejudicium generari, providere tibi de oportuno remedio dignaremur, nos itaque, hujusmodi supplicationibus annuentes, volumus et presentium tibi auctoritate concedimus, ut, quandocumque tibi visum fuerit, concessionem et precariam hujusmodi revocandi et domum ipsam a dictis abbate, priore et decano amovendi et ipsam ut de librata tua, sicut prius, tenendi, retinendi, habendi, et possidendi liberam habeas facultatem, precipientes abbati, priori et decano predictis, ut domum ipsam exeant et dimittant, quandocumque pro parte tua fuerint requisiti, eisque nihilominus inhibentes ne dictam domum aliquo signo signare presumant. — Volumus insuper quod in ipsa domo sit et remaneat signum tuum. Ceterum volumus quod ob concessionem hujusmodi vel alia premissa tibi, vel librate tue, quominus dictam domum amovere, tenere, habere et possidere sicut prius valeas, ut prefertur, nullum omnino prejudicium generetur. Nulli ergo et, etc. Datum Avinione, idibus novembris, anno tercio.

1246 Avignon, 15 novembre 1344.

Regi Franciæ sororem comitis Armaniaci commendat. (Reg. 138, n° CCCCXLIX, fol. 126 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super hiis que dilecta in Christo filia, nobilis mulier, Matha de Armaniaco, soror dilecti filii nobilis viri Johannis, comitis Armaniaci, habet pro certis negociis tecum, fili carissime, sicut ex parte ipsius asseritur, expedire, tam eandem Matham, que nobis per suas litteras, quas inclusas presentibus mittimus, exinde nobis scripsit, quam negocia hujusmodi benignitati regie commendamus. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno tercio.

1247 Avignon, 15 novembre 1344.

Johanni comiti de Warenna Johannem de Janicuria, priorem Sancti Pancracii, ordinis Cluniacensis, Cicestrensis diœcesis et negocia abbatis Cluniacensis commendat. Natum dicti comitis, priorem prioratus de Castellata non oblivisci promittit. (Reg. 138, n° CCCCL, fol. 126 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni comiti de Warenna. Illam de sinceritate nobilitatis tue fiduciam in Domino gerimus, quod, amorem et timorem divinum continue tecum habens, circa illa que honestatis et justicie concernunt debitum, reperieris benivolus et benignus. Cum itaque, sicut intelleximus, pro administratione prioratus Sancti Pancracii, ordinis Cluniacensis, Cicestrensis diocesis, nunc vacantis, dilectus filius Johannes de Janicuria, monachus dicti ordinis, qui de religionis zelo, vite mundicia, probitate morum, et aliis virtutibus commendatur multipliciter, fructuosus existeret et idem prioratus sub ejus administratione felicia posset in spiritualibus et temporalibus suscipere incrementa, nobilitatem rogamus et attentius in Domino exhortamur eandem, quatenus prefatum monachum super administratione sibi committenda hujusmodi et regenda per ipsum utiliter, habere velis pro divina et nostra sedisque apostolice reverentia, quantum in te fuerit, benignis favoribus commendatum. Sciturus fili, quod id Deo et nobis gratum erit, propter ea que premisimus admodum, et dilectum filium Willelmum, priorem prioratus de Castellata ejusdem ordinis, natum tuum, pro cujus promotione dilectus filius Iterius, abbas monasterii Cluniacensis, familiaris noster, apud nos institit, et instare precibus affec-

tuosis non desinit, habere intendimus, cum facultas se nobis obtulerit, favorabiliter commendatum ; ceterum ejusdem abbatis negocia, que in illis partibus habet agere, tue benivolentie propensius commendamus. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno tercio.

1248 Avignon, 15 novembre 1344.

Ei mandat ut Maenciam, uxorem quondam Guillelmi d'Esperneria et ejus liberos de insula Siciliæ expulsos pecunia et auxilio adjuvet. (Reg. 138, n° CCCCLI, fol. 126 v°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus, presbitero cardinali, Apostolice Sedis nuncio. Nuper dilecto in Christo —. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno tercio.

1249 Avignon, 15 novembre 1344.

Ludovicus de Ispania princeps Fortuniæ constituitur, dummodo dictæ Insulæ Fortunatæ, sic acquisitæ, in feudum ab ecclesia Romana teneantur. (Reg. 167, De Curia, n° IX ; — Reg. 216, fol. 13 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Ludovico de Ispania, principi Fortunie, salutem. Tue devotionis sinceritas. — Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno tertio.

1250 Avignon, 16 novembre 1344.

Regi Franciæ decimas per duos annos in regno collectas concedit necnon residua decimarum quas prædecessores sui ei concesserant ; et universis episcopis mandat ut ad solvendum debitores compellant. (Reg. 138, n° CCCCLXI, fol. 129 v°.)

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis. Clara ingentis devotionis merita, quibus inclite memorie christianissimi reges Francie, progenitores carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, erga Deum et Sedem Apostolicam, ac ecclesias et personas ecclesiasticas regni sui splendere suis temporibus studuerunt, quodque rex idem, progenitorum ipsorum laudanda sequendo vestigia, circa illa que statum prosperum et tranquillum ecclesiarum et personarum predictarum se piis et devotis studiis impendebat, debita dudum meditatione pensantes, et attendentes nichilominus quod in utilitatem ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum predictarum non modicam dicti regni tranquillitas et prosperitas procul dubio redundabant, nos eidem regi super multis necessitatibus, tunc sibi propter statum dicti regni manutenendum pacificum incumbentibus, volentes aliqualiter subvenire, hiis et aliis multis rationabilibus causis suadentibus, ac provida et matura deliberatione premissa, prefato regi de fratrum nostrorum consilio decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et redditum in regno et terris suis consistentium per duos annos a data litterarum nostrarum inde confectarum, que fuit XVII kal. decembris pontificatus nostri anno primo, computandas exigendam a vobis ceterisque personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis regni et terrarum predictorum, quantacumque dignitate fulgerent, seu cujuscumque preminentie, conditionis aut status vel religionis existerit, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias sub quacumque forma vel expressione verborum concessa, etiam si de illis de verbo ad verbum foret in nostris litteris specialis et expressa mentio facienda, voluimus suffragari, preterquam ab eisdem fratribus nostris sancto Romane ecclesie cardinalibus monasteria, prioratus, dignitates, personatus vel officia, canonicatus aut prebendas seu quecunque qualiacunque et quotcumque beneficia ecclesiastica in regno et terris predictis obtinentibus, et obtenturis in posterum, necnon dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani, quos quidem cardinales, magistrum et fratres a prestatione decime hujusmodi exemptos certis causis esse voluimus et immunes, persolvendam certis terminis, auctoritate apostolica duximus concedendam, vobis in singulis vestris civitatibus et diocesibus collectoribus ejusdem decime nichilominus deputatis, sicut in nostris super predictis confectis litteris plenius continetur. Sane nuper pro parte ipsius regis nobis extitit intimatum, quod nonnulla residua dicte decime, que arreragia in vestris partibus appellantur, tam de tempore concesssionis nostre predicte, quam felicis recordationis Johannis XXII et Benedicti XII Romanorum pontificum predecessorum nostrorum, qui similiter certas decimas regi concesserunt predicto, temporibus, a multis prelatis et personis ecclesiasticis regni et

terrarum predictorum, qui in constitutis super ipsarum solutione decimarum terminis, prefato regi decimas ipsas de suis proventibus integraliter solvere non curantes, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias per nos vel alios super hoc juxta formam litterarum inde confectarum assumptos promulgatas in non solventes in dictis terminis incurrerunt, regi debentur eidem, quodque prelibate persone, in dictis sententiis contumaciter persistentes, residua hujusmodi nobis seu nostris non curarunt subcollectoribus solvere, in suarum animarum periculum, neque curant. Quare memoratus rex nobis humiliter supplicavit, ut personas easdem ad solvendum hujusmodi residua pro temporibus antedictis per invocationem brachii secularis auxilii compelli facere dignaremur. Nos igitur cupientes quod idem rex hujusmodi nostre ac aliarum concessionum predictarum plenum consequatur effectum, et volentes cum personis hujusmodi, que ad residua predicta tenentur, more patris benivoli mitius agere in hac parte, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus prelatos et personas residua predicta debentes, per vos vel alium seu alios, quos ad hoc duxeritis assumendos, de novo auctoritate apostolica specialiter moneatis, ut infra certum terminum competentem, ad hoc ipsis a vobis seu assumendis eisdem peremptorie assignandum, de prefatis residuis dictarum decimarum pro temporibus predictis dumtaxat eidem regi debitis, persone, seu personis, quam vel quas idem rex ad recipiendum residua ipsa deputaverit, plenariam satisfactionem impendant. Alioquin contra non parentes monitioni predicte, nominatim ad publicationem et agravationem sententiarum predictarum in locis, in quibus expedire videritis, procedatis, ipsosque faciatis ab omnibus artius evitari; quod si forte persone ipse post monitionem et agravationem sententiarum hujusmodi in satisfaciendo de dictis residuis adhuc fuerint contumaces, vos ex tunc fructus, redditus et proventus beneficiorum personarum earundem, in vestris civitatibus et diocesibus consistentes, per gentes vestras vel alias personas ydoneas, quas ad hoc duxeritis deputandas, cum minoribus sumptibus quibus fieri poterit, faciatis colligi et levari, convertendos in solutionem dictorum residuorum ad que dicto regi prelati et persone hujusmodi tenebuntur, ac expensarum etiam rationabilium, que facte fuerint pro ipsis residuis exigendis et etiam colligendis, retenta tamen de illis portione necessaria dumtaxat pro sustentatione congrua ministrorum et servitorum dignitatum, administrationum seu beneficiorum predictorum, ita quod dignitates, administrationes et beneficia hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur; et nihilominus prelatos et personas eosdem qui in solvendo predicta residua perstiterint contumaces, citandi ex parte nostra ad Romanam Curiam, si vobis expediens videatur, et certum eis peremptorium terminum prefigendi, quo personaliter apostolico conspectui se representent, super hujusmodi eorum contumacia et contemptu pro meritis recepturi, ac citationis hujusmodi et prefixionis termini supradicti formam nobis per vestras litteras et proprios nuncios referendi, plenam concedimus facultatem, vel si forsan vobis magis expediens videatur, in casu in quo dicti prelati et persone debentes residua supradicta, vobis vel vestrum alicui in executione hujusmodi circa perceptionem, collectionem, et assignationem dictorum fructuum per vos juxta presentium seriem faciendas realiter, contradictores vel rebelles extiterint, ad hujusmodi eorum contradictionem, seu rebellionem reprimendas, volumus, et vobis ac vestrum singulis in vestris civitatibus et diocesibus presentium auctoritate concedimus, quod contra rebelles et contradictores predictos dumtaxat eadem auctoritate invocare possitis auxilium brachii secularis. Si vero prelati, seu persone hujusmodi debentes residua supradicta aliqua loca, bona, vel emolumenta pertinentia ad dignitates, administrationes, et beneficia eorundem, sicut in plerisque locis minus canonice fieri dicitur, personis aliis ad firmam, ad vitam, vel ad certum tempus tradiderint seu concesserint, quovis modo, volumus quod hujusmodi locorum et bonorum, ac emolumentorum pretextu concessionum hujusmodi detentores, ad solvendum nobis hujusmodi residua de locis, bonis et emolumentis hujusmodi pro rata, ad quam loca, bona et emolumenta ipsa in extimatione taxationis decime dignitatis, administrationis seu beneficii ad que spectant, ascendent, per censuram ecclesiasticam, et alia predicta remedia compellatis, nisi forsan auctoritate sedis apostolice vel alterius, ad quem de jure spectaret, traditiones, firme, et concessiones hujusmodi essent facte, quo casu eos ad ista cogi volumus, nisi prout et in quantum de jure ad hoc alias tenerentur, non obstantibus omnibus que in dictis litteris nostris, vel eorundem predecessorum super dictarum ipsarum decimarum concessionibus dicto Regi dudum factis confectis voluimus non obstare. Ceterum vobis, et singulis

vestrum, ac deputandis ad executionem premissorum a nobis auctoritate presentium districtius inhibemus, ne vos vel aliqui vestrum seu deputandi predicti, pretextu executionis predictorum contra constitutionem super hoc editam in Concilio Viennensi, calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel detractionis cujuspiam capere, recipere, detrahere, seu occupare quomodolibet presumatis. Ut autem prelati et persone predicte, eo facilius et salubrius premissis pareant quo ab expensis et laboribus majoribus subeundis poterunt per apostolice sedis clementiam relevari, vobis et singulis vestrum predictis sententiis vel earum aliqua non ligatis, absolvendi omnes et singulos vestrarum civitatum et diocesum post satisfactionem debitam premissorum per eos prestitam a sententiis antedictis, necnon dispensandi cum eis super irregularitate, quam ipsi vel aliqui ex eisdem, sic ligati, [qui] divina officia non tamen in contemptum clavium celebrarunt, vel se miscuerunt eisdem, contraxerunt, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, facultatem liberam tenore presentium elargimur. — Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno tercio.

1251 Avignon, 16 novembre 1344.

Archiepiscopo Rothomagensi monasteria per procuratores visitandi procurationesque per biennium recipiendi potestatem dat, et judices deputat. (Reg. 138, nos MCXLVIIII et MCL, fol. 306.)

Venerabili fratri archiepiscopo Rothomagensi. — Sincera fraternitatis tue —. Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno tercio.

Judicibus venerabili fratri episcopo Forojuliensi ac dilectis filiis... abbati monasterii Celle Trecensis ac Sycardo de Virsaco, canonico Rothomagensi.

1252 Avignon, 16 novembre 1344.

Bertrando episcopo Caturcensi sic indulget ut possit visitacionis officium per procuratorem exercere procurationesque debitas recipere. Judices simul deputat. (Reg. 138, nos MCXXXV et MCXXXVI, fol. 301 vo.)

Venerabili fratri episcopo Caturcensi. Devotionis tue probata. — Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno tercio.

Judicibus filiis archidiacono de Sancto Sereno et Guillelmo de Garnello ac Galhardo Alquerii, canonicis ecclesie Caturcencis.

1253 Avignon, 16 novembre 1344.

Episcopo Claromontensi sic indulget ut possit visitacionis officium per procurationem exercere procurationesque debitas recipere. Judices simul deputat. (Reg. 138, nos MCXXXIII et MCXXXIIII, fol. 301 vo.)

Venerabili fratri episcopo Claromontensi. Devotionis tue probata —. Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno tercio.

Judicibus dilectis filiis Johanni Jerenne, Laudunensis et Roberto de Lugduno, Cenomanensis ac Thome Guierri, Autisiodorensis, ecclesiarum.

1254 Avignon, 16 novembre 1344.

Infrascripto, qui in Romana Curia scriptoris munere fungitur hoc privilegium concedit ut fructus canonicatuum et præbendarum percipere valeat atque judicibus mandat ut privilegium exsequantur. (Reg. 138, no MCCLVI.)

Item in e. mo. pro *dilecto filio magistro Geraldo Chan, canonico Carnotensi, scriptore nostro* et dirigatur executoria *venerabilibus fratribus... Parisiensi et... Castrensi episcopis ac dilecto filio... abbati monasterii Beate Marie de Josaphat prope Carnotum.* Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno tertio.

1255 Avignon, 17 novembre 1344.

Reprobat defensionem per pugillem in duello, ad quam rex viros ecclesiasticos in curia sua compellit, et illicitam vectigalium ab ecclesiasticis exactionem. (Reg. 138, nos CCCCLII-CCCCLIV, fol. 127.)

Carissimo in Christo Ludovico, regi Ungarie illustri. Mentem regiam ad —. Datum Avinione, XV kalendas decembris, anno tercio.

Elisabeth regine Ungariæ ; — Strigoniensi et Colocensi archiepiscopis ac Quinque ecclesiarum et Agriensi episcopis.

1256 Avignon, 17 novembre 1344.

Cum audiverit comitem Armaniaci ægrotare, medicum suum magistrum Stephanum Achelmi, præcentorem ecclesie Ilerdensis ei mittit et optat ut comes sanitati restituatur. (Reg. 138, n° CCCCLV, fol. 128 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni comiti Armaniaci. Frequenter, fili, non sine magne conpassionis affectu audivimus hiis diebus preteritis te, visitante misericordiarum Domino, qui sepe flagellat quos diligit, proprii corporis infirmitate gravatum, et quandoque subsequenter letis rumoribus percepimus te, licet debilem, velut ex infirmitate hujusmodi concassatum, sanitati pristine divine largitatis clementia restitutum, propter quod audire desiderantes et expectantes jugiter plenam persone tue convalescentiam, tibi scribere personamque specialem mit(t)ere ommisimus usque modo. Nunc autem ad nostram deducto noticiam quod adhuc reliquie predicte infirmitatis alique tibi gravamen interdum inferunt et plenam impediunt convalescentiam, quam audire ferventibus desideriis optabamus, ecce quod dilectum filium magistrum Stephanum Achelmi, precentorem ecclesie Ilerdensis, medicum nostrum, ad te pro tua cura et consolatione specialiter destinamus, cui specialiter injunximus, ut a te donec plene, illius gratia tibi assistente qui potest, convalueris, non discedat, nobilitatis tue prudentiam rogantes et attentius in Domino exhortantes, quatenus ejusdem medici, tue salutis zelatoris fidelis, consiliis super hiis que concernent felicem persone tue curationem, cum auxilio divino assequenda, plenius et citius acquiescens, in eo, qui est salus et vita, quique vulnerat et medetur, anchoram spei tue figas plene devotionis studiis, et ei de sua visitatione in humilitate spiritus ad gratiarum actiones assurgens, sic suis beneplacitis te coaptes, ut cum sancto Job possis eidem dicere quod tuum spiritum sua visitatio custodivit, et nos qui te portamus tanquam predilectum filium in visceribus caritatis, preces devotas apud eum effundere non cessabimus, ut tibi votivam restituat convalescentiam, et de sue bonitatis plenitudine habundantiorem benedictionem et gratiam largiatur. Datum Avinione, XV kalendas decembris, anno tercio.

1257 Avignon, 18 novembre 1344.

Provisionem ecclesiæ Leodiensis, si nunc vacat vel cum primo eam vacare contigerit, de pastore præficiendo sibi reservat, capitulo districtius inhibens ne de illo se intromittat. (Reg. 138, n° CCCCLVI, fol. 129.)

Ad futuram rei memoriam. Intendentes ecclesie Leodiensi, si nunc vacat, vel cum primo eam vacare contigerit, de pastore secundum cor nostrum ydoneo, per circumspectionem sedis apostolice providere, hiis et aliis certis causis rationabilibus, que ad id nostrum animum induxerunt, provisionem ejusdem ecclesie de pastore, ibidem preficiendo, [h]ac vice, nobis auctoritate apostolica reservamus, specialiter dilectis filiis capitulo ipsius ecclesie ac aliis quibuscumque ad quos electio, nominatio, postulatio seu quevis alia provisio hujusmodi pertinet, districtius inhibentes, ne de illis, si ecclesia ipsa vacat, ut premittitur, vel cum eam primo vacare contigerit, se nullatenus intromittant, ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus per eos vel quoscunque alios quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret super hiis attemptari. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XIIII kalendas decembris, anno tercio.

1258 Avignon, 18 novembre 1344.

Infrascriptos rogat ne predictam reservationem molestent. (Reg. 138, n^os^ CCCCLVII-LVIII, fol. 129.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Leodiensis. Cum nos intendentes —. Datum ut supra.

Similis inhibitio *archiepiscopo Coloniensi.*

1259 Avignon, 18 novembre 1344.

Infrascriptis significat monasterium Clarævallis, ordinis Cisterciensis, Lingonensis diœcesis, Sedi Apostolicæ reservatum esse. (Reg. 138, n° CCCCLIX, fol. 129.)

Dilectis filiis... priori et conventui monasterii Clarevallis, ordinis Cisterciencis, Lingonensis diocesis. Dudum felicis recordationis Johannes papa XXII, predecessor noster, provisionem monasterii vestri, certis causis rationabilibus ad hoc ipsum moventibus, sibi et sedi apostolice reservavit, decernens ex tunc irritum et inane si secus per vos vel quosvis alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Nos

igitur intellecto noviter monasterium ipsum ad presens abbatis regimine destitutum, reservationem et decretum hujusmodi ad noticiam vestram volentes presentium tenore deduci, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus et inhibemus expresse, quatenus contra reservationem, decretum et inhibitionem hujusmodi nichil penitus attemptetis, nec permittatis per alios, quantum in vobis fuerit, attemptari. Datum Avinione, XIIII kalendas decembris, anno tercio.

1260 Avignon, 19 novembre 1344.

De criminibus Ludovico de Bavaria perpetratis ei scribit, de sollicitudine erga Johannem, Bohemiæ regem, gratias agit et declarat, quo melius principes id cognoscant, imperiales consuetudines a se non violari. (Reg. 138, n° CCCCLX, fol. 129.)

Venerabili fratri Walramo, archiepiscopo Coloniensi Fraternitatis tue litteras —. Datum Avinione, XIII kalendas decembris, anno tercio.

1261 Avignon, 19 novembre 1344.

Administrationem regni Siciliæ reginæ dimittit et alienaciones interdicit. (Reg. 138, n° CCCCLXII, fol. 131).

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Dum fidelitatis integritatem —. Datum Avinione, XIII kalendas decembris, anno tercio.

1262 Avignon, 19 novembre 1344.

Legato mandat ut administrationem regni Siciliæ reginæ dimittat et Avinionem sine mora revertatur. (Reg. 138, n° CCCCLXIII, fol. 131.)

Dilecto filio Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Dum fidelitatis integritatem —. Datum ut supra.

1263 Avignon, 20 novembre 1344.

Johannem episcopum Alexanensem, principis nuntium, benigne recepit, sed vota exaudire non potuit. (Reg. 138, n° CCCCLXIV, fol. 133 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Roberto principi Tarentino. Benigne recepimus venerabilem — Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno tercio.

1264 Avignon, 20 novembre 1344.

Infrascriptis mandat ut Stephanum, episcopum Casinensem, deducat in possessionem praeposituræ ecclesiæ Sancti Petri de Foresta, Aquinatensis diœcesis, quam Anibaldus, episcopus Tusculanensis sibi vindicabat. (Reg. 138, n° DLXV, fol. 157.)

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Brundusino et Petro Alemanni, decano ecclesie Brivatensis, Sancti Flori diocesis ac archipresbitero[1] *Sancti Georgii in ecclesia Aquinatensi* —. Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno tercio.

1265 Avignon, 21 novembre 1344.

Nicolao archiepiscopo Ravennatensi et Petro Astoricensi episcopo, qui ad Angliam mittuntur, salviconductus litteræ conceduntur. (Reg. 138, n° CCCCLXV, fol. 133 r°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis vel eorum vices gerentibus et personis ecclesiasticis quibuscumque religiosis et secularibus et ecclesiarum ac monasteriorum capitulis, conventibus exemptis et non exemptis, Cisterciencis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum neccon magistris et preceptoribus Sancti Johannis Jerosolimitani et sancte Marie Teutonicorum et Calatravensium, hospitalium sive domorum, ad quos presentes littere pervenerint. Cum venerabiles fratres nostros Nicolaum archiepiscopum Ravennatensem et Petrum episcopum Astoricensem, apostolice sedis nuncios pro quibusdam arduis ecclesiam Romanam tangentibus ad partes regni Anglie presentialiter destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eosdem archiepiscopum et episcopum ob reverentiam apostolice sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, diebus singulis eundo ad dictas partes et re-

1. *Ms.* : archiepiscopo.

deundo de illis, archiepiscopo in decem et episcopo prefatis in octo florenis auri pro suis necessariis et de securo conductu necnon evectionibus oportunis, si sue forsan in via decesserint vel defecerint, vobis quam primo comode fieri poterit restituendis, cum super premissis per eosdem archiepiscopum et episcopum vel eorum nuncium fueritis requisiti, liberaliter providere ac mandatum nostrum hujusmodi sic efficaciter adimplere curetis quod nos devotionem vestram exinde commendare merito valeamus. Rursus quia onera in partes divisa facilius perferuntur, volumus quod si eosdem nuncios in portu maris eundo in Angliam diutinam moram contrahere forsitan oporteret, venerabiles fratres nostri... Cameracensis ac... Ambianensis, necnon... Tornacensis et... Morinensis episcopi cum clero suarum civitatum et diocesium exemptis et non exemptis contribuere in necessariis expensis hujusmodi, prout ipsi nuncii ordinabunt et distribuent, teneantur. Alioquin summam, quam ipsi nuncii per se vel alium rite tuleri(n)t in rebelles, super quibus plenam tenore presentium eis auctoritate apostolica concedimus potestatate, ratam babebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tertio.

1266 Avignon, 21 novembre 1344.

Eis mandat ut Nicolao archiepiscopo Ravennatensi in 15 florenis et episcopo Astoricensi in 12 florenis diebus singulis provideant. (Reg. 138, n° CCCCLXVI, fol. 134.)

Venerabilibus etc. usque hospitalium sive domorum in regno Anglie et terris subjectis carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri, constitutis. Cum venerabiles fratres —. Datum ut supra.

1267 Avignon, 21 novembre 1344.

Nunciis ad Angliam missis prælatos regni Angliæ convocandi facultatem concedit. (Reg. 138, n° CCCCLXVII, fol. 134 v°.)

Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo Ravennatensi et Petro episcopo Astoricensi. Cum super certis arduis negociis nos et ecclesiam Romanam ac carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem tangentibus, vos, de quorum fidelitate et circumspectionis maturitate plenam in Domino fiduciam gerimus, ad eundem regem et partes illas providerimus destinandos, nos attendentes quod illa meliorem et feliciorem consueverunt sortiri effectum, que majoribus et maturioribus consiliis digeruntur, ut venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos aliosque prelatos regni Anglie, de quibus vobis expedire videbitur, possitis semel et pluries, super hiis que tangunt negocia per nos vobis imposita, prout optimum cognoveritis, ad vestram presentiam in loco vel locis ydoneis convocare, fraternitati vestre facultatem plenariam tenore presentium elargimur. Contradictores etc. Datum ut supra.

1268 Avignon, 21 novembre 1344.

Dictos nuncios Angliæ regi commendat, et infrascriptos rogat ut eos adjuvent. (Reg. 138, n°s CCCCLXVIII-CCCCLXXXXII, fol. 134 v°.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Super certis negociis nos et sedem apostolicam teque, fili carissime, tangentibus, venerabiles fratres nostros Nicolaum archiepiscopum Ravennatensem et Petrum episcopum Astoricensem, nostros et ejusdem sedis nuncios, viros utique litterarum scientia preditos, probitatis et discretionis maturitate conspicuos, et in arduis probatos negociis, ad tue celsitudinis presentiam destinantes, magnificientiam rogamus regiam et attentius in Domino exhortamur, quatenus ipsos archiepiscopum et episcopum favorabiliter et benigne recipiens, et super hiis que pro parte nostra tibi explicanda duxerint, fidem eisdem adhibens credulam, circa ea regalis providentia sic se gerat quod, nocivis et perniciosis revocatis novitatibus, tibi et regno tuo cuncta largiente Domino succedant prospera, tuque, fili dilectissime, divinam et ejusdem sedis benedictionem et gratiam uberius assequaris. — Datum ut supra.

Isabelli regine Anglie illustri ; — Philippe regine Anglie ; — Archiepiscopo Cantuariensi ; — episcopis Londoniensi ; — Eliensi ; — Cicestrensi ; — Dunelmensi ; — Lincolniensi ; — Exoniensi ; — Dilecto filio nobili viro Henrico Comiti Derbeye ; — Thome comiti Woarwike, marescallo Anglie ; — Guillelmo comiti Norhontonie, constabulario Anglie ; — Guillelmo comiti Huntindonie ; — Richardo comiti Arundellie ; — Bartolomeo de Bur-

wasch, militi ; — Roberto de Sadington, militi, regis cancellario ; — Rodulpho de Staforde, senescallo Anglie ; — Thome de Hatiefelde, secretario regio ; — Reginaldo de Cobham ; — Johanni de Arci, seniori, camerario regio ; — Johanni de Arci juniori ; — Edwardo primogenito Edwardi, duci Cornubie ; — Marie de Sancto Paulo, comitisse de Pambrok ; — Henrico comiti Lencastrie ; — Datum in omnibus Avinione, XI kalendas decembris, anno tercio

1269 Avignon, 21 novembre 1344.

Regem Angliæ rogat ut quasdam litteras de conductu præfatis nunciis tradat. (Reg. 138, Litt. CCCCLXXXXIII, fol. 135 v°.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Nuper excellentie regie scripsimus quod, cum super certis negotiis nos et ecclesiam Romanam, teque, fili carissime, tangentibus, venerabiles fratres nostros Nicolaum archiepiscopum Ravennatensem et Petrum episcopum Astoricensem, apostolice sedis nuncios, viros utique profunditate scientie preditos ac probitatis et circumspectionis maturitate conspicuos ad tue celsitudinis presentiam providerimus destinandos, eis oportunas litteras regias de securo conductu, ut ad eandem accedere presentiam ibique morari et ad nos redire valerent, liberaliter eisdem archiepiscopo et episcopo providentia regia destinaret. Cum autem dispendiosum eisdem ac nobis et eidem ecclesie opprobriosum quodammodo redderetur, si eosdem nuncios propter defectum conductus moram in portu diutinam contrahere oporteret, quod absit, magnificentiam regiam attentius deprecamur quatenus hujusmodi litteras regias de conductu juxta formam cedule presentibus intercluse, secundum quam quibusdam aliis dicte sedis nunciis concesse fuerunt alias per regiam excellentiam littere de conductu, velit celeriter destinare regia providentia nunciis antedictis. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tertio.

1270 Avignon, 21 novembre 1344.

Archiepiscopo Cantuariensi similiter scribit. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXIIII, fol. 136.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi. Nuper fraternitati tue scripsimus quod, cum super certis negotiis nos et ecclesiam Romanam ac carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem tangentibus venerabiles fratres nostros etc. usque destinandos ; et prefato regi scriberemus, ut oportunas de securo conductu litteras eisdem nunciis destinaret, hec fieri et expediri celeriter eadem fraternitas procuraret. Sane cum iterato regi scribamus predicto ut, attento quod nuntiis ipsis dispendiosum ac nobis et ecclesie predicte opprobriosum quodammodo redderetur, si nuncios ipsos propter defectum hujusmodi conductus in portu moram diutinam contrahere oporteret, quod absit, eisdem velit litteras regias de conductu celeriter mittere juxta formam cedule in nostris litteris, quas inde sibi dirigimus, intercluse. Ideoque fraternitatem rogamus eandem quatenus id quantocius juxta tenorem ejusdem cedule, quam tibi etiam mittimus interclusam presentibus, secundum quam quibusdam aliis dicte sedis nunciis concesse fuerunt alias per regiam excellentiam littere de conductu, procuret tua prudentia expediri. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tertio.

1271 Avignon, 21 novembre 1344.

Ei mandat ut bona defuncti episcopi Electensis colligat atque sub manu cameræ ponat. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXV, fol. 136.)

Dilecto filio Morerio de Moreriis, Agennensis diocesis. Cum bone memorie. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tercio.

1272 Avignon, 21 novembre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n^os MCCX et MCCXI, fol. 315 v°.)

Item in eodem modo, *dilecto filio Aymerico Gaucerandi, et dilecte in Christo filie Bonete, ejus uxori, civibus Agathensibus.* Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tercio.

Dilecto filio Bernardo Gaucerandi, et dilecte in Christo filie Bernarde, ejus uxori, Narbonensis diocesis.

1273 Avignon, 21 novembre 1344.

Quandam domum sitam Avinione in parrochia Sancti

Symphoriani, quam cardinales titulorum Sancti Clementis et Sancti Laurentii in Damaso sibi vindicabant, amborum cardinalium esse declarat. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXVI, fol. 136.)

Dilecto filio Hugoni tituli Sancti Laurentii in Damaso presbitero cardinali. Pridem exponente nobis —. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno tercio.

1274 Avignon, 24 novembre 1344.

Cum abbas et conventus monasterii Sancti Wandregisilli prioratum Sancti Sydonii Guillelmo Ascelini contulissent, designationem factam confirmat. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXVII, fol. 136 v°.)

Dilecto filio Guillelmo Ascelini, alias dicto Dutrayt, priori prioratus Sancti Sydonii, ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis. Religionis zelus vite —. Datum Avinione, VIII kalendas decembris, anno tercio.

1275 Avignon, 25 novembre 1344.

Iterium abbatem monasterii Cluniacensis duci Burgundiæ commendat. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXVIII, fol. 137.)

Dilecto filio nobili viro Odoni, duci Burgundie. Dilectum filium Iterium, abbatem monasterii Cluniacencis, familiarem nostrum ac ejus monasterium, loca et personas ipsius tue nobilitatis benivolentie propensius commendantes, eandem nobilitatem rogamus attente quatinus ipsos sic super hiis, que tecum aut tuis officialibus et gentibus habent et habebunt racione locorum et bonorum suorum infra tua dominia consistentium agere, tractes pro divina et nostra sedisque apostolice reverentia favorabiliter et benigne, quod inter te dictumque abbatem nostris obsequiis insistentem nulla possit oriri dissentio, que nobis redderetur infesta, sed pocius pacis et concordie amicitia Deo et nobis grata et utrique accomoda nutriatur. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno tercio.

1276 Avignon, 25 novembre 1344.

Duci Normanniæ nuntiat se vota ejus exaudivisse. (Reg. 138, n° CCCCLXXXXIX, fol. 137.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Ecce, dilecte fili, quod nos super indulgentiis per te petitis a nobis annuentes favorabiliter votis tuis, confectas exinde litteras apostolicas tibi mittimus per presentium portitorem. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno tercio.

1277 Avignon, 25 novembre 1344.

Cum diversi prælati et nobiles, monasteria, dignitates et præbendas occupavissent quæ Nicolaus, Sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis a Sancta Sede obtinuerat, et multas injurias ei intulissent, motu proprio episcopos conservatores et judices deputat ut cardinalem adjuvent. (Reg. 138, n° MLXXXI, fol. 287 v°.)

Judicibus venerabilibus fratribus Lemovicensi, et... Albiensi, ac Lodovensi episcopis. Ad regendum universalis ecclesie —. Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno tercio.

1278 Avignon, 26 novembre 1344.

Cum decanus et capitulum ecclesiæ Cameracensis Jacobum de Senegiis, capellanum perpetuum, procuratorem Stephani tituli Sanctorum Johannis et Pauli cardinalis, capi fecissent, ei mandat ut inquisitionem faciat. (Reg. 138, n° D, fol. 137.)

Dilecto filio... decano ecclesie Tornacensis. Exponente nobis dilecto filio nostro Stephano, tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbitero cardinali, nuper accepimus, quod dilecti filii, decanus, prepositus et capitulum ecclesie Cameracensis, asserentes se in dilectum filium Jacobum de Senegiis, capellanum perpetuum in eadem ecclesia, procuratorem cardinalis predicti, jurisdictionem habere, pretextu quorundam criminum impositorum eidem, et specialiter quod super quodam instrumento publico in nostra Camera presentato commiserat, ut eadem habebat impositio, falsitatem, eundem capellanum asserentem se ab impositis hujusmodi penitus innocentem, capi fecerunt, et suis detinent carceribus mancipatum, nostre igitur provisionis remedio humiliter super hiis implorato, nos qui excessus et crimina delinquentium sic mediante justicia corrigi volumus et puniri, quod innocentes nullatenus propter hoc indebite molestentur, discretioni tue per apostolica scripta committimus et

mandamus quatenus per te vel alium seu alios, super premissis et ea tangentibus, informatione fideli et solerti simpliciter et de plano, sine strepitu iudicii et figura, recepta, si per eam inveneris dictum capellanum posse vel debere simpliciter, vel saltem sub cautionibus a carcere hujusmodi liberari, eum, meliori modo quo juste fieri poterit, pristine restitui faciens libertati [1], predictam informationem sub tuo clausam sigillo ad prefatam Cameram, quam ratione instrumenti predicti negocium hujusmodi tangere dicitur, mittere non postponas, prefato capellano et illis, quorum noveris interesse, certum peremptorium competentem terminum prefigendo, quo in eadem Camera facturi et recepturi quod suaserit iusticia, se presentent, Cameram ipsam super hujusmodi prefixione termini, et aliis que in hac parte quomodolibet egeris, redditurus per instrumentum publicum harum seriem continens nichilominus certiorem. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1279 Avignon, 26 novembre 1344.

Eis mandat ut certam pecuniæ summam, Cameræ apostolicæ assignandam, Jacobo Malabayla tradant. (Reg. 138, n° DI, fol. 137 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Brundusino et Arnulpho Marcellini, canonico Ebredunensi, civitatis Beneventane rectori. Cum dilectus filius. — Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1280 Avignon, 26 novembre 1344.

Dicto mercatori mandat ut pecuniæ summam recipiat et debitores absolvat. (Reg. 138, n° DII, fol. 137 v°.)

Dilecto filio Jacobo Malabayla, civi et mercatori Astensi, curiam Romanam sequenti. Cum nos venerabilis —. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1281 Avignon, 26 novembre 1344.

Infrascriptis significat monasterium de Bonoportu Sedi Apostolicæ reservatum fuisse. (Reg. 138, n° DIII, fol. 138.)

Dilectis filiis priori et conventui monasterii de Bonoportu, ordinis Cisterciencis, Ebroicensis diocesis. Dudum intendentes monasterio vestro, si tunc vacabat, vel cum primo illud vacare contingeret, per circumspectionem sedis apostolice provideri, ex hiis et aliis certis rationabilibus causis suadentibus, provisionem ejusdem monasterii videlicet VI nonas octobris, pontificatus nostri anno secundo, auctoritate apostolica ea vice duximus nobis specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus per vos vel quosvis alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Sane noviter intellecto prefatum monasterium per obitum ultimi abbatis ejusdem vacare, nos volentes reservationem et decretum nostra hujusmodi ad vestram et aliorum quorum interest noticiam presentium tenore deduci, vobis per apostolica scripta mandamus et inhibemus expresse, quatenus nihil contra ea penitus attemptetis, et si forsan circa hec aliqua fuerint in contrarium attemptata, illa, quantum in vobis fuerit, revocetis. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1282 Avignon, 26 novembre 1344.

Supradictam reservationem episcopo Ebroicensi significat. (Reg. 138, n° DIIII, fol. 138.)

Venerabili fratri... episcopo Ebroicensi. Dudum intendentes monasterio de Bonoportu etc... nos reservationem et decretum hujusmodi ad dictorum prioris et conventus noticiam deduci volentes, eis per alias nostras litteras mandamus et inhibemus expresse ne presumant attemptare aliquid contra ea et, si forsan attemptatum per ipsos fuerit, illud quantum in eis fuerit revocare procurent. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel alium seu alios eisdem priori et conventui hujusmodi litteras nostras presentans et de presentacione hujusmodi per tuas litteras vel instrumentum publicum harum et illarum tenores continens nos efficiens certiores, nichil attemptes in contrarium nec permittas per alios, prout ad te pertinuerit, attemptari. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1283 Avignon, 26 novembre 1344.

Cum Johannes dux Normanniæ Amaluino de Pestilhaco castrum de Pestilhaco restituisset, quod Ramundus Bernardi occu-

1. Ms. : liberari.

paverat, regem Franciæ rogat ut alium exsecutorem nominet, quia senescallus Agennensis, quamvis pluries requisitus, restitutionem facere omiserat. (Reg. 138, nº DV, fol. 138.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Dudum nobis exposito quod Ramundus Bernardi de Pestilhaco, ad castrum de Pestilhaco, Caturcensis diocesis, cum nonnullis suis complicibus veniens, absente tunc, ignorante, ac in partibus remotis agente dilecto filio nobili viro Amaluino de Pestilhaco, domino dicti castri, in minori etate constituto, castrum ipsum, exinde dilecta in Christo filia nobili muliere Bertranda, relicta quondam Bertrandi de Pestilhaco matreque dicti minoris nobilis ejusque aliis liberis et familiaribus, qui secum erant tunc temporis, violenter ejectis, occupavit, et in rebellionem contra te, fili carissime, gentesque regias posuit, et aliquo tempore tenuit occupatum, preces nostras regie celsitudini meminimus direxisse, ut eidem minori qui de predictis, et illis que inde secuta fuerunt, nec culpabilis, nec consentiens existebat, non imputarentur, nec pro illis gravaretur seu alias puniretur in eodem castro vel in aliis bonis suis. Porro, sicut nobis relatum nuper extitit, precibus nostris hujusmodi favorabiliter a regia benignitate susceptis, subsequenter inter gentes regias et quosdam amicos dicti minoris nobilis, super restitutione dicti castri, quod excussum de manibus dicti Ramundi Bernardi per gentes easdem regias tenebatur, cum juribus et pertinentiis suis prefato nobili facienda, certis conventionibus habitis, et de illis dilecto filio nobili viro Johanni primogenito et locumtenenti tuo, duci Normannie, cum hiis diebus preteritis post novissimum adventum de Francia, ad partes illas se transferret, facta relatione plenaria et fideli, prefatus primogenitus adhibita deliberatione sui consilii plenaria et matura, dictum castrum cum omnibus juribus et pertinenciis suis necnon et concessione gratiosa partis, si qua dicto Raymundo Bernardi competere potuerat, ante delictum commissum hujusmodi quomodolibet in eisdem, que per delicti perpetrationem predicti extiterat confiscata, ordinavit eidem nobili deliberari et etiam deliberavit, de sua certa scientia et gratia speciali, non obstantibus quibuscumque causis seu litibus ad instanciam consulum ville Montis Caprarii dicte diocesis in parlamento regio Parisius, vel alibi motis seu pendentibus, confectis super hiis litteris oportunis, in filis sericis, et cera viridi sigillatis, sicut plenius in eisdem litteris dicitur contineri, quodque licet omnia predicta, que facta, ut prefertur, in hac parte fuerunt per eundem primogenitum, postmodum extiterunt ex certa scientia gratiose per regalem tuam excellentiam confirmata, dilecto filio nobili viro, senescallo Agennensi, ad ea realiter exequenda executore a predicto tuo primogenito ac locumtenente deputato, idem tamen senescallus, quamvis instanter pluries super hoc requisitus, ommisit hactenus et ommittit executionem complere predictam, in ipsius nobilis non modicum prejudicium et gravamen. Quocirca magnificentiam regiam affectibus plenis rogamus, quatenus super premissis et ea tangentibus velit regia clementia alii committere et mandare hujusmodi executionem celeriter et effectualiter faciendam, juxta tenorem litterarum dicti tui primogeniti et locumtenentis, necnon venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Belvacensis, super executione prefate gratie dicti primogeniti, eidem minori nobili concessarum, habendo nichilominus eundem nobilem super hiis pro divina et apostolice sedis reverentia favorabiliter commendatum. = Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1284 Avignon, 26 novembre 1344.

Senescallum Agennensem rogat ut mandatum ducis Normanniæ, quo ad castrum de Pestilhaco attinet, exsequatur. (Reg. 138, nº DVI, fol. 139.)

Dilecto filio nobili viro, Roberto de Autetoto, senescallo Agennensi. Cum super deliberatione castri de Pestilhaco, Caturcensis diocesis, ejusque jurium et pertinentiarum, sicut intelleximus, dilecto filio nobili viro Amaluino de Pestilhaco domino dicti castri facta per dilectum filium nobilem virum Johannem primogenitum et locumtenentem carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, ducem Normannie, et per eundem regem ex certa scientia confirmata, executor extiteris deputatus, nobilitatem tuam attente rogamus quatenus ad executionem hujusmodi juxta tenorem litterarum tibi directarum super hiis, quod nobis gratum existet admodum, sic celeriter, et prompte dilationibus morosis, que prefato Amaluino afferrent nociva dispendia, [postpositis,] procedere non ommittas, quod tue devotionis sinceritas exinde possit et debeat merito commendari. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1285 Avignon, 26 novembre 1344.

Cum dux Normanniæ super facto Ludovici de Bavaria certiorem fieri petivisset, episcopum Eduensem cum responsione mittit. (Reg. 138, n° DVII, fol. 139.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Presentatas nobis pridem nobilitatis tue litteras affectu solite benignitatis recepimus et contenta in eis intelleximus diligenter, super quibus respondere distulimus, et exhibitionem earum ad hoc retinuimus usque modo, ut quid super negocio Ludovici de Bavaria factum existeret, tuam valeremus prudentiam efficere certiorem. Nunc autem venerabili fratri nostro Guidoni episcopo Eduensi ad eundem regem pro faciendis hiis ad que sibi ratione sui episcopatus tenetur, et tuam presentiam accedenti, illa que acta sunt novissime super negocio Ludovici predicti, et alia tam super contentis in predictis litteris, quam quibusdam aliis, imposuimus tue nobilitatis excellentie seriosius referenda, cui fidem adhibeas credulam in hac parte. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

1286 Avignon, 26 novembre 1344.

Bertholdus Ursinus Palatinus et Ursus Anguillarie comites senatores et capitanei Urbis Romæ cum stipendiis 3.000 florenorum constituuntur. (Reg. 138, n^os DVIII-DX, fol. 139.)

Dilectis filiis nobilibo viris Bertholdo de Filiis Ursi, Palatino et Urso, Anguillariæ, comitibus. Quamvis cunctos populos. — Dat. Avinione, VI kalendas decembris, anno tercio.

Populo Urbis ; — Bertholdo de Filiis Ursi.

1287 Avignon, 27 novembre 1344.

Ei mandat ut procuret perceptionem fructuum ecclesiæ Cathaniensis pro patriarcha Antiochensi. (Reg. 138, n° DXI, fol. 140.)

Venerabili fratri Jacobo, episcopo Sebastiensi. Novit tua fraternitas —. Datum Avinione, V kalendas decembris, anno tercio.

1288 Avignon, 27 novembre 1344.

Procuratorem Raynaldi et Jordani de Ursinis, militum, nepotum quondam cardinalis Neapoleonis, tituli Sancti Adriani diaconi cardinalis qui a senescallo Bellicadri, Rostagni de Balneolis consilio et impulsu, vexantur, regi Franciæ commendat. (Reg. 138, n° DXII, fol. 140.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Cum, sicut intelleximus, dilecti filii nobiles viri Raynaldus et Jordanus de Ursinis, milites, domini ville de Balneolis, ejusque pertinentiarum et districtus, Uticensis diocesis, super quibusdam novitatibus per procuratorem regium senescallie Bellicadri, ad instigationem dilecti fili nobilis viri Rostagni de Balneolis, sicut asseritur, in aliquibus juribus ad eosdem milites in eadem villa seu ejus pertinentiis spectantibus, factis, seu suscitatis noviter, suum procuratorem et nuncium ad regalem presentiam providerint destinandum, nos ipsos milites nostros et tuos, fili carissime, devotos et fideles, super predictis et aliis suis negociis, regie benivolentie propensius commendantes, eam rogamus attente, quatenus tam nostrorum obtentu precaminum quam ipsorum devotionis et fidelitatis intuitu, necnon consideratione bone memorie Neapoleonis, Sancti Adriani diaconi cardinalis, honoris et commodi regii, dum viveret, fervidi zelatoris, cujus nepotes milites supradicti fuerunt, dictum eorum procuratorem et nuncium audiri et expediri celeriter et favorabiliter, quantum patietur honestas justicie, faciat regia celsitudo. Datum Avinione, V kalendas decembris, anno tertio.

1289 Avignon, 28 novembre 1344.

Infrascriptis Guidonem episcopum Eduensem commendat. Reg. 138, n° DXIII, fol. 140 v°.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Belvacensi. Cum nos venerabili fratri nostro Guidoni, episcopo Eduensi, ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, pro suis et ecclesie sue negociis accedenti, quedam imposuerimus fraternitati tue pro parte nostra seriosius explicanda, eandem fraternitatem attente rogamus quatinus eidem episcopo super explicandis hujusmodi fidem adhibeas credulam et ipsum super suis predictis negociis habeas pro nostra et apostolice sedis

reverencia favorabiliter commendatum. Datum Avinione, IIII kalendas decembris, anno tercio.

In eodem modo *Odoni duci Burgundie,* mutato ubi dicitur fraternitati, dicatur nobilitati ; — *Radulpho, comiti Augi, constabulario Francie ; — Johanni de Nigella, domino de Aufomonte, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris consiliario ; — Miloni, domino de Nœriis, dicti regis consiliario ; — Guillelmo Flote domino de Revello, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.*

1290 Avignon, 29 novembre 1344.

Eis committit cognitionem certorum processuum contra quosdam hæreticos in Lombardia factorum. (Reg. 138, n° DXIX, fol. 140 v°.)

Dilectis filiis Bertrando, tituli Sancti Marci et Guillelmo tituli Sancti Stephani in Celio Monte, presbiteris cardinalibus. Dudum pro parte venerabilis —. Datum Avinione, III kalendas decembris, anno tercio.

1291 Avignon, 29 novembre 1344.

Ei a quocumque episcopo munus benedictionis recipiendi licentiam concedit. (Reg. 138, n° CCCCXLV.)

Item in e. modo *dilecto filio abbati monasterii de Latigniaco, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.* Datum Avinione, III kalendas decembris, anno tercio.

1292 Avignon, 29 novembre 1344.

Archiepiscopo Cantuariensi abbatem Cluniacensem commendat. (Reg. 138, n° DXX, fol. 141 v°.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi. Grata insinuatione dilecti filii Johannis Laporta, prioris prioratus de Monte Acuto, ordinis Cluniacensis, Bathoniensis diocesis, percepimus quod super hiis que ratione prioratus sui predicti habuit et habet agere in illis partibus te, fili, exhibuisti favorabilem multipliciter et benignum, quod quidem gratum nobis extitit admodum et acceptum, fraternitatem tuam attentius deprecantes quatenus favores hujusmodi continuare, quantum honestas suaserit, non omittas, nostris nichilominus adjicientes precibus ut negotia que dilectus filius Iterius, abbas monasterii Cluniacencis, familiaris noster, ratione prioratuum, pensionum et subditorum suorum cum carissimo in Christo filio nostro Edwardo rege Anglie illustri et suis subditis habere dicitur in eisdem partibus expedire, habere velis propensius commendata. Datum Avinione, III kalendas decembris, anno tertio.

1293 Avignon, 30 novembre 1344.

Infrascriptus nominatur avocatus in causis fiscalibus et causarum criminalium judex, quæ Sedi Apostolicæ deferuntur. (Reg. 138, n° DXXI, fol. 141 v°.)

Dilecto filio magistro Lampugnio de Burgo, juris civilis professori, advocato in Romana curia. Gerentes de tue fidelitatis et circumspectionis industria fiduciam pleniorem, quod illa, que tue solicitudini committentur, fidelibus studiis exequaris, te, in causis fiscalibus nostris apud sedem apostolicam avocatum, necnon causarum criminalium que per appellationes illorum, qui de terris et provinciis ecclesie Romane immediate subjectis existunt, ratione originis vel delicti, seu a Curia... marescalli Romane curie ad sedem deferentur eandem, judicem, usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium constituimus ac etiam deputamus, tibi, quicquid in eisdem fiscalibus causis ad advocationis officium pertinet, exercendi, dictarumque appellationum causas audiendi, examinandi, et mediante justicia terminandi, facultatem plenariam concedentes. Ceterum volumus quod, quandiu hujusmodi officia exercebis, tibi per cameram nostram solvantur stipendia dari et solvi pro hujusmodi officiis consueta — Datum Avinione, II kalendas decembris, anno tercio.

1294 Avignon, 1er décembre 1344.

Eis mandat ut a Simone, abbate Sancti Petri de Latigniaco, Parisiensis diocesis, O. S. B., quem in abbatem monasterii Sancti Medardi Suessionensis elegit, fidelitatis juramentum recipiat. (Reg. 138, n° DXXII, fol. 142.)

Venerabilibus fratribus... Parisiensi et Meldensi episcopis. Pridem vacante monasterio Sancti Medardi Suessionensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio perti-

nente, ordinis Sancti Benedicti, per obitum quondam Thome abbatis ipsius monasterii in illis partibus decedentis, nos ad personam dilecti filii Symonis, tunc abbatis monasterii Sancti Petri de Latigniaco, predicti ordinis, Parisiensis diocesis, nostre considerationis intuitum dirigentes, de persona ipsius tunc absentis ob suorum exigentiam meritorum nobis et fratribus nostris accepta prefato monasterio Sancti Medardi, de ipsorum fratrum consilio duximus providendum, eumque illi prefecimus in abbatem, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Ad ea igitur, que ad commoditatis augmentum ipsius abbatis et sui predicti monasterii cedere valeant, favorabiliter intendentes, et volentes parcere suis laboribus et expensis, quos eundem abbatem subire, si pro prestando fidelitatis debite juramento ad Sedem Apostolicam ipsum opporteret venire, fraternitati vestre, ut vos vel alter vestrum nomine nostro et ejusdem Romane ecclesie, hujusmodi fidelitatis debite solitum juramentum ab ipso abbate juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, recipere valeatis, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem quod ille, qui juramentum huiusmodi recipiet, ab eo formam juramenti hujusmodi nobis de verbo ad verbum, per patentes ipsius abbatis litteras ejus sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Datum Avinione, kalendis decembris, anno tercio.

1295 Avignon, 1er décembre 1344.

Ei mandat ut Palmerio Orlandi de Lucca mercatori 2.000 florenos assignet, quos cum Camera computavit. (Reg. 138, nº DXXIII, fol. 142.)

Dilecto filio Petro Vitalis, primicerio ecclesie Lucane. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, kalendis decembris, anno tercio.

1296 Avignon, 3 décembre 1344.

Cum Ludovicus de Vivando, civis mercatorque Januensis, mille quadringentos nonaginta quatuor florenos et quartam partem unius floreni auri in quadraginta tribus cargis cere, qualibet carga de tribus quintalibus existente et pro triginta quatuor florenis computata, tradiderit, eis mandat ut dictum mercatorem absolvant. (Reg. 138, nº DXXIV, fol. 142 vº.)

Dilecto filio Guillelmo, archiepiscopo Brundusino et Arnulpho Marcellini, canonico Ebredunensi, civitatis Beneventane rectori. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, III nonas decembris, anno tercio.

1297 Avignon, 3 décembre 1344.

Ei mandat ut bona quondam Guillelmi Fulci, prioris prioratus Montisebrodonis, Magalonensis diocesis, petat et colligat. (Reg. 138, nº DXXV, fol. 142 vº.)

Dilecto filio Morerio de Moreriis, canonico Agennensi. Pridem suadentibus certis causis rationabilibus bonorum mobilium, que habebat quondam Guillelmus Fulci, canonicus Magalonensis, prior prioratus Montis Erbodonis, Magalonensis diocesis, vel ad eum tunc temporis pertinebant, cum adhuc idem prior in humanis ageret, dispositionem duximus nobis specialiter reservandam, districtius inhibentes ne aliquis bona ipsa occupare, asportare, contractare vel alias indebite consumere seu occultare presumeret quoquo modo ac decernentes irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Volentes igitur etc. — Contradictores etc... Datum Avinione, III nonas decembris, anno tercio.

1298 Avignon, 4 décembre 1344.

Petro Rogerii archidiaconatum Solliacensem in ecclesia Aurelianensi, vacantem per obitum Amalrici de Vicinis, motu proprio confert. (Reg. 138, nº DLXVIII, fol. 158.)

Dilecto filio Petro Rogerii, archidiacono Solliacensi in ecclesia Aurelianensi. Circumspecta sedis apostolice benignitas, illius inherendo quantum potest vestigiis, qui opus imperfectionis abhorret, circa supplenda illa que in graciis per eam factis personis benemeritis deficiunt, se plerunque consuevit reddere, prout in Deo expedire conspicit, gratiosam. Sane pridem volentes te canonic(at)um ecclesie Aurelianensis, in ipsa ecclesia ob tuorum meritorum exigentiam, super quibus apud nos commendaris multipliciter, amplius honorare, archidiaconatum Solliacensem in eadem ecclesia, tunc vacantem per obitum quondam Amalrici de Vicinis, archidiaconi Solliacensis in eadem ecclesia, dicte sedis capellani, qui extra Romanam Curiam rebus fuerat humanis exemptus, motu

proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, cum omnibus juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate contulimus, et de illo duximus providendum, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Subsequenter vero, ad nostram deducto noticiam quod archidiaconatus predictus, et alia beneficia, que dictus quondam Amalricus tunc temporis obtinebat, fuerunt per nos videlicet XIIII kal. septembris, pontificatus nostri anno primo, ipso Amalrico tunc in humanis agente, dispositioni nostre specialiter reservata, tenore presentium motu simili declaramus nostre intentionis esse, ac etiam extitisse, quod sive predicti archidiaconatus dispositio per generalem de beneficiis capellanorum ipsius sedis ubicumque decedentium, vel per specialem reservationem de dicto archidiaconatu et beneficiis que obtinebat Amalricus predictus per nos factam, seu per quemcumque modum alium, ad nos et sedem pertineret eandem, tibi per collationem ac provisionem nostram predictam, in eodem archidiaconatu, ejusque omnibus juribus et pertinentiis, plenum jus tribuisse, ac collationem et provisionem predictas, et omnia que inde secuta sunt, adeo robur obtinere perpetue firmitatis, ac si de omnibus et singulis supradictis facta fuisset in litteris predictis mentio specialis, et de gratia nostra tibi de dicto archidiaconatu facta, ut premittitur, super dictis reservationibus et earum singulis, expresse in eisdem litteris fundaretur. Supplentes nihilominus omnem defectum, si quis in premissis vel eorum aliquibus forsan intervenerit de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. Datum Avinione, II nonas decembris, anno tercio.

1299 Avignon, 5 décembre 1344.

Hospitium canonicale in ecclesia Parisiensi, quod electus Senonensis dimittere vult, sibi reservat et infrascripto confert, dummodo XL libræ, secundum consuetudinem ecclesiæ Parisiensis, solvantur. (Reg. 138, n° DLXIX, fol. 158 v°.)

Dilecto filio magistro Firmino de Coquerello, canonico Parisiensi. Pericia litterarum, morum et vite honestas, et alia probitatis et virtutum merita, quibus te a Domino insignitum novimus, nos inducunt, ut favorabiles nos super tuis opportunitatibus reperias et benignos. Sane tua nuper nobis exhibita petitio continebat, quod in ecclesia Parisiensi, in qua canonicus prebendatus existis, extitit hactenus observatum quod, dum aliquis ejusdem ecclesie canonicus, ibidem hospicium canonicale obtinens, per cessum vel alias canonicatum et prebendam ecclesie prelibate dimittit, hospicium hujusmodi venale per capitulum ipsius ecclesie, vel ejus auctoritate subastatione premissa exponitur, et pro precio quod reperitur infra certi temporis spacium, venditionis titulo, plus offerenti ejusdem ecclesie canonico assignatur, quod quidem pretium inter capitulum predictum, et cedentem canonicum dividi mediocriter consuevit. Cum autem dilectus filius Guillelmus, electus Senonensis, quoddam hospicium, quod tanquam canonicus ecclesie Parisiensis predicte ibidem obtinuit et adhuc obtinet, post munus consecrationis suscipiendum per ipsum, sit in proximo dimissurus, nobis humiliter supplicasti, ut cum pridem nos te volentes amplius in eadem Parisiensi ecclesia honorare, decanatum ipsius ecclesie, qui per munus consecrationis suscipiendum a dilecto filio Petro, electo Silvanectensi, decano ejusdem ecclesie, in proximo sperabatur vacare, tibi conferendum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, cum sit aut per lapsum temporis de consecrandis episcopis, vel alias preterquam per ipsius electi Silvanectensi obitum vacare contingeret, dispositioni nostre specialiter reservaverimus, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur, et decanus ejusdem ecclesie, qui est pro tempore, licet sit caput dicti capituli, hospicium ratione decanatus non habeat in ecclesia supradicta, tibi pro habitatione tua, dictum hospicium per prefatum electum Senonensem dimissurum ut premittitur, nostre dispositioni reservare, illudque tibi pro precio competenti per te solvendo, et juxta consuetudinem ipsius ecclesie dividendo, concedere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes decens et oportunum existere, quod decanus prefate ecclesie domum ibi habeat competentem, et tam consideratione hujusmodi, quam tuis exigentibus meritis, volentes, quantum cum Deo possumus, annuere super hiis votis tuis, ac capituli et ecclesie predictorum providere indempnitatibus in hac parte, de precio quod communi extimatione haberi de dicto hospicio deberet et posset per eumdem electum Senonensem et dilectum filium Vitalem de Prinhaco, cantorem ecclesie predicte presentes apud Sedem Apostolicam informationem fieri fecimus diligentem, per quorum relationem reperimus, quod ad quadraginta libras monete Parisiensis posset communiter ascendere precium hospicii supradicti. Quapropter dic-

tum hospicium dispositioni nostre hac vice tibi assignandum, postquam dictus electus Senonensis munus receperit supradictum, per teque tenendum, possidendum et inhabitandum, quandiu fueris canonicus ecclesie memorate, auctoritate apostolica specialiter reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus per dictum capitulum, seu quoscunque alios scienter vel ignoranter super hiis contigerit attemptari. Non obstante predicta, et quibusvis aliis consuetudinibus, observanciis et statutis ipsius ecclesie contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Volumus tamen quod, cum possessionem ejusdem hospicii fueris assecutus, dictas quadraginta libras Parisiensium dividendas juxta consuetudinem ipsius ecclesie observatam solvere, sicut te paratum obtulisti, absque difficultatis obstaculo tenearis. Nulli ergo etc. Datum Avinione, nonis decembris, anno tercio.

1300 Avignon, 5 décembre 1344.

Infrascriptis judicibus mandat ut dictam gratiam exsequantur. (Reg. 138, nº DLXX.)

Judicibus venerabilibus fratribus... Belvacensi et Lingonensi episcopis ac dilecto filio magistro Ramundo de Valle, archidiacono de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi, notario nostro. Mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, cum prefatus electus munus consecrationis predicte receperit, eidem Firmino auctoritate nostra dictum hospicium assignetis, ac ipsum vel procuratorem suum, ejus nomine, inducatis in corporalem possessionem illius et defendatis inductum ipsumque faciatis plena illius possessione gaudere. Contradictores. Non obstantibus etc. Datum Avinione, nonis decembris, anno tercio.

1301 Avignon, 5 décembre 1344.

Eis mandat ut errorem cujusdam instrumenti avellat. (Reg. 138, nº DCL, fol. 176.)

Dilectis filiis Obizoni, marchioni Estensi, in civitate Ferrariensi vicario et populo Ferrariensi. Constitutus dudum videlicet —. Datum Avinione, nonis decembris, anno tercio.

1302 Avignon, 6 décembre 1344.

Infrascriptum, cujus filius interfectus fuerat, rogat ne Jacobum regem Majoricarum reum accuset. (Reg. 138, nº DXXXI, fol. 143 vº.)

Dilecto filio, nobili viro, Arnaldo de Rocafolio, domino de Cambreto. Cum, sicut relatibus percepimus fidedignis, carissimus in Christo filius noster Jacobus rex Majoricarum illustris super illo casu displicibili qui de... nati tui nece noscitur contigisse, displicentiam cordis sui, per litteras suas directas tam tibi quam quibusdam aliis de hujusmodi casu dolentibus, duxerit tam benigne quam humiliter exprimendam, nos attendentes quod mortis judicium restitutionis beneficium non admittit, et nichilominus quod ex rancoribus et odiis, ut probabiliter extimatur, per te ac tuos ex eodem casu adversus regem eundem conceptis, si faverentur, quod absit, nullum bonum sed semper deterius posset sequi, et propterea pro pace reformanda super hiis volentes paterne caritatis intuitu interponere partes nostras, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatenus ad hoc, ut per nos pacis concordia reformetur hujusmodi, tuum liberum et benivolum prestans assensum, a faciendis et procurandis interim noxiis novitatibus contra regem prefatum, que negotium reformationis hujusmodi exasperarent vel forsitan impedirent, cesses penitus et desistas, nobis tue intentionis, quam cum nostra convenire in hac parte confidimus, per exhibitorem presentium nichilominus rescripturus. Datum Avinione, VIII idus decembris, anno tercio.

1303 Avignon, 6 décembre 1344.

Ei datur potestas tam pro expensis propriis quam ecclesiæ Bambergensis negociis apud Sedem Apostolicam expediendis mutuum contrahendi usque ad summam 1.000 florenorum auri. (Reg. 138, nº DXXXII, fol. 143 vº.)

Dilecto filio Frederico de Honloch, electo Bambergensi. Cum, sicut proposuisti —. Datum Avinione, VIII idus decembris, anno tercio.

1304 Avignon, 6 décembre 1344.

Regem Franciæ, cui Simonem de Bussiaco mittit, rogat, ut

nuncios pro pace cum Anglia facienda Avinionem mittat. (Reg. 138, nº DXXXIIII, fol. 144 vº.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Ut ea, que super tractatu pacis mutue inter, te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem, suffragante divina gratia, invicem reformande acta sunt, tue regie celsitudini et regi prefato Anglie plenius innotescant et preparetur aditus ad ulterius utiliter et prospere super hiis procedendum, deliberatione provida ordinatum extitit, quod unus ex tuis ad te, et alius ex ipsius regis nunciis ad eum, pro premissis notificandis et aliis eis impositis prosequendis accedant, ceteris utriusque partis nunciis apud nos et Sedem Apostolicam remanentibus, ne vulgaris oppinio ruptum tractatum hujusmodi pacis forsitan extimaret. Ideoque dilectus filius nobilis vir Symon de Bussiaco, consiliarius et nuncius regius, cujus necnon et aliorum nunciorum predictorum fidelem et circumspectam diligentiam commendamus, ad tue magnitudinis presentiam se de nostro beneplacito conferens, premissa omnia que in scola experientie didiscit, plenius et seriosius eidem celsitudini vive vocis oraculo explicabit. Rogamus igitur magnificentiam regiam et per Dei misericordiam obsecramus quatenus, quot bona deo placibilia tibique meritoria et utilia ex mutua concordia, si eam rex excelsus et pacificus dederit, provenire poterunt, pia, recta et devota intentione intra precordia regia diligenter revolvens, et ad eam regium animum dirigens et inclinans, cum certificatus fueris prefatum regem suos solennes nuncios, inter quos esse speramus aliquos vel aliquem de genere suo regio, propter pacis reformationem predicte ad nostram presentiam destinare, tu, fili dilectissime, similiter tuos, quorum aliqui vel aliquis sint de prosapia domus tue regie, non ad unam solam viam determinatam, sed ad omnes vias oportunas, per quas melius et felicius subsequi valeat Domino donante ipsa reformatio, cum aliis apud nos, ut prefertur, remanentibus, ydonea potestate suffultos, mittere, ac secrete tue intentionis pium in hac parte propositum nobis, qui ea sub secreto quasi confessionis sigillo tenebimus, et in operis effectum fructuosi tibique honorabilis et utilis producere juxta posse procurabimus, aperire clarius non postponas, interim autem terminum ad tractandum super premissis nobis concessum, qui terminari debet in festo Nativitatis Domini proxime futuro, usque ad unum annum, vel finem treugarum per litteras oportunas regias nichilominus prorogando, cum per prefatum regem Anglie, cui similiter exinde scribimus, hoc inde fieri supponamus. Datum Avinione, VIII idus decembris, anno tercio.

1305 Avignon, 6 décembre 1344.

Regi Angliæ similiter scribit, Hugonem de Nevilla ad eum mittit et ei nuntiat a se Henricum de Thoresby et Radulphum Spigurnel ejus nuncios bene receptos fuisse. (Reg. 138, nº DXXXV, fol. 144 vº.)

Eidem regi Anglie. Ut ea et cœtera, usque inclinans, mutato ubi dicitur Symon de Bussiaco dicatur Hugo de Neywilla, tuos solennes nuncios, inter quos aliquis vel aliqui sint de genere regio, non solum ad unam viam determinatam, sed potius ad omnes vias oportunas, per quas melius et feli ius valeat reformatio pacis ejusdem subsequi, dante Domino, cum aliis apud nos, ut prefertur, remanentibus, ydonea potestate suffultos ac secrete tue intentionis pium in hac parte propositum nobis, qui ea sub secreto quasi confessionis sigillo tenebimus, et in operis effectum fructuosi tibique honorabilis et utilis producere juxta posse procurabimus, aperire clarius, mittere non postponas, interim autem terminum nobis ad tractandum concessum, qui terminari debet in instanti festo Nativitatis Dominice, nichilominus per litteras oportunas regias prorogando, cum per prefatum regem Francie, cui similiter exinde scribimus, hoc idem fieri supponamus. Ceterum dilectos filios magistrum Henricum de Thoresby, clericum et nobilem virum Radulphum Pigornel militem, [nuncios] regios, nuper ad nostram presentiam destinatos, benigne recepimus, et que nobis pro parte regia curaverunt exponere, intelleximus diligenter, super quibus magnitudini regie intendimus breviter respondere. — Datum Avinione, VIII idus decembris, anno tercio.

1306 Avignon, 7 décembre 1344.

Talairandum, tituli Sancti Petri ad Vincula presbiterum cardinalem, qui terras in Vasconia et castrum de Lavardaco tenet, et Arnaldum de Duroforti regi Angliæ commendat. (Reg. 138, nº DXXVI, fol. 143.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri.

Cum, sicut intelleximus, dilectus filius noster Talairandus, tituli Sancti Petri ad Vincula presbiter cardinalis, ratione castri de Lavardaco et quarundam aliarum terrarum in partibus Vasconie consistentium, que ad eum ex certa successione pervenisse noscuntur, quædam sua negocia tecum, fili carissime, habeat expedire, nos hujusmodi et alia negocia cardinalis ejusdem qui circa ea, que honorem et commodum concernunt regium, libenter et favorabiliter se impendit, regali benivolencie super expeditione illorum favorabili plenis affectibus commendamus, adicientes nichilominus ut erga dilectum filium, nobilem virum, Arnaldum de Duroforti, pro quo alias magnificentie regie preces porrexisse meminimus, et cujus fidelitatis constantiam circumspectioni regie credimus esse notam, sic velit gratiose agere regia celsitudo, quod idem nobilis gaudere pacifice valeat de hiis, que sibi deberi asserit, ac terra et bonis sibi dudum a regia liberalitate concessis. Datum Avinione, VII idus decembris, anno tercio.

1307 Avignon, 7 décembre 1344.

Infrascriptos rogat ut apud regem Angliæ pro supradictis instare velint. (Reg. 138, n° DXXVII-DXXX, f° 143.)

Carissime in Christo filie Philippe regine Anglie illustri. Cum, sicut intelleximus, ut supra. Quocirca serenitatem tuam regiam attente rogamus quatinus super premissis, ut felicem et celerem sortiantur effectum, velit efficaciter tua sublimitas, quantum cum honestate fieri poterit, interponere partes suas. Datum ut supra.

Item in eodem modo *dilecto filio, nobili viro, Henrico comiti Derbeye; Richardo comiti Harundellie; venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Cantuariensi.*

1308 Avignon, 7 décembre 1344.

De caseis missis reginæ Franciæ gratias agit, dispensationem matrimonii inter primogenitum Edwardi regis Angliæ et natam ducis Brabanciæ, distulit : nam optat ut Blancha, filia reginæ, prædicto primogenito copuletur. (Reg. 138, n° DXXXVI, f° 145.)

Carissime in Christo filie Johanne, regine Francie et Navarre illustri. Celsitudinis tue, filia carissima, litteras nobis nuper exhibitas, tanto jocundiori mente recepimus, quanto grata earum series, per nos plenius intellecta, sinceritatem majoris devotionis et benivolentie filialis, quas ad nos gerit regalis magnificentia, et eo maxime plenius indicabat, quod de statu nostro, quem affectat audire prosperum, effici cum magno desiderio certior postulavit; super quibus, nec non de caseis copiose nobis a regia liberalitate transmissis, et per nos gratanter receptis, serenitati regie gratiarum actiones uberes referentes, eam volumus non latere, quod illo, qui potest et in quo inter varios labores anxios, quos nostris humeris sufferendos officium apostolice servitutis indicit, anchoram spei nostre figimus, faciente, corporali sospitate letamur et hoc idem de te, filia dilectissima, per relationem... exhibitoris litterarum predictarum gaudenter audivimus et audire continue in Domino delectamur. Demum te, amantissima filia, nolumus ignorare quod, licet multas infestationes habuerimus et etiam habeamus super dispensatione, ut inter primogenitum carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris, et... natam dilecti filii nobilis viri Johannis ducis Brabantie contrahi valeat matrimonium, concedenda, id tamen non negando, nec concedendo distulimus, et differre, quantum cum honestate fieri poterit, proponimus, ad dilectam in Christo filiam, puellam expectabilem, Blancham, natam tuam, quam gerimus in visceribus paterne caritatis, dirigentes super hiis intuitum mentis nostre. Datum Avinione, VII idus decembris, anno tercio.

1309 Avignon, 8 décembre 1344.

Infrascripto mandat ut bona defuncti Bernardi archiepiscopi Narbonensis petat et colligat. (Reg. 138, n° DLXVI, f° 157 v°.)

Dilecto filio Morerio de Moreriis, canonico Agennensi. Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, dispositionem bonorum mobilium bone memorie Bernardi, archiepiscopi Narbonensis, certis rationabilibus causis ad hoc ipsum noventibus, specialiter sibi reservans, tibi collectionem, exactionem, receptionem et conservationem bonorum ipsorum, per suas litteras certi tenoris commisit; ac postmodum ipse predecessor, pie volens agere in hac parte, tibi, sicut intelleximus, mandari verbo seu scriptura privata fecit per suam Cameram et injungi, quod tu debita clara et legalia, que debebat prefatus archiepiscopus, tempore quo decessit, et soluta postea non extiterant, de quibus tibi constaret, de bonis

predictis solvere, remunerationes quoque familiaribus et servitoribus ejusdem archiepiscopi, secundum meritum servicii cujuslibet congruas, qui tamen remunerati per eum non fuerant, impendere procurares nec non paramenta et ornamenta ecclesiatica, divino cultu dedicata, vel ad illum preparata, que ipse sue Narbonensi vel aliis ecclesiis legaverat, dimitteres vel assignares eisdem. Et licet tu, prout tua nobis relatio patefecit, ad aliqua, dum adhuc prefatus predecessor noster in humanis ageret, processeris de premissis, illa tamen complere, superveniente ipsius predecessoris, sicut Domino placuit, obitu, nequivisti. Nos autem volentes, quod pie circa premissa ceptum fuerat, rationabiliter adimpleri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus bona et debita ipsius archiepiscopi ad eum pertinentia temporis mortis sue, que per te collecta non extiterint vel recepta, juxta tenorem litterarum per eundem predecessorem tibi super hoc directarum, exigere, petere, colligere ac recipere fideliter et diligenter procurans, ad solutionem debitorum, que debebat prelibatus archiepiscopus tempore supradicto, et soluta postmodum non fuerunt, dummodo ipsa clara et legalia esse repereris, et alia supradicta, juxta modum et formam superius annotatos, que tamen restant complenda de illis, procedere rationabiliter non postponas, de illis, cum per te completa fuerint, redditurus nostram Cameram per scripturam publicam, quam inde fieri volumus, certiorem. Si vero circa premissa vel eorum aliqua tibi dubium emerserit quoquo modo, super dubiis hujusmodi eandem Cameram consulere studeas, ut ipsius deinde consultatione seu responsione recepta, melius, utilius et securius possis super dubiis procedere supradictis. Datum Avinione, VI idus decembris, anno tercio.

1310 Avignon, 10 décembre 1344.

Cum quondam Bernardus de Sistre rationes non reddidisset, Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi mandavit ut libros ac bona Jacobo Malabayla, mercatori Astensi, assignaret. Cum autem dictus nuncius 3839 florenos pro 527 libris, 17 solidis, 2 denariis sterlingis, florenis singulis pro duobus solidis novem denariis sterl. computatis tradidisset, eum quittat et absolvit de dicta summa. Cameræ Apostolicæ 987 floreni et 2 solidi etiam debentur. (Reg. 138, n° DXXXVII, f° 145 v°.)

Dilectis filiis Bernardo de Sistre, Mirapiscensi et Pontio de Puteo, Tricastrinensi, canonicis, executoribus testamenti seu ultime dispositionis quondam Bernardi de Sistre, archidiaconi Cantuariensis, in partibus Anglie Apostolice Sedis nuncii. Dudum ad noticiam nostram. — Datum Avinione, IIII idus decembris, anno tercio.

1311 Avignon, 11 décembre 1344.

Regem Aragonum rogat ut hæreticos, qui de partibus Tholosanis ad ejus regnum aufugerunt, et a Johanne de Molendino, O. F. P., inquisitore hæreticæ pravitatis designantur, capi jubeat. (Reg. 138, n° DXXXVIII, f° 146.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Habet memoria celebris et laudabilia progenitorum tuorum gesta testantur qualiter ipsi erga Deum et ecclesiam sanctam suam claritate devotionis et fidei, tanquam principes catholici prefulgentes, ad defendendam et dilatandam fidem catholicam, velut zelatores fervidi et pugiles ipsius strenui, spretis personarum periculis et expensarum profluviis non vitatis, dum in humanis agerent, insudarunt, ex quibus de te, fili carissime, fiduciam gerimus pleniorem, quod, salubria ipsorum in hac parte imitando vestigia, circa illa, que ipsius fidei tuitionem et favorem concernunt, sinceris et devotis studiis te impendes. Sane nuper dilectus filius Johannes de Molendino, ordinis fratrum Predicatorum, inquisitor heretice pravitatis in partibus Tholosanis auctoritate apostolica deputatus, nobis insinuare curavit quod nonnulli pessimi heretici eorumque fautores, credentes et sequaces de predictis partibus Tholosanis, ubi suos dampnatos errores et hereses disseminare non sine magnis ipsius fidei et fidelium periculis moliuntur, ut manus inquisitoris predicti effugere valeant, ad terras tue ditioni subjectas se sepe transferunt et latitant in eisdem. Cum autem expediat purgare terras eisdem hereticis ac fautoribus, credentibus et sequacibus eorundem, ne per ipsos mentes fidelium corrumpantur, excellentiam regiam requirimus, rogamus et in Domino attentius exhortamur quatenus mandare ac jubere districte officialibus et subditis suis procuret pro divina et apostolice sedis reverentia zeloque ipsius fidei regia celsitudo, ut hereticos, fautores, credentes et adherentes, qui fuerint in terris predictis reperti et nominati per litteras inquisitoris predicti, ad requisitionem gentium inquisitoris ejusdem celeriter, fideliter et prompte capiant vel capi per gentes ipsas permittant, eis super hiis et ea tangentibus assistendo

consiliis, auxiliis et favoribus oportunis ; te taliter super premissis, fili dilectissime, habiturus quod a Deo consequaris perennis mercedis premium et clara tue devotionis sinceritas digne commendationis laudibus attollatur. Datum Avinione, III idus decembris, anno tertio.

1312 Avignon, 11 décembre 1344.

Infrascriptis mandat ut inquisitorem hæreticæ pravitatis consiliis adjuvent. (Reg. 138, n° DXXXIX, f° 146 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prelatis, archidiaconis et aliis personis ecclesiasticis necnon nobilibus viris ducibus, comitibus, baronibus, officialibus et aliis dominis temporalibus quibuscumque, constitutis in regnis et terris carissimo in Christo filio nostro Petro, regi Aragonum illustri, subjectis. Nuper dilectus filius Johannes de Molendino, ordinis fratrum Predicatorum, inquisitor heretice pravitatis in partibus Tholosanis auctoritate apostolica deputatus, nobis insinuare curavit quod nonnulli pessimi heretici, eorum fautores, credentes et sequaces de predictis partibus Tholosanis, ubi suos dampnatos errores et hereses disseminare non sine magnis ipsius fidei et fidelium periculis moliuntur, ut manus inquisitoris predicti effugere valeant, ad terras carissimo in Christo filio nostro, Petro regi Aragonum illustri, subjectas se sepe transferunt et latitant in eisdem. Cum autem expediat partes et terras predictas purgare dictis hereticis, fautoribus, credentibus et adherentibus, ne splendor fidei obfuscetur per ipsos quomodolibet et mentes fidelium corrumpantur, universitatem vestram requirimus attentius et monemus, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes quatenus hereticos, fautores, credentes et adherentes predictos, qui reperti fuerint in vestris terris et districtibus et per ipsius inquisitoris litteras nominati, ad requisitionem gentium ipsius celeriter, fideliter, prompte capiatis seu capi faciatis aut permittatis per gentes easdem, ipsis assistendo nichilominus super hiis et ea tangentibus, consiliis, auxiliis et favoribus oportunis : sic vos super hiis, tanquam viri catholici et ejusdem zelatores fidei, habituri quod preter divine retributionis premium vestra possit et debeat devotio merito commendari. Datum Avinione, III idus decembris, anno tertio.

1313 Avignon, 11 décembre 1344.

Archiepiscopum Ravennatensem, qui ad Angliam pro negotiis proficiscitur, infrascripto commendat. (Reg. 138, n° DXLIV, f° 147 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Aymerico Rolandi, rectori Romandiole. Cum venerabilem fratrem. — Datum Avinione, III idus decembris, anno tercio.

1314 Avignon, 11 décembre 1344.

Cum Ludovicus de Ispania, consanguineus Petri regis Aragonum, princeps Fortuniæ deputetur, regem Aragonum rogat ut dictum principem adjuvet. (Reg. 138, n° DXXX, fol. 146 v°.)

Carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri. Vineam domini Sabahot, cujus nos divina miseratio cultores constituit et custodes, non solum custodire, ne malarum bestiarum demoliatur incursibus, sed etiam cultum ampliare ipsius, ut fructus uberiores extensis propaginibus afferat, cupientes, illos qui ad cultum ampliandum ipsius vinee, videlicet ecclesie sancte Dei, se operatores exhibent fervidos et devotos, libenter, quantum cum Deo possumus, favoribus et honoribus congruis prevenimus. Sane pridem dilectus filius, nobilis vir, Ludovicus de Ispania, princeps Fortunie, consanguineus tuus, nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus tam devote quam humiliter exponere procuravit quod ipse ad acquirendas Fortunie ac quasdam alias insulas in partibus Affrice consistentes et eidem adjacentes, ut ex illis eliminata paganici erroris spurcitia divini nominis ibidem laudetur gloria et catholice fidei vigeat pulcritudo, exercere vires sue potentie, assistente sibi divina gratia, si de nostro et apostolice sedis beneplacito procederet, intendebat. Nos igitur attendentes hujusmodi suum laudabile propositum et illud promovere in Domino affectantes, considerantesque quod ipse, qui de stirpe ac domibus processit regalibus, que circa cultum et dilatationem ejusdem fidei orthodoxe se devotis et fructuosis operibus consueverunt impendere, personarum spretis periculis et expensarum profluviis non vitatis et sperantes in eo, qui devotorum vota benigno favore prosequitur, per ipsius principis, progenitorum suorum inherentis vestigiis, in hac parte strenuum ministerium posse Christianitatis decorem et gloriam super hiis adaugeri, deliberatione cum

eisdem fratribus previa, provida et matura et de ipsorum consilio, eundem Ludovicum predictarum insularum principem cum concessione temporalis proprietatis et dominii earundem sibi pro se suisque heredibus et successoribus facta sub certis modis, formis et conditionibus constituimus et deputavimus eumque insigniis dignitatis Principatus duximus decorandum, sicut in aliis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem prefatus princeps, accedens in virtute altissimi ad cor altum, instanti oportuno tempore intendat, coadunata potentia, de tuis, fili carissime, auxilio et favore confidens, specialiter agredi negotium supradictum, regiam rogamus magnificentiam et in Domino attentius exhortamur quatenus eundem principem et negotium hujusmodi habere velit excellentia regia, pro divina et apostolice sedis reverentia ejusdemque zelo fidei, commendata et super hiis, quantum commode poterit, auxilium et favorem regium impertiri, nobis per nuncios, exhibitores presentium, quos ad tuam propterea destinamus presentiam, voluntatem in hac parte regiam rescripturus. Datum Avinione, III idus decembris, anno tertio.

1315 Avignon, 11 décembre 1344.

Reges Aragonum, Castellæ atque Portugaliæ rogat ut Ludovicum de Ispania navigia, gentes et victualia ex regnis extrahere permittant. (Reg. 138, n° DXLI-DXLIII, fol. 147.)

Eidem regi. Desiderabiliter affectantes assumptum per dilectum filium, nobilem virum, Ludovicum de Ispania, principem Fortunie, consaguineum tuum, super acquirendis et sub cultu fidei catholice subjugandis insulis Fortunie ac aliis adjacentibus, per nos sibi sub certis modis, formis et conditionibus in litteris nostris inde confectis expressis plenius, ad laudem divini nominis et ejusdem exaltationem fidei negotium prosperari, tam ipsum principem quam negotium hujusmodi celsitudini regie per alias litteras affectuosius commendamus, eam rogantes attente ut eidem, proponenti hoc instanti oportuno tempore in virtute altissimi aggredi negotium supradictum, velit oportunis auxiliis assistere regia celsitudo. Verum quia eidem principi circa premissa favor regius existere multipliciter noscitur oportunus, magnificentiam regiam attente rogamus quatenus, si forsan pro eodem instanti tempore non esses paratus impendere hujusmodi auxilium, sicut velles, saltem concedas licentiam opportunam, quod dictus princeps possit de regnis et terris tuis navigia, gentes armorum, victualia et alia pro predictis necessaria habere ac extrahere libere, suis tamen stipendiis et justis pretiis, pro negotio supradicto : sic te, fili carissime, super hiis habiturus quod a Deo consequaris meritum tuique fama honoris et nominis digne laudis preconiis attollatur, nobis per nuncios, etc., ut supra. Datum Avinione, III idus decembris, anno tertio. Item in eodem modo alie due *Alfonso regi Castelle* ; — *Alfonso regi Portugalie.*

1316 Alcala de Henares, 12 mars 1345.

Rex Castellæ papæ respondet. (Reg. 138, n° 54 *bis*, f° 147.)

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac domino Clementi, divina Dei providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo Pontifici, ejus devotus filius Alfonsus, Dei gratia, Castelle, Legionis, Tolleti, Gallecie, Sibillie, Cordube, Murcie, Gienii, Algarbii et Algezire rex ac comitatus Molin dominus, cum filiali recommendatione, devota pedum oscula beatorum. Sanctitatis vestre litteras recepimus, pater sancte, continentes quod carissimum consanguineum nostrum Ludovicum de Ispania dignitatis principatus insigniis, vestri clementia, decorantes, sibi pro se suisque heredibus et successoribus Fortunie ac quasdam alias insulas in partibus Affrice consistentes et eidem adjacentes duxeratis concedendas, ac cum idem princeps instanti oportuno tempore aggredi intendat negotium supradictum, nos requirebatis quod eundem principem et negotium hujusmodi haberemus, pro divina et apostolice sedis reverentia ac zelo fidei, commendata et super hiis, quantum comode posset, impertiri auxilium et favorem. Et, pater sanctissime, quanquam nulli dubium existat quod progenitores nostri, clare memorie, terram istam de manibus perfidorum ac potentia regum Africe, Deo propitio, acquirentes, eandem ab eorundem perfidiorum ferocitate et sevis impugnationibus defensarunt, varia personarum pericula et expensarum profluvia in guerris, quibus propterea contra predictos blasphemos institerunt, continue subeundo, ac quod acquisitio regni Africe ad nos nostrumque jus regium nullumque alium dinoscitur pertinere, nichilominus ob vestram et apostolice sedis reverentiam ac vincalum sanguinis, quo dictus princeps nobis adjungitur, grata nobis advenit dictarum insularum concessio sibi facta et ex eo specialiter sanctitati vestre

gratiarum referimus actiones, prompti in hiis et aliis, que vestri et apostolice sedis beatitudo injunxerit, obedire devote. Sanctitatem vestram conservare dignetur altissimus per tempora longiora. Datum Alcale de Henares, XIII die martii, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

1317 Montemór-o-Novo, 12 février 1345.

Responsio regis Portugaliæ. (Reg. 138, nº DXLV *ter*, fol. 148.)

Sanctissimo patri ac domino, domino Clementi, divina providentia sacrosancte ac universalis ecclesie summo pontifici, humilis et devotus filius vester Alfonsus, rex Portugalie et Algarbii, cum reverentia debita et devota pedum oscula beatorum. Ille, qui summo angulari lapide suam sanctam fundavit ecclesiam, sic eam voluit per successores suos in posterum gubernari quod recta per omnia impendere numero ac mensura assidue salubrioribus proficeret incrementis, ut, augmento fidelium cotidie dilatata, enervata paganorum perfidia, per totum vigeat fides Christi. Et vos quidem, dignissimus successor dominicus, cui omnimoda cura est Christicole gregis et solicitudo commissa, non solum eam custodire a luporum morsibus, verum etiam ampliare curatis; quod in litteris a vestra sanctitate directis suscepimus, dum ad extirpandos infidelitatis palmites infelices, qui totam terram insularum Fortune inutiliter occupant et plantandum vineam Dei dilectam, dominum Ludovicum consanguineum nostrum, principem elegistis. Ad quas quidem litteras rescribentes, prout nobis visum extitit, per ordinem cum reverentia respondemus quod predictarum insularum fuerunt prius nostri regnicole inventores. Nos vero attendentes quod predicte insule nobis plus quam alicui principi propinquiores existant, quodque per nos possent commodius subjugari, ad hoc oculos direximus nostre mentis et, cogitatum nostrum jam ad effectum perducere cupientes, gentes nostras et naves aliqua illuc misimus ad illius patrie conditionem explorandum; que ad dictas insulas accedentes tam homines quam animalia et res alias per violentiam occuparunt et ad nostra regna cum ingenti gaudio asportarunt. Verum cum, ad pretatas insulas expugnandas, armatam nostram mittere curaremus cum militum et peditum multitudine copiosa, guerra, primo inter nos et... regem Castelle, deinde inter nos et reges Saracenos, suborta nostrum propositum impedivit, que omnia tanquam notoria sanctitatem vestram latere minime dubitamus, que insuper ambaxiatores nostri, quos nuper vestre destinavimus sanctitati, attendentes, sicut ex litterali relatione predicti domini Ludovici percepimus, de provisione et assignatione dictarum insularum facta per vos eidem domino Ludovico existimaverunt nos fore et non immerito agravatos et hoc vestris auribus intimarunt, considerantes quod tam propter vicinitatem, que nobis est cum insulis sepedictis, quam propter commoditatem et opportunitatem, quam habemus pre ceteris, ipsas insulas expugnandi ac etiam propter negotium, quod jam per nos et gentes nostras feliciter fuerat inchoatum, ad ipsum laudabiliter finiendum, debuissemus per sanctitatem vestram, priusquam aliquis, invitari vel saltim id rationabiliter debuisset nobis vestra sanctitas intimare. Nos vero, non obstantibus supradictis, predecessorum nostrorum sequi vestigia cupientes, qui semper curaverunt mandatis apostolicis obedire, vestre voluntati et dispositioni predictis, ob reverentiam vestram et apostolice sanctitatis, voluntatem nostram omnimodo conformamus et maxime quia nobilem et providum virum dominum Ludovicum, consanguineum nostrum, ipsarum insularum principem elegistis, qui divina sibi gratia existente ac clementia vestra et sedis apostolice eidem adjutrices manus pro tanto et tam pio negotio porrigente, circa cultum vinee domini Sabahot, videlicet ecclesie sancte Dei, taliter se exhibebit operarium et cultorem, quod per ejus ministerium Christianitatis decor et gloria augmentari valeat in futurum. Super eo autem, de quo pietas vestra nos rogat et attentius in Domino exhortatur, videlicet quod pro divina et apostolice sedis reverentia ejusdemque zelo fidei ipsum principem et negotium supradictum recommendata habere velimus et ipsis, quantum commode possemus, impertiremur auxilium et favorem, saltim quod dictus princeps possit de regnis et terris nostris navigia, gentes armorum, victualia et alia pro predictis necessaria habere ac extrahere libere, suis tamen stipendiis et justis pretiis, pro negotio supradicto, vestram benignam clementiam certam reddere affectamus quod tam principem quam negotium recommendatum habebimus intuitu premissorum et eisdem, si commode possemus, impertiremur auxilium et favorem. Sed, o! quis quis potest concedere quod non habet? Quis enim agnis suis scitientibus aquam, in suis prediis ortam, ad aliorum usum vicinorum fluere permittat? Nonne caritas ordinata a se incipere debet? Nonne etiam, pater alme, necessitates nostras, quas habemus pro defensione et dilatatione fidei

orthodoxe, vestre beatitudini nuper per nostros ambaxiatores exposuimus, propter quas supplicavimus apostolice sanctitati quatenus dignaretur auxilium impertiri nobis pro ipsis necessitatibus sublevandis, decimas ecclesiarum regnorum nostrorum pie et paternaliter concedendo ? Quis enim causetur regem petere si non egeatur ? Habeat igitur nos in hoc vestra sanctitas excusatos, cum impotentia nos excuset. Gentes autem armorum et navigia nostra, et si multo ampliora existerent, pro guerra, quam habemus et habere intendimus cum perfidis potentibus et nobis proximis Agarenis, tanquam nobis et regnis nostris perquam necessaria, nullatenus possumus excusare et ipsa ad aliorum auxilium deputare. Porro circa victualia et alia necessaria de regnis et terris nostris pro predicto negotio, ut premittitur, libere extrahenda, in quantum comode poterimus absque incomodo regnorum et regnicolarum nostrorum, ob reverentiam Dei, sanctitatis vestre et sedis apostolice atque propter zelum fidei et etiam consideratione principis, nostri consanguinei supradicti, eidem principi, quantum comode poterimus, intendimus impertiri omne auxilium et favorem. Sanctitatem vestram conservet Altissimus per tempora longiora. Datum in Castro Montis majoris novi, XII die mensis februarii.

1318 Avignon, 11 décembre 1344.

Duci Austriæ, qui de Ludovico de Bavaria responderat, gratias agit et ejus fidelitatem erga Sanctam Sedem laudat. (Reg. 138, nº DXLV, fº 147 vº.)

Carissimo in Christo filio Alberto, duci Austrie. Presentatis nobis pridem. — Datum Avinione, III idus decembris, anno tercio.

1319 Avignon, 11 décembre 1344.

Johannem de Sarwerden, archidiaconum de Marsalo, Metensem et Gotschalcum de Sygena, canonicum Sancti Guidonis Spirensis, nuncios achiepiscopi Treverensis, recepit et miratur quod archiepiscopus dignitatem dimittere velit. (Reg. 138, nº DXLVI, fº 150.)

Venerabili fratri Balduyno, archiepiscopo Treverensi. Fraternitatis tue litteras. — Datum Avinione, III idus decembris, anno tercio.

1320 Avignon, 11 décembre 1344.

Olim Robertus, rex Sicilie, Guillelmum Fornerii, militem, consideratione Benedicti papæ XII, de cujus genere existebat, militari decoravit cingulo et ut vivere posset honorofice, ducentas uncias auri singulis annis percipiendas, ac deinde defuncto Arnaldo domino castri de Triniano, Barensis diocesis, castrum prædictum pro unciis octuaginta ei tradidit. Rogat legatum ut præfatus miles, qui mortuo rege de castro spoliatus erat, non fraudetur. (Reg. 138, nº DXLVII-DXLVIII, fº 150 vº.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus, presbitero cardinali, apostolice sedis legato. Relatus assertione percepimus. — Datum Avinione, III idus decembris, anno tercio. — In eodem modo *Johanne regine Sicilie.*

1321 Avignon, 11 décembre 1344.

Eum rogat ut castrum Amelie Symoni Boccanegra gubernatori Januensi, restituat, qui castrum electo Lunensi tradet. (Reg. 138, nº DLXXXI, fº 160 vº.)

Dilecto filio, nobili viro, Galeoto de Auria, civi Januensi. Recolimus tibi dudum. — Datum Avinione, III idus decembris, anno tercio.

1322 Avignon, 12 décembre 1344.

Comiti Derbeyæ scribit se in illis, quæ dixit vel scripsit quo ad pacem inter reges Franciæ et Angliæ attinet, persistere. (Reg. 138, nº DXLIX, fº 151.)

Dilecto filio, nobili viro, Henrico comiti Derbeye. Venientes nuper ad presentiam nostram dilectos filios, magistrum Johannem de Thoresby, canonicum Lincolniensem, clericum, et nobilem virum, Radulphum Pigornel, militem, nuncios carissimi in Christo filii nostri Eddwardi, regis Anglie illustris, ber igne recepimus, et que sub credentia, eis per litteras ejusdem regis nobis per ipsos presentatas commissa, explicare curaverunt, audivimus et intelleximus diligenter. Sane quia de hiis, que super negocio reformationis pacis inter eundem regem et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, tu, fili, dudum apud sedem apostolicam fuisti collocutus nobiscum familiariter et secrete, ac deinde nobis per dilectum filium Johannem de Rippis, ordinis beate Marie de Montecarmelo, capellanum nostrum, per

littteras tuas, eidem data credentia, explicari fecisti plenius, et nos tibi rescripsimus super hoc, nobis supradicti nuncii sub concessa eis per predictum regem Anglie credentia fecerunt plenariam mentionem. Nos eis respondimus, prefatoque regi rescribimus, et tuam volumus nobilitatem pro certo tenere, quod in illis, que tibi diximus et etiam scripsimus, ut prefertur, persistimus, et persistere intendimus firmiter et constanter, sicut etiam ipsi nuncii eidem nobilitati tue referre poterunt viva voce, nobilitatem rogantes eandem quatenus, ut rex ipse ad viam pacis ejusdem se abilitet et inclinet seque nobis super intentione sua in hac parte aperiat, sicut alias scripsimus confidenter, quas cepisti solicitudines, non parum tibi meritorias, continuare, et usque ad finem votivum prosequi, ut illam coronam merearis exinde, que usque ad finem perseverantibus promittitur, non postponas, nobis qui labores et expensas, si ad fructus pacis predicte posse attingere viderimus, vitare non intendimus, que tibi occurrerint, et expedire super predictis cognoveris, fiducialiter rescripturus, et nichilominus super revocandis illis novitatibus, Deum et ecclesiam sanctam suam graviter offendentibus, ac saluti et honori regiis multum contrariis, impensurus efficaciter partes tuas. Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1323 Avignon, 12 décembre 1344.

Archiepiscopo Cantuariensi similiter scribit. (Reg. 138, n° DL. f° 151 v°.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi. Venientes nuper etc. usque illustrem ; dilectus filius, nobilis vir, Henricus, comes Derbeye, fuit dudum nobis apud sedem apostolicam collocutus familiariter et secrete, et deinde per dilectum filium Johannem de Ripis, ordinis Beate Marie de Montecarmelo, capellanum nostrum, sub credentia sibi per eum concessa fecit plenius explicari ; nosque tibi, frater, et ipsi comiti per nostras duximus litteras rescribendum, plenam nobis fecerunt ex parte regia mencionem, nos eisdem nunciis respondimus et prefato regi rescribimus, tuamque fraternitatem volumus pro certo tenere quod in illis, que dicto comiti verbotemus expressimus ac tibi et sibi rescripsimus, ut prefertur, persistimus etc. ut supra, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

1324 Avignon, 12 décembre 1344.

Edwardum primogenitum, principem Walliæ, hortatur ut pro pace laborare velit. (Reg. 138, n° DLI-DLIII, f° 151 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Edwardo, primogenito carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris, principi Wallie. Venientes nuper ad presentiam nostram dilecti filii magister Johannes de Thoresby, canonicus Lincolniensis, clericus, et nobilis vir, Radulphus Spigornel, miles, nuncii carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris, genitoris tui, certa nobis pro parte regia sub commissa sibi credentia explicarunt, et nos favorabiliter et benigne respondimus super eis, sicut ipsi nuncii eidem nobilitati tue referre seriosius poterunt viva voce. Rogamus igitur nobilitatem eandem, et attentius in Domino exhortamur quatenus, premissis diligentius intellectis, circa ea, suffragante gratie divine auxilio, ad effectum votivum et salubrem deducenda, velis efficaciter interponere solicitudinis partes tuas. Datum ut supra. — Item in eodem modo, dilecto filio, nobili viro, *Willelmo comiti de Noranthone* ; — *Bartholomeo Bourghers, militi.*

1325 Avignon, 12 décembre 1344.

Regem Angliæ rogat ut archiepiscopum Ravennatensem et episcopum Astoricensem, suos nuntios, benigne recipiat et eum orat ut a novitatibus contra Ecclesiam abstineat. (Reg. 138, n° DLIII, f° 151 v°.)

Carissimo in Christo filio Edwardo, regi Anglie illustri. Ex paterne caritatis et singularis dilectionis affectu, quo te, fili carissime, prosequimur, desideriis affectamus intensis te sic erga Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem tuam, existere filiali reverentia et devotione sincerum, quod nos et ecclesiam ipsam, repulsa cujusvis obnubilatione rancoris, in te, tanquam benedictionis et gratie filio, quiescentes, propicios in tuis oportunitatibus possis et debeas continue reperire, propter quod, ut hujusmodi nostris satisfieret desideriis in hac parte, licet fuerimus ab aliquibus sepius stimulati procedere super illis novitatibus, Deum et ecclesiam ipsam graviter offendentibus, saluti anime tue non parum obviis, et splendorem obfuscantibus fame tue, omisimus, sperantes et de tue devotionis prudentia confidentes, quod novitates ipsas adeo prudenter revocares et prompte, quod ulterioris scandali et peri-

culi materia penitus tolleretur. Cum autem nos attendentes, quod vox viva imprimere cordibus artius quam mortua consuevit, venerabiles fratres nostros Nicolaum, archiepiscopum Ravennatensem, et Petrum, episcopum Astoricensem, apostolice sedis nuncios, viros utique litterarum scientia et fidelitatis constantia preditos, circumpectionis et probitatis maturitate conspicuos, et in variis arduis expertos negociis, ad tue celsitudinis presentiam propterea duximus specialiter destinandos. Quocirca magnificientiam regiam rogamus et attentius in Domino exhortamur, quatenus ipsos benigne recipias, favorabiliter et plene audias, et expositis per ipsos, ac hiis, que superius premisimus, intra precordia regia, meditatione provida, revolutis, novitates illas nocivas et periculosas nimium, de medio partium illarum, in quibus tam in principibus quam subditis prefulgere ad Deum et ipsam ecclesiam devotionis claritas consuevit, tollere penitus regalis sublimitas non ommittat, ita quod clarus persistas apud Deum, et eandem ecclesiam ac nos et ipsam super tuis oportunitatibus semper reperire merearis promptos et propicios non indigne. Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1326 Avignon, 12 décembre 1344.

Regem Angliæ orat ut pacem cum rege Franciæ faciat. (Reg. 138, nº DLV, fº 152.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie. Nuper dilecti filii magister Johannes de Thoresby, canonicus Lincolniensis, et nobilis vir, Radulphus Spigornel, miles, nuncii regii, ad nostram presentiam venientes, nobis tue celsitudinis litteras de credentia presentarunt, quos quidem nuncios et litteras placibiliter et benigne recepimus, et que ipsi sub credentia per litteras predictas eis commissa prudenter et provide nobis pro parte regia curaverunt exponere, audivimus et pleno collegimus intellectu. Sane cum ea, que dudum dilectus filius, nobilis vir, Henricus comes Derbeye, super negocio tractatus pacis inter te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, invicem actore Domino reformande, apud sedem apostolicam nobiscum collocutus extitit familiariter et secrete, queve ipse postmodum per dilectum filium Johannem de Rippis, ordinis beate Marie de Montecarmelo, capellanum nostrum, ejusdemque comitis nuncium, sub suis litteris credentie fecit nobis plenius explicari, prefati nuncii duxerunt pro parte regia recensenda, instando nichilominus apud nos, ut ad locum, de quo prefatus comes nobis scripserat, apropinquare vellemus, nos eisdem nunciis respondimus et tibi, fili dilectissime, respondemus, quod in hiis que, ut premittitur, cum eodem comite collocuti fuimus, et subsequenter per prefatum capellanum eidem rescripsimus, constanter et invariabiliter persistimus et persistere intendimus, cum reformatio dicte pacis, Deo grata, utrique parti accomoda, et toti Christianitati multum necessaria, necnon passagii transmarini promotio nostris temporibus faciendi, circa cujus prosecutionem te, inter ceteros catholicos principes orbis terre, valde convenientem reputamus et ydoneum, insideant inter cetera mundi negocia ferventius et ardentius cordi nostro; sed ad locum predictum apropinquatio, sicut alias dicto comiti scripsimus, et nunc etiam cum dilecto filio Johanne de Orforde, decano ecclesie predicte Lincolniensis, qui alias in deliberatione hujusmodi fuerat, et ipsis nunciis contulimus, honori nostro et negociorum predictorum comodo expediens, quousque nos super via pacis predicte de intentione utriusque partis magis specifice presciverimus, non videtur, sicut nec tunc etiam videbatur. Quamobrem supradicto comiti scripsimus quod expediens admodum censebatur, ut regalis tua circumspectio se super intentione hujusmodi eidem comiti aperiret, ipseque comes viam, quam super hoc invenerit, per se, si posset utiliter fieri, vel per fidelem nuncium aut secretas litteras nobis specifice intimaret, quia nos illa, que nobis in hac parte referret vel scriberet, sub secreto tanquam confessionis sigillo clausa, reciperemus et teneremus fideliter, nichilominus laborando, quod rex predictus Francie se ad ea, que decentia et tolerabilia circa hec existerent, inclinaret tuncque, si, partium ipsarum super premissis intentione prescita, materiam videremus dispositam ad viam pacis hujusmodi reformandam, sic quod non esset frustratorius vel illusorius labor noster, ad locum ipsum apropinquare libenter et letanter parati essemus, et aliis pretermissis negociis, non parcendo expensis et laboribus, cum omni studio et diligentia super predictis interponere solicitudinis nostre partes, adhuc in eodem proposito sicut eisdem nunciis diximus, persistentes. Quocirca magnificentiam regiam deprecamur attentius, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus quot et quanta inenarrabilia bona spiritualia et temporalia ex hujusmodi pacis concordia provenire poterunt, intra pectoris regii

claustra revolvens, ut ad eam possit, Domino donante, pertingi, et feliciter negocium passagii promoveri predicti, te aperire velis super intentione predicta, plene de nobis confidens, quod ea, que per te circa hec nobis aperta fuerint, clausa tenebimus, ut prefertur, et procurabimus nichilominus, quantum poterimus, fideliter et solerter, quod dictus rex Francie se similiter nobis aperiat in hac parte, ut negocia hujusmodi ad votivum et prosperum exitum deducantur. Tunc vero, si materiam videremus dispositam, ut prefertur, ad apropincationem predictam et alia, que per nos fieri poterunt in premissis, nos libenter procul dubio, ut premisimus, disponemus. Porro prefati nuncii hec et alia, que sibi respondimus, referre sublimitati regie seriosius poterunt viva voce. Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1327 Avignon, 12 décembre 1344.

Regi Angliæ nuntiat a se dispensationem matrimonii inter principem Walliæ et filiam ducis Brabantiæ non concessam fuisse quia optat ut post pacem factam matrimonia inter principes regnorum Angliæ et Franciæ contrahantur. (Reg. 138, n° DLVI, f° 153.)

Eidem regi. Quia ferventibus desideriis ad pacis reformationem inter te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem mutue aspiramus, et attendimus quod per matrimoniales cōpulas ad tractatus pacis inter magnates et principes deveniri consuevit facilius, et inite concordie solite sunt firmius solidari, petitam a nobis per te, fili dilectissime, dispensationem super matrimonio inter dilectum filium nobilem virum, Edwardum primogenitum tuum, principem Wallie, ac dilectam in Christo filiam, puellam nobilem, Johannam, natam dilecti filii, nobilis viri, Johannis ducis Brabancie contrahendo, ad presens non duximus concedendam, sperantes in Domino quod per viam matrimonii vel matrimoniorum inter tuos et ejusdem regis vel dilecti filii, nobilis viri, Johannis, ejus primogeniti, ducis Normannie, natos, posse ad tractatum pacis hujusmodi, suffragante illius misericordia, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, facilius et honorabilius, sicut alias visum est, perveniri; super quibus tui nuncii, ad nostram presentiam novissime destinati, nostram intentionem plenius poterunt verbo tenus explicare. Datum ut supra.

1328 Avignon, 12 décembre 1344.

Principi Walliæ similiter scribit. (Reg. 138, n° DLVII, f° 153.)

Eidem principi Wallie. Super quadam dispensatione per carissimum in Christo filium nostrum Edwardum, regem Anglie illustrem, genitorem tuum, a nobis cum instantia postulata, sibi certis ex causis rationabilibus, quas dilecti filii magister Johannes de Thoresby, canonicus Lincolniensis et nobilis vir Radulphus Spigornel, miles, ejusdem regis genitoris tui nuncii, tibi referre poterunt, ad presens non duximus annuendum. Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1329 Avignon, 12 décembre 1344.

Ei mandat ut de pecuniis cameræ 2000 florenorum episcopo Vercellensi tradat. (Reg. 138, n° DLXVIII, f° 158.)

Dilecto filio Poncio de Pereto, archidiacono Vindocinensi in ecclesia Carnotensi. Volentes quod de. — Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1330 Avignon, 12 décembre 1344.

Eos rogat ut castrum Serzane electo Lunensi restituant. (Reg. 138, n° DLXXI, f° 159 v°.)

Dilectis filiis communi Pisano. Dudum proviso per. — Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

1331 Avignon, 12 décembre 1344.

Eum rogat ut castrum Bolani electo Lunensi restituat. (Reg. 138, n°s DLXXII-DLXX, f° 159 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Morroello, marchioni de Malaspina. Cum, sicut intelleximus. — Datum Avinione, II idus decembris, anno tercio.

Spineto, marchioni de Malaspina (castra de Rangani et de Collechi) ; — *Franceschino marchioni de Malaspina* (castra de Falcinelli, Ponzanelli ac Bibole) ; — *Mainfredo, marchioni de Malaspina* (castra de Sancti Stephani et Caprilgliole ac Albiani et Stadani) ; — *Balduino quondam Jacobi de Vezano* (castrum Ponzani) ; — *Luchino de Vicecomitibus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi*

nostro et Ecclesie Romane vicario ; — *Johanni archiepiscopo Mediolanensi* ; — *Nicolao de Flisco* ; — *Symoni Boccanegra, gubernatori Januensi* (castrum Amelie).

1332 Avignon, 13 décembre 1344.

Nuntiis regis Angliæ salvi conductus litteræ conceduntur. (Reg. 138, n° MLXXXVII, f° 291.)

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac carissimis in Christo nostris regibus, nec non dilectis filiis electis, abbatibus etc. ut supra, ut et preceptoribus et nichilominus nobilibus viris, ducibus, principibus etc. ut supra, usque pervenerint. Nuper carissimus in Christo filius noster Edwardus rex Anglie etc. ut supra, usque venerabilem nostrum Willelmum, episcopum Norwicensem et dilectos filios, nobiles viros, Henricum, comitem Derbeye et Bartholomeum de Borchwachs, baronem, Johannem de Offorde, decanum Lincolniensis et Andream de Offorde canonicum Londoniensis, ecclesiarum ac Hugonem de Newille et Nicolinum de Flisco, milites, et quosdam alios etc. usque : obligationum et summissionem jurisdictioni camere nostre seu alterius cujuscunque curiarum necnon contractuum, delictorum etc. ut supra usque : Datum. Avinione, idibus decembris, anno tercio.

1333

Reginam Siciliæ rogat ne Andream regem, virum suum, a regimine excludat et ut consiliarios præcipue Philippum de Sanguineto, comitem Altifluminis, bene eligere velit. (Reg. 138, n° DLXXXII, f° 161.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Quia te, filia in Christo carissima, regnumque tuum interne caritatis et dilectionis specialis favore prosequimur, intensis optamus desideriis te ac regnum ipsum votivis et felicibus successibus prosperari, propter quod illa, que tuis honoribus et commodis ac prospero ejusdem regni regimini credimus expedire, tanto tibi libentius scribimus et paterna diligentia suademus, quanto tue celsitudinis prudenciam ea suscipere devotius credimus et efficatius perducere in effectum. Cum itaque carissimi in Christo filii nostri Andree, regis Sicilie illustris, viri tui, honor et status honorabilis in te procul dubio refulgeant, et in tui honoris augmentum cedere dinoscuntur, excellentiam tuam rogamus et hortamur regiam, paterno sanoque tibi consilio suadentes, quatinus eundem regem, virum tuum, semper habeas in reverentia et honore, ipsum a regimine aliisque actibus, que sui ac tui status decent excellentiam, dummodo in tuum ac heredum et successorum tuorum nequeat futuris temporibus redundare prejudicium, nullatenus excludendo. Non enim convenit quod vir, qui caput est uxoris, ab illis, que utriusque honorem et commodum promovent, repellatur, sic te prudenter et provide super hiis et eorum circumstantiis habitura, quod, tuo et suo honore in hac parte servato illeso, amoris et caritatis vinculum, et etiam ydemptitas voluntatum, sicut decet et expedit, inter vos invicem absque violatione qualibet persistant firmiter, et remaneant inconcussa, summopere precavendo ne lingua [1] tercia, que confederatos consuevit disjungere, quomodolibet inferat hujusmodi amoris et unitatis federi nocumentum. Placibilibus quidem relatibus frequenter audivimus et audimus, quod idem rex, vir tuus, qui, sicut nosti, ab illustribus parentibus, et prosapia regali descendit, juvenis existit bone indolis, ingenii virtuosi ac elegantis circumspectionis et industrie, prout etas ipsius patitur, inherendo progenitorum suorum vestigiis, morum venustate refulgens, ex quibus manifeste ostenditur, quod, divina sibi assistente gratia, virum strenuum producere debeat et multipliciter virtuosum. Rursus quamvis super assumendis et assumptis retinendis consiliariis, pro regni et terrarum tuorum gubernatione utili, certa in litteris nostris super dimissione administrationis eorundem regni et terrarum, per nos tibi, pro tempore quo ad nos spectabat, ulterius de gratia speciali concessa, confectis, contineantur expresse, nostre tamen intentionis existit quod, illis non obstantibus, ad divisiones seu emulationes, que oriri possent, forsitan propter receptionem consiliariorum hujusmodi utiliter evitandas, et suscitatas nichilominus sopiendas, ut regantur subditi sub cultu fidelitatis et pacis, de partibus regni et terrarum predictorum consiliarios fideles et ydoneos, qui Deum timeant, justiciam diligant, maliciam et avariciam odiant, et lucra propria in tuum vel aliorum dispendium non venentur, assumas, si, prout et quando extiterit oportunum, et cum dilecti filii, nobilis viri, Philippi de Sanguineto, comitis Altifluminis, circumspectionem et prudentiam, dum nos haberet status inferior, et etiam postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, noverimus, pro-

(1) Le texte porte *linga*.

babiliter estimamus, quod inter ceteros consiliarios tuos de illo potest tua sublimitas gerere fiduciam specialem. Demum serenitatem tuam volumus non latere, quod si circa premissa et alia, salubre ac laudabile regimen regni et terrarum predictorum tangentia, te prudenter, utiliter et mature, ut in Domino speramus, et ferventer optamus, gessisse ac gerere audiverimus, leti efficiemur exinde quamplurimum, tibique gratiis et favoribus oportunis, quantum cum Deo fieri poterit, assistemus. Alias autem, si contrarium perciperemus, quod absit, providere super hoc, sicut ad nos pertinere dinoscitur, de aliis oportunis remediis curaremus. Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno tercio.

1334 Avignon, 15 décembre 1344.

Reginam Siciliæ rogat ut Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus, presbitero cardinali, 7000 florenorum solvat. (Reg. 138, nº DLXXXIII, fº 161 vº.)

Eidem regine. Super expensis dilecto filio nostro Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato, pro tempore quo ipse administrationis et gubernationis regni et terrarum tuorum, nostro et Ecclesie Romane nomine, ac legationis per nos sibi commisse in partibus illis gessit officia, ministrandis, nuper tuis, filia carissima, et ipsius legati gentibus coram nobis presentibus et consentientibus, extitit ordinatum quod idem legatus a te septem milia et a clero regni et terrarum predictorum octo milia florenorum auri pro dictis expensis percipere debeat et habere. Ideoque celsitudinem tuam regiam exhortamur quatinus de parte hujusmodi expensarum te, ut premittitur, contingente, sibi satisfieri libere facias et super aliis exhibere favorem et auxilium, prout oportunum fuerit, non omittas. Datum ut supra.

1335 Avignon, 15 décembre 1344.

Legato de expensis legationis scribit. (Reg. 138, nº DLXXXV, fº 162.)

Eidem legato. Cum super expensis tuis, pro tempore quo regni et terrarum Sicilie citra Farum gubernationem et administrationem nomine nostro et Ecclesie Romane gessisti, et legationis per nos tibi commisse officium in partibus illis exercuisti, tibi rationabiliter ministrandis, nuper coram nobis presentibus dilectis filiis nostro Ademaro, tituli Sancte Anastasie presbitero cardinali, et nobili viro, Hugone de Baucio, comite Avellini, senescallo Provincie, fuerit ordinatum quod a carissima in Christo filia nostra Johanna regina Sicilie illustri septem milia et a clero regni et terrarum predictorum octo milia florenorum auri pro dictis expensis percipere debeas et habere, nos eidem regine, quod tibi de dictis septem milibus florenis satisfieri faciat, scribimus et super aliis octo milibus exhigendis et percipiendis ab eisdem clero tibi oportunas litteras destinamus. Ceterum dicte regine super hiis et qualiter se caritative, honorabiliter et benigne cum rege, viro suo, gerere debeat et super aliis quibusdam sibi, ut credimus, pro gubernatione regni et terrarum suorum utili, non modicum oportunis, per litteras nostras scribimus juxta formam, quam cedula continet interclusa. Quare super presentatione litterarum ipsarum et contentis in eis, tua prudentia, quod expedire cognoverit, exsequatur. Datum ut supra.

1336 Avignon, 15 décembre 1344.

Prælatos regni Siciliæ rogat ut Aymerico legato 8.000 florenorum solvant. (Reg. 138, nº DLXXXVI, fº 162.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis... et preceptoribus in regno Sicilie et terris citra Farum constitutis. Cum dudum dilecto. — Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno tercio.

1337 Avignon, 15 décembre 1344.

Johannam reginam Siciliæ absolvit quæ 40.000 florenorum auri pro censu per Matheum de Gravina, comitatuum Provinciæ et Forcalquerii thesaurarium, Cameræ Apostolicæ solverat. (Reg. 138, nº DLXXXVII, fº 162 vº.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Pro parte tua, filia carissima, propositum extitit coram nobis quod tu pro regno Sicilie et terris citra Farum, que a nobis et ecclesia romana sub certis censu annuo, homagio ligio et fidelitatis juramento, aliisque serviciis, pactis, modis, conventionibus et conditionibus contentis plenius et expressis in litteris apostolicis super concessione regni et terrarum predictorum confectis, tenes in

feudum, censum octomilium unciarum auri, solvendum in festivitate beatorum Apostolorum Petri et Pauli mensis junii, nobis et eidem ecclesie Romane annis singulis es astricta .Cum autem, te hujusmodi censum in termino festivitatis eorundem apostolorum proxime preterite debitum solvere nobis et eidem ecclesie commode, sicut tua nobis exhibita continebat petitio, non valente, nos tibi solutionis terminum hujusmodi usque ad certum tempus duximus de speciali gratia prorogandum, non intendentes propter hoc super contentis in eisdem litteris aliquid immutare, vel eis in aliquo derogare, ac subsequenter infra tempus per nos tibi, ut premittitur, prorogatum, dictum censum octomilium unciarum auri in quadraginta milibus florenorum auri, quinque florenis pro uncia qualibet computatis, videlicet vigintimilia die decima septima mensis octobris proximo preteriti, et alia vigintimilia die datarum presentium pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti, camere nostre per manus dilecti filii Mathei de Graviano, thesaurarii comitatuum Provincie et Forcalquerii, qui de hujusmodi summa pecunie decem milia florenorum de juribus, redditibus et emolumentis comitatuum predictorum se collegisse ac percepisse, residua vero triginta milia florenorum de partibus regni et terrarum predictorum per ipsum portata fuisse asseruit, duxeris persolvenda, nos tuis et heredum ac successorum tuorum in regno et terris predictis volentes indempnitatibus super hiis precavere, te ac heredes et successores predictos, de dictis octo milibus unciarum auri pro dicto censu, eodem termino debito, ut prefertur, in predictis quadraginta milibus florenis auri computatis, sicut superius est expressum, dicte camere persolutis, absolvimus tenore presentium et quittamus. Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno tercio.

1338 Avignon, 17 décembre 1344.

Aymerico legato de dimissione gubernationis regni Siciliæ scribit. (Reg. 138, n° DLXXXVIII, f° 163.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, A. S. legato. Super dimissione bajulie, administrationis et gubernationis regni Sicilie et terrarum citra Farum per nos gratiose sub certis modis, formis et conditionibus facta carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Sicilie illustri, litteras tam tibi, quam eidem regine sub forma, quam cedula presentibus continet inter lusa, confectas, gentibus ejusdem regine fecimus assignari, quas, cum tibi presentabuntur, exsequi studeas, tenore ipsarum in omnibus observato. Datum Avinione, XVI kalendas januarii, anno tercio.

1339 Avignon, 17 décembre 1344.

Reginæ Siciliæ Matheum de Gravina, thesaurarium comitatuum Provinciæ ac Forcalquerii, commendat. (Reg. 138, n° DLXXXIX, f° 163.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Dilectum filium Matheum de Graviano, thesaurarium tuum in comitatibus Provincie ac Forcalquerii, cujus fidelem sedulam et circumspectam diligentiam per experientiam circa tua negocia promovenda utiliter novimus, tue reg[i]e benivolentie propensius commendamus. Datum Avinione, XVI kalendas januarii, anno tercio.

1340 Avignon, 17 décembre 1344.

Ei mandat ut nomine Cameræ bona defuncti Velasci, episcopi Ulixbonensis, petat atque colligat. (Reg. 138, n° DLXXXX, f° 163.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Bracharensi. Volentes certis causis. — Datum Avinione, XVI kalendas januarii, anno tercio.

1341 Avignon, 18 décembre 1344.

Archiepiscopum Viennensem, capitulum de Romanis et Dalphinum Viennensem rogat ne Petrum Andraldi, clericum Caturcencis diœcesis vexent, cui officium tabularii et scripturarum curiæ secularis de Romanis commissum fuerat. (Reg. 138, n° DLXXXXI-LXXXXIII, f° 163.)

Venerabili fratri... archiepiscopo Viennensi. Dudum volentes personam dilecti filii Petri Andraldi, clerici Caturcensis diocesis, favore prosequi gratioso, officium tabularii et scripturarum curie secularis ville de Romanis, Viennensis diocesis, quod etiam per dilectum filium, nobilem virum, Geraldum de Margaritis, militem, tunc rectorem ville predicte per nos deputatum, prout spectabat ad eum, fuerat eidem Petro collatum, prefato Petro cum omnibus emolumentis, juribus et pertinentiis

suis, ad vitam suam apostolica auctoritate contulimus et duximus conferendum, per eum tenendum, regendum et etiam exercendum, volentes ut de officio hujusmodi diligenter et fideliter exercendo in manus dicti rectoris et successorum suorum rectorum dicte ville, qui essent pro tempore, teneretur juramentum prestare, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Licet igitur villam predictam de Romanis, que tunc sub manu nostra et nostro ac ecclesie Romane nomine regebatur, hujusmodi manu amota, tam tibi, frater, quam dilectis filiis capitulo ecclesie de Romanis, Viennensis diocesis, necnon nobili viro Humberto, Dalphino Viennensi, sub certis modis, formis et conditionibus per nos extiterit assignata, nostre tamen intentionis nequaquam extitit, vel existit, quod dictus Petrus gratia de officio predicto per nos, quo ad vixerit, sicut premittitur, sibi facta privetur quodmodolibet vel frustretur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, requirimus et hortamur attente, quatenus eundem Petrum in officio predicto, quominus illud juxta concessionem nostram predictam habere, tenere valeat, et exercere libere sicut prius, non molestes nec impedias aliquatenus, nec per officiales vel ministros tuos molestari permittas, et si forsan impedimentum aliquod sibi in hac parte illatum extiterit, illud pro nostra et apostolice sedis reverentia, quantum in te fuerit, absque difficultatis obstaculo amovere procures. Datum Avinione, XV kalendas januarii, anno tercio.

Item in eodem modo, *dilectis filiis capitulo ecclesie de Romanis, Viennensis diocesis* ; — *dilecto filio, nobili viro, Humberto Dalphino Viennensi.*

1342 Avignon, 19 décembre 1344.

Abbati monasterii de Quadraginta, Narbonensis diœcesis, mandat ut, inquisitione facta, canonicos claustrales rebelles Magalonensis ecclesiæ puniat. (Reg. 138, n° DLXXXXIIII, f° 163 v°.)

Dilecto filio... abbati monasterii de Quadraginta, Narbonensis diocesis. Nuper dilectus filius Raymundus de Canilhaco, prepositus ecclesie Magalonensis, nobis exponere procuravit, quod nonnulli canonici claustrales ecclesie predicte, ordinis Sancti Augustini, contra regularem disciplinam ipsius ordinis dampnande rebellionis, non sine magne temeritatis audacia, erigentes cervicem, capitulum regulare, ut eorum excessus, sicut est de more regularis observantie, caritative ac debite corrigantur ibidem, intrare recusaverunt, in suarum animarum salutis dispendium et aliorum scandalum, hactenus et recusant, se ab obedientia regulari et correctione prioris claustralis ipsius ecclesie dampnabiliter substrahendo. Nostre igitur provisionis remedio super hiis humiliter implorato, nos attendentes quod, ubi disciplina contempnitur, restat quod religio naufragetur, et propterea, ne in ecclesia ipsa pereat regularis observantia, in qua florere preteritis temporibus consuevit, providere volentes, et de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam et alia loca partium illarum, de quibus expedire videris, te personaliter conferendo, vocatis evocandis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, super premissis et eorum circumstantiis veritatem inquirens, predictos rebelles canonicos, et alios in hac parte sequaces, et fautores eorum, secundum sanxiones canonicas et statuta regularia, prout excessuum cujuslibet temeritas exegerit, corrigere studeas et punire, ipsos ad debitam obedientiam et regularem observantiam reducendo. Contradictores, etc. Non obstantibus, etc. Datum Avinione, XIIII kalendas januarii, anno tercio.

1343 Avignon, 19 décembre 1344.

Infrascripto, quem rex Franciæ commendaverat, sic indulget ut in capitulo locum habeat, nonobstante quod de ordine Prædicatorum, id est mendicantium, ad ordinem Cartusiensem transivisset. (Reg. 138, n° DLXXXXV, f° 164.)

Dilecto filio Johanni Derpy, ordinis Cartusiensis. Religionis zelus et alia virtutum merita, que tibi suffragari testimoniis fidedignis percepimus, nos inducunt, ut super hiis, que tue salutem anime personeque statum respiciunt, nos, quantum cum Deo possimus, reperias liberales. Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quod tu, qui diutius in ordine fratrem Predicatorum, quem fuisti expresse professus, laudabiliter conversando stetisti, dudum ad ordinem Cartusiensem, per te speciali devotione concepta, de licentia dilecti filii... magistri ejusdem ordinis Predicatorum, cui causas devotionis tue hujusmodi exprimere curavisti, ad predictum Cartusiensem ordinem, absque cujusvis apostasie vel alterius criminis macula transivisti. Cum autem, ex eo quod de ordine men-

dicantium ad ordinem non mendicantium transivisti, ut prefertur, vocem vel locum habere in capitulo, aut ad prioratus, administrationes, vel quecumque officia, seu curam et regimen animarum, assumi nequeas, constitutione felicis recordationis Clementis papae V, predecessoris nostri, dudum in concilio Viennensi edita, prohibente, fecisti nobis humiliter supplicari, ut providere tibi super hiis de oportune dispensationis gratia, de benignitate apostolica, dignaremur. Nos igitur, premissis diligenter attentis, consideratione quoque carissimi in Christo filii nostri, Philippi regis Francie illustris, pro te nobis super hiis humiliter supplicantis, tue petitioni hujusmodi favorabiliter annuentes, tecum, ut locum in choro et vocem in capitulo ipsius ordinis Cartusiensis habere, necnon et ad prioratus, administrationes, officia et curam ac regimen animarum, prout fratribus ordinis tui Cartusiensis competit, alias tamen canonice possis assumi, predicta et alia quacumque constitutione non obstante contraria, de benignitate apostolica et speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, XIIII kalendas januarii, anno tercio.

1344 Avignon, 20 décembre 1344.

Rectori et thesaurario comitatus Venaissini venditiones laudandi facultatem concedit. (Reg. 138, n° DLXXXXVI, f° 164.)

Dilectis filiis, nobili viro, Hugoni de Rupe, militi, rectori et Petro de Artisio, archipresbitero ecclesie Lodovensis, thesaurario comitatus Venaissini. Intellecto dudum quod nonnullis vendentibus et ementibus terras, vineas, prata, domos et alias possessiones ac bona immobilia, que in comitatu Venaissini, nobis et ecclesie Romane immediate subjecto, sub dominio nostro et ecclesie memorate tenetur, sumptuosum et difficile nimium reddi poterat, si pro singulis laudimiis et investitionibus terrarum, possessionum et bonorum hujusmodi, quando ea vendi, vel permutari contingeret, ad nos et sedem apostolicam ipsos oporteret habere recursum, nos volentes eorum parcere super hiis laboribus et expensis, tibi, fili thesaurarie, et dilecto filio Guillelmo Alasardi, juris civilis professori, tunc curiam generalem comitatus predicti regenti, ut terras, vineas, prata, domos et alias possessiones hujusmodi, fraude ac prejudicio ecclesie predicte cessantibus, jam tunc vendita, et inantea vendenda, dummodo non essent jurisdictionis alte vel basse aut merum et mixtum imperium, emptoribus laudare, ac eos investire de illis, postquam de venditionibus ipsis vobis constaret, receptis, per te, thesaurarie predicte, juribus ad nos et ecclesiam supradictam exinde spectantibus vel pro nobis et ipsa ecclesia retinere, si expediens foret et utile, usque ad nostrum beneplacitum, vel donec rector per nos esset deputatus in comitatu predicto, valeretis juxta modum et formam in talibus hactenus observatos, per nostras certi tenoris litteras concessimus facultatem. Verum cum te, fili Hugo, postmodum rectorem deputaverimus comitatus predicti, sic quod nunc carere noscantur effectu littere supradicte, nos volentes circa hec ulterius providere, vobis ambobus, aut tibi, thesaurarie predicte, et locumtenenti tuo, rector prefate, similem super predictis usque ad nostrum beneplacitum concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, XII kalendas januarii, anno tercio.

1345 Avignon, 20 décembre 1344.

Rectori mandat ut commissa prædecessoribus expedire possit (Reg. 138, n° DLXXXXVII, f° 164 v°.)

Eidem rectori. Cupientes statum et regimen comitatus Venaissini, nobis et ecclesie Romane immediate subjecti, cujus rector existis, sub tui directione regiminis prosperari, ut litteris, predecessoribus tuis rectoribus comitatus predicti per nos vel predecessores nostros, Romanos pontifices, super negociis tangentibus regimen ipsius comitatus directis, uti, tam in ceptis quam non ceptis, causis et negociis temporalibus duntaxat, ac si tibi specialiter et expresse directe fuissent, per te tuumque locum tenentem valeas, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, XIII kalendas januarii, anno tercio.

1346 Avignon, 21 décembre 1344.

Infrascriptis indulgenciam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCCXII-XV, f° 315 v°.)

Item in eodem modo, *dilecto filio Petro Sacrini, canonico ecclesie de Capitestagno, Narbonensis diocesis.* Datum Avinione, XII kalendas januarii, anno tercio.

Hugue relicte quondam Vincentii Chausserii, laici Caturcensis diocesis. — Dilecte in Christo filie Margarite de

Bolonia, moniali monasterii de Moncellis, ordinis Sancte Clare, Belvacensis diocesis. — Marie de Montibus, moniali monasterii de Moncellis, ordinis Sancte Clare, Belvacensis diocesis.

1347 Avignon, 23 décembre 1344.

Ei datur potestas illos absolvendi, qui excommunicati fuerunt, quia cardinalem quemdam in beneficiis regni Hungariæ obtinendis vexaverant. (Reg. 138, n° DLXXXXVIII, f° 164 v°).

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Colocensi et... episcopo Quinque Ecclesiarum ac Arnaldo de Lacaussina, canonico ecclesie Titulensis, Colocensis diocesis, in partibus regni Ungarie apostolice sedis nuncio. Nuper expositum extitit. — Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1348 Avignon, 23 décembre 1344.

Reginam et regem Franciæ, Humbertum Dalphinum Viennensem, regem et reginam Siciliæ rogat ut Ludovicum de Ispania, principem insularum Fortunæ adjuvare velint. (Reg. 138, n° DLXXXXIX-DCIII, f° 165.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Cum inter cetera, que nobis injunctum desuper officium apostolice servitutis indicit, ad hoc dirigantur ferventius studia mentis nostre, ut fidei cultus catholice ad laudem et gloriam divini nominis et animarum commodum amplietur, illos, quos devotos et fervidos cohoperatores reperimus super hiis, libenter, quantum cum Deo possumus, congruis favoribus et honoribus prevenimus. Sane pridem dilectus filius, nobilis vir, Ludovicus de Ispania, princeps Fortunie, qui de tua, carissime fili, et aliorum regali processit prosapia, nobis et fratribus nostris Sancte Romane ecclesie cardinalibus exponere tam devote quam humiliter procuravit, quod ipse ad acquirendum Fortunie ac quasdam alias insulas ei adjacentes in partibus Affrice, ut ex illis, eliminata erroris paganici spurcicia, invicem invocetur nomen Domini, et ejusdem fidei vigeat puleritudo, exercere vires sue potentie, si de nostro et apostolice sedis beneplacito procederet, assistente sibi divina gratia, intendebat. Nos igitur attendentes quod ipse de stirpe ac domibus descendit regiis, que circa fidem tuendam et ampliandam catholicam se ferventibus et operosis solicitudinibus consueverunt impendere, spretis personarum periculis et expensarum profluviis non vitatis, sperantesque in Domino quod idem princeps, suorum primogenitorum imitando in hac parte vestigia, fultus Dei, et illorum specialiter, de quorum prosapiis, ut prefertur, extitit, auxiliis, multa utilia et honorabilia poterit super hiis, et maxime si suum proprium prosequatur negocium, operari, deliberatione cum fratribus eisdem prehabita previa et matura, et ipsorum consilio, eundem Ludovicum, Fortunie predicte ac aliarum insularum hujusmodi cum concessione temporalis proprietatis et dominii earundem, pro se suisque heredibus et successoribus, sub certis modis, formis et conditionibus principem deputavimus et constituimus, eumque insigniis dignitatis principatus duximus decorandum, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem princeps prefatus, in virtute Dei cupiens suum propositum hujusmodi deducere in effectum, instanti oportuno tempore disponat ad partes insularum predictarum, sua coadunata potentia, proficisci, nos ipsum principem et hujusmodi negocium regie magnificentie commendantes, eam attentius deprecamur, quatenus consideranter attendens, quod negocium predictum favorem contingit ejusdem fidei, quodque honor ipsius principis in tuum noscitur redundare, velit eidem regalis sublimitas super premissis assistere consiliis, auxiliis et favoribus oportunis. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

Item in eodem modo, verbis competenter mutatis, *carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri.* Datum ut supra.

... dilecto filio, nobili viro, Humberto, dalphino Viennensi. Datum ut supra.

... *Andree regi Sicilie illustri*, addendo in fine post verbum sublimitas; super licentia recipiendi, habendi et extrahendi de partibus illis vasis navigalibus, gentibus armorum et victualibus necessariis, prout comode absque periculo et incomodo fieri poterit, suis tamen sumptibus concedendi se gratiosam et favorabilem exhibere, ac alias assistere consiliis, auxiliis, et favoribus oportunis. Datum ut supra.

Item in eodem modo *carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.* Datum ut supra.

1349 Avignon, 23 décembre 1344.

Gubernatori civitatis Januensis Ludovicum de Hispania, qui nonnullas armaturas emere vult, commendat. (Reg. 138, n° DCIIII, f° 165 v°.)

Dilectis filiis, nobili viro, Symoni Boccanegra, gubernatori et comuni civitatis Januensis. Illam de sinceritate vestra fiduciam gerimus, quod in hiis, que Dei honorem, ac favorem et ampliationem cultus fidei orthodoxe, sedisque apostolice beneplacitum respicient, favorabiles reperiemini et benigni. Sane cum dilectus filius, nobilis vir, Ludovicus de Ispania, princeps Fortunie ac quarundam insularum adjacentium in partibus Affrice, ad ipsas insulas suo dominio ac cultui ejusdem fidei subjugandas, hoc instanti oportuno tempore intendens, divina sibi assistente gratia, cum apparatu proficisci decenti, certis armaturis, videlicet tribus milibus platarum munitarum, duobus milibus pavesiorum, mille caxis veratorum, et mille balistis egere se asserat, que pro competentibus et justis preciis per ipsum vel alium seu alios nomine suo solvendis, in civitate et districtu vestris reperire confidit, universitatem vestram attente rogamus, quatenus eundem principem ac illum vel illos, quos ipse ad partes vestras propter ea destinabit, habentes pro nostra ejusdemque sedis reverentia et zelo dicte fidei propensius commendatos, super emendis eisdem armaturis ad opus predictum et de vestris districtibus extrahendis, sic eis velitis assistere consiliis, auxiliis et favoribus oportunis, quod vestra devotio exinde valeat merito commendari. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1350 Avignon, 23 décembre 1344.

Gaudet quod castrum de Smirnis capiatur post gloriosam contra Turcos victoriam. (Reg. 138, n° DCV, f° 166.)

Dilecto filio, nobili viro, Andree Dandulo, duci Venetiarum. Auditis et intellectis per tuas litteras, nuper nostro apostolatui presentatas, felicibus et letabundis rumoribus de illa gloriosa victoria, quam super ereptione de manibus Turchorum infidelium et hostium fidei Christiane ac captione triumphali et victoriosa illius castri de Smirnis fortissimi et insignis, cum portu maris et fortaliciis, prostrationeque gentis nationis eorumdem Turchorum fetide, que habitabat seu erat ibidem, sicut littere ipse describunt plenius, in festo Beatorum Apostolorum Simonis et Jude proximo preterito, ille rex excelsus et potens, qui, omnia palmo concludens, celestia simul et terrena sua omnipotentia moderatur, per ministerium venerabilis fratris nostri Henrici, patriarche Constantinopolitani, apostolice Sedis legati, cum nostris ac tuis et dilectorum filiorum magistri et fratrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani galeis ad partes illas propterea dudum missis et earum apparatibus, virorum videlicet strenuorum catholicorum in eis existentium, sua clementia contulit populo Christiano, cor nostrum exultavit in Domino, et ei pro tanto gratiarum munere non cessavimus, nec cessamus vinculum exolvere labiorum, nobilitatem tuam super nunciatis nobis sic celeriter eisdem gaudiosis rumoribus cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes et nichilominus attente rogantes eandem, quatinus que ad tuam ulterius de illis partibus deducta noticiam fuerint, nobis nunciare quantocius tue circumspectionis prudentia non omittat. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1351 Avignon, 23 décembre 1344.

Victoriam obtentam regi Franciæ nuntiat. (Reg. 138, n°s DCVI-DCVIII, f° 166.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Spiritualis gaudii per nos ex felicibus rumoribus nobis noviter nunciatis concepti de quadam gloriosa victoria per nostras et ecclesie ac dilectorum filiorum... magistri et fratrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et nobilis viri... ducis Venetiarum gentes et alios viros catholicos strenuos, existentes cum ipsis, adversus hostes fidei Christiane, nec non captione cujusdam fortissimi castri in rippa maris cum portu et fortaliciis pridem obtenta, te fieri volentes, fili carissime, participem et consortem, tenorem litterarum nobis missarum super hoc mittimus celsitudini regie presentibus interclusam. Datum ut supra.

Item in eodem modo *Johanne regine Francie illustri.* — *Johanni primogenito, duci Normannie.*

1352 Avignon, 23 décembre 1344.

Episcopo Eduensi scribit, prout in cedula continetur. (Reg. 138, n° DCIX, f° 166 v°.)

Venerabili fratri Guidoni, episcopo Eduensi. Super hiis, que cedula continet presentibus interclusa, te loqui carissimis in Christo filiis nostris Philippo regi et Johanne regine Francie illustribus, ac venerabili fratri nostro Johanni episcopo Belvacensi nec non dilectis filiis, nobilibus viris, Johanni primogenito duci Normannie et Guillelmo Flote, domino de Revello, cancellario dicti regis et aliis, de quibus videris expedire, volumus, prout in eadem cedula continetur. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1353 Avignon, 23 décembre 1344.

Regi gratias agit quod procuratores Guillelmi cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, benigne receperit, qui beneficia in regno Hungariæ obtinebat. (Reg. 138, nos DCX-XI, fo 166 vo.)

Carissimo in Christo filio regi Ungarie illustri. Gratis admodum percepto. — Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

In eod. modo *Elisabeth regine Ungarie.*

1354 Avignon, 23 décembre 1344.

Eam hortatur ut ad virum revertatur. (Reg. 138, no DCXII, fo 166 vo.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Johanne de Monteacuto, uxori dilecti filii, nobilis viri, Raynaldi de Filiis Ursi. De te miramur. — Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1355 Avignon, 23 décembre 1344.

Petitioni Bonafossi, prioris Beatæ Mariæ Dauratæ Tholosanæ, ordinis Cluniacensis, annuens, sic decernit ut decima de Sancta Liberata dicto priori pertineat, sed fructus a Guillelmo de Bordis, quoad vixerit ,colligantur. (Reg. 138, no DCXIII, fo 167.)

Ad futuram rei memoriam. Ad ea que justiciam sapiunt, et respiciunt equitatem, nec etiam a gratia secernuntur, libenter apostolici favoris presidium adhibemus. Sane petitio dilecti filii Bonafossi, prioris prioratus Beate Marie Daurate, Tholosani, ordinis Cluniacensis, nobis exhibita continebat, quod, licet redditus et proventus seu decime vocati de Sancta Liberata, Tholosane diocesis, ad mensam prioris predicti prioratus, qui est pro tempore, pertinere noscantur, tamen dilectus filius, magister Guillemus de Bordis, canonicus Lingonensis, bacallarius in decretis, familiaris noster, redditus et proventus ac decimas supradictos, tanquam per obitum quondam Geraldi de Bordis, qui in partibus illis diem clausit extremum, primo, nec non et deinde per resignationem dilecti filii nostri Guillermi, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, quem illos virtute cujusdam gratie generalis, per nos dudum sibi concesse, acceptasse dicebat, vacantes, asserit sibi per nos fuisse collatos, propter quod inter priorem et Guillermum predictos occasione hujusmodi orta extitit seu oriri speratur materia questionis. Quare prefatus prior nobis humiliter supplicavit ut ad evitandos litigiorum amfractus, qui ex causa questionis hujusmodi possent forsitan evenire, providere sibi et eidem mense de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur intendentes eosdem priorem ac mensam ab hujusmodi preservare litigiis, ac ipsorum jura etiam sine incommodo ipsius Guillermi illibata servare, quascumque gratias seu provisiones factas cuicumque de redditibus et proventibus seu decimis supradictis, ex nunc cassamus de apostolica plenitudine potestatis, ipsosque redditus et proventus seu decimas nihilominus eidem Guillermo per eum percipiendos de novo aspostolica auctoritate committimus, per ipsum Guillermum integre percipiendos, quamdiu vitam duxerit in humanis, sic tamen quod eodem Guillermo cedente vel decedente, redditus et proventus seu decime supradicti ad mensam ejusdem prioris redeant et pertineant ac pertinere debeant perpetuo pleno jure, quos quidem redditus et proventus seu decimas extunc dicte mense eadem potestate et ex certa scientia reducimus et unimus. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1356 Avignon, 23 décembre 1344.

Cum archiepiscopus Senonensis infrascriptum rectorem leprosariæ de Brayo supra Sequanam deputavisset, hanc nominationem confirmat. (Reg. 138, no DCXIIII, fo 167 vo.)

Dilecto filio Guillelmo Lelovat, laico Senonensis diocesis. Consuevit sedis apostolice benignitas illis, qui eam honorare obsequiosis student devotionibus, se propitiam exhibere. Sane tua coram nobis exhibita petitio continebat,

quod nuper venerabilis frater noster Guillermus, archiepiscopus Senonensis, volens consideratione dilecti filii magistri Petri Lelovat, scriptoris et familiaris nostri, germani tui, aliisque certis causis ad hoc ipsum moventibus, te prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, regimen seu administrationem domus Leprosarie de Brayo supra Sequanam, sue Senonesis diocesis, in qua institutio seu destitutio magistri seu rectoris ad archiepiscopum Senonensem, qui est pro tempore, pro libito voluntatis pertinere dicitur, tibi cum omnibus juribus et pertinentiis suis per te vel alium, tuo nomine fideliter regendum et etiam gubernandum, quandiu sue placuerit voluntati, commisit per suas litteras et concessit. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hiis de apostolice confirmationis gratia, necnon quod ab ipsis regimine et administratione, quandiu in humanis vitam duxeris, per quemquam amoveri nequeas, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, tuis exigentibus meritis, volentes te prosequi favore gratie specialis, commissionem et concessionem de dicta domo leprosarie, per eundem archiepiscopum, ut premittitur, tibi factas, ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes auctoritate predicta omnem defectum, si quis in eisdem commissione et concessione intervenerit, de apostolice plenitudine potestatis; concedentes tibi nihilominus, sicut postulasti a nobis, quod regimen et administrationem ipsius domus leprosarie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, per te vel alium seu alios ydoneos super hoc deputandos, gerere et exercere libere valeas, juxta constitutionem Concilii Viennensis super hoc editam, quandiu vitam egeris in humanis, nec ab ipsis regimine et administratione, quacumque constitutione alia seu consuetudine non obstante contraria, possis invitus destitui vel etiam amoveri : proviso quod in dicta domo, quo ad pauperes, morbo lepre infectos, ac fratres, et donatos ipsius domus et quoscumque alios, hospitalitas juxta constitutionem predictam, cui quo ad hoc nullatenus derogetur, consueta et debita observetur. Nulli ergo etc. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1357 Avignon, 23 décembre 1344.

Guidonem, episcopum Eduensem, pro pace cum Angliæ rege ineunda ad regem Franciæ mittit. (Reg. 138, n° DCXV, f° 168.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super negocio pacis inter te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem, actore Domino, invicem reformande, quedam venerabili fratri nostro Guidoni, episcopo Eduensi, imposuimus tue regie celsitudini seriosius exponenda ; sed post ejus recessum, super hiis, que dilecto filio, nobili viro, Henrico comiti Derbeye, scripseramus circa hec, certam responsionem habuimus, et, sicut nobis scriptum est, idem comes, una cum dilecto filio, nobili viro, Bartholomeo de Borwachs, milite, ad nostram presentiam in proximo est venturus ; que prefatus episcopus, per nos instructus plenius, magnificientie regie clarius ennarrabit, cui fidem adhibens in hac parte, quesumus, regalis circumspectio credulam, nobis per eundem episcopum vel aliam secretam personam aut litteras, ut expedire viderit, celeriter et clare respondeat super eis. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1358 Avignon, 23 décembre 1344.

Reginæ Franciæ similiter scribit. (Reg. 138, n° DCXVI, f° 168.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Postquam venerabilis frater noster Guido, episcopus Eduensis, cui quedam super facto Anglie serenitati tue regie imposuimus explicanda, recessit a nobis, alia nobis scripta sunt, que idem episcopus, per nos instructus super hoc, eidem serenitati seriosius referet viva voce, cui fidem adhibens super eis credulam, ut a carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri, viro tuo, responsionem per ipsum episcopum vel aliam secretam personam aut litteras habeamus exinde certam et celerem, interponat tua regalis prudentia, sicut expediens fuerit, partes tuas. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tercio.

1359 Avignon, 23 décembre 1344.

Officiali Uticensi mandat ut Guiraudum de Cruce, civem Montispessulanum ad curiam mittat, qui falsas bullas fabricaverat (Reg. 167, De Curia, n° X, f° 5. — Reg. 216, f° 15.)

Dilecto filio... officiali Uticensi. Nuper ad audientiam nostri apostolatus relatio fidedigna perduxit, quod

olim Guiraudus de Cruce, habitator Montispesulani, temeritate dampnabili obsecatus, quibusdam tam apostolicis seu transumptis earum quam aliis prelatorum falso fabricatis litteris, ut sue conceptum perverse nequitie in suam confusionem perpetuam deduceret in effectu, uti ex certa scientia, dampnabili temeritate, presumpsit, propter que captus in venerabilis fratris nostri episcopi Uticensis idem Guiraudus tenetur carceribus mancipatus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum Guiraudum per dilectum filium Petrum de Perusio, cursorem nostrum, quem ad te propter hoc duximus specialiter destinandum, receptis presentibus, cum omnibus litteris ac scripturis et omni informatione ,quam inde habere poteris, sub fida custodia quamcitius transmittere non omittas, pro demeritis recepturum. Datum Avinione, X kalendas januarii, anno tertio.

1360 Avignon, 24 décembre 1344.

Episcopo Vaurensi mandat ut in episcopatu resideat, nedum comitissam Fuxi, tutricem filii, in gubernando comitatu vexet. (Reg. 138, n° DCXVII, f° 168.)

Venerabili fratri Roberto episcopo Vaurensi. Quia dilectum filium, nobilem virum, Gastonem comitem Fuxi, nepotem tuum, paterne caritatis et dilectionis favore prosequimur, ipsumque puerum utique, sicut nosti, constitutum in etate teneri, cupimus in suis actibus prosperari, dudum tibi per litteras nostras scripsisse, ac deinde verbotenus et cordialiter meminimus suasisse, ut dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Helionori comitisse Fuxi, matri et tutrici sue, cujus ex parte circumspectioni et prudentie quondam Gasto, comes Fuxi, vir suus, et pater comitis pueri supradicti, administrationem et regimen persone ac bonorum ipsius in suo ultimo testamento commisit, non inferres turbationem vel impedimentum aliquod, quominus administrationem et regimen hujusmodi gerere ac exercere pacifice, prudenter et quiete valeret. Sane quia, sicut displiciter percepimus, tu, nostris persuasionibus hujusmodi utique salubribus tibique honorabilibus minime acquiescens, tam in terris Bearni, quam aliis ad ipsum comitem spectantibus, ibidem diutinas moras absque necessitate ac utilitate trahendo, nonnullas attemptasti hactenus et attemptas sepius noxias et non congruentes tuo statui novitates; fraternitatem tuam tanto affectuosius, quanto sepius, requirimus, et hortamur quatenus, ab hiis omnino desistens, aut in episcopatu tuo, vel alibi, ubi saluti et fame tue salubrius consulas, residere procures, sic te super hiis habiturus quod, quavis sinistra suspicione sublata, tue circumspectionis maturitas possit et debeat merito commendari. Datum Avinione, IX kalendas januarii, anno tercio.

1361 Avignon, 24 décembre 1344.

Infrascriptos absolvit qui nonnullos libros tradiderant quorum pretium fabricæ ecclesiæ Carcassonensis debebantur. (Reg. 138, n° DCXVIII, f° 168 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Guidoni de Cassanhis, militi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, uxori sue, Lemovicensis diocesis. Ex parte vestra nobis exhibita petitio continebat quod olim, ex eo quod bone memorie Petrus, episcopus Penestrinensis de quibusdam pecuniarum summis, ad fabricam ecclesie Carcassonensis spectantibus per eum receptis, tempore quo episcopali regimini prefuerat ecclesie supradicte, fabrice ipsius ecclesie satisfacere, dum in humanis ageret, non curavit, quinque libri juris civilis, videlicet : Codex, Digestum vetus, Volumen, Inforciatum, et Digestum novum cum apparatu suo, qui fuerant de bonis ejusdem episcopi, per executores testamenti sui pro precio trecentarum sexaginta librarum Turonensium parvorum, in exonerationem partis illius summe, in qua pro premissis erat astrictus prefatus episcopus eidem fabrice, pie memorie Petro Roderii, episcopo Carcassonensi, successori suo, traditi et liberati fuerunt. De quibus quidem trecentis sexaginta libris idem episcopus debuit executores predictos erga dictam fabricam reddere quitos, et etiam absolutos. Subsequenter autem dicto Petro Roderii, episcopo, vita functo, nec satisfacto per eum dicte fabrice de summa trecentarum et sexagintarum librarum predicta, dicti libri ad manus tuas, filia Maria, que neptis et heres bonorum inmobilium existebas ejusdem Petri Roderii episcopi, pervenerunt. Cum autem postmodum libri predicti, de mandato nostro, pro parte vestra nobis fuerint assignati, nobis humiliter supplicastis, ut providere super hiis vestris indempnitatibus, ne ratione librorum ipsorum molestari valeatis imposterum, dignaremur. Nos igitur supplicationi hujusmodi benignius inclinati, recognoscimus et fatemur nos a vobis dictos libros habuisse et

etiam recepisse, vosque ac omnia bona vestra de illis absolvimus et quittamus, volentes nihilominus ac etiam decernentes quod ratione vel occassione dictorum librorum vel summe dictarum trecentarum sexaginta librarum, pro qua dicto episcopo traditi fuerunt, ut prefertur, molestari vel inquietari per aliquem vel aliquos ullo unquam tempore nostro possitis. Datum Avinione, VIIII kalendas januarii, anno tercio.

1362 Avignon, 25 décembre 1344.

Infrascripto, qui in Universitate studet, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n° MCXXII, f° 229 v°.)

Item in eodem modo dilecto filio Hugoni de Sancto Marciale, canonico Morinensi. Et dirigatur executoria *dilectis filiis, Geraldo Fornerii, canonico Tornacensi et... Morinensi ac Atrebatensi officialibus.* Datum Avinione, VIII kalendas januarii, anno tercio.

1363 Avignon, 26 décembre 1344.

Cum Lobenchus de Lobenchis, præpositus ecclesie Bariolensis, domum dictam de Grausello, ad Bartholomeum episcopum Forojuliensem pertinentem, violenter occupasset, thesaurariis suis mandat ut inquisitionem faciant. (Reg. 138, n° DCXIX, f° 169.)

Venerabilibus Gasberto, archiepiscopo Narbonensi, camerario et Stephano, Casinensi, ac Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Pro parte dilecti filii.. procuratoris nostri fiscalis, fuit nuper propositum coram nobis, quod dudum felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, suadentibus certis causis rationabilibus ad hoc ipsum moventibus, sibi omnium bonorum mobilium bone memorie Bartholomei, episcopi Forojuliensis, dispositionem, dum adhuc idem episcopus in humanis ageret, auctorita apostolica reservavit, et bona ipsa post ejusdem decessum episcopi [per] dilectum filium Berengarium Blasini rectorem ecclesie de Cerviano, Biterrensis diocesis, mandavit per litteras apostolicas coligi et levari. Cum autem prefatus episcopus, paulo ante obitum suum, quandam domum cum ortis, vineis et aliis pertinentis suis, vulgariter nominatum de Grausello, prope villam de Bariolis, Forojuliensis diocesis, emisset, et pro precio illius certam pecunie summam solvisset, [et] predictus Berengarius super hiis, sicut ex tenore predictarum litterarum sibi directarum poterat, informatione recepta, dictam domum cum pertinentiis suis emptam, de pecuniis reservatis, ut premittitur, velut pertinentem ad dispositionem prefati predecessoris et sue Camere, sub manu apostolica recepisset, executores testamenti seu ultime dispositionis prefati episcopi asserentes eundem episcopum testandi et disponendi de bonis suis habuisse a sede apostolica in forma solita facultatem, se opposuerunt appositioni manus predicte, dicentes quod reservatio supradicta solum se ad bona mobilia ipsius episcopi extendebat, inter que domus predicta cum eisdem pertinentiis suis, cum esset bonum immobile, nullatenus debebat includi, sed ipsi executores potius disponere de illa seu ejus precio poterant pro exequenda et complenda executione testamenti predicti, supplicando cum instancia sibi domum vendendi eandem pro executione hujusmodi facienda licentiam elargiri; procuratore fiscali predicto contrarium asserente, ac allegante pluribus rationibus domum ipsam una cum bonis predictis aliis ad dispositionem nostre Camere vigore reservationis hujusmodi pertinere. Verum hujusmodi questione pendente, domoque ipsa sub manu existente predicta, dilectus filius Lobencus de Lobenchis, prepositus ecclesie Bariolensis dicte diocesis, non sine magne temeritatis audacia nostroque ac apostolice sedis predicte contemptu, manum violare non metuens supradictam, per se suosque complices, domum ipsam occupasse, ac pro majori parte diruisse dicitur, et excessus enormes et detestandos alios circa hec multipliciter commisisse. Volentes igitur talia, si veritas suffragetur relatibus, relinquere quomo dolibet incorrecta, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, apud sedem apostolicam, et alibi, ubi expedire videritis, super premissis et ea tangentibus, tam ad instantiam procuratoris fiscalis et executorum predictorum, quam ex officio, sicut justicia suaserit et expedire videritis, etiam si negocium hujusmodi non esset de sui natura forsitan ad sedem devolutum predictam, et in ea non deberet tractari, diligenter et fideliter procedentes, ea que in prejudicium manus appositionis predicte, ac nostrum et ipsius Camere, vel alias contra justiciam, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii circa premissa repereritis attemptata, restitui et reduci ad statum debitum faciatis, ac excessus in predictis et circa ea temere

perpetratos, corrigere et punire, mediante justicia, studeatis. Contradictores etc. Testes autem etc. Datum Avinione, VII kalendas januarii, anno tercio.

1364 Avignon, 26 décembre 1344.

Thesaurariis mandat ut illos audiant, qui a collectoribus et subcollectoribus se lædi et vexari asserunt. (Reg. 138, n° DCXX, f° 169 v°.)

Eisdem. Intelleximus quod pretextu gravaminum, que per collectores vel subcollectores bonorum et proventuum ad Cameram nostram spectantium auctoritate apostolica quandoque personis diversis dicuntur inferri, querele, tam per viam appellationis, quam alias, ad sedem apostolicam sepius deferuntur. Nos igitur, qui gravamina indebita quorumlibet aborremus, volentes quibuscunque personis gravatis hujusmodi, de celeri et oportuno remedio relevantis justicie provideri, fraternitati vestre, ut vos vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alium, seu alios quibuscumque per eosdem collectores vel subcollectores, presentes et futuros, asserentibus se gravatos et per viam appellationis vel querele simplicis ad nos super hoc recurrentibus, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, vocatis evocandis, valbatis, tam super preteritis, quam presentibus et futuris, apud sedem justiciam exhibere, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, VII kalendas januarii, anno tercio.

1365 Avignon, 27 décembre 1344.

Guidonem de Rupe, filium defuncti Philippi de Levis, regi Franciæ commendat. (Reg. 138, n° DCXXI, f° 159 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Dilectum filium, nobilem virum, Guigonem de Rupe, familiarem nostrum, natum quondam Philippi de Levis, regie benivolentie, ut ipsum super suis negociis pro nostra et apostolice sedis reverencia favorabiliter, sicut honestas patietur justicie, prosequatur, propensius commendamus. Datum Avinione, VI kalendas januarii, anno tercio.

1366 Avignon, 27 décembre 1344.

Jacobum regem Majoricarum Philippo regi Franciæ commendat, (Reg. 138, n° DCXXII, f° 169 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super necessitatibus, quibus carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, ad presens subjicitur, eidem paterno compatientes affectu, celsitudinem regiam deprecamur quatinus eundem regem super agendis suis habere velit clementia regia, sicut fieri commode cum honestate poterit, favorabiliter commendatum. Datum Avinione, VI kalendas januarii, anno tercio.

1367 Avignon, 28 décembre 1344.

Regem Bohemiæ orat ut Geraldo de Magnaco, archidiacono de Bautesio in ecclesia Constanciensi, capellano regioque consiliario credat et super negotiis ab ipso Geraldo exponendis per eum respondeat vel rescribat. (Reg. 138, n° DCXXIII, f° 169 v°.)

Carissimo in Christo Johanni regi Boemie illustri. Quia super his. — Datum Avinione, V kalendas januarii, anno tercio.

1368 Avignon, 28 décembre 1344.

Infrascripto super irregularitate fructuum dispensatur. (Reg. 138, n° DCLI, f° 177.)

Dilecto filio Rolando Targa, rectori parrochialis ecclesie de Estbradenham, Norwicensis diocesis. Datum Avinione, V kalendas januarii, anno tercio.

1369 Avignon, 28 décembre 1344.

Magistro Geraldo de Magnaco, nuntio ad Alemanniam et Bohemiam misso, salviconductus litteræ conceduntur. (Reg. 138, n° MC, f° 294.)

Universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis etc. Cum dilectum filium. — Datum Avinione, V kalendas januarii, anno tercio.

1370 Avignon, 29 décembre 1344.

Reginæ Franciæ quæ pannos donaverat, gratias agit et nuntiat se optime valere. (Reg. 138, n° DCXXIIII, f° 170.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Johanne filie regis Francie, ducisse Burgundie. Quia nobilitatis tue magnificentia, per litteras nostro apostolatui presentatas, et a nobis leta et benigna manu receptas, de statu nostro certior effici postulavit, nos id de magna filialis devotionis procedere benivolentia manifeste videntes, tam ex inde quam de quatuor peciis panni scarleti optimi, duabus albis, et duabus rubeis, per te, dilecta in Christo filia, nobis missis, eidem nobilitati gratiarum referimus uberes actiones, nobilitatem scire volentes eandem, quod, licet propter diversitatem negociorum, undique ad sedem apostolicam confluentium, curis innumeris, etiam supra vires, sepius agitemur, Illo tamen faciente, qui potest, corporali sospitate letamur, quod audire de te, filia, procul dubio nos dilectat. Porro capellanum tuum, de quo nobis scripsisti, habere tui consideratione oportunis loco et tempore commendatum favorabiliter intendimus, nosque in hiis et aliis, quantum cum Deo fieri poterit, in tuis oportunitatibus propicios exhibere. Datum Avinione, IIII kalendas januarii, anno tercio.

1371 Avignon, 29 décembre 1344.

Ei mandat ut bona defuncti Ferrarii, episcopi Barchinonensis, colligat. (Reg. 138, n° DCXXV, f° 170.)

Dilecto filio Almeracio de Cabrespina, canonico Ilerdensi, Volentes bona mobilia. — Datum Avinione, IIII kalendas januarii, anno tercio.

1372 Avignon, 29 décembre 1344.

Archiepiscopum Lugdunensem rogat ut Jaquemarum de Champonay et Annemundum de Varey ad concordiam faciendam impellat. (Reg. 138, n° DCXXVI, f° 170 v°.)

Venerabili fratri Henrico archiepiscopo Lugdunensi. Nuper dilectus filius Guillermus de Varey, prior prioratus Sancti Benedicti de Seissiaco, ordinis Sancti Benedicti, tue Lugdunensis diocesis, nobis exponere procuravit, quod hostis antiquus humani generis, emulus caritatis et pacis et cunctorum malorum incentor, ibi diffundere sue venena nequicie satagens, ubi se amplius existimat obfuturum, inter dilectos filios Jaquemarum de Champonay ex parte una, et Annemundum de Varey, cives Lugdunenses ex altera, ipsius prioris consanguineos, et inter se etiam sanguinis connexitate conjunctos, gravis dissentionis materiam suscitavit, ex qua, si quod absit, procederet, non solum inter cives prefatos, sed etiam multos alios amicos ipsorum possent et timentur verissimiliter periculosa et dispendiosa discrimina non reparanda faciliter suboriri. Nos igitur, qui, licet insufficientibus meritis, vices in terris gerimus regis pacifici et excelsi, pacem inter cunctos ecclesie filios vigere affectamus ubique ac dissentiones et odia de medio fidelium submoveri, hujusmodi periculis obviare paterne diligentie studio et etiam consideratione prioris predicti, quem tui honoris et commodi zelatorem utique fervidum favore dilectionis specialis prosequimur, cupientes, fraternitatem tuam requirimus, rogamus et hortamur attentius quatenus super pacis concordia inter ipsos cives mutua, dissentionum, rancorum et odiorum extirpatis vepribus, reformanda, cum etiam ad te, cujus immediate sunt subditi, pertineat, sic efficaciter interponere studeas partes tuas, quod exinde fructus votivi quietis et pacis resultent, et tue circumspectionis prudentia propterea possit et debeat merito commendari. Datum Avinione, III kalendas januarii, anno tercio.

1373 Avignon, 30 décembre 1344.

Prorogat terminum infra quem abbas monasterii Sancti Petri ad Montes, O. S. B., Cathalaunensis diocesis, munus benedictionis recipere debet. (Reg. 138, n° DCXXVII, f° 170 v°.)

Dilecto filio Antonio, abbati monasterii Sancti Petri ad Montes Cathalaunenses, ordinis Sancti Benedicti. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam gerere dinosceris, promeretur ut in hiis, que sunt favoris et gratie, nos propicios reperias et benignos. Cum itaque pridem monasterio Sancti Petri ad Montes Cathalaunenses, ordinis Sancti Benedicti, tunc pastoris regimine destituto, de persona tua, licet absente, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te ipsi monasterio in abbatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati tibi tempus recipiendi munus benedictionis a canonibus diffinitum, infra quod adhuc esse dinosceris, usque ad unum annum a data presentium inantea computandum auctoritate de speciali gratia prorogamus; proviso quod inte-

rim taliter de ipsus monasterii administratione provideas, quod illud in spiritualibus non ledatur, nec in temporalibus detrimentum propterea patiatur. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, III kalendas januarii, anno tercio.

1374 Avignon, 31 décembre 1344.

Infrascriptæ sic indulget ut ad abbatialem dignitatem præfici possit, quamvis vicesimum primum ætatis tantum attigerit. (Reg. 138, n° DCXXX, f° 171.)

Dilecte in Christo filie Dyonisie de Rupe, moniali monasterii de Regula, Lemovicensis diocesis, ordinis Sancti Benedicti. Religionis zelus, morum gravitas etc..... Hinc est quod nos hujusmodi tuorum meritorum obtentu tecum, ut ad abbatialem vel quamcunque aliam dignitatem aut administrationem tui ordinis eligi vel assumi, eamque recipere ac licite retinere valeas, defectu etatis, quem pateris, cum in vicesimo primo etatis tue anno, vel circa illum constituta existas et quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, tenore presentium auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, II kalendas januarii, anno tercio.

1375 Avignon, 31 décembre 1344.

Infrascripto abbati sic indulget ut a quocumque antistite munus benedictionis recipere valeat, salvis juribus archiepiscopi Rothomagensis, cui monasterium ordinario jure subest. (Reg. 138, n° DCXXVIII, f° 171.)

Dilecto filio Jacobo de Ulmis, abbati monasterii Sancti Martini juxta Pontisaram, ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis. Cum nos pridem —. Datum Avinione, II kalendas januarii, anno tercio.

1375 Avignon, 31 décembre 1344.

Infrascripto abbati sic indulget ut a quocumque antistite munus benedictionis recipere valeat. (Reg. 138, n° DCXXVIII, f° 171).

Dilecto filio Jacobo de Ulmis, abbati monasterii Sancti Martini juxta Pontisaram, ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis. Cum nos pridem monasterio sancti Martini juxta Pontisaram, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis, abbatis regimine destituto, de persona tua, licet absente, nobis et fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta duxerimus de fratrum eorundem consilio providendum, preficiendo te prefato monasterio in abbatem, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur, nos super hiis, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, et volentes ipsius monasterii parcere laboribus et expensis, quos in veniendo ad sedem apostolicam pro recipiendo numere benedictionis impendendo tibi, tu et idem monasterium haberetis de necessitate subire, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris antistite catholico, gratiam et communionem ejusdem sedis habente, munus benedictionis hujusmodi recipere valeas, et eidem antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere tibi libere possit, plenam et liberam tibi concedimus, tenore presentium, facultatem. Volumus autem quod idem antistes, qui tibi munus predictum impendet, postquam illud tibi impenderit, a te, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis debite solitum recipiat juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam juramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hoc venerabili fratri nostro... archiepiscopo Rothomagensi, cui prefatum monasterium ordinario jure subesse noscitur, nullum imposterum prejudicium generetur. Datum Avinione, II kalendas januarii, anno tercio.

1376 Avignon, 3 janvier 1345.

Eos rogat ut juxta moderacionem Benedicti papæ XII archiepiscopo Lugdunensi procurationes ratione visitationis exhiberi jubeant. (Reg. 138, n° MCLI, f° 306 v°.)

Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Viennensi et... Aniciensi ac... Gratianopolitano episcopis. Dudum peticionibus venerabilis —. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

1377 Avignon, 3 janvier 1345.

Reginæ Siciliæ decimam omnium redditum et proventuum ecclesiasticorum per triennium concedit, postquam decima trien-

nalis. dudum tam in Sicilia quam alibi imposita, ex toto persolvetur. (Reg. 138, n° DLVIII, f° 153.).

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Dum clara devotionis et fidelitatis merita, quibus inclite memorie progenitores tui, erga Deum et sanctam Romanam ecclesiam claruerunt, intra nostra precordia delectabiliter recensemus, et attendimus etiam diligenter quod tu, filia carissima, in devotione ac fidelitate hujusmodi eisdem progenitoribus studes operosis affectibus inherere, libenter super tuis oportunitatibus, quantum cum Deo possumus, tibi assistimus, teque favoribus prosequimur gratiosis. Sane nuper exhibita nobis tua petitio continebat quod, propter ardua incumbentia tibi negocia, multis et diversis necessitatibus adeo existere oppressa nosceris et gravata, quod pro illis relevandis utilius auxiliis indiges oportunis, et cum nos dudum supplicationibus clare memorie Roberti regis Sicilie, avi tui, dum in humanis ageret, inclinati, certis ex causis tunc nobis pro parte ipsius regis expositis, decimam omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum in regno et terris sue ditioni temporali subjectis consistentium, eidem regi per triennium, certis terminis ejusdem triennii prefixis, super hoc duxerimus auctoritate apostolica concedendam, quamvis eadem concessio effectum non habuerit, prefato rege tunc, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, tuque filia dilectissima, que immediate dicto regi avo tuo in regno et terris successisti predictis, urgentibus eisdem tuis necessitatibus, presertim in primordiis regni tui, magis gravata necessitatum ipsarum oneribus quam rex predictus existeret, amplioribus indigere presidiorum auxiliis dinoscaris, nobis humiliter supplicasti ut simile decimale subsidium in regno et terris predictis, pro relevandis et supportandis utilius eisdem necessitatibus, tibi concedere de benignitate solita dignaremur. Nos igitur, audita supplicatione hujusmodi, attendentes quod hiis temporibus preteritis non sine dolore cordis et amaritudine mentis auditis duris afflictionibus et oppressionibus variis et horrendis, quas hostes illi prophani persecutores atrocissimi fidei Christiane, Turchi videlicet, omni humanitate rejecta intulerant catholicis populis Romanie, aliarumque transmarinarum partium vicinarum, agrediendo partes easdem per terram et mare hostiliter, ignis incendio devastando, capiendo fideles degentes in eisdem partibus, et quamplures secum ducendo in predam, et detinendo miserabili servitute captivos, in divine magestatis contumeliam et opprobrium ortodoxe fidei, et inferre crudelitate sevissima continue non cessabant, certum galearum armatarum et munitarum sufficienter subsidium pro defensione ipsorum fidelium et fidei, ac repressione et impugnatione dictorum infidelium, cum carissimo in Christo filio nostro Hugone, rege Cipri illustri, ac dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, et nobili viro... duce Veneciarum aliisque fidelibus illuc ordinavimus destinandum; et deinde videntes quod negocium hujusmodi subsidii expensarum multiplicium profluvia exigebat ad illud tenendum et continuandum usque ad triennium fortius et virtuosius, decime triennalis subsidium de redditibus et proventibus ecclesiasticis tam in regno et terris predictis, quam aliis diversis partibus consistentibus, exigendum per dictum triennium, et in dictum subsidium convertendum sub certis modis et formis duximus imponendum. Considerantes quoque quod, cum jam termini solutionis ejusdem decimalis subsidii sint incepti, si tibi petitum a te subsidium concederemus per dictum triennium exigendum, ecclesie ac persone regni et terrarum predictorum ecclesiastice in solutione duplicis decime nimium gravarentur, ac volentes super hiis, ut predicto defensionis et expugnationis subsidio non detrahatur in aliquo, tuisque utrimque saltem occurratur premissis necessitatibus, et ecclesie ac persone predicte ecclesiastice importabiliter non graventur, circa hec, prout melius et utilius possumus providere, deliberatione cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus prehabita super hiis diligenti, et de ipsorum consilio, tue supplicationi hujusmodi benignius inclinati, decimam omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum, in regno et terris tibi subjectis consistentium, usque ad tres annos a fine ultimi termini solutionis decime triennalis per nos dudum tam in illis quam aliis diversis partibus pro defensione ac expugnatione predictis, ut premittitur, imposite, computandos, auctoritate apostolica imponimus singulis annis hujusmodi triennii in duobus terminis post ultimum terminum solutionis predicte, medietatem videlicet in Omnium Sanctorum ex tunc primo venturo, et reliquam medietatem in Resurrectionis Dominice festis, a venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis ceterisque personis ecclesiasticis, quibuscumque exemptis et non exemptis, in regno et terris tibi subjectis consistentibus, quantacumque prefulgeant dignitate, seu cujuscumque preminentie, conditionis vel status, ordinis aut religionis existant,

quibus vel eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias, sub quacumque forma vel expressione verborum concessa, quo ad hoc nolumus suffragari, preterquam a personis et locis Hospitalis predicti, nec non et eisdem cardinalibus qui nobiscum in solicitudinis partem assumpti, pro rebus publicis et privatis per utilis arduitatem consilii assidue vigilantes, student statui salutique fidelium continua solicitudine providere, quos ab hujusmodi solutione decime liberos esse volumus et immunes, integraliter persolvendam, tuis usibus, sicut continetur inferius, pro relevandis commodius tuis predictis necessitatibus applicandam. Volumus autem quod prefati archiepiscopi et episcopi cetereque persone ecclesiastice, tam exempte quam non exempte, in eisdem regno et terris subjectis tibi constituti, de omnibus redditibus et proventibus ecclesiasticis eorumdem solvant et exhibeant decimam supradictam, secundum modum, morem, et consuetudinem in solutione ac collectione hujusmodi decime hactenus observatos, per dictos tres annos in terminis supradictis, et ad id sub modo et forma infrascriptis, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam ac etiam sequestrationem fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum suorum, si expediens visum fuerit, appellatione cessante, compellantur, sed nullatenus invocetur super hoc auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem apostolicam existeret ordinatum. Rursus ne de moneta, in qua solutio prefate decime fiet, et fieri debebit, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc viri ecclesiastici pati possent, volumus quod decima ipsa, per collectores, vel subcollectores super hoc deputatos, levetur ad monetam currentem communiter, tempore quo ipsius solutio facienda fuerit, et etiam exigatur juxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicujus cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, ad quam solutionem ejusdem monete currentis prefatos prelatos et personas ecclesiasticas faciendam volumus teneri dumtaxat. Preterea prefata decima exigatur a prelatis et personis ecclesiasticis supradictis secundum consuetudinem in exactione et solutione hujusmodi observatam. Fiat quoque ipsa exactio absque alio onere illorum, a quibus eadem decima exigetur, nisi forte, illis deficientibus in solutione ipsius in terminis antedictis, ob hujusmodi eorum defectum, expensas fieri oporteret, ad quarum solutionem eos teneri volumus et astringi, quodque circa hoc juxta constitutionem ejusdem Viennensis Concilii calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis obsequiis deputata, ex causa pignoris vel distractionis cujuslibet, collectores seu subcollectores, assumpti vel assumendi ad exactionem hujusmodi decime, ut premittitur, capere seu recipere, distrahere seu occupare nullo modo presumant. Non obstantibus etc. Et quia, si tu, filia precarissima, cui propter utiliorem relevationem predictarum tuarum necessitatum, tibi ad presens, ut intelleximus, incumbentium, decimam hujusmodi concedimus, ut preferatur, ejus careres commodo usque post ultimum terminum solutionis dicte decime pro dictis defensione ac expugnatione, ut expressum est superius, imposite, dispendiosum tibi ac regno et terris predictis nimis, ut ex parte tue celsitudinis asseritur, redderetur, nos volentes super hoc, ut premisimus, providere, ad tue supplicationis instantiam ordinamus quod pecunia pro duobus solutionis terminis de primo anno prime predicte decime, pro subsidio defensionis et expugnationis supradictarum, ut premissum est, dudum imposite, collecta vel colligenda pro eodem subsidio insolidum remanente, in singulis aliis utriusque decimarum predictarum solutionis terminis, per quatuor annos videlicet, cum pecunia earum soluta vel collecta fuerit, medietas illius eidem subsidio, et alia medietas tibi pro tuis predictis commodius supportandis necessitatibus integraliter applicetur et assignetur per collectores predictos ; illa vero pecunia, que anno ultimo de secunda decima colligetur, tibi cedat et assignetur in solidum loco illius, que de primo anno predicte prime decime collecta est, seu debet colligi, et eidem subsidio totaliter remanere, ita quod singulis annis, quibus exigetur dicta decima, in duobus terminis quolibet annorum ipsorum, videlicet unica dumtaxat decima in regno et terris predictis, sicut expressum est superius, persolvatur. Nulli ergo etc. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

1378 Avignon, 3 janvier 1345.

Aquensi, Arelatensi et Ebredunensi archiepiscopis mandat ut decimam triennalem reginæ Siciliæ concessam in eorum provinciis colligant. (Reg. 138, nos DLIX-DLXI, fo 154 vo.)

Venerabili fratri archiepiscopo Aquensi ejusque suffraganeis. Dum clare devotionis et fidelitatis merita, quibus inclite memorie primogenitores carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Sicilie illustris, erga Deum et

Sanctam Romanam ecclesiam claruerunt, intra nostra precordia delectabiliter recensemus, et attendimus etiam diligenter, quod eadem regina in devotione ac fidelitate hujusmodi eisdem primogenitoribus studet operosis effectibus inherere, libenter super suis oportunitatibus, quantum cum Deo possumus, eidem assistimus ipsamque favoribus prosequimur gratiosis. Sane etc., usque in finem, verbis competenter mutatis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatenus vos et singuli vestrum prefatam decimam de redditibus et proventibus vestris ecclesiasticis in terris eidem regine subjectis consistentibus, secundum taxationem ipsius decime, si juxta illam solvere consueveritis, alioquin secundum consuetudinem in solutionem hujusmodi hactenus observatam, solvere per dictos tres annos in eisdem terminis, in quorum illorum medietatem ipsius decime, et ab aliis personis ecclesiasticis vestrarum civitatum et diocesis, de redditibus et proventibus ecclesiasticis earundem in dictis terris consistentibus, ut prefertur, juxta predictos modum et morem, per dictos tres annos colligere, exigere, et recipere singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus, ac in eisdem terminis studeatis, contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, auctoritate vestra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac verbo ad verbum de indulto huju modi mentionem. Quod si forsan aliquis vestrum in ipsis terminis defecerit in solutione decime supradicte, taliter deficientem similes sententias, quas per nos vel subdelegatos nostros, ut premittitur, deputandos ad eandem decimam in vestris civitatibus et diocesibus colligendam, in non solventes decimam ipsam in terminis supradictis proferri contigerit, incurrere voluimus ipso facto, a qua post satisfactionem debitam, per aliquem ex vobis et aliis vicinis episcopis excommunicationis sententia non ligatum, et aliam gratiam et communionem apostolice sedis habentem, facta sibi fide de solutione hujusmodi, possit absolutionis, nec non super irregularitate, si quam occasione premissa hujusmodi ligatus sententiis celebrando divina, vel alias se inmiscendo eisdem, non tamen in contemptum clavium forsan contraxerint, penitentia sibi super hoc imposita salutari, oportune beneficium dispensationis impendi. Porro pecunias, quas tam de prima pro dicto subsidio, quam de secunda pro necessitatibus ejusdem regine commodius relevandis, decimis, per nos, ut premittitur, impositis, solveritis et colligeritis in singulis solutionis earum terminis, videlicet de duobus terminis primi anni predicte prime decime pro dicto subsidio imposite integraliter, ac de quatuor annis extunc immediate sequentibus, tam prime quam secunde decimarum ipsarum medietatem camere nostre pro subsidio supradicto, et aliam medietatem necnon totam decimam de ultimo anno, post dictos quatuor inmediate sequenti, dicte regine vel ejus certo receptori assignare secundum ordinationis nostre predicte seriem studeatis. Preterea collectionem et solutionem hujusmodi decime fieri de moneta currenti, sicut superius est expressum, et observari constitutionem editam in Concilio Viennensi volumus tam super hiis, quam quo ad calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis obsequiis deputata, ex causa pignoris, vel distractionis cujuspiam, per nos seu quosvis alios ad collectionem et exactionem hujusmodi decime, ut premittitur, assumendos, nequaquam capienda seu recipienda, tenaciter observari. Ceterum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina, vel alia impedimenta legitima, vestrum singulis commode presentari, volumus quod per te, frater archiepiscope, dictarum litterarum transumptum, manu publica scriptum, tuoque sigillo munitum, vobis fratribus suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per vos volumus, velut eisdem originalibus litteris, plenam fidem. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

In eundem modum... *Venerabili fratri... archiepiscopo Arelatensi ejusque suffraganeis*; — *venerabili fratri... archiepiscopo Ebredunensi ejusque suffraganeis.*

1379 Avignon, 3 janvier 1345.

Ei mandat ut decimam triennalem in Pedemonte et Lombardia colligat. (Reg. 138, n° DLXII, f° 155 v°.)

Venerabili fratri episcopo Albensi. Dum clara devotionis —. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

1380 Avignon, 3 janvier 1345.

Infrascriptis archiepiscopis mandat ut decimam triennalem in regno Siciliæ petant, recipiant et colligant. (Reg. 138, n° DLXIII, f° 156.)

Venerabilibus fratribus Brundusino et Capuano archiepiscopis. Dum clara devotionis —. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

1381 Avignon, 3 janvier 1345.

Cum monasterium monialium Sancti Cæsarii, O. S. B., Arelatensis diœcesis, cujus provisionem sibi reservaverat, per obitum Suriana abbatissæ vacaret, infrascriptis cardinalibus mandat ut quamdam monialem idoneam dicti ordinis in abbatissam dicti monasterii legant. (Reg. 138, n° DCXXXI, f° 171 v°.)

Dilectis filiis Guidoni Sancte Cecilie [1] *et Stephano Sanctorum Johannis et Pauli tituli, presbiteris cardinalibus.* Pastoralis officii debitum —. Datum Avinione, III nonas januarii, anno tercio.

1382 Avignon, 4 janvier 1345.

Eis mandat ut capitula Aquilegensis et Cenetensis ecclesiarum reconcilient. (Reg. 138, n° DCXXXII, f° 172.)

Venerabili fratri Guidoni episcopo Concordiensi et abbati monasterii Sancti Cipriani de Murano, prope Venecias, ac Johanni Boniole, canonico ecclesie Sancti Marchi de Venetiis, Castellane diocesis. Nuper relatibus intelleximus. — Datum Avinione, II nonas januarii, anno tercio.

1383 Avignon, 4 janvier 1345.

Ludovicum de Pictavia Humberto dalphino Viennensi commendat. (Reg. 138, n° DCXXXIII, f° 172.)

Dilecto filio, nobili viro, Humberto Dalphino Viennensi. Cum nos dilectum filium, nobilem virum, Ludovicum de Pictavia et ejus negocia certis considerationibus specialis prosequamur prerogativa favoris, nobilitatem tuam attente rogamus quatinus super hiis, que idem nobilis tecum habet expedire, ut intelleximus, sic nostrorum obtentu precaminum favorabiliter et gratiose honestate servata prosequaris eundem, quod nos exinde tue liberalitatis benivolentiam possimus merito cum graciarum actionibus commendare. Datum Avinione, II nonas januarii, anno tercio.

1384 Avignon, 4 janvier 1345.

Regem Aragonum rogat ne reginam Majoricarum impediat, quominus Jacobum regem virum suum adeat. (Reg. 138, n° DCXXXV, f° 172 v°).

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Nuper intelleximus quod, cum carissima in Christo filia nostra Constantia, regina Majoricarum illustris, germana tua, hiis diebus preteritis, de partibus terrarum tuarum ubi per aliqua tempora moram traxit, se conferendi ad carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, virum suum, ut eidem adherere valeret, sicut tenetur ex lege ac fide matrimonii, arripuisset cum sua comitiva decenti, sicut status ipsius exigit excellentia, iter suum, quidam tui, fili carissime, nuncii tam cum litteris tuis credentie, quam aliis, ad reginam missi predictam, certis personis nobilibus et notabilibus in comitiva ipsius regine tunc existentibus, et eam associantibus, pro parte tue celsitudinis sub penis formidabilibus inhibuerunt expresse ne reginam eandem, si de terris exiret predictis, associare presumerent quoquo modo, dicte regine presentatis sibi tuis eidem directis litteris, nichilominus suadendo, sicut per litteras suadebatur predictas, ne de terris exiret predictis, ad prefatum virum suum quomodolibet accedendo. Cum autem premissa legi conjugalis federis, si est ita, utique obvia, non honoris regii decentiam, sed potius conjugum ipsorum injuriam, et Dei offensam concernere videantur, excellentiam rogamus regiam, et attentius in Domino exhortamur, quatinus quid deceat et expediat super hiis, inter precordia regia provida et matura deliberatione revolvens, relaxatis inhibitionibus hujusmodi, memoratam reginam permittat libere ad predictum virum suum accedere decenter et honorifice, sicut tuo et suo honori congruit, comitiva eidem ydonea saltem quamdiu iter suum perficiendo predictum in terris tuis predictis fuerit assignata, maxime cum alias nobis, porri gentibus tibi super hiis preces nostras, tua sublimitas duxerit respondendum quod impedire quominus regina ipsa libere posset ad

(1) Ms : Sicilie.

memoratum virum accedere nullatenus intendebas; te taliter, fili dilectissime, habiturus super hiis quod, offensa vitata divina, tuis et ipsius regine honoribus consulatur, tueque circumspectionis prudentia possit et debeat merito commendari, nec nos oporteat, cogente debito pastoralis officii, de alio in hac parte remedio providere. Datum Avinione, II nonas januarii, anno tercio.

1385 Avignon, 4 janvier 1345.

Infrascriptum rogat ne præstimonium Beatæ Mariæ de Marchana impediat, quod ad P. Folcoaldi, canonicum Ispalensem pertinet. (Reg. 138, n° DCXXXIX, f° 172.)

Dilecto filio, nobili viro, Petro Poncii de Legione, domino de Marchana, Ispalensis diocesis. Exposuit nobis nuper —. Datum Avinione, II nonas januarii, anno tercio.

1386 Avignon, 5 janvier 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXVI, f° 315 v°.)

Item in eodem modo *dilecto filio, nobili viro, Bertrando de Falgayras, domicello et dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Fine ejus uxori, Caturcensis diocesis.* Datum Avinione, nonis januarii, anno tercio.

1387 Avignon, 6 janvier 1345.

Infrascriptum capellanum et commensalem ad acolitatus officium promovet. (Reg. 138, n° DCCXL, f° 198 v°.)

Dilecto filio Guillelmo de Agrifolio, priori prioratus Abbatisville, ordinis Cluniacensis, Ambianensis diocesis, capellano et familiari nostro. Dum dona virtutuum varia, quibus personam tuam insignivivit altissimus, familiari experientia nobis nota, diligenter attendimus et obsequiorum gratitudinem, que nobis et apostolice sedi fidelibus et sedulis studiis impendisti hactenus et continue impendere non desistis, intenta meditatione pensamus, dignum reputamus et debitum ut te gratiosis preveniamus honoribus et oportunis gratiis prosequamur. Ut autem ex tuis meritis hujusmodi nostram sentires uberius benevolentiam per effectum, te dudum, videlicet nonis maii pontificatus nostri anno primo, in capellanum nostrum et apostolice sedis commensalem recepimus, et capellanorum nostrorum comensalium consortio gratiose duximus agregandum. Nunc vero, te continue per gratuitorum officiorum obsequiorum exercitium circa nostra et ipsius sedis negocia laudabilibus studiis insudante, nos, auctis tuis meritis, te volentes prosequi prerogativa favoris et gratie amplioris, una cum capellania commensali predicta te ad acolitatus nostri officium gratiose assumimus et acolitorum nostrorum et ejusdem sedis consortio favorabiliter agregamus, ut honoribus et comodis, quibus nostri capellani commensales et acoliti perfruuntur, efficiaris particeps et leteris, sperantes in Domino quod per honorem tibi exhibitum, de virtute procedens continuis successibus in virtutem, te Deo ac nobis sedique predicte per meritorum cumulum acceptiorem efficies, ac nostram et ipsius sedis propterea gratiam mereberis ampliorem. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VIII idus januarii, anno tercio.

1388 Avignon, 7 janvier 1345.

Infrascripto indulget ut possit per procuratorem visitare procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXXXVII, f° 302.)

Venerabili fratri Archambaudo, episcopo Sancti Flori. Devotionis tue probata —. Datum Avinione, VII idus januarii, anno tercio. *Et dirigatur executoria dilectis filiis... de Volta et... de Bajasse prioribus Sancti Flori diocesis, ac decano ecclesie Sancti Flori.*

1389 Avignon, 8 janvier 1345.

Gregorium, præpositum ecclesiæ Casinensis, Zagabriensis diœcesis, qui pecuniæ summas, Cameræ apostolicæ in Hungaria debitas, refert, duci Venetiarum commendat. (Reg. 138, n° DCXXXVI.)

Dilecto filio, nobili viro, duci Venetiarum. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, VI idus januarii, anno tercio.

1390 Avignon, 8 janvier 1345.

Infrascriptis, qui securum conductum Gregorio præposito ecclesiæ Casinensis, S. A. nuncio, præbuerant, gratias agit. (Reg. 138, n°s DCXXXVII et XXXVIII, f° 173.)

Dilectis filiis, nobilibus viris, Duynio et Bartholomeo fratri suo, comitibus de Modiusina. Gratis admodum relatibus —. Datum Avinione, VI idus januarii, anno tercio.

In eodem modo... *comiti de Flumine.*

1391 Avignon, 8 janvier 1345.

Infrascriptum collectorem in Sardiniæ atque Corsicæ regnis deputat et ei mandat ut ad Cameram mittat quicquid Johannes Amalrici, quondam episcopus Soranus, in dictis regnis collegerat. (Reg. 138, nos DCXL-DCXLII, fo 173 vo).

Dilecto filio Bartholomeo Jalmar, plebano plebis Sancti Nicolai Turritani. Dudum diversa negocia —. Datum Avinione, VI idus januarii, anno tercio.

1392 Avignon, 8 janvier 1345.

Eum rogat ut Bartholomeum Jalmar, collectorem in Sardinia et Corsica adjuvet. (Reg. 138, no DCXLIII, fo 173.)

Dilecto filio, nobili viro, judici Arboree. Cum nos dilecto —. Datum ut supra.

1393 Avignon, 10 janvier 1345.

Electo Bremensi auctoritatem concedit 6.000 florenorum sumendi. (Reg. 138, no DXXXIII, fo 143 vo.)

Dilecto filio Ottoni, electo Bremensi. Cum sicut proposuisti —. Datum Avinione, IIII idus januarii, anno tercio.

1394 Avignon, 13 janvier 1345.

Rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia de administratione gratulatur. (Reg. 132, no DCXLV, fo 174 vo.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Viterbiensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia. Relatus assertione placibilis —. Datum Avinione, idibus januarii, anno tercio.

1395 Avignon, 13 janvier 1345.

Dominæ de Bellojoco nuntiat virum ejus valere et ab eo Turchos profligatos fuisse. (Reg. 138, no DCXLIIII, fo 174 vo.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Marie domine de Bellojoco. Quia per litteras, quas tua sincera filialis devotio nobis misit, de dilecto filio, nobili viro, Edwardo, domino de Bellojoco, viro tuo, qui dudum ad partes transmarinas, zelo accensus fidei catholice, profectus extitit, te desiderare rumores audire prosperos inter cetera descripsisti, devotioni tue hujusmodi patefieri volumus per presentes, quod tam per litteras venerabilis fratris nostri, Henrici Patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis in partibus ipsis legati, quam aliorum fidedignorum, non sine mentis letitia et inmensi exultatione gaudii percepimus hiis diebus, quod idem Patriarcha cum stolio galearum, quas nos dudum armis et hominibus armigeris sufficienter munitas pro defensione populi Christiani Romanie ac aliarum transmarinarum partium vicinarum, qui per Turchos infideles, hostes atrocissimos fidei Christiane, affligebantur inmaniter, ad partes easdem ordinavimus destinandas, ad quoddam castrum fortissimum situm juxta portum maris, quod per Turchos eosdem custodiebatur cum magna diligentia, tanquam locus fortior, et eisdem Turchis pre aliis locis illarum partium accomodior tenebatur, cum multis viris in armis strenuis, inter quos vir tuus predictus de principalioribus erat, accedens, et in virtute altissimi cum felici Christianorum exercitu, tam per mare quam per terram, dictum castrum, et innumerabilis multitudinis Turchorum predictorum exercitum in ripa maris, ac juxta et infra castrum etiam existentem predictum, viriliter et potenter agrediens, tandem illius a qua est omnis victoria cohoperante virtute, castrum ipsum cum portu et fortaliciis, devictis ejusdem fidei hostibus triumphaliter et fugatis, [obtinuit] sperans in Domino Patriarcha predictus, sicut sue predicte littere subjungebant, cum eisdem castro, portu et fortaliciis, que nostro et ecclesie Romane nomine tenet et possidet, assistente sibi predictorum strenuorum virorum fidelium comitiva, alias terras infidelium predictorum acquirere, in illisque, eliminata paganici erroris spurcicia, cultum dilatare fidei orthodoxe. Consoleris igitur, filia, super rumoribus in Domino felicibus hujusmodi, et de viro tuo predicto, cujus strenuitatem ejusdem patriarche commendant multipliciter littere, specialiter describentes ipsum in fortalicio dicti castri cum eodem patriarcha confidente de illo principaliter commorari, quod tam piis sibique meritoriis operibus, famam sui nominis et honoris extollentibus, se impendit. Preterea ejusdem viri tui litteras postmodum recepimus, quarum tenorem ad cumulum tue consola-

tionis tibi mittimus presentibus interclusam. Datum Avinione, idibus januarii, anno tercio.

1396 [Avignon, 13 janvier 1345.]

Infrascriptis mandat ut controversiam dirimat quæ inter magistrum Raymundum de Valle, archidiaconum de Sancto Sereno, Caturcensis diœcesis notarium et Petrum de Sancto Amantio, decanum monasterii de Carennaco, ordinis Cluniacensis, Caturcensis diœcesis, ob procurationes exorta erat. (Reg. 138, n° DCXLVII, f° 175.)

Dilectis filiis magistro Bernardo Stephani, archidiacono de Figiaco in ecclesia Caturcensi, notario nostro, et Stephano abbati de Belloloco, Lemovicensis diocesis. Dudum inter dilectos filios magistrum Raymundum de Valle, archidiaconum de Sancto Sereno in ecclesia Caturcensi, notarium nostrum ex parte una, et Petrum de Sancto Amantio, decanum monasterii de Carennaco, ordinis Cluniacensis, Caturcensis diocesis, per decanum soliti gubernari, ex altera, mota materia questionis, super eo videlicet, quod idem magister Raymundus archidiaconus, nomine archidiaconatus sui de Sancto Sereno, ab ecclesiis dicti monasterii de Carennaco et de Sancta Speria, de Padiraco, et de Alvinhaco parrochialibus carumque rectoribus seu perpetuis vicariis dicte Caturcensis diocesis, infra dictum archidiaconatum consistentibus, procurationes ratione visitationis impense in eisdem ecclesiis, nomine ipsius archidiaconi, auctoritate privilegii eidem super hoc ab apostolica sede concessi, sibi debitas in pecunia moderatas exhiberi petebat et solvi, prefatusque decanus asserens ecclesias et rectores seu vicarios predictos, pro eo ad exhibendas et solvendas procurationes hujusmodi non teneri, quod monasterium predictum, ad quod spectant ecclesie supradicte, adeo exemptum et privilegiatum per sedem eandem esse dicit, quod pro se vel dictis ecclesiis ad exhibendas procurationes aliquas non tenetur, subjungens nihilominus se a processibus per executores vel subexecutores prefato archidiacono a sede deputatos predicta, vel aliquem ipsorum factis, et sententiis promulgatis pro parte ipsius decani ac rectorum seu vicariorum predictorum fuisse ad sedem appellatum predictam, memorato archidiacomo replicante, quod hujusmodi privilegia, que decanus predictus asserit suo monasterio predicto olim fuisse concessa, etiam si extarent, non obstant in aliquo quominus ecclesie ac rectores seu vicarii predicti ad predictas procurationes exhibendas et solvendas teneantur eidem, quia bone memorie Arnaldus, Sancti Eustachii diaconus cardinalis, archidiaconus archidiaconatus predicti, predecessor suus immediatus, multis annis continuis ab eisdem ecclesiis et rectoribus seu vicariis recepit et habuit pacifice procurationes predictas. Tandem vero partes predicte, que hiis et quibusdam aliis rationibus suam intentionem fundare nituntur, cupientes vitatis litigiosis amfractibus per viam summariam justicie, vel amicabilis compositionis, sopiri questionem predictam, in nos sub certa forma compromiserunt concorditer, sicut nuper propositum extitit coram nobis. Nos igitur qui pacis consilia libenter subditis procuramus, de consensu partium predictarum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii super premissis et ea tangentibus, informatione recepta, per viam summariam justicie, vel compositionis amicabilis tam ex potestate arbitraria, vobis a partibus attributa, quam auctoritate nostra, vel utraque, sicut utilius cognoveritis expedire, questionem decidatis et sopiatis predictam. Interim autem usque ad certum terminum, super quo partes ipse consenserint coram vobis, absque prejudicio utriusque ipsarum, tam in possessione quam proprietate, processus et sententias supradictos, quantum prefatos decanum ac rectores seu vicarios ac ecclesias superius nominatas contingunt, auctoritate suspendatis predicta ; adjecto tamen specialiter et expresse, quod, si forsan infra terminum hujusmodi eadem questio per vos non existeret terminata, predicti processus et sententie in sui vigoris efficacia extunc existant plenarie, sicut prius [1].

1397 Avignon, 15 janvier 1345.

Dalphinum Viennensem rogat ut iter ad Ludovicum de Bavaria differat et ei victoriam contra Turcos obtentam nuntiat ; quæ quidem omnia Guillelmus de Verey, prior prioratus Sancti Benedicti de Suessiaco, Lugdunensis diœcesis, percensebit. (Reg. 138, n° DCLII, f° 177 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Humberto Dalphino Viennensi. Placibiliter ea que dilectus filius Guillermus de Verey, prior prioratus Sancti Benedicti de Suessiaco, ordinis Sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis, et alii tui nuncii nuper

(1) In epistola dies non adscribitur.

venientes ad nostram presentiam, nobis pro parte tua explicare curarunt, audivimus, et tam illa, quam contenta in litteris tue nobilitatis nostro apostolatui presentatis, pleno collegimus intellectu, devotam et sinceram tue circumspectionis diligentiam commendantes multipliciter super eis. Sane, sicut eadem tua nobilitas non ignorat, nos reconsiliationem Ludovici de Bavaria, ut sue aliorumque multorum provideretur saluti a Deo, desiderabiliter optavimus et optamus; quod, licet ipse nos et sedem apostolicam per verba frequenter duxerit linguis loquendo variis et diversis in anime sue periculum, et status non modicum detrimentum, ipsum tamen de mansuetudine ac misericordia dicte sedis expectavimus, si animus suus, abstersa peccatorum caligine, divina illustraretur gratia, quod vias suas, quibus tortuose pro dolor !, graditur, cognosceret, et ab illis ad viam veritatis et rectitudinis reducere pedes suos, et adhuc etiam expectamus que sui nuncii, qui redire ad presentiam nostram in termino festi purificationis Beate Marie Virginis promiserunt, super negocio reconsiliationis hujusmodi reportabunt, quo quidem elapso termino deliberabitur, an te, fili, expediat ad Lodovicum, sicut nobis scripseras, personaliter proficisci, sicut prefatus prior, ad te de nostro beneplacito rediens, explicare tue prudentie hec et alia sibi per nos imposita seriosius poterit viva voce. Rursus ne tua ignoret devotio felices rumores nobis per litteras venerabilis fratris nostri Henrici, patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis in partibus transmarinis legati, et aliorum fidedignorum de illis partibus noviter nunciatos, illos tibi succin[c]te providimus describendos. Habent si quidem littere supradicte, quod legatus predictus cum stolio galearum, quas dudum ad defensionem Christiani populi degentis in Romania et aliis circumvicinis partibus transmarinis, adversus truculentam Turchorum infidelium rabiem, et persecutionem atrocem, quibus ad confusionem et exterminium Christiani nominis de illis partibus aspirantes, populum ipsum miserabiliter et immaniter affligebant, ordinavimus destinandas, et viris catholicis in armis strenuis, orthodoxeque fidei fervore accensis, secum adhibitis, ad quoddam castrum fortissimum in rippa et portu maris situm, quod per Turchos eosdem, tanquam locus pre aliis partium illarum eis accomodior, et unde majora dampna intulerant et inferre poterant Christicolis commorantibus in predictis partibus, summa custodiebatur diligentia, et etiam tenebatur, accedens, et in virtute Dei, cujus res in hoc agebatur principaliter, tam castrum ipsum quam exercitum innumerabilis multitudinis Turchorum ipsorum, hostium fidei Christiane, super ripam maris, ac circa et intra castrum predictum in superbia magna existentium, in quo quidem exercitu erat Marbassanus, dux principalis Turchorum ipsorum, agrediens viriliter et potenter, tandem post conflictus et congressus diversos inter Christianorum et Turchorum infidelium predictorum exercitus hinc inde habitos, illo faciente, sueque virtutis potentia mirabiliter operante, a quo est omnis virtus et victoria, eodem Marbassano aliisque devictis et fugatis triumphaliter fidei hostibus, prefatus patriarca cum felici catholicorum exercitu, castrum prefatum cum portu et fortaliciis obtinuit, et obtinet nostro et ecclesie Romane nomine, ibidemque disponit fortificando castrum ipsum, pro tempore de quo sibi videbitur residere, sperans nihilominus exinde posse cum exercitu fidelium, equitum et peditum, quibus egere multipliciter noscitur, assistente divine virtutis auxilio, acquirere multas alias terras infidelium circumposite regionis cultumque fidei catholice, ad laudem et gloriam divini nominis, eliminata paganici erroris exinde spurcicia, dilatare, quamquam magna fortificatione ac diligenti et fideli custodia indigeat presentialiter castrum illud. Hec quidem devotioni tue ad gaudii et exultationis augmentum, et ut de tante gratie dono collato desuper populo Christiano nobiscum in humilitate spiritus ad gratiarum actiones assurgas altissimo, et nihilominus, ad juvandum, fulciendum et prosequendum opus tam pium hujusmodi, zelus tuus, quem te circa talia habere novimus, accendatur vehementius, tenore presentium intimamus. Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno tercio.

1398 Avignon, 15 janvier 1345.

Petri regis Aragonum nuntios exspectat et ei mittit, priusquam respondeat, petitionem quam rex Majoricarum in consistorio porrexit. (Reg. 138, n° DCLIII, f° 178.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Affectu solite benignitatis receptis tue regalis magnificentie litteris, nostro nuper apostolatui presentatis et contentis in eis intellectu pleno collectis, respondentes ad ea, regiam volumus celsitudinem non latere quod, licet pridem carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, coram nobis et fratribus nostris certa in consistorio proposuerit et quandam petitionem in scriptis

dederit super eis, ad illam tamen respondere non intendimus, quousque tenorem illum tibi, fili carissime, sub bulla nostra miserimus, sicut credimus, satis cito. Porro cum, prout predicte littere subjungebant, tuos disponas in proximo nuncios ad nostram presentiam destinare, gratum nobis existit admodum et expediens reputamus. Illos quidem gratanter recipiemus et audiemus favorabiliter et benigne. Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno tercio.

1399 Avignon, 15 janvier 1345.

Infrascriptis ecclesiam et episcopum Ulixbonenses commendat. (Reg. 138, nos DCLIII-DCLVII, fo 178.)

Carissimo in Christo filio Alfonso, regi Portugalie. De celsitudine tua —. Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo, *Beatrici regine Portugalie* ; — *Petro infanti, primogenito regis Portugalie* ; — *Lupo Fernandi, domino de Ferraria, consiliario Alfonsi regis.*

1400 Avignon, 16 janvier 1345.

Abbati Cluniacensi mandat ut prioratum conventualem Montisacuti, Bathoniensis diœcesis, quam Johannes La Porta, prior resignaverat, personæ idoneæ conferat. (Reg. 138, no DCLVIII, fo 179.)

Dilecto filio abbati monasterii Cluniacensis, Matisconentis diocesis. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius Johannes La Porta, prior prioratus conventualis Montisacuti, Cluniacensis ordinis, Bathoniensis diocesis, prioratum ipsum, monasterio tuo Cluniacensi immediate subjectum, quem obtinet, certis ex causis rationabilibus libere resignare intendat, nos de tue circumspectionis industria in hiis et aliis plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus ab ipso Johanne priore, vel ejus procuratore, ab eo super hoc legitime constituto, hujusmodi resignationem, si eam facere voluerit, per te vel alium seu alios, auctoritate nostra recipias, ac ea recepta, prioratum predictum cum omnibus juribus et pertinentiis suis persone ydonee, eadem auctoritate conferre et assignare procures; inducens personam predictam, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem, prioratus, jurium et pertinentium predictorum et defendens inductum, amoto quolibet detentore, ac faciens ipsam personam vel procuratorem suum pro ea, ad hujusmodi prioratum, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione, XVII kalendas februarii, anno tercio.

1401 Avignon, 16 janvier 1345.

Dies ad solvendum censum, Cameræ debitum, prorogat. (Reg. 138, no DCLIX, fo 159 vo.)

Dilecto filio, Opizoni marchioni Estensi, in civitate nostra Ferrariensi ejusque comitatu et districtu nostro et Ecclesie Romane vicario. Cum secundum conventiones. Datum Avinione, XVII kalendas februarii, anno tercio.

1402 Avignon, 17 janvier 1345.

Infrascripto mandat ut civibus Januensibus et Saonensibus pacem injungat. (Reg. 138, nos DCLX-DCLXVIII, fo 179 vo.)

Venerabili fratri Ildebrandino, episcopo Paduano. Summi regis pacifici —. Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo, *Johanni de Murta, gubernatori, consilio et communi Januensibus* ; — *podestati et communi Saonensibus* ; — *Nicolao Johanni, Rafaeli et Thome de Flisco, comitibus* ; — *Galeato, Gerardo, Lamfrancho et Azoni de Spinulis* ; — *Galeotto, militi, Aytoni, Antonio, Azelino et Thome de Auria, et ceteris de domibus eorum* ; — *Carolo, militi, Antonio et Agoneloni de Grimaldis* ; — *Jacobo archiepiscopo Januensi.*

1403 Avignon, 17 janvier 1345.

Ildebrandino, episcopo Paduano, nuntio apostolico, qui Januam proficiscitur, litteræ salvi conductus conceduntur et ei octo floreni per diem attribuuntur. (Reg. 138, no MCI, fo 294 vo.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum venerabilem fratrem —. Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno tercio.

1404 Avignon, 19 janvier 1345.

Regem Aragonem, cui petitionem regis Majoricarum mittit, rogat ut statuat quid facere velit et ante kalendas martii respondeat. (Reg. 138, n° DCLXIX, f° 181.)

Carissimo in Christo filio, Petro regi Aragonum illustri. Nuper ad sedem veniens apostolicam carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, aliquibus per eum propositis et suppliciter postulatis, quandam supplicationem exhibuit in effectu proposita hujusmodi continentem. Nos igitur attendentes quod contenta in supplicatione predicta tuam magnificentiam non modicum contingebant, et volentes, quantum honeste possumus, tue regie sublimitati deferre, tenorem supplicationis ejusdem tue celsitudini, ut deliberare, quid agendum sit super ea, plenius regalis circumspectio valeat, interclusum presentibus providimus destinandum, eandem rogantes celsitudinem, et hortantes sano paternoque tibi, fili carissime, consilio nichilominus suadentes, quatinus quid liceat, deceat et expediat, diligenter attendens, infra kalendas instantis mensis marcii, infra quas aliquid aliud circa hoc innovare, sicut eidem regi diximus oretenus, non intendimus, que tue saluti anime, statui regni tui, et domus tue regie honori congruant, plene prospicere deliberatione matura procures. Scire quidem tuam magnificentiam minime dubitamus, quod nos, qui ex jugo servitutis apostolice desuper nobis imposito, sumus omnibus in justitia debitores, quamvis velimus, ut premittitur, quantum commode possumus, tue sublimitati deferre, regi tamen prefato denegare justitiam, salva conscientia, non valemus. Ceterum seriem duarum supplicationum aliarum nobis per eumdem regem exhibitarum postmodum, ut deliberare fideliter possit regia providentia super eis, eidem inclusam etiam presentibus destinamus. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno tercio.

1405 Avignon, 20 janvier 1345.

Reginæ Franciæ ducique Normanniæ Andream Coralli commendat. (Reg. 138, n^os DCLXXIII-LXXIV, f° 184.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Quia dilectum filium, nobilem virum, Andream Coralli, tam sue probitatis obtentu quam consideratione servitiorum per eum gratanter et fideliter hactenus, sicut credimus, domui regie impensorum, favore dilectionis prosequamur specialis, ipsum super status sui promotione, juxta suorum exigentiam meritorum congrua, tue, filia carissima, serenitatis benivolentie plenis affectibus commendamus. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo *Johanni primogenito regis Francie, duci Normannie.*

1406 Avignon, 20 janvier 1345.

Regem Franciæ rogat ut relaxationem Johannis comitis Montisfortis ad Pascham anni 1346 proroget. (Reg. 138, n° DCLXXV, f° 184.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Gratanter et placibiliter relatibus percepimus coram nobis sepius repetitis, quod dilectus filius, nobilis vir, Johannes comes Montisfortis, se tibi, fili carissime, obedientem exhibere studuit et fidelem, idque continuare humiliter non desistit, propter quod eo libentius preces pro ipso regie celsitudini porrigimus, quo eas, exigentibus ipsius comitis meritis, ad exauditionis effectum confidimus favorabilius introduci. Cum autem relaxationis gratia, prefato comiti per regiam magnificentiam dudum facta, debeat in instanti festo Resurrectionis dominice terminari, eandem magnificentiam attentius deprecamur, quatenus gratiam ipsam velit usque ad unum annum extunc continue secuturum, ex uberioris dono gratie, pro nostra et apostolice sedis reverentia prorogare, ipsumque comitem habere favore regio commendatum; ex hoc quidem speramus eum de devoto devotiorem fieri, et ad beneplacita regia devotius et ferventius preparari. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno tercio.

1407 Avignon, 21 janvier 1345.

Cum Stephanus, episcopus Calvensis, summam 1000 florenorum auri penes Franciscum Johannis, mercatorem Florentinum Neapoli commorantem, deposuisset, reginam Siciliæ rogat ne impediat quominus Guillelmus archiepiscopus Brundusinus hanc pecuniam repetat. (Reg. 138, n° DCLXX, f° 181.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri.

Intelleximus quod dudum —. Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno tercio.

1408 Avignon, 21 janvier 1345.

Infrascripto eadem, ut in Sicilia, potestates in civitate, districtu et territorio Beneventanis conceduntur. (Reg. 138, n° DCLXXI, f° 181 v°.)

Venerabili fratri archiepiscopo Brundusino, in regno Siciliae et terris citra Farum, apostolice sedis nuncio. Dudum ne bona —. Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno tercio.

1409 Avignon, 21 janvier 1345.

Episcopo Barchinonensi mandat ut diligenter inquirat an abbatissa et moniales monasterii de Casseriis, Sancti Papuli diocesis, quod Arnaldus vicecomes Caramanni et Margarita, ejus uxor, fundaverant, magis velint in ordine Sancti Benedicti remanere vel ad ordinem Sanctæ Claræ transferri. (Reg. 138, n° DCLXXII, f° 181 v°.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Barchinonensi. Circumspecta sedis apostolice providentia, illa, que per eam ordinata sunt provide, in melius sepe commutat, presertim cum ad laudem Dei et gloriam circa divini cultus augmentum et animarum salutem exinde ampliora existimat comoda proventura. Sane dudum pro parte dilecti filii, nobilis viri, Arnaldi vicecomitis, et dilecte in Christo filie, nobilis mulieris, Margarite, uxoris sue, vicecomitisse Caramanni, exposito felicis recordationis Johanni Pape XXII, predecessori nostro, quod Arnaldus et Margarita predicti, pro ipsius predecessoris, ac ipsorum Arnaldi et Margarite aliorumque fidelium animarum salute, offerre Deo acceptum obsequium cupientes, in castro seu loco suo de Casseriis, Sancti Papuli diocesis, ferventi devotione desiderabant fundare unum monasterium monialium cum ecclesia, claustro, domibus, officinis et septis competentibus ac etiam oportunis, in quo essent abbatissa, et triginta monialium numerus, in eodem abbatissa inclusa, quodque pro dotatione ipsius monasterii ad sustentationem earundem abbatisse ac monialium et servitorum aliorum necessariorum ibidem, dare disponebant de suis bonis propriis eidem monasterio quadringentas libras nudas Turonensium parvorum redditualium, ad venerabilis fratris nostri archiepiscopi Tholosani arbitrium assignandas, predecessor prefatus fundandi in castro seu loco predicto prefatum monasterium, ut prefertur, absque tamen parrochialis ecclesie dicti castri seu loci, et cujuslibet alterius prejudicio, dote tamen prius per eosdem Arnaldum et Margaritam sufficienti pro monasterio abbatissa, monialibus et servitoribus, sicut premissum est, assignata, et insuper per prefatos Arnaldum et Margaritam memorato archiepiscopo, cautione ydonea prestita de sufficientibus edificiis, pro predictis omnibus in eodem monasterio faciendis, duxit sepefatis Arnaldo et Margarite plenam et liberam licentiam concedendam. Et nichilominus statuit predecessor pretatus auctoritate predicta, et etiam ordinavit, quod in eodem monasterio essent abbatissa et triginta monialium numerus, eadem abbatissa numero hujusmodi computata et inclusa, quodque ibidem abbatissa non assumeretur, nec moniales reciperentur alique, donec assignatio predicta completa totaliter extitisset. Sed, postquam abbatissa et moniales essent inibi recepte, voluit quod, quotiens ex tunc vacare dictum monasterium contingeret, per electionem assumeretur ab ipsis monialibus abbatissa predicta, et quod abbatissa et moniales predicte, que ibi essent pro tempore in eodem monasterio, viverent sub habitu et regula Beati Benedicti et perpetuo infra septa predicta manerent incluse, nullo inde tempore quomodolibet exiture, haberentque cimiterium infra septa eadem, in quo sepelirentur, et alie quevis persone ibidem libere sepulturam possent eligere, ac etiam sepeliri ; rursus quod monialium predictarum correctio et punitio ad abbatissam spectarent, et ulterius statuit ac etiam ordinavit quod inter servitores predictos essent et esse deberent tres presbiteri, qui curam animarum haberent abbatisse ac monialium predictarum, presentandi per Arnaldum et Margaritam prefatos, et successores eorum. Ceterum voluit quod per predictam abbatissam seu deputandos ab ea reciperentur quadringente libre annis singulis de locis, in quibus existerent assignate, et per eandem administrarentur et distribuerentur pro necessitatibus monasterii, monialium et servitorum etiam predictorum. Concessit etiam Arnaldo et Margherite prefatis auctoritate predicta quod ipsi, vel eorum alter superstes, altero decedente, et post utriusque decessum, successores eorum, qui pro tempere forent, ex ipsis legitime descendentes, et ipsis descendentibus non extantibus, illi, de quibus Arnaldus et Margarita prefati ducerent ordinandum, ratione dotatio-

nis et fundationis hujusmodi, postquam, ut premittitur, facte forent, essent ex tunc et esse deberent patroni monasterii preliibati, et quod ipsi, ratione juris patronatus fundationis et ordinationis predictorum, et eorum successores prefati possent abbatisse ipsius monasterii, que pro tempore foret, nominare et presentare omnes et singulas puellas, seu mulieres, perpetuis futuris temporibus in moniales recipiendas in monasterio antedicto et eadem abbatissa nominatas prefatas, si forent ydonee, quotiens loca vacare contingerent, in moniales reciperet, et recipere teneretur, et eisdem induere habitum memoratum. Ac deinde dictus Johannes, predecessor, prefato archiepiscopo Tholosano ordinandi, statuendi et moderandi observantias et modum vivendi, juxta quos abbatissa et moniales predicte ipsius monasterii, ut prefertur, fundandi possent dignum Deo impendere famulatum, additis et detractis per ipsum archiepiscopum eidem regule illis, que, secundum Deum et convenientiam religionis, expedire videret, concessit plenam et liberam facultatem, prout in diversis ipsius predecessoris inde confectis litteris plenius continetur. Postmodum vero, prout petitio dictorum Arnaldi et Margarite nobis nuper exhibita continebat, iidem Arnaldus et Margarita prefatum monasterium dicti ordinis ad honorem Dei et gloriose Virginis Marie, matris ejus, sub titulo et vocabulo Beate Marie Angelorum, in dicto loco de Casseriis fundarunt, ac de bonis eorum propriis tam conjuctim quam divisim usque ad dictas quadringentas libras reddituales sufficienter juxta dictum arbitrium ejusdem archiepiscopi dotarunt, et in eo convenientia edificia construxerunt, ac deinde dicta Margarita in eodem monasterio ultra triginta predictas, alias quinque moniales instituit, que inibi una cum dictis triginta incluse Domino famulentur. Cum itaque, prout eadem petitio subjungebat, prefata Margarita ab hactenus ex certis et legitimis causis habuerit et adhuc habeat ad ordinem sancte Clare specialem et singularem devotionis affectum, desideretque in eodem monasterio divinum cultum, quantum cum Deo poterit, adaugeri, et propterea prefatum numerum triginta quinque predictarum, de quindecim sororibus augmentare, et de sex vel pluribus fratribus ordinis Fratrum Minorum presbiteris, informatoribus et instructoribus in spiritualibus, qui curam habeant animarum ipsarum monialium et sororum, qui loco dictorum trium presbiterorum secularium, quibus, ut prefertur, in prima institutione ejusdem monasterii dicta cura commissa fuerat, admittantur, predicta institutione de dictis tribus secularibus capellanis extunc minime valitura, et sic erunt in universo in dicto monasterio quinquaginta et sex religiose persone quibus, preter redditus assignatos personis ibidem de presenti degentibus, intendit juxta modum prime assignationis, quamcitius redditus ad hoc sufficientes dicta Margarita acquisiverit, et admortizari fecerit, centum octoginta libras Turonensium parvorum per se vel personam seu personas alias assignare, quarum jam majorem partem acquisivit, et ipsas demortizatas etiam assignabit, pro parte ipsorum Arnaldi et Margarite nobis extitit humiliter supplicatum ut statueremus ac etiam ordinaremus, quod prefatum monasterium et abbatissa ac sorores ipsius monasterii, que sunt et erunt pro tempore perpetuo, essent et esse deberent dicti ordinis ac status et regule Sancte Clare, ipsius habitum gestare, ac regulam observare perpetuis futuris temporibus tenerentur. Non obstante quod abbatissa et moniales, que inibi sunt presentes, professe fuerint ordinem Sancti Benedicti prefatum, presertim cum omnes moniales dicti monasterii, in eo ad presens degentes, dicta abbatissa et duabus ex dictis monialibus dumtaxat exceptis, in hiis expresse consensisse, suumque asserantur velle prebere assensum, et nobis super hoc per suas patentes litteras supplicare, quas quidem moniales consentientes, nec non abbatissam et alias duas predictas, que in hiis nunc non consentiunt, sed tunc forte consenserint, absolvere ex certa scientia postquam professe forent dictum ordinem sancte Clare ab observantiis prefati ordinis sancti Benedicti. Ita tamen quod, quamdiu predicta abbatissa, que preest eidem monasterio, posuerit, monasterium ipsum per priorissam claustralem ejusdem monasterii gubernaretur, et etiam regeretur, quodque abbatissa et sorores predicte, ex nunc non tenerentur dicere officium nisi secundum ordinem ecclesie Romane, sicut alie sorores, dicti ordinis sancte Clare, Acquitanie provincie, non tenentur. Electio quoque abbatisse eidem monasterio pro tempore preficiende, pertineret perpetuo ad sorores monasterii supradicti, et quod beate Marie, et aliud si per ipsam Margaritam construi et dotari contigerit monasteria, ac abbatissa et sorores predicte non essent subjecta generali, seu provinciali ministris ordinis Fratrum Minorum predicti, nisi si et in quantum ipsis ministris alie sorores, et monasteria ejusdem ordinis Sancte Clare dicte provincie sunt subjecta, et quod per eosdem ministros non visitarentur nisi juxta privilegia earundem, quodque earum regulam, statuta et ordinationes in aliquo sine ipsarum

expresso consensu immutare non possent. Et nichilominus ministri prefati vel fratres ordinis fratrum Minorum predicti non valerent abbatissam deponere vel aliquam ex dictis sororibus absque rationabili et evidenti causa, et de ipsarum sororum videlicet probarum et antiquarum consilio ad alia monasteria transferre, et quod in aliis omnia statuta dicti monasterii per eundem archiepiscopum, auctoritate predicta facta et etiam ordinata, in suo esse servarentur, si hoc expediens videretur. Alioquin de statu ipsius monasterii et aliarum personarum ejusdem auctoritate nostra, prout expediens foret, ordinaretur salubriter, salvis privilegiis, ordinationibus ac statutis factis in favorem patronorum presentium et futurorum, in quibus nichil immutari deberet; nec non quod liceret eidem vicecomitisse in dicto vel alio monasteriis eidem subjecto, si ipsum construeret, de quo construendo sibi petiit per nos licentiam impertiri sub modo et forma ac privilegiis supradictis, viginti, vel plures, prout et quando eidem Margarite videretur, sorores ponere eorumdem ordinis, regule atque status, et certos fratres dicti ordinis Minorum, secundum quod expedire videret, dum tamen ipsis per eandem Margaritam vel alias personas assignarentur sufficientes redditus juxta modum prime assignationis prefate, sic quod, secundum quod assignarentur redditus hujusmodi, posset eadem Margarita conjunctim vel divisim ponere personas ibidem, quodque eidem Margarite concedere, et etiam reservare jus patronatus dictarum quinque sororum in eodem monasterio de redditibus suis propriis, seu aliis post primam triginta monialium institutionem institutarum et dotatarum, ac etiam dictarum quindecim sororum et aliarum per ipsam inibi instituendarum, salvo tamen et in suo esse retento jure patronatus seu presentationis puellarum et mulierum dicto Arnaldo et sibi in prima institutione dictarum triginta monialium collato reservato, seu etiam ordinato, ita quod deinde, cum locus adesset in loco singularum quinque institutarum, ac quindecim et aliarum per eam instituendarum, salvo eidem Margarite jure quod habet in predictis triginta, ut prefertur, ac omnium aliarum instituendarum per eam, si que forent, tam in dicto quam in alio, si illud fieri contingeret monasteriis, ipsa et ejus successores causam habentes ab ea super hiis possent abbatisse dicti monasterii, que pro tempore foret, nominare et presertare omnes et singulas puellas seu mulieres perpetuis futuris temporibus in sorores recipiendas, in monasteriis antedictis, et quod dicta abbatissa nominatas easdem recipere, si forent ydonee, quotiens loca vacare contingeret; videlicet de numero dictarum quinque, et omnium aliarum instituendarum per ipsam Margaritam in sorores reciperet, et recipere teneretur, ac eisdem induere habitum Sancte Clare ordinis prelibati, et quod prefata monasteria et abbatissa ac sorores et fratres eorum, qui erunt pro tempore, omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et libertatibus, ac aliis indulgentiis concessis et concedendis auctoritate apostolica vel ordinaria beatorum Francisci et Clare ordinibus, deinceps gauderent et uterentur, quibus alia monasteria et sorores ac conventus et fratres ipsorum ac persone alie Sancte Clare, ac fratrum Minorum ordinum predictorum gaudent et utuntur, ac gaudebunt in antea et utentur, pie memorie Clementis pape V, predecessoris nostri, qua cavetur quod locorum ordinarii semel in anno monasteria monialium quantumcumque exempta valeant auctoritate apostolica visitare, et aliis constitutionibus, ordinationibus, diffinitionibus ac statutis in contrarium apostolica vel ordinaria auctoritate, aut alias quovis modo editis non obstantibus quibuscumque, cum secundum privilegia dictorum ordinum per generalem aut provincialem ministrum fratrum Minorum, quibus subiciunt[1], debeant visitari, quodque de abbatissa et dictis duabus ex aliis monialibus, que ad premissa, ut prefertur, suum nolunt prebere consensum, nec non de aliis monialibus ipsius monasterii, si que forsan in hiis consentire nollent, et earum statui provideretur per nos, seu auctoritate nostra, prout eis videretur salubriter expedire. Nos igitur attendentes quod circa illa mutanda, que super statu religionis dicti monasterii per prefatum Johannem papam, predecessorem nostrum, sic provide, ut premissum est, ordinata fuerunt, evidens esse debet utilitas, et magne ac mature deliberationis examinatio adhibenda, ut exinde paritati religionis et utilitati ejusdem monasterii non possit detrahi, sed potius cultus ibidem amplietur divinus, et animarum comodum augeatur, et propterea de statu ejusdem monasterii et personarum ipsius, aliisque circumstantiis, de quibus nequaquam habemus noticiam, volentes, antequam super statu et religione ipsius monasterii immutetur aliquid, informationem fieri pleniorem, de tue quoque fidelitatis et circumspectionis industria plenius in Domino confidentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ad pre-

(1) Ms : subetunt.

fatum monasterium te personaliter conferre procurans, abbatissa et monialibus supradictis, et aliis, quos hujusmodi tangit negocium, evocatis, de statu ejusdem monasterii et personarum ipsius, et an prefate abbatissa et monialès magis velint in ordine sancti Benedicti, quo nunc sunt, remanere, vel ad ordinem predictum sancte Clare transferri, singulariter et sigillatim interrogando per juramentum seorsum, et ad partem vota super hiis perquirendo ipsarum, et utrum ad id promissionibus, minis, vel terroribus seu quibusvis modis aliis illicitis sint inducte, nec non de comodis et incomodis spiritualibus et temporalibus ipsius monasterii, et status ejusdem, super translatione hujusmodi facienda, aliisque universis et singulis circumstantiis circa premissa quomodolibet attendendis, solerti et fideli adhibita diligentia et scripture de predictis et eorum singulis confecta publica, te diligenter informare, ac veritatem inquirere non ommittas. Contradictores etc. Et si per informationem eandem repereris quod omnes moniales ipsius monasterii due partes earum libere velint et consentiant fieri translationem eandem, tuque illam, attentis omnibus supradictis ac deliberatione previa, provida et matura, commodis spiritualibus et temporalibus ipsius monaterii ac personarum ejusdem, cognoveris expedire, translationem eandem, et illa que circa eam necessaria vel oportuna fuerint, auctoritate nostra faciendi et complendi, eidem fraternitati tue plenam concedimus tenore presentium facultatem : nostre tamen intentionis et voluntatis existit, et auctoritate apostolica concedimus, quod post translationem predictam, si eam fieri contingat, jus patronatus in eodem monasterio, juxta concessionem dicti predecessoris, prefatis Arnaldo et Margarite ipsorumque successoribus plene ac libere remaneat, sicut prius, et nichilominus de viginti monialibus, quinque videlicet jam, ut narratur superius, positis et institutis, ac quindecim aliis ponendis et instituendis per prefatam Margaritam, cum posite et institute, ac dos sufficiens eis assignata, ut premittitur, per eandem fuerit, similiter jus patronatus ad ipsam Margaritam et successores suos perpetuis temporibus plene spectet. Porro si tibi dubium super hiis, vel ea tangentibus, emerserit quoquo modo, que de hiis et aliis petitis et supplicatis superius repereris et feceris in publicam scripturam redacta, ut premittitur, nos studeas efficere certiores, ut ordinare consultius et comodius, quod nobis in hac parte videbitur, valeamus. Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno tercio.

1410 Avignon, 21 janvier 1345.

Optat ut inter infrascriptum et priorem Dertusensem, ordinis Sancti Augustini, concordia vigeat. (Reg. 138, n° DCLXXVI, f° 184 v°.)

Dilecto filio Almerario de Cabrespina, canonico Ilerdensi. Dudum ad felicis —. Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno tercio.

1411 Avignon, 23 janvier 1345.

Eos rogat ut episcopo Lunensi castrum Ameliæ restitui jubeant, quod a Galeoto de Auriâ detinetur. (Reg. 138, n° DCLXXVII, f° 186.)

Dilectis filiis, nobili viro, Johanni de Murta, gubernatori ac consilio et communi civitatis Januensis. Cum castrum Amelie —. Datum Avinione, X kalendas februarii, anno tercio.

1412 Avignon, 23 janvier 1345.

Reginæ Franciæ nuntiat se optime valere, matrimonium inter Philippum secundogenitum et Blancham filiam quondam Caroli regis Franciæ ac Navarræ approbat et de ægrotatione ducissæ Normanniæ dolet. (Reg. 138, n° DCLXXVIII, f° 186 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri, Binas serenitatis tue, filia carissima, recepimus litteras, et earum intelleximus seriem diligenter, et quia per eas statum tuum et liberorum regiorum prosperum nuncians de nostro fieri certior postulasti, exinde benivolentie regie gratias referentes, volumus celsitudinem regiam non latere, quod nos de tuo, filia dilectissima, liberorum predictorum, et totius domus regie statu prospero leti et consolati admodum in Domino, illius, qui est salus et vita hominum, gratia faciente, corporali sospitate letamur, licet, propter negocia solicitudini apostolice continue incumbentia, curis agitemur innumeris supra vires. Rursus denunciatis a tua sublimitate rumoribus matrimonii contrahendi videlicet inter dilectum filium, nobilem virum, Philippum carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, viri tui, et tuum secundogenitum, ac dilectam in Christo filiam puellam incli(na)tam Blancham, natam inclite memorie Caroli regis Francie et Navarre natam, de quo speramus et oramus multa bona procedere, gaudemus in Domino et letamur ; sed de infir-

mitate dilecte in Christo filie nobilis mulieris... ducisse Normannie paterna compassione dolemus, pro incolumitate sua preces devotas effundentes ad Dominum, et que super adhibendo sibi corporali remedio reperiri a phisicis nostris, quos ad hoc intendere jussimus, poterunt, intendentes breviter tibi, predilectissima filia, nunciare. Datum Avinione, X kalendas februarii, anno tercio.

1413 Avignon, 23 janvier 1345.

Ducissam Normanniæ, quæ calculis laborabat, consolatur. Physici sui medicamentum efficax componunt, quod ei mox mittet. (Reg. 138, nº DCLXXIX, fº 186 vº.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Bone ducisse Normannie. Non sine paterne compassionis affectu percepimus te, dilecta in Christo filia, visitante misericordiarum Domino, qui castigat quos diligit, ac percutit, vulnerat et medetur, arenulosa discrasia pregravari. Sane quia ille summus et eternus pater, in cujus ditione cuncta sunt posita, et non est qui sue possit resistere voluntati, quandoque tangit filios, ut per eorum probet pacientiam an sint sui, et dignos sua benedictione se reddant, nobilitatem tuam attentius in Domino exhortamur, quatenus in tuis hujusmodi et aliis afflictionibus et tribulationibus sic in gratiarum actione maneas apud Deum et pacientiam, per quam te Dei filiam ostenderis, et consequeris corporalem etiam citius sanitatem, observes, quod cum Sancto Job valeas dicere quod pacientia tuum spiritum custodivit, et ejusdem patris celestis repleri benedictionibus merearis. Nos autem, qui te gerimus tanquam filiam benedictionis et gratie in visceribus caritatis, pro tua incolumitate, quam optamus desiderabiliter, preces ad Dominum effundimus, et pro tue corporalis salutis remedio perquirendo, phisicis nostris jussimus, ut super hoc, quantum studiose poterunt, solerter et fideliter elaborent, ea quidem, que per eos reperta fuerint, tibi, vel carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustri, cui etiam inde scribimus, quantotius fieri comode poterit, procurabimus esse nota. Nec te terreat, filia, infirmitas hujusmodi, quia licet in persona, que illam patitur, a sui principio vehementer rigorosa et aflictiva nimium censeatur, subsequenter tamen post tempus aliquod doloris et afflictionis rigor sic remittitur quod, sicut experientia in propria persona nostra nos docet et docuit, modicum affligit pacientem. Datum Avinione, X kalendas februarii, anno tercio.

1414 Avignon, 23 janvier 1345.

Cum rex Franciæ petiisset præpositum Leodiensem ad episcopatum dictæ ecclesiæ promoveri et munus consecrationis in partibus illis recipere, hanc promotionem approbare cunctatur. (Reg. 138, nº DCLXXX, fº 187).

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super promotione dilecti filii... prepositi ecclesie Leodiensis ad ipsam ecclesiam nunc vacantem repetitis sepius instantiis magnificientia regia nos rogavit, sed tandem nuper precibus institit iteratis, ut eumdem prepositum ecclesie predicte preficere in episcopum et pastorem, ac deinde, ne ipsum propterea venire ad sedem apostolicam oporteret, ut munus consecrationis posset in partibus illis recipere, quedamque alia te, fili carissime, tangentia, facere, sibi post promotionem hujusmodi licentiam concedere dignaremur. Sane, fili dilectissime, quantum nobis et eidem sedi habere in ecclesia illa personam nobis et sedi predicte devotam et fidelem presertim hiis temporibus expediat, queve tuis etiam honoribus et beneplacitis operose velit intendere, regalem excellentiam supponimus indubie non latere, propter quod sepe perpendimus intra precordia mentis nostre, si alia persona de regno tuo, vel aliunde talis, sicut prediximus, occurreret, de qua provideretur ecclesie memorate, quia licet tam precum regiarum obtentu, quam consideratione bone memorie episcopi Leodiensis, avunculi ejusdem prepositi, qui eidem sedi fidelis, et tue celsitudini devotus laudabiliter suo tempore rexit predictam ecclesiam, afficiamur ad eum, et paternis favoribus prosequamur, relatibus tamen percepimus fidedignis, quod ipse tam vicinis multis potentibus quam subditis ecclesie Leodiensis predicte presertim villis et locis, majoribus et potentioribus, multipliciter est exosus. Demum pro certo teneat regia celsitudo quod tam ipsum, quam quemvis alium eidem preficiendum ecclesie, ad sedem prefatam venire personaliter oportebit, cum tempore felicis recordationis, predecessoris nostri, certis ex causis rationabilibus et necessariis, quas a mente regia nequaquam alienas esse credimus, extiterit in Consistorio irrefragabiliter ordinatum, quod nullus extunc promoveretur ad aliquas ecclesias cathedrales partium Alamannie, nisi apud Sedem eandem Aposto-

licam presens esset, nec extimamus posse ad contrarium faciliter inducere fratres nostros. Datum Avinione, X kalendas februarii, anno tercio.

1415 Avignon, 24 janvier 1345.

Eos rogat ut ecclesiæ Parmensi bona et jura restituant. (Reg. 138 n° DCLXXXI, f° 187.)

Dilecto filio, nobili viro, Opizoni, marchioni Estensi. Cum sicut intelleximus —. Datum Avinione, VIIII kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo *Johanni archiepiscopo Mediolanensi*; — *Luchino de Vcecomitibus*; — *Mastino de Lescala, in civitate, comitatu et districtu Veronensibus, nostro et Ecclesie Romane vicario.*

1416 Avignon, 24 janvier 1345.

Petro de Marcello, Helyæ Roberti ac Raymundo Tholsani, clericis Lemovicencis et Mirapiscensis diocesium, familiaribus et nunciis Stephani, electi Ulixbonensis, qui Ulixbonam proficiscuntur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, n° MCII, f° 295.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum dilecti filii —. Datum Avinione, IX kalendas februarii, anno tercio

1417 Avignon, 25 janvier 1345.

Infrascripto indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXVIII, f° 316.)

Item in eodem modo, *dilecto filio magistro Vitali de Sancto Petro, alias de Lavardaco, canonico Lectorensi, scriptori nostro.* Datum Avinione, VIII kalendas februarii, anno tercio.

1418 Avignon, 25 janvier 1345.

Infrascripto licentia testandi conceditur. (Reg. 138, n° MCLXXVII, f° 313.)

Dilecto filio, nobili viro, magistro Vitali de Sancto Petro, alias de Lavardaco, canonico Lectorensi, scriptori nostro. Quia presentis vite —. Datum Avinione, VIII kalendas februarii, anno tercio.

1419 Avignon, 26 janvier 1345.

Cum Petrus de Locovillari, commissarius regius super gabella salis in regno Franciæ, archiepiscopum Narbonensem impedivisset, ne salinis de Capitestagno et de Sejano frueretur, regem Franciæ rogat ut hanc injuriam tollat. (Reg. 138, n° DCLXXXV, f° 187 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Pro parte venerabilis fratris Gasberti, archiepiscopi Narbonensis, camerarii nostri, nuper expositum extitit coram nobis, quod licet ipse nomine sue Narbonensis ecclesie in castris suis de Capitestagno, et de Sejano, ac quibusdam aliis Narbonensis diocesis, habeat, et sui predecessores archiepiscopi Narbonenses habuerint et obtinuerint ab antiquis temporibus, de quorum memoria hominum in contrarium non existit, pacifice salinas soli et insolidum, in quibus sal recolligebatur, et inde pro justis preciis recipiebant volentes, hiis diebus tamen preteritis, dilectus filius Petrus de Locovillari, se comissarium regium super gabella salis in toto regno Francie asserens deputatum, eundem archiepiscopum, ac gentes et subditos suos super salinis hujusmodi, ne illis utantur libere, sicut ab antiquis temporibus solitum est fieri, de novo et indebite dicitur impedire. Quocirca regiam excellentiam attentius deprecamur, quatenus eosdem archiepiscopum et ecclesiam ac gentes et subditos supradictos non permittens magnificientia regia indebite, quominus salinis predictis uti libere valeant, sicut ab antiquo consuetum est, molestari, prefato comissario dare velit districtius in mandatis, ut a talibus injuriosis novitatibus abstineat de cetero et attemptata in eorundem archiepiscopi et ecclesie prejudicium circa premissa minus rationabiliter studeat revocare. Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno tercio.

1420 Avignon, 26 janvier 1345.

Ei mandat ut fructus præbendarum ecclesiæ Ulixbonensis colligat, quas quondam Raymundus Aymerici, canonicus Ulixbonensis et Guido Navarre, clericus Lemovicencis diocesis, obtinuerant atque Johannes papa XXII, XVII Kal. novembris anno pontificatus sui XII., reservaverat. (Reg. 138, n° DCLXXXVI, f° 188.)

Venerabili fratri Gonsalvo, archiepiscopo Bracharensi. Dudum felicis recordationis —. Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno tercio.

1421 Avignon, 27 janvier 1345.

Infrascripto abbati pecuniam mutuam sumendi usque ad mille florenorum auri summam potestatem dat. (Reg. 138, n° DCLXXXVII, f° 188 v°.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii de Bonoportu, ordinis Cisterciensis, Ebroicensis diocesis. Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam monasterii tui de Bonoportu, negociis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter, te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahendi, sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur, nos igitur de tua, tam in hiis quam in aliis circa eadam tua et ipsius monasterii utiliter promovenda et expedienda negocia, circumspecta diligentia plenius in Domino confidentes, nec volentes quod, propter expensarum ipsarum defectum, indigentiam patiaris, vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, discretioni tue, contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam mille florenorum auri, nomine tuo et ipsius monasterii, et te ac successores tuos abbates ejusdem monasterii, et ipsum monasterium et tua ac eorundem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligando, et renunciandi de duabus dietis editis in Concilio generali et felicis recordationis Bonifacii pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, et quibuscumque aliis constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, et beneficio restitutionis in integrum, ac omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis, omni juris canonici et civilis auxilio, ac conventioni judicum et locorum, si eorundem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contigerit impetrari, necnon et omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem, tu dictique tui successores possitis in posterum vos tueri, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus insuper et concedimus, juxta quod postulasti a nobis, quod tu et successores predicti creditoribus ipsis hujusmodi pecunie summam de bonis dicti monasterii solvere, ac dampna, expensas, et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc de tuo et ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta, quodque ipsis creditoribus pretextu alicujus constitutionis, canonice vel civilis aut cujuscumque privilegii vel indulgentie sedis predicte, de quibus in nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem et per que tu et successores prefati valeretis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in jamdicti monasterii utilitatem conversam fore, probandi necessitas non incumbat, sed sola tua fatentis confessio in instrumentis conficiendis super mutua hujusmodi quantitatis inserta sufficiens plena et efficax probatio irrefragabiliter habeatur. Ceterum, ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum, nostre intentionis existit et volumus, quod tu iidemque successores, et dictum monasterium, tua seu sua, vel ipsius bona per hujusmodi nostras litteras per cujuspiam fraudis seu calliditatis astuciam, sub quovis pallio seu colore verborum, ad usuras aliquas obligare nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones et recognitiones seu promissiones, per eas seu earum auctoritate vel occasione factas, quo ad obligationes usurarum hujusmodi decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nihilominus quo ad premissa omnia, que usurarum pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu maliciose aliquatenus impugnandis. Volumus insuper quod dictum monasterium ac bona ipsius, pretextu nostre concessionis hujusmodi, ultra biennium et obligationis hujusmodi tempore numerandum, nullatenus remaneat obligata, presentes litteras, et earum effectum, quo ad ipsum monasterium et bona ejusdem, extunc omnino carere juribus decernentes. Datum Avinione, VI kalendas februarii, anno tercio.

1422 Avignon, 27 janvier 1345.

Reginæ Siciliæ de favoribus impensis gratias agit. (Reg. 138, n°s DCLXXXVIII-DCLXXXXI, f° 189.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Gratis admodum —. Datum Avinione, VI kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo *Agneti ducisse Duracii*; — *Marie ducisse Duratii*; — *Carolo duci Duratii ejusque fratribus.*

1423 Avignon, 29 janvier 1345.

Infrascripto tabellionatus officium concedit. (Reg. 138, n° MCLX, f° 309).

Item in eodem modo *dilecto filio Johanni de Foresta, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis.* Datum Avinione, IIII kalendas februarii, anno tercio.

1424 Avignon, 30 janvier 1345.

Octo clericis, familiaribus infrascripti nuntii, privilegium de fructibus percipiendis usque ad triennium conceditur. (Reg. 138, n° DCCLXXXXVI, f° 206 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio. Personam tuam et apostolice —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1425 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptis mandat ut dictum privilegium exsequantur. (Reg. 138, n° DCCLXXXXVII, f° 207.)

Judicibus, venerabili fratri episcopo Casinensi et... decano Brivatensis, Sancti Flori diocesis ac Bernardo de Annexonio, canonico Noviomensis, ecclesiarum. Mandamus quatinus vos —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1426 Avignon, 30 janvier 1345.

Officium reformationis et visitationis in partibus Italiæ infrascripto nuntio committitur. (Reg. 138, n° DCCXLI, f° 198 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi, apostolice Sedis nuncio. Inter multas solicitudines — Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1427 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei datur potestas faciendi ligas et confederationes, sicut viderit expedire. (Reg. 138, n° DCCXLIII, f° 199 v°.)

Eidem. Relatum nobis extitit —. Datum ut supra.

1428 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei mandat ut inter nobiles de Lombardia pacem componat. (Reg. 138, n° DCCXLIV, f° 199 v°.)

Eidem. Regis pacifici et excelsi —. Datum ut supra.

1429 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei mandat ut inter Luchinum de Vicecomitibus et Pisanos pacem componat. (Reg. 138, n° DCCXLV, f° 199 v°.)

Eidem. Dudum attendentes dissentionem —. Datum ut supra.

1430 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei mandat ut omnes ligas per regem Siciliæ factas abroget, si res postulabit. (Reg. 138, n° DCCXLIX, f° 202.)

Eidem. Tam paterna nos monet —. Datum ut supra.

1431 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascripto nuntio, misso in Italiam, sic indulget ut possit conferre omnia beneficia familiarium cedentium vel decedentium; recipere resignationes causa permutationis; exercere censuram ecclesiasticam contra illos qui injuriam ei fecerunt; creare sex notarios; absolvere a sententia excommunicationis XXX personas propter manuum violentiam; dispensare cum XXI clericis defectum natalium patientibus; dispensare cum quinquaginta personis qui ordines receperunt. (Reg. 138, n°s DCCLXXXXVIII-DCCCIV, f°s 207-208 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio. Cum te ad Italie —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1432 Avignon, 30 janvier 1345.

Nuntio suo episcopo Carnotensi mandat ut quosdam familiares regis et reginæ Siciliæ separet ab eisdem. (Reg. 138, n° DCCLI *bis*, f° 201.)

Eidem. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1433 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei mandat ut Roberto de Cabanis litteras porrigat, per quas ille Avinionem vocatur. (Reg. 138, n° DCCLI, f° 201 v°.)

Eidem. Cum nos super —. Datum ut supra.

1434 Avignon, 30 janvier 1345.

Robertum de Cabanis pro Siciliæ negotiis ad se vocat. (Reg. 138, n° DCCL, f° 201 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Roberto de Cabanis. Cum super quibusdam statum regni Sicilie tangentibus tecum velimus certius informari, nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus infra quatuor mensium spacium computandum nostro conspectui personaliter te presentes, nobis super predictis et aliis ea tangentibus, quibus tecum informari volumus, responsurus. Datum ut supra.

1435 Avignon, 30 janvier 1345.

Nuntio in Italia decem floreni quotidie pro stipendiis attribuuntur. (Reg. 138, n° DCCXLII, f° 199.)

Venerabilibus fratribus patriarchis, etc. Cum venerabilem fratrem —. Datum ut supra.

1436 Avignon, 30 janvier 1345.

Hugonem de Baucio, comitem Avellini ac Provinciæ senescallum, rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, fidem faciat. (Reg. 138, n° DCCLXXXXII, f° 205 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Baucio, comiti Avellini, comitatuum Provincie et Forcalquerii senescallo. Cum venerabili fratri nostro Guillelmo, episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio, quedam tue nobilitati pro parte nostra imposuerimus explicanda, nobilitatem rogamus eandem quatinus ipsum plene audias, ejusque monitis et exhortationibus super eis effectualiter acquiescas. Datum ut supra.

1437 Avignon, 30 janvier 1345.

Robertum de Cabanis rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, fidem faciat. (Reg. 138, n° DCCLXXXXI, f° 205 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Roberto de Cabanis. Cum super certis te —. Datum ut supra.

1438 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptum rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, fidem faciat. (Reg. 138, n° DCCLXXXX, f° 205 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Beneventano. Super quibusdam te —. Datum ut supra.

1439 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptos rogat ut treugas per legatum in partibus Lombardiæ indictas observent et eis nuntiat episcopum Carnotensem, ut nuntium, a se mitti. (Reg. 138, n°s DCLXXXXV-DCCII, f° 190 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus, de Mediolano, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi, nostro et ecclesie Romane vicario. Quamvis ubique inter —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo, verbis competenter mutatis, *Johanni archiepiscopo Mediolanensi, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi, nostro et ecclesie romane vicario*; — *Mastino et Alberto de la Scala, in civitate, comitatu et districtu Veronensi, nostro et ecclesie Romane vicariis*; — *Tadeo de Pepulis, jurium fiscalium, ad nos et Romanam ecclesiam in civitate Bononiensi pertinentium, administrationem gerenti*; — *Opizoni, marchioni Estensi*; — *Loysio, Guidoni, Philippino et Feltrino de Gonzagua, de Mantua*; — *Azoni et Johanni de Corrigia de Parma, fratribus*; — *Guidoni de Corrigia, de Parma*.

1440 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptum rogat ut controversiam tollat, quæ inter eum et Pisanos exorta erat, episcopoque Carnotensi fidem faciat. (Reg. 138, nos DCCII *bis* et DCCIII, fo 191 vo.)

Eidem Luchino. Dum consideranter attendimus —. Datum ut supra.

Item *eisdem communi,* verbis competenter mutatis.

1441 Avignon, 30 janvier 1345.

Legato in regno Siciliæ mandat ut omnes alienationes, infeudationes, donationes, post obitum Robertis regis Siciliæ per reginam factas, revocet et abroget. (Reg. 138, nos DCCXLVI et DCCXLVII, fo 200 vo.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, Apostolice Sedis legato. Paterna nos monet —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo *episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio.*

1442 Avignon, 30 janvier 1345.

Ei mandat ut citra fines regni Siciliæ processus supra dictam revocationem faciat. (Reg. 138, no DCCXLVIII, fo 202.)

Eidem legato. Cum super revocatione —. Datum ut supra.

1443 Avignon, 30 janvier 1345.

Interdictum, in civitate Basiliensi propter receptores Ludovici de Bavaria positum, per unum annum suspendet. (Reg. 138, no DCLXXXXII, fo 189 vo.)

Ad futuram rei memoriam. Relatus assertione fidedigni —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1444 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptos rogat ut cum ducissa Austriæ pacificentur. (Reg. 138, no DCLXXXXIII, fo 189 vo.)

Venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis, capitulo Basiliensi. Miramur de vobis admodum —. Datum ut supra.

1445 Avignon, 30 janvier 1345.

Regi Angliæ confirmat cardinales nuntios, non ad fulminandas excommunicationis sententias, sed ad revocandas novitates contra libertatem ecclesiæ attemptatas in Angliam missos fuisse. (Reg. 138, no DCCIIII, fo 191 vo.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Non sine displicentia noviter intellecto tibi, fili carissime, fuisse suggestum quod nuncios nostros pro publicandis processibus et fulminandis sententiis in Angliam mittebamus, tuam magnificentiam volumus pro certo tenere quod nullam super talibus concessimus eisdem nunciis potestatem, sed solum ad te inducendum amicabiliter et caritative per causas, rationes, vias et modos rationabiles, tuis fame, saluti et honori admodum congruentes super revocandis illis novitatibus contra honorem et libertatem ecclesie attemptatis. Quapropter regiam excellentiam deprecamur quatinus, talibus suggestionibus omnino veritate carentibus aures non accomodans credulas, nuncios prefatos benigne suscipias, favorabiliter audias et eorum monitis et exhortacionibus salubribus acquiescas. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1446 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptis similiter scribit. (Reg. 138, nos DCCV-DCCXI, fo 192.)

Carissime in Christo filie Isabelli regine Anglie illustri. Non sine displicentia noviter intellecto, carissimo in Christo filio Edwardo, regi Anglie illustri, nato tuo, et tibi, carissima filia, fuisse suggestum, quod nuncios nostros pro publicandis processibus et fulminandis sententiis in Angliam mittebamus, tuam volumus excellentiam non latere, quod nullam eisdem nunciis super talibus concessimus potestatem, sed solum ad inducendum regem eundem amicabiliter et caritative, per rationes, causas, vias et modos, suis fame, saluti et honori admodum congruentes, super revocandis illis novitatibus contra honorem et libertatem ecclesie attemptatis. Quapropter excellentiam regiam attentius deprecamur, quod eosdem nun-

cios benigne admittat tua serenitas, eisque pro divina et apostolice sedis reverentia super premissis favoribus oportunis assistat. Datum ut supra.

Item eodem modo. *Henrico comiti Lencastrie*, verbis competenter mutatis ; — *Henrico comiti Derbeye*, usque in finem, cum additione clausule sequentis : Sciturus procerto, dilecte fili, quod adventus tuus ad nostram presentiam, quem avide prestolabamur propinquum, exhilarabat et consolabatur non modicum mentem nostram et illius retardatio eam reddit anxiam et molestam — ; *Johanni archiepiscopo Cantuariensi*, omissa dicta clausula. — *Willermo de Kyldesby, clerico carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris* ; — *Thome de Hatfeld, clerico ejusdem regis* ; — *Johanni Genelkelle, clerico, senescallo Henrici, comitis Derbeye.*

1447 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascripto sic indulget ut a quocumque antistite munus benedictionis recipere valeat. (Reg. 138, n° DCXXIX.)

Item in eodem modo dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Lupi Trecensis, ordinis Sancti Augustini. — Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1448 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptos prohibet quominus ad sponsalia inter liberos ulterius procedant et eos rogat ut legato fidem faciant. (Reg. 138, n^os DCCLII-LV, f° 201.)

Dilecto filio Gassio de Dinissiaco, comiti Terlicii. — Sicut tuam credimus —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo *Roberto de Cabanis* ; — *comiti Cadensarii* ; — *Roberto de Sancto Severino.*

1449 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascriptos rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, fidem faciant. (Reg. 138, n^os DCCLVI-DCCLXXXVIII, f° 204.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Paterne caritatis et —. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

In eodem modo, *regine Sicilie* ; — *Roberto principi Tarentino* ; — *Sancie regine Sicilie* ; — *Ludovico de Tarento* ; — *Carolo duci Duracii* ; — *Ludovico de Duracio* ; — *Roberto de Duracio* ; — *Caterine imperatrici Constantinopolitane* ; — *Agneti ducisse Duracii* ; — *Marie ducisse Duracii* ; — *Margarite de Tarento* ; — *archiepiscopis Neapolitano, Barensi, Capuano* ; — *Philippo episcopo Cavallicensi* ; — *Thome de Sancto Severino, comiti Marsici* ; — *Rogerio de Sancto Severino, comiti Mileti* ; — *Bernardo de Aquino, comiti Laureti* ; — *Goffredo de Marzano, comiti Squillacii* ; — *Carolo Artus, comiti Sancte Agathe* ; — *magistro Nicolao de Alisia* ; — *Philippo de Sagineto, comiti Altimontis* ; — *Rogerio de Celano, comiti Celani* ; — *Corrado de Aquaviva, comiti Sancti Valentini* ; — *Guillelmo de Sabiano, comiti Ariani* ; — *Roberto de Cabanis* ; — *Amelio de Baucio, domino Avellarum* ; — *Raymundo de Baucio, domino Minerbini* ; — *Gasso de Dinissiaco, comiti Terlicii* ; — *Corrado Cantazario* ; — *Petro de Cadineto* ; — *Roberto de Ponciaco.*

1450 Avignon, 30 janvier 1345.

Sanciam, reginam Siciliæ, rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, super hiis quæ regem Majoricarum tangunt, fidem faciat. (Reg. 138, n° DCCLXXXIX, f° 205.)

Carissime in Christo filie Sancie, regine Sicilie illustri. Quedam tangentia carissimum in Christo filium nostrum, Jacobum regem Majoricarum illustrem, venerabili fratri nostro Guillermo, episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio, imposuimus tue celsitudini verbotenus explicanda, super quibus ipsum plene, quesumus, audias et fidem sibi adhibeas in hac parte. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1451 Avignon, 30 janvier 1345.

Infrascripto abbati mandat ut de juribus et proventibus villæ de Romanis, Viennensis diœcesis inquirat, quæ inter Dalphinum Viennensem et habitatores divisa fuerat. (Reg. 138, n° DCLXXXIV, f° 189 v°.)

Dilecto filio abbati monasterii Sancti Ruphi Valentini. Molestis frequenter repetitis insinuationibus perducto dudum ad nostri Apostolatus auditum, quod inter dilectos filios, nobilem virum, Humbertum, Dalphinum Vien-

nensem, ejusque predecessores ex parte una, et homines habitatores ville de Romanis, Viennensis, diocesis, que ad ecclesiam Beati Bernardi de Romanis spectare consuevit, et in eadem villa archiepiscopus Viennensis, qui est pro tempore, velut abbas ecclesie prelibate, jurisdictionem omnimodam, preterquam in certis casibus et personis, ad dilectos filios capitulum ipsius ecclesie spectantibus, exercere solitus est, ex altera, graves dissensiones et discordie, que varia secum traxerunt hactenus personarum et rerum dispendia, tam per guerrarum et bellicorum congressus insultuum quam alias dispendiose et perniciose nimium, instigante hoste pacis caritatis emulo, suscitate fuerunt, et ampliora suscitari pericula verisimiliter timebantur, et nihilominus veridica relatione percepto quod inter felicis recordationis Benedictum papam XII, predecessorem nostrum, et ipsum Dalphinum, ratione cujusdam donationis de castro de Avisano, Tricastrinensis diocesis, ac jurium et pertinentiarum ipsius per eundem Dalphinum predecessori prefato et ecclesie Romane, ut asserebatur, facte, questionis materia extiterat invicem suscitata, nos, ad quos omnium ecclesiarum dispositio, et providere earum utilitatibus et precavere indempnitatibus plene spectat, per vias utiles ad honorem Dei, ac comodum ejusdem Romane ecclesie, ac pacem et quietem predictarum partium, cupientes questionibus et dissensionibus hujusmodi dare finem, et attendentes quod tam dictus archiepiscopus et abbas ecclesie de Romanis predicte, ac capitulum ipsius ecclesie, qui consueverant excercere jurisdictionem ibidem, quamvis assereretur ab aliquibus fidedignis, et in quibusdam scripturis antiquis contineri diceretur expresse, supradictam villam de Romanis pertinuisse ab antiquo et pertinere debere ad Romanam ecclesiam sepefatam, quam homines habitatores dicte ville, considerata multitudine vicinorum suorum emulorum dicte ville, ad defensionem ejusdem, sicut rei frequenter probavit evidentia, fuerunt hactenus impotentes, propter quod dampna varia sustinuisse retroactis temporibus dinoscuntur, quodque tam ex hiis, quam multis causis aliis, tam eidem archiepiscopo, ut abbati, quam capitulo ipsius ecclesie de Romanis temporalis ville prefate de Romanis jurisdictio quasi inutilis reddebatur. Tandem inter nos et memoratum Dalphinum certus fuit tractatus habitus et etiam concordatus, per quem inter cetera villa de Romanis predicta communicata extitit Dalphino predicto, ac heredibus et successoribus, causamque habentibus, et habituris ab ipso : ita quod archiepiscopo Viennensi, ut abbati, ac capitulo, et personis ipsius ecclesie de Romanis, omnibus redditibus et obventionibus suis propriis insolidum remanentibus, et remanere debentibus, illis, que possunt ex jurisdictione provenire, dumtaxat exceptis, omnis jurisdictio temporalis alta et bassa justicia, merum et mixtum imperium et emolumentum omne proveniens ex eisdem, essent communes, et communia, pro indiviso, inter predictos archiepiscopum, ut abbatem, et capitulum dicte ecclesie de Romanis, ac prefatum Dalphinum, per comunes officiales exercenda ; sic tamen quod dictus Dalphinus medietatem, archiepiscopus vero, ut abbas, ac capitulum supradicti, aliam medietatem haberent, pro partibus per nos postmodum declarandis, inter archiepiscopum, ut abbatem, et capitulum prelibatos et quod claves portarum dicte ville essent communes, necnon et fortalicium Montissecuri, in quo carcer comunis fieret, et omnia supradicta, que ad jurisdictionem spectarent predictam, exercerentur per officiales comunes, hoc tamen salvo quod archiepiscopus, ut abbas, et capitulum ac Dalphinus prefati, pro redditibus et obventionibus, quos ibi habent, et habebunt imposterum, possent habere aliquos bajulos seu ministros, quilibet eorum videlicet pro suis propris redditibus colligendis et exigendis, sed predicta jurisdictio, alta et bassa, per comunes officiales exerceretur dumtaxat, sicut superius est expressum, ac in litteris nostris et instrumentis publicis inde confectis premissa et alia plenius et seriosius continentur. Sane quia forsan de redditibus, obventionibus, proprietatibus, iuribus, libertatibus, usibus, consuetudinibus, et aliis bonis propriis, que habebant et habent in eadem villa ejusque districtu et pertinentiis, archiepiscopus, ut abbas, ac sacrista et capitulum, cetereque persone ipsius ecclesie de Romanis comuniter vel divisim, que juxta formam et tenorem contractus predicti non obveniunt, sicut nec nostre intentionis extitit quod provenire deberent sub comunicatione predicta, sed potius eisdem archiepiscopo, ut abbati, sacriste, capitulo ceterisque personis ejusdem ecclesie insolidum remanere, posset imposterum esitari, et inde varie questiones, et jurgia, que statum, ad quem intendimus pacificum, pertubarent, forsitan suscitari valerent, nos ad hujusmodi vitanda pericula, et queque scandala removenda, volentes certis ex causis ad id nos rationabiliter moventibus, de predictis omnibus certius informari, discretioni tue per apostolica committimus et mandamus quatenus, ad villam predictam de Romanis personaliter

te conferre procurans, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, de hujusmodi redditibus, proventibus, proprietatibus, juribus, libertatibus, usibus et consuetudinibus, et aliis bonis propriis predictis, fideli et solerti adhibita diligentia te informans, et fideliter veritatem inquirens, ea, que inde repereris, in scripturam redigi facias publicam clare, particulariter et distincte, nobisque informationem hujusmodi, et quidquid inde feceris, sub sigillo tuo fideliter interclusa, deferre vel mittere non postponas ut, recepta informatione hujusmodi et plenius intellecta, possimus pro pace hujusmodi roboranda et stabilienda fortius, vitandisque dissentionibus et discordiis inter partes predictas, earumque quiete et pace perpetuis, quod nobis videbitur, utilius ordinare. Contradictores etc. Datum Avinione, III kalendas februarii, anno tercio.

1452 Avignon, 31 janvier 1345.

Infrascripto nuntio mandat ut altercationem dirimat quæ exorta erat inter Neapoleonem de Tibertis, priorem domus Venetiarum, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, rectorem provinciæ Campaniæ et Guillelmum Roqueta, domicellum Ruthenensem, dictæ provinciæ marescallum, proditionis reum. (Reg. 138, n° DCCLXXXXV, f° 206.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi. Nuper dilectus filius —. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1453 Avignon, 31 janvier 1345.

Potestatem prædicti nuntii per plures et diversas litteras ei concessam confirmat. (Reg. 138, n° DCCCV, f° 208 v°.)

Eidem. Nuper tibi quem —. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1454 Avignon, 31 janvier 1345.

Bonæ ducissæ Normanniæ, quæ ægrotabat, phisicum suum, magistrum Stephanum Achelmi, præcentorem ecclesiæ Ilerdensis mittit, quam Guido tituli Sanctæ Ceciliæ, presbiter cardinalis, designaverat. (Reg. 138, n° DCCXII-DCCXIII, f° 192 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Sicut nuper tibi, filia carissima, scripsimus, nos dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Bone ducisse Normannie, super illa infirmitate, qua ipsam gravari audivimus, benigno et paterno compatientes affectu, de remedio corporali sibi prestando, quod a phisicis nostris, super eo reperiendo de mandato nostro studiose laborantibus, posset quomodolibet reperiri, efficere intendebamus tuam celsitudinem certiorem. Attendentes igitur quod certius et utilius per unum ex eisdem phisicis, quam per scripturam, de remedio hujusmodi certiorari poterit regalis tua serenitas, et ex eodem remedio colligi major fructus, ecce quod dilectum filium magistrum Stephanum Achelmi, precentorem ecclesie Ilerdensis, unum ex eisdem phisicis nostris, velut peritum et expertum, quem etiam dilectus filius noster Guido, tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis, ad id nominavit specialiter et elegit, ad te, filia dilectissima, et eandem ducissam de hiis, que per ipsum et alios phisicos predictos circa materiam hujusmodi reperta sunt, informatum plenius, destinamus, ibidem, quamdiu placebit et expedire regie magnificentie videbitur, de nostro placito moraturum. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

Item in eundem modum *eidem ducisse*, verbis competenter mutatis.

1455 Avignon, 31 janvier 1345.

Familiares suos, Geraldum de Lissiaco et Petrum Fernandi, quibus mandaverat, ut XV equos emerent in Castella, regibus Castellæ et Aragonum nec non Navarræ gubernatori commendat. (Reg. 138, n°s DCCXIIII-DCCXVI, f° 192 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri. Cum nos dilectos filios Geraldum de Lissiaco et Petrum Fernandi, domicellos, familiares nostros, pro emendis quindecim equis nobis necessariis ac ad nos et Sedem Apostolicam adducendis de partibus regni tui specialiter destinemus, excellentiam regiam attencius deprecamur quatimus, eosdem domicellos habens regalis sublimitas pro nostra et ejudem sedis reverentia favorabiliter commendatos, ut eosdem equos emere ipsosque de regno et terris tuis extrahere libere valeant, velit licentiam oportunam elargiri, ita quod nos devotionem regiam exinde possimus in Domino merito commendare. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

Item in eodem modo *Petro regi Aragonum* ; — *Johanni domino de Conflanc, militi, gubernatori regni Navarre.*

1456 Avignon, 31 janvier 1345.

Geraldo de Lissiaco et Petro Fernandi, domicellis et familiaribus papæ, qui ad Castellam pro quindecim equis emendis mittuntur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, n° MCIV, f° 295 v°).

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum nos dilectos. — Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1457 Avignon, 31 janvier 1345.

Infrascriptis collectoribus mandat ut duo millia duplarum auri de Ispania, de pecunia Cameræ apostolicæ, prædictis emptoribus assignent et solvant. (Reg. 138, n° DCCXVII, f° 192 v°.)

Dilectis filiis abbati monasterii Sancti Facundi, Legionensis diocesis et Johanni de Gardaga, scolastico ecclesie Ovetensis. Cum pro emendis in partibus regni Castelle quindecim equis nobis necessariis, dilectos filios Geraldum de Lissiaco, et Petrum Fernandi, domicellos, familiares nostros, ad partes easdem specialiter destinemus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum prefatos domicellos, super hiis utiliter diligentes, eis pro dictis equis emendis, et ad nos et sedem apostolicam adducendis, duo milia duplarum auri de Ispania, vel valorem illarum in moneta currenti et explectabili, de pecuniis nostre Camere per vos vel alterum vestrum collectis, sic prompte assignare curetis, quod propter ea negocium, pro quo ipsos, ut prefertur mittimus, nequeat impediri ; prefatis autem domicellis potestatem tenore presentium concedimus vos et quemlibet vestrum quitandi et absolvendi de hiis que usque ad dictam duarum milium duplarum auri summam sibi duxeritis assignanda. Volumus autem super assignatione hujusmodi duo confici consimilia publica instrumenta, quorum, uno penes vos vetento, reliquum ad eandem cameram transmittatis. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1458 Avignon, 31 janvier 1345.

Infrascripto, qui in Romana curia manet et scriptoris munere fungitur, hoc privilegium concedit ut fructus canonicatuum et præbendarum percipere valeat et judicibus mandat ut illud privilegium exsequantur. (Reg. 138, n° MCCLXXVII, f° 332.)

Dilecto filio magistro Petro de Fas, rectori parrochialis ecclesie Sancti Martini de Paris, Ruthenensis diocesis, scriptori nostro. Ratio juris etc. — Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tertio.

Judicibus venerabili fratri... episcopo Uticensi et... abbati Bonecumbe ac... priori Sancti Antonii, monasteriorum, per priorem soliti gubernari, Ruthenensis diocesis. Mandamus quatinus vos —. Datum ut supra.

1459 Avignon, 31 janvier 1345.

Infrascripto licencia testandi conceditur. (Reg. 138, n° MCLXXVI, f° 313.)

Dilecto filio Aymerico de Noalhaco, archidiacono Villemuri in ecclesia Tholosana. Quia presentis vite —. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1460 Avignon, 31 janvier 1345.

Infrascripto indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXVII, f° 315 v°)

Item in eodem modo. *Dilecto filio Johanni de Cumbis, clerico Sancti Flori diocesis.* Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1461 Avignon, 31 janvier 1345.

Magistro Rogero de Vintronio, archidiacono Conchensi in ecclesia Ruthenensi, juris civilis professori, Talairandi tituli Sancti Petri ad Vincula cardinalis camerario, qui ad Siciliam mittitur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, n° MCIII, f° 295.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis etc. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, II kalendas februarii, anno tercio.

1462 Avignon, 1er février 1345.

Regi Angliæ nuntiat civitatem Smirnam post triumphalem

victoriam a patriarcha Constantinopalitano occupatam fuisse; Johannem Bonde, domicellum, ei mittit et eum rogat ut pacem diligat. (Reg. 138, nº DCCXVIII, fº 193.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Dudum afflictionibus variis et diris oppressionibus, quibus illi hostes ferocissimi Turchi, videlicet persecutores et blasfemi nominis Christiani, persecuti fuerant immaniter et persequi continue non cessabant fideles Christi, ejus pretioso redemptos sanguine, in Romanie ac partibus aliis transmarinis circumadjacentium regionum degentes, anxiis relatibus sepius repetitis, non sine vehementi dolore cordis auditis, paterne pietatis et compassionis viscera nequivimus continere, quominus eisdem Christicolis, qui ab eisdem Turchis tam per terram quam per mare hostiliter agrediebantur, quasi continue spoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur et nonnulli utriusque sexus sub captivitate Turchorum ipsorum miserabili vendebantur, ut pecudes, et ad abnegationem Fidei Catholice, pro dolor!, cogebantur, providere de succursu aliquo et defensione contra tam abhominabilem et ignomimosam toti Chritianitati sevitiam curaremus. Quamobrem manus sub divine miserationis auxilio ponentes ad fortia, tam per nos quam per carissimum in Christo filium nostrum... regem Cipri illustrem ac dilectos filios magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ducem et commune Venetiarum et quosdam fideles alios certum galearum [stolium], hominibus armigeris et aliis rebus necessariis sufficienter munitarum, ad partes illas pro succursu et defensione predictorum fidelium et repressione hostium sub principali gubernatione ac regimine venerabilis fratris nostri Henrici, patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis in partibus illis legati, ordinavimus destinandum. Et licet armata stolii hujusmodi cum nonnullis fidelibus in auxilium christianorum et conculcationem dictorum infidelium illuc fervore devotionis accedentibus, multum represserit crudelitatem et sevitiam hostium eorumdem, tamen, hiis diebus preteritis, divina clementia, que nunquam cessat in suis fidelibus et spem suam in ea figentibus, a benedictionibus gratiarum, sue dextere potentiam uberius extendente, prefatus patriarcha cum eodem stolio et multis viris fidelibus strenuis, ejusdem zelo fidei orthodoxe accensis, ad civitatem Smirne, locum utique fortissimum et portum maris habentem optimum, in quibus predictorum Turchorum gens nationis fetide specialiter, sicut intelleximus, spem sue feritatis ponebat, et inde majora dampna intulerant, et inferre poterant fidelibus antedictis, accessit. Et quanquam civitas ipsa, intra et extra, cum portu predicto munita esset innumera multitudine paganorum, inter quos erat Marbaxanus, dux et rector magnus ipsorum, felix tamen Christianorum exercitus, in quo pauci erant respectu multitudinis infidelium, in virtute illius, a quo est omnis virtus et victoria, intrepide contra paganorum exercitum ac fortiter et strenue irruens, post conflictus aliquos, eisdem devictis gloriose fidei hostibus, civitatem eandem cum portu et fortalicüs suis posuit divina providentia, que in sua dispositione non fallitur, in manibus populi Christiani. Dictusque patriarcha, eliminata exinde paganici erroris spurcitia, fecit ibidem, ad laudem et gloriam divini nominis, exaltationem catholice fidei, et consolationem ejusdem populi Christiani, divina officia celebrari ac fortificari et muniri civitatem eandem, ut fideles, qui ad acquirendas terras paganorum partium earundem et sub cultu orthodoxe fidei reducendas laborare pro suarum animarum salute voluerint, ad ipsam civitatem et portum ipsius applicandi solidum et optimum valeant reclinatorium reperire. Nos autem, tam per litteras ejusdem patriarche quam aliorum fidedignorum necnon et quorundam exinde venientium relatibus, hujusmodi victoria triumphali, quam de sede sue magnitudinis dedit altissimus, cum ingenti letitia plenius intellecta, tantorum collatori donorum in humilitate spiritus exolvere curavimus vinculum labiorum et tam per processiones quam sermones ad clerum et populum laudes fecimus solempniter Domino decantari. Porro de hujusmodi victoria, dilectus filius, nobilis vir, Johannes Bonde, domicellus, de partibus illis veniens, et ad tue regalis excellentie presentiam se conferens, qui presens in ea extitit et super gestis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem excellentiam facere, viva voce, poterit plenius certiorem. Rogamus itaque serenitatem regiam et attentius in Domino exhortamur quatinus, que, quanta et qualia principes catholici ad ejus dilatationem fidei ac sue salutis et honoris augmentum possent agere hiis temporibus si, guerris et dissensionibus suis cessantibus, intendere circa talia procurarent, consideranter attendens tu, fili carissime, quem ad talia et similia inter ceteros principes catholicos orbis terre aptum, convenientem et ydoneum reputamus, ad vias pacificas super guerris tuis animum tuum dirigas, abilites effectualiter et inclines, ut in hiis, que Dei sunt, tuisque honori et saluti congruunt, intendere, sicut desi-

deranter affectamus, sicque vires tuae fortitudinis valeas exercere quod, post cursum vite presentis, de regno temporali, quod obtines, coronam regni merearis accipere sempiterni. Datum Avinione, kalendis februarii, anno tercio.

1463 Avignon, 1er février 1345.

Litteras, XIIII kalendas octobris datas, quibus nullum responsum redditum fuerat, iterat. (Reg. 138, n° DCCXIX, f° 193 v°.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Dudum videlicet XIIII kalendas octobris proximo preteriti tibi litteras nostras direximus, post salutationis eloquium, tenoris et continentie subsequentis : *Licet nos verentes... retardari.* Ignorantes autem an littere predicte ad te pervenerint, cum super hoc nihil postmodum audiverimus, licet pecunias, quas per te mutuari voluimus, integraliter et realiter fecerimus dilecto filio Isnardo de Castronovo, priori domus Navarre, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, deferendas vel mittendas per nostram cameram assignari, litteras ipsas, presertim quia negocium, pro quo diriguntur, nobis cordi est admodum, providimus iterandas, sinceritatem eandem rogantes attentius quatinus, nisi completa fuerint contenta in eisdem, illa complere celeriter, ne predictum negocium impediri quomodolibet valeat, non postponas. Datum Avinione, kalendis februarii, anno tercio.

1464 Avignon, 1er février 1345.

Patriarchæ Constantinopolitano de victoria contra Turcos obtenta gratulatur, et iterum significat se mandavisse ut pecunia pro negotio fidei celeriter solvatur. (Reg. 138, n° DCCXX, f° 194.)

Venerabili fratri Henrico, patriarche Constantinopolitano, Apostolice Sedis Legato. Tam per tuas, quam aliorum litteras, nec non aliquorum fidedignorum de partibus ipsis venientium relatibus, illam gloriosam victoriam, quam contra Turchos perfidos super captione illius civitatis cum portu et fortaliciis tibi et exercitui chistiano tecum existenti de celo dedit Dominus, cum rei geste serie, rore spiritualis perfusi gaudii, audivimus exultanter, tue virtutis constantiam et operosam diligentiam exinde multipliciter in Domino commendantes : et ne de tanto dono, nobis et ecclesie sancte Dei totique populo chistiano collato, in hujusmodi victoria collatori redderemur ingrati, eidem in humilitate spiritus exolvimus vitulum labiorum, et nichilominus per processiones et sermones solennes decantari et exhiberi fecimus gratiarum actiones et laudes. Tu vero, frater, ut fructus qui, ex laboribus ministerii, per nos tibi commissi, jam prodire divina clementia operante, ceperunt, non decrescant, sed afluente ipsius largitate uberius multiplicentur et crescant, tue circumspectionis et magnanimitatis industria et sedula diligentia, quas super hiis multipliciter commendamus in Domino, non tepescant, sed sic tam circa tutam civitatis, portus et fortaliciorum predictorum custodiam, quam alia incumbentia ferveant, quod per dictum ministerium fides in partibus illis dilatetur catholica, et paganica feritas conteratur, tuque, qui ex premissis laudis et fame meruisti preconium, et tibi apostolice sedis et nostram gratiam vendicasti, apud Deum et sedem eandem amplioribus meritis augearis, sane super hiis, que scripsisti, et aliis predictum negocium tangentibus, continue, quantum possumus, insistimus, et intendimus tibi super eis rescribere, sicut expedire videbimus, satis cito. Verum, licet adhuc de subsidiis decimalibus, per nos pro illis negociis inpositis, sicut nosti, nichil penitus fuerit per cameram nostram receptum, dudum tamen de pecunia ipsius camere, sicut littere nostre, quas inde tibi destinavimus, continent sub data XIIII kalendarum octobris proxime preteriti, ordinavimus ministrari, quam postmodum integraliter et realiter pro quatuor mensibus deferendam ad partes illas dilecto filio Isnardo de Castronovo, priori domus Navarre Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, fecimus per eandem cameram assignari. Et quia ignoramus an littere predicte ad te pervenerint, et subsequenter pecunias receperis antedictas, tenorem litterarum ipsarum annotatum presentibus tibi providimus destinandum. Age igitur, frater, virtuose, constanter et intrepide, ut cepisti, pro certo sciturus quod nullus defectus erit super hiis, que facienda fuerint super eodem negocio, prout in recessu tuo tibi verbotenus recolimus expressisse. Presentes autem litteras, nec non et iteratas alias, quas dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis predicti, super mutuanda dicta pecunia tunc misimus per dilectum filium, nobilem virum, Johannem de Sancto Filiberto, domicellum, quem specialiter tue commendamus benivolentie, destinamus. Tenor quidem litterarum predicta-

rum, tibi dudum directarum, ut premittitur, post salutationis eloquium, dinoscitur esse talis : Verentes quod pecunia decimalis subsidii pro tenendis utilius galeis ad defensionem fidelium Romanie aliarumque transmarinarum partium contra Turchos blasfemos et hostes fidei Christiane ipsorumque fidelium persecutores et oppressores crudeles pro eo, nequiret sic cito, ut expedit, colligi et haberi, quod littere apostolice super hoc ordinate non potuerunt celeriter expediri et mitti, et providere volentes quod propter defectum pecunie negocium defensionis hujusmodi nequaquam patiatur detrimentum interim, sed potius ad laudem divini nominis et ejusdem exaltationem fidei continue prosperetur, de pecunia dicte camere pro quatuor mensibus a fine anni pro quo dudum, sicut nosti, satisfieri fecimus, incohandis, ordinavimus medio tempore, donec de dicto subsidio decimali collecte pecunie fuerint, subveniri. Verum, cum eadem camera mercatores nondum reperiat ydoneos et securos, per quos paratam ad hoc pecuniam valeat destinare, dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani scribimus per alias nostras, quas tibi cum presentibus mittimus, ut pecuniam pro dictis quatuor mensibus mutuet, quousque sibi restituatur celeriter, statim videlicet cum reperientur, per quos comode possit mitti. Tu vero circa dispositionem tam illius, quam (quam) aliarum pecuniarum assignatarum et assignandarum pro defensionis negocio supradicto, ipsiusque negocii directione utili, sic prudenter, solerter et fideliter et operosis studiis gerere non postponas, quod per directionem hujusmodi dictum prosperetur negocium, et eedem pecunie non consumantur vel expendantur inutiliter quoquo modo. Hec quidem pro tanto dicimus, quia, sicut nobis est a fidedignis relatum, in illis partibus non potest yemali tempore utiliter navigari, et hoc, antequam galee recederent de hiis partibus, in consilio per illos, qui tractabant hujusmodi negocium tactum, sed publice relevari ommissum tunc extitit, ne propter hoc retardaretur vel impediretur negocium antedictum : quamobrem tua prudentia circumspiciat diligenter, si tempore predicto pro toto vel pro parte sit minuenda gens galearum ipsarum, ut expense inutiles evitentur, ita tamen quod nec illo, nec alio tempore, per talia vel quevis alia permittas detrahi utilitati negocii predicti, quod magis prosperari cupimus, quam parcere quomodolibet sumptibus et expensis. Hec autem et alia prosecutionem ejusdem negocii tangentia in illis partibus, tibi, qui constitutus in scola experientie, que prosecutioni hujusmodi expediunt, plenius scire potes, relinquendum duximus, tuam exinde conscientiam onerando. Demum, quamvis multa bona in favorem et consolationem fidelium adversus Turchos operata cum galeis audiverimus exultanter, tamen de dilecto filio, nobili viro, Martino Zacharie, quod aliqua notabilia, vel laude digna, cum eis fecerit, non recolimus audivisse. Ideoque tu, qui de hiis et aliis premissa tangentibus veritatem, docente magistra rerum experientia, scire debes, si finito anno, per quem dictum Martinum capitaneum galearum nostrarum deputavimus, tibi utilis minime videatur, habita deliberatione cum capitaneis ceterarum galearum et aliis, de quibus expedire videris, de alio utili et ydoneo capitaneo providere procures, quo casu accidente, utilius de persona fratris alicujus strenui, et in talibus experti Hospitalis predicti, deliberato tamen cum eodem magistro et aliquibus fratribus Hospitalis ejusdem, quos zelatores fideles utilitatis dicti negocii noveris, quam de alio posse credimus hujusmodi capitaneatus officio provideri. Porro de receptione presentium ac hiis, que in premissis et circa ea gesseris, nos, quantocius comode fieri poterit, efficere per tuas litteras studeas certiores. Datum Avinione, kalendis februarii, anno tercio.

1465 Avignon, 1er février 1345.

Gaudet quod dux Burgundiæ ex morbo convaluerit. Phisicum suum specialem ei miserat. (Reg. 138, nº DCCXXI, fº 195.)

Dilecto filio, nobili viro, Odoni duci Burgundie. Displicienter prius audivimus, te, fili, fuisse infirmitate corporali gravatum, et subsequenter eodem die, vel in crastinum, letanter percepimus te fore ab infirmitate hujusmodi liberatum. Profecto audita infirmitate predicta, sic tibi compassi fuimus super ea, quod jam ordinaveramus, pro majori consolatione tua et remediis corporalibus medicinaliter ministrandis, ad te nostrum specialem phisicum destinare. Rogamus igitur nobilitatem tuam, et attentius in Domino exhortamur, quatenus tam super infirmitate, qua te visitavit misericordiarum Dominus, qui filios castigat quos diligit, quam restituta sanitate, in humilitate spiritus, ad gratiarum actiones assurgas eidem, que sue magestatis oc(c)ulis placita fuerunt jugiter operando, nobis de statu tuo, quem nos audire delectat prosperum, redditurus, quantocius fieri comode poterit,

certiores. Datum Avinione, kalendis februarii, anno tercio.

1466 Avignon, 3 février 1345.

Aymonem de Bonebaut, militem, ballivum regium Montanarum Alverniæ, Franciæ regi commendat. (Reg. 138, nº DCCXXII, fº 195.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum dilectus filius, nobilis vir, Aymo de Bonebaut, miles, ballivus regius Montanarum Arvernie, tam tuis, fili carissime, quam clare memorie Caroli regis Francie et Navarre, predecessoris tui, obsequiis temporibus diutinis insistens, se in eisdem, sicut sepe relatibus fide dignis percepimus, gesserit fideliter et prudenter, nos ipsum ex hiis, necnon consideratione quondam Ludovici ducis Borbonesii, qui eum prosequebatur, dum viveret, specialis dilectione favoris, gerentes in visceribus caritatis, regiam excellentiam attentius deprecamur, quatenus premissorum obsequiorum intuitu, nostrorumque precaminum interventu, prefatum militem super suis necessitatibus, prout probitatis ipsius exigunt merita, habere velit regia benivolentia favorabiliter commendatum. Datum Avinione, III nonas februarii, anno tercio.

1467 Avignon, 4 février 1345.

Episcopo Forojuliensi mandat ut a Petro, electo Autissiodorensi, canonicatum et præbendam Parisiensis ecclesiæ ac archidiaconatum de Josayo in eadem ecclesia ab eodem resignatos recipiat. (Reg. 138, nº DCCCCLXXX, fº 255 vº.)

Venerabili fratri Guillelmo episcopo Forojuliensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Petrus, electus Autisiodorensis, canonicatum et prebendam ecclesie Parisiensis ac archidiaconatum de Josayo in eadem ecclesia, quos idem electus tempore promotionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Autisiodorensem tunc vacantem obtinebat, et adhuc obtinet, intendat certis causis rationabilibus libere resignare, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, recipiendi vice nostra per te vel alium seu alios ab eodem electo resignationem liberam hujusmodi, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, II nonas februarii, pontificatus nostri anno tercio.

1468 Avignon, 4 février 1345.

Prorogatur usque ad aliud biennium in regno Siciliæ et terris citra Farum reservatio omnium et singularum ecclesiarum cathedralium necnon monasteriorum quorumlibet, exemptorum et non exemptorum, preterquam monialium et aliarum mulierum religiosarum. (Reg. 138, nº DCCCVI, fº 209. — Reg. 163, De Curia, nº III.)

Ad futuram rei memoriam. Dudum diligentius attendentes. — Datum Avinione, II nonas februarii, anno tertio.

1469 Avignon, 4 février 1345.

Prorogatur usque ad aliud biennium in terris Romane ecclesie reservatio ecclesiarum cathedralium et monasteriorum, preterquam monialium. (Reg. 163, De Curia, nº IV. — Reg. 138, nº DCCCVII, fº 209 vº.)

Ad futuram rei memoriam. Attendentes dudum ecclesia. — Datum Avinione, II nonas februarii, anno tercio.

1470 Avignon, 5 février 1345.

Reginam Siciliæ rogat ut Hugoni de Baucio, Avellini comiti, comitatuum Provinciæ et Forcalquerii senescallo, fidem habeat. (Reg. 138, nº DCCXXIII, fº 195.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Affectione paterna tui et regni tui, filia carissima, zelantes comodum et honorem, quedam super hiis imposuimus dilecto filio nobili viro Hugoni de Baucio, comiti Avellini, senescallo comitatuum Provincie et Forcalquerii, tue celsitudini verbotenus explicanda, super quibus ipsum plene audias, eidemque fidem credulam adhibeas in hac parte, nobis tue voluntatis beneplacitum super hiis nichilominus rescriptura. Datum Avinione, nonis februarii, anno tercio.

1471 Avignon, 6 février 1345.

Johanni regi Bohemiae, Carolo, marchioni Moraviae, Arnesto, archiepiscopo Pragensi atque Johanni episcopo Olomucensi nuntium Engelberti, archiepiscopi Rigensis, commendat. (Reg. 138, nºs DCCXXIIII-DCCXXVII, fº 195 vº.)

Carissimo in Christo filio Johanni, regi Boemie illustri. Cum venerabilis frater —. Datum Avinione, VIII idus februarii, anno tertio.

Carolo, primogenito regis, marchioni Moravie ; — Arnesto, archiepiscopo Pragensi ; — Johanni episcopo Olomucensi.

1472 Avignon, 7 février 1345.

Infrascripto, qui Cameræ Apostolicæ famulatur, privilegium de fructibus percipiendis datur. (Reg. 138, n° MCXXIII, f° 299 v°.)

In eodem modo, sicut pro Hugone de Sancto Marciale, *pro Petro Judicis, canonico ecclesie Beate Marie Vallisburgensis Furnensis, Morinensis diocesis* et dirigatur executoria *venerabili fratri... episcopo Forojuliensi et dilectis filiis, cancellario ecclesie Belvacensis ac... officiali Morinensi.* Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1473 Avignon, 7 février 1345.

Cum Petrus Nicolucii, mercator Senensis, duo milia florenorum auri de sua propria pecunia Cameræ duxisset assignanda, infrascripto mandat ut hanc summam eidem Petro de pecuniis Cameræ in civitate Perusina solvat. (Reg. 138, n° DCCXXVIII, f° 195 v°.)

Dilecto filio Berengario Blasini, rectori ecclesie de Serviano, Biterrensis diocesis, in ducatu Spoletano nostro et ecclesie Romane thesaurario. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1474 Avignon, 7 février 1345.

Potestatem quittandi vel absolvendi thesaurarium de dictis duobus milibus florenorum auri Petro Nicolucii, mercatori Senensi, concedit. (Reg. 138, n° DCCXXIX, f° 196.)

Eidem mercatori. Cum tu de pecunia —. Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1475 Avignon, 7 février 1345.

Adventum proximum nuntiorum regis Angliæ Franciæ regi significat rogatque eum ut Guidoni episcopo Eduensi fidem faciat. (Reg. 138, n° DCCXXX, f° 196.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Relatu nunciorum carissimi in Christo fili nostri Edwardi, regis Anglie illustris, in curia Romana morantium, noviter percepimus quod, licet aliqui moliti fuerint in Anglia impedire nunciorum ejusdem regis solemnium ad nostram presentiam missionem, tamen prevalentibus aliis meliori ductis spiritu, die decima septima mensis januarii proximo preteriti, ordinatum extitit in consilio dicti regis, quod dilecti filii, nobiles viri, Henricus comes Derbeye, ac Bartholomeus de Burghassch, baro, consiliarii dicti regis, ad eandem presentiam, suffulti mandatis ydoneis, sunt venturi, et nichilominus nobis ulterius retulerunt, quod nostris nunciis, quos in Angliam destinavimus novissime, misse fuerunt oportune dicti regis littere de conductu. Cum autem juxta relationem eandem, prefati solennes nuncii debeant venire ad Curiam satis cito, regiam excellentiam attentius deprecamur, quatenus ea, que per venerabilem fratrem nostrum Guidonem, episcopum Eduensem, tue celsitudini scripsimus, et voluimus etiam verbotenus explicari, perficere, nosque per eum, vel alium, aut litteras, eadem celsitudo de sue voluntatis beneplacito certiores super eis celeriter efficere non omittat, et procul dubio decens et expediens, sicut alias scripsimus, videretur, quod, venientibus dictis nunciis, tui solennes etiam hic adessent. Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1476 Avignon, 7 février 1345.

Episcopo Eduensi mandat ut a rege Franciæ responsum auferat et sine mora transmittat. (Reg. 138, n° DCCXXXI, f° 196.)

Eidem episcopo [*Eduensi*]. De te, frater, non sufficimus admirari, quod, postquam a nostra presentia recessisti, nichil nobis super hiis, que tibi per nos, ut nosti, fuerunt imposita, rescripsisti. Cum autem relatu nunciorum carissimi in Cristo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris perceperimus noviter, quod die decima septima mensis januarii proximo preteriti, ordinatum extitit in consilio dicti regis, quamvis aliqui moliti fuerint impedire, quod dilecti filii, nobiles viri, Henricus, comes Derbeye, et Bartholomeus de Burghassch, ejusdem regis consiliarii, venturi sunt ad nostram presentiam satis cito, et quod nuncii nostri, quos destinamus in Angliam, jam habuerant a rege predicto litteras de conductu, volumus et tue fraternitati mandamus quatenus super premissis

tibi, ut prefertur, impositis, et presertim illis duobus principalibus articulis responsionem a carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri habere procures oportune ac etiam, si necesse fuerit, importune. Nos autem eidem regi scribimus quod de intentione sua super illis nos per te, vel alium aut litteras, celeriter efficiat certiores. Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1477 Avignon, 7 février 1345.

Reginam Siciliæ rogat ne officiales comitatuum Provinciæ et Forcalquerii episcopum Dignensem contra jus vexent. (Reg. 138, n° DCCXXXII, f° 196 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Cum venerabilis frater noster Johannes, episcopus Dignensis, de certis prejudiciis et injuriis, que sibi et ecclesie sue Dignensi inferri per officiales regios comitatuum Provincie et Forcalquerii asserit contra justiciam ac privilegia et compositiones olim factas et mandata clare memorie predecessorum tuorum, conqueratur graviter, sicut continetur in petitione sua, cujus seriem cedula continet presentibus interclusa, excellentiam rogamus regiam quatenus faciendo tolli et revocari quevis gravamina, indebite contra dictos episcopum et ecclesiam per officiales predictos illata, super contentis in petitione predicta, sibi celerem et expeditam justiciam pro divina et apostolice sedis reverentia exhiberi faciat regia celsitudo. Datum Avinione, VII idus februarii, anno tercio.

1478 Avignon, 8 février 1345.

Cum Sancia regina Siciliæ professionem in ordine facere distulisset, hoc ratum habet et eam rogat ut adventum nuntii, episcopi Carnotensis, exspectet. (Reg. 138, n° DCCXXXIII, f° 196 v°.)

Carissime in Christo filie Sancie regine Sicilie illustri. Intellectis placibiliter causis et rationibus, quibus professionem tuam in ordine, quam ingressa es, expresse facere distulisti, tue devotionis et discretionis intentionem super hiis in Domino commendamus, intendentes per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, episcopum Carnotensem, apostolice sedis nuncium ad partes illas breviter accessurum, super consolatione ac statu tuis et aliis certis, tibi, filia carissima, scribere seriose ; quamobrem usque ad adventum suum desistere, si tibi videtur expediens, poteris a facienda professione predicta. Datum Avinione, VI idus februarii, anno tercio.

1479 Avignon, 8 février 1345.

Infrascripto nuntio mandat ut bona Arnulphi Marcellini, canonici Ebredunensis, civitatis Beneventanæ rectoris, sub manu Cameræ ponat et rectorem thesaurariumque in prædicta civitate designet. (Reg. 138, n°s DCCXXXIV-XXXV, f° 196 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Brundusino, in partibus regni Sicilie apostolice sedis nuncio. Percepto noviter quondam —. Datum Avinione, VI idus februarii, anno tercio.

1480 Avignon, 9 février 1345.

Infrascripto mandat ut fructus, redditus et proventus, ad mensam episcopalem ecclesiæ Nannetensis spectantes, petat et recipiat, quos Oliverius, episcopus Nannetensis, sine licencia occupaverat. (Reg. 138, n° DCCXXXVI, f° 197.)

Dilecto filio Ramundo de Caunis. Relatu percepimus fidedigno quod, dudum ecclesia Nannetensi proprii pastoris solatio destituta, felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, tibi committendum duxit per suas litteras et mandandum, ut fructus, redditus et proventus, ad mensam episcopalem ecclesie predicte spectantes, qui obvenerant seu obvenerint tempore vacationis ipsius, dilectis filiis... decano et capitulo ipsius ecclesie traderes sub manu apostolica, donec de illis per sedem apostolicam ordinaretur aliud, conservandos, quodque tu, mandatum hujusmodi exequendo, premissa curasti fideliter adimplere, sicut in instrumentis inde confectis publicis, apud Cameram nostram existentibus, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut intelleximus, venerabilis frater noster Oliverius, episcopus Nannetensis, absque mandato et licentia sedis predicte, hujusmodi fructus, redditus et proventus, qui sub eadem manu custodiebantur, per prefatos decanum et capitulum, de ipsorum manibus illos eripiens, occuparit, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, per te vel alium seu alios, predictos fructus, redditus et proventus, seu valorem et extimationem illorum, si non extent forsitan, super quibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii te informans, petere, exigere, ac

recipere nostro nomine, fideliterque conservare, quousque aliud de ipsis ordinetur per nos, cum integritate procures, contradictores quoslibet super hiis et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstante si aliquibus, cujuscumque status, conditionis ordinis, vel dignitatis existant, etiam si pontificali vel quavis alia premineant dignitate, comuniter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eos, a quibus dictos fructus, redditus et proventus seu valorem et extimationem eorum receperis, ut prefertur, possis absolvere plenius et quittare de hiis, que tibi exinde fuerint assignata, faciendo super hoc duo confici consimilia publica instrumenta, quorum, uno penes assignantes eosdem dimisso, reliquum ad eandem Cameram studeas destinare. Datum Avinione, V idus februarii, anno tercio.

1481 Avignon, 9 février 1345.

Eidem mandat ut bona quondam Bonabii, episcopi Nannetensis, custodiat, quæ Oliverius episcopus Nannetensis occupaverat. (Reg. 138, n° DCCXXXVII, f° 197 v°.)

Eidem. Dudum ecclesia Nannetensis per obitum bone memorie Bonabii, episcopi Nannetensis, vacante, felicis recordationis Benedictus papa XII, predecessor noster, volens de bonis mobilibus ipsius episcopi et debitis, quibus existere dicebatur obligatus aliquibus suis creditoribus, informari, tibi dedisse dicitur per suas certi tenoris litteras in mandatis, ut de bonis et debitis predictis, informatione recepta, eumdem predecessorem, vel ejus Cameram curares efficere certiores. Et licet tu premissa, juxta tenorem litterarum predictarum, ut intelleximus, compleveris et ad eandem Cameram instrumenta publica confecta super hiis duxeris destinanda, tamen venerabilis frater noster Oliverius, episcopus Nannetensis, ad bona hujusmodi manus extendens, ea totaliter occupavit, nihil solvendo de dictis debitis, nec promittendo quod executores, vel tunc dispositionis dicti Bonabii episcopi, eam de bonis complerent predictis. Nos igitur cupientes super hiis salubriter provideri, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus per te vel alium seu alios, tam de bonis, quam debitis, et aliis supradictis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii te informans, tibique bona faciens exhiberi ac assignari predicta, illa sub manu nostra fideliter custodire, ac nos et nostram Cameram clare, particulariter et distincte studeas efficere certiores. Contradictores etc., etc. ut supra usque in finem. Datum ut supra.

1482 Avignon, 9 février 1345.

Eidem mandat ut executorum testamenti Stephani archiepiscopi Turonensis rationes examinet. (Reg. 138, n° DCCXXXVIII, f° 197 v°.)

Eidem. Nuper fidedigna relatio perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod dudum bone memorie Stephanus, archiepiscopus Turonensis, in sua dispositione ultima, certa fecit legata, et alias de bonis suis sub certis modis et formis, disponere procuravit, certis super hoc executoribus deputatis, quodque postmodum venerabilis frater noster, Petrus, archiepiscopus Turonensis, unus ex eisdem executoribus, et quidam alii coexecutores sui, bona predicta, que in non modicis quantitatibus et valoribus dicebantur existere, receperunt, et licet partem legatorum predictorum exolverint de bonis hujusmodi, adhuc tamen multa restant solvenda et alia contenta in dispositione hujusmodi, sicut asseritur, exequenda. Nos autem, ad quos pertinet providere, quod pie dispositiones decedentium compleantur, volentes super et de premissis certius, ut ordinare possimus melius, quod nobis faciendum in hac parte videbitur, informari, maxime cum novem anni vel circa a tempore obitus dicti archiepiscopi, sicut dicitur, sint elapsi, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios, de bonis predictis, que habebat dictus Stephanus archiepiscopus, tempore que decessit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii te informans, rationes dictorum archiepiscopi et aliorum executorum suorum exigas, super premissis omnibus et singulis audias et examines diligenter, ac de illis et aliis, que circa premissa quomodolibet egeris et repereris in mandatis. Contradictores etc ut in prima, usque mentionem. Datum Avinione, V idus februarii, anno tercio.

1483 Avignon, 10 février 1345.

Infrascripto indulget ut possit per procuratorem visitare, procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXLI, f° 303.)

Item in eodem modo, duc alic littere, graciosa videlicet et executoria pro *dilecto filio Hugone, tituli Sancti Laurencii in Damaso, presbitero cardinali*, et dirigatur executoria *dilectis filiis... abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani et... decano ecclesie Sancti Agricoli Avinionensis ac... officiali Avinionensi*. Datum Avinione, III idus februarii, anno tercio.

1484 Avignon, 11 février 1345.

Episcopo Carnotensi mandat ut pacem inter nobiles de Lombardia componat. (Reg. 138, n° DCCLXXXXIV, f° 205 v°.)

Venerabili fratri episcopo Carnotensi. Non sine magna—. Datum Avinione, III idus februarii, anno tercio.

1485 Avignon, 12 février 1345.

Nuntio in Sardinia atque Corsica mandat ut diligentem inquisitionem faciat et ad Curiam episcopum Adjacensem citet, qui subcollectorem sexennalis et triennalis decimarum in dictis insulis turpiter vexaverat. (Reg. 138, n° DCCXXXIX, f° 198.)

Dilecto filio Bartholomeo Jalmar, plebano ecclesie Sancti Nicolai Turritani, in regno Sardinie et Corsice apostolice, sedis nuncio. Licet excessus quorumlibet sedi apostolice sint infesti, ex illis tamen, qui a personis ecclesiasticis et maxime prelatis ecclesiarum, quorum actus ab aliis trahuntur in exemplum, de facili committuntur, tanto gravius irritatur quanto perniciosius super hoc offenditur mandatorum observantia, que deberet ab eis potius honorari. Sane infestis nimis relatibus perductum nuper extitit ad nostri apostolatus auditum quod, cum dudum venerabilis frater noster Guillelmus, episcopus Alariensis, a dilecto filio Petro Vitalis primicerio ecclesie Lucane in Tuscie ac Pisana et Januensi provinciis nostro et ejusdem sedis nuncio, in insulis Corsice ac quibusdam aliis circumvicinis partibus, infra predictas Pisanam et Januensem provincias consistentibus, super collectione sexennalis et triennalis decimarum, olim per sedem impositarum predictam, ac quibusdam aliis bonis et proventibus cameram nostram contingentibus subcollector auctoritate apostolica deputatus, ad civitatem et diocesim Adiacenses suas litteras super negocio collectionis hujusmodi per suum certum et specialem nuntium destinasset, venerabilis frater noster, si dici venerabilis mercatur, Manfredus, episcopus Adiacensis, spreta pontificali modestia et ejusdem sedis reverentia inconsultis et perniciosis motibus retrojecta, litteras predictas de manibus ejusdem nuncii arripuit, easque contemptibiliter et irreverenter fregit et projecit comburendas in ignem, ac deinde prefatum nuntium, litterarum ipsarum latorem, capi, captivari, ac omnibus bonis, que secum habebat, et specialiter uno equo prefati episcopi Alariensis, quem nuncius antedictus ducebat, fecit violenter et ignominiose nimium depredari, eumque nudatum usque ad femoralia conatus extitit, eis interficiendum tradere, qui temporale in loco illo dominium exercebant, eos rogando, monendo et inducendo, ut ipsum nuncium morti traderent, seque largiturum eisdem absolutionem a pena et a culpa si hoc facerent, promittendo. Cum autem tam detestabiles et horrendos excessus non intendamus, sicut etiam nec debemus, si veritas suffragetur in hac parte relatibus absque correctione debita occulis conniventibus pertransire, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios super premissis et ea quomodolibet tangentibus, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, vocato eodem episcopo Adiacensi, et aliis evocandis, veritatem inquirens, inquisitionem hujusmodi, et que inde feceris redacta in scripturam publicam, et sub tuo fideliter clausa sigillo, nobis mittere, quamcitius comode poteris, non postponas. Contradictores, etc. Si vero per inquisitionem eandem predictum episcopum Adiacensem de premissis vel aliquibus eorum culpabilem repereris vel publice diffamatum, ipsum peremptorie citare procures, ut infra certum terminum peremptorium competentem, quem sibi duxeris prefigendum, apostolico conspectui se personaliter presentare procuret, pro demeritis recepturus, ac mandatis et beneplacitis apostolicis humiliter pariturus. Diem autem hujusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceris, nobis per tuas litteras, vel instrumentum publicum harum seriem continens, studeas intimare. Datum Avinione, II idus februarii, anno tercio.

1486 Avignon, 12 février 1345.

Raynaldum et Jordanum de Ursinis, milites, dominos villæ de Balneolis, Uticensis diocesis, nepotes Neapoleonis, Sancti Adriani diaconi cardinalis, defuncti, regi Franciæ commendat. (Reg. 138, n° DCCCVIII, f° 210.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum, sicut intelleximus, dilecti filii, nobiles viri, Raynaldus et Jordanus de Ursinis, milites, domini ville de Balneolis, Uticensis diocesis, ratione dicte ville ac ejus districtus et pertinentiarum tecum, fili carissime, quedam super juribus ad ipsos, ut asserunt, in eadem villa ejusque districtu et pertinenciis ex largitione regia spectantibus, habeant expedire, nos ipsos tam obtentu obsequiose fidelitatis, quam ipsi et sui ad domum regiam gerere hactenus studuerunt, quam consideratione bone memorie Neapoleonis, Sancti Adriani diaconi cardinalis, cujus nepotes fuerunt, benivolentie regie plenis affectibus commendantes, magnificenciam regiam deprecamur quatinus, eorum petitionibus benignius intellectis, velit celsitudo regia super eis exauditionis favorabilis, quantum honestas suaserit, januam aperire. Datum Avinione, II idus februarii, anno tercio.

1487 Avignon, 12 février 1345.

Officiali Claromontensi mandat ut Thomam, natum quondam Johannis de Pallitia, Johannamque de Talaya in carcerem conjiciat, qui falsas litteras apostolicas confecerant. (Reg. 167, De Curia, n° XII, f° 5 v°. — Reg. 216, f° 15 v°.)

Dilecto filio... officiali Claromontensi. Ad nostri apostolatus auditum nuper quorundam relatione pervenit quod quidam maledictionis alumpni, videlicet Thomas, natus quondam Johannis de Pallitia, militis, et alii ejusdem Johannis liberi ac Johanna de Talaya, ipsorum mater, Claromontensis diocesis, spiritu diabolico incitati divinoque timore postposito, et apostolice sedis reverentia non attenta, sed abjecta potius, et cum aliena jactura locupletes effici satagentes, quibusdam litteris falso sub felicis recordationis Johannis pape vicesimo secundi, predecessoris nostri, nomine fabricatis, per quas prefati Thomas et alii liberi ac Johanna nituntur pretendere quod prefatus predecessor cum prefatis quondam Johanne ac Johanna, que quidem Johanna prius uxor alterius quondam Johannis de Palatia, filii quondam Gaufridi de Pallitia, alias dicti de Noers, extiterat, propter pericula et scandala evitanda, que inter amicos ipsorum oriri poterant, si divortium inter eos fieret, dispensarat, quod non obstante quod predicti Johannes, prior vir dicte Johanne et secundus Johannes se in tertio consanguinitates gradu contingerent prefati secundus Johannes et Johanna in matrimonio, quod etiam bannis non editis invicem contraxerant, possent licite remanere scienter uti, temere presumpserunt, easdem litteras, ut sub earum pretextu paternam hereditatem, ac si dicti Thomas et alii liberi legitime geniti extitissent, sibi vendicare et in ea succedere valeant, contra quemdam alium, qui eandem hereditatem ad se, prout fertur, assert pertinere, de jure coram te in judicio nichilominus producendo. Nos autem, transcripto dictarum litterarum nobis exhibito diligenter inspecto, predictas litteras, si seriem dicti transscripti contineant, falsas existere et manifestam per omnia falsitatem in eisdem litteris contineri, tenore presentium declarantes ac nolentes tante tamque pernitiose temeritatis excessum conniventibus oculis pertransire, sed cupientes propterea super premissis celeriter de oportuno remedio provideri, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, tibi nichilominus in virtute obedientie districtius injungentes quatinus, si processu super hereditate predicta adhuc, prout prefertur, coram te pendente, diligenter inspecto, per processum hujusmodi vel alias legitime tibi constet falsas originales litteras supradictas, cum copia dicti transcripti, quam tibi de verbo ad verbum sub bulla nostra interclusam transmittimus, concordare, eosdem Thomam, liberos et Johannem eisdem falsis litteris usos fuisse, ipsos, omni, qua convenit, cautela solerti adhibita omnique tarditate remota, ad tuam presentiam prudenter facias evocari, necnon eosdem ac etiam quoscumque alios, si quos inveneris culpabiles conscios sive participes hujusmodi falsitatis, ubicumque fuerint vel existant, auctoritate apostolica capias et capi facias indilate ac super falsitate dictarum cum eisdem, juxta datam tibi a Deo prudentiam et prout fuerit oportunum, veritatem studeas solicite indagare ac ipsos taliter captos tam diu in tuto carcere sub fida custodia facias detineri, donec a nobis super hiis aliud receperis in mandatis, informationem plenariam super dicta falsitate et super omnibus aliis, que circa premissa duxeris exequenda, per te habendam fideliter in scriptis redactam necnon et predictas originales litteras nobis quantocius solicite transmissurus, invocato super premissis omnibus, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Avione, II idus februarii, anno tercio.

1488 Avignon, 12 février 1345.

Infrascriptum rogat ut episcopo Carnotensi, nuntio, in consilio adesse velit. (Reg. 138, n° DCCLXXXXIII, f° 205 v°.)

Venerabili fratri Guillermo, archiepiscopo Brundusino. Cum venerabilem fratrem —. Datum Avinione, II idus februarii, anno tercio.

1489 Avignon, 14 février 1345.

Infrascripto indulget ut possit per procuratorem visitare procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXLIV, f° 303 v°.)

Item in eodem modo pro *dilecto filio Guillelmo Sancte Marie in Cosmedin, diacono cardinali*, et dirigatur executoria *dilectis filiis... decano Tirasonensis et Guillelmo de Gardia, cancellario Belvacensis ac Raymundo de Poynis, canonico, Albiensis ecclesiarum.* Datum Avinione. XVI kalendas martii, anno tercio.

1490 Avignon, 16 février 1345.

Mediolanensi archiepiscopo mandat ut Philippum, monachum monasterii Sancti Carpofori Cumani et Alexandrum de Carugo captos sub fida custodia ad curiam transmittat. (Reg. 167, De Curia, n° XIII, fol. 6. — Reg. 216, f° 16.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi. Fraternitatis tue litteras —. Datum Avinione, XIIII kalendas martii, anno tertio.

1491 Villeneuve-les-Avignon, 18 février 1345.

Infrascripto mandat ut bona Johannis, episcopi Ebroicensis, defuncti, colligat et custodiat. (Reg. 138, n° DCCCIX, f° 210.)

Dilecto filio Bertrando Cariti, archidiacono Augi, in Rothomagensi et Senonensi provinciis nostro et Apostolice Sedis nuncio. Ad audientiam nostri apostolatus dudum relatibus fide dignis perducto quod, licet olim bone memorie Johannes, episcopus Ebroicensis, dum in humanis ageret, disponendi de bonis et rebus suis mobilibus, licentia in forma comuni ab apostolica sede obtenta, per modum testamenti seu ultime dispositionis tam pro piis causis, quam quibusdam aliis, de bonis et rebus disposuerit supradictis, certis super hoc executoribus deputatis, tamen executores ipsi, eodem episcopo, sicut Domino placuit, ab hac luce substracto, super facienda et complenda executione hujusmodi discordantes, minus plene processerant in eadem, nos, ad quos providere pertinet, quod pie dispositiones decedentium compleantur, negocium executionis, ne sic impeditum remanere contingeret, ex hiis et aliis causis rationabilibus ad nos providimus evocandum. Volentes igitur per apostolice sedis piam et circumspectam providentiam collectis bonis mobilibus ac debitis et creditis ipsius episcopi, et de illis, necnon de dispositione predicta informatione certiori habita, salubre adhiberi remedium in hac parte, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, bona, credita et debita, que habebat prefatus episcopus vel ad ipsum spectabant quolibet tempore mortis sue, quecumque sint, et in quibuscumque rebus consistant, et per quascumque detineantur seu (seu) debeantur personas, super quibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit te informans, petere, exigere, colligere, recipere, ac fideliter nomine nostro conservare, quousque aliud super hoc ordinaverimus, non postponas, faciendo tibi quascumque scripturas publicas vel privatas, et alia munimenta, super eisdem bonis, debitis et creditis confecta, et necessaria, vel oportuna, circa premissa vel eorum aliqua, quotiens opus fuerit, nihilominus exhiberi. Contradictores quoslibet super, etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XII kalendas marcii, anno tercio.

1492 Villeneuve-les-Avignon, 19 février 1345.

Tadeum de Pepulis administratorem jurium fiscalium in civitate Bononiensi continuat et ejus filiis dictum officium concedit, si forte decesserit. (Reg. 138, n°s DCCCX-XI, f° 210 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Tadeo de Pepulis, juris civilis professori, civi Bononiensi, gerenti administrationem jurium fiscalium in civitate nostra Bononiensi, ejusque comitatu et districtu, ad nos et ecclesiam Romanam spectantium. Reconsiliatione dilectorum filiorum —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XI kalendas martii, anno tercio.

1493 Villeneuve-les-Avignon, 19 février 1345.

Tadeo de Pepulis mandat ut viros ecclesiasticos a pedagiis et exactionibus defendat. (Reg. 138, n° DCCCXII, f° 212 v°.)

Eidem. Licet graves sint. — Datum ut supra.

1494 Villeneuve-les-Avignon, 19 février 1345.

Super Jordano, electo Lunensi, iterum infrascripto scribit. (Reg. 138, n° DCCCXIII, f° 212 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus, de Mediolano. Super certis tangentibus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XI kalendas marcii, anno tercio.

1495 Villeneuve-les-Avignon, 20 février 1345.

Infrascripto mandat ut episcopi Ilerdensis negotia curet. (Reg. 138, n° DCCCXIV, f° 212 v°.)

Venerabili fratri archiepiscopo Terraconensi. Pro parte venerabilis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, X kalendas martii, anno tercio.

1496 Villeneuve-les-Avignon, 21 février 1345.

Dominum de Magnaco, militem Lemovicensis diœcesis, rogat ut a Petro de Sancto Martiale, domicello, magistro ostiario Curiæ pontificalis homagium præstandum recipiat. (Reg. 138, n° DCCCXV-XVI, f° 213.)

Dilecto filio, nobili viro, Iterio, domino de Magnaco, Lemovicensis diocesis, militi. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius nobilis vir Petrus de Sancto Martiale, domicellus, magister ostiarius et familiaris noster, dudum quasdam terras a dilecto filio, nobili viro, Guidone Senescalli et matre ipsius acquisiverit titulo emptionis et pro eisdem terris tibi recognitionem et homagium sub certa forma prestare teneatur, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus eundem domicellum vel ejus certum procuratorem, ad hoc specialiter deputatum, ad recognitionem et homagium hujusmodi sic velis pro nostra et apostolice sedis reverencia recipere libere, favorabiliter et benigne quod ipsum ad tua comoda et honores astringas fortius, quodque nos, qui hoc gratum habebimus, tue devotionis benivolentiam exinde commendare merito valeamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIIII kalendas marcii, anno tercio.

In eodem modo *Guillelmo de Magnaco, domicello, Lemovicensis diocesis.*

1497 Villeneuve-les-Avignon, 22 février 1345.

Magistro fratrum ordinis Prædicatorum mandat ut in regno Majoricarum, ac Rossilionis et Ceritaniæ comitatibus, inquisitores hæreticæ pravitatis deputet, qui ab Aragonum et Majoricarum regibus non suspiciantur. (Reg. 138, n° DCCCXVII, f° 213 v°.)

Dilecto filio Parisio, magistro fratrum ordinis Predicatorum. Cupientes negocium fidei sic ubique dirigi et, suffragante divina gratia, prosperari, quod splendor ejusdem clarius semper fulgeat ipsiusque sinceritas illesa permaneat, et felicia suscipiat incrementa, volumus et tue discretioni mandamus, quatenus in regno Majoricarum, ac Rossilionis et Ceritanie comitatibus, aliisque circumvicinis partibus, tales personas tui ordinis, prout ex indulto sedis apostolice ad te spectat, ad officium inquisitionis heretice pravitatis deputare procures, que zelo ipsius fidei ferveant, discretione ac fidelitate polleant, et carissimis in Christo filiis nostris Petro Aragonum et Jacobo Majoricarum regibus illustribus, pro terris illis dissidentibus, aut eorum alteri, nequaquam merito sint suspecte, sed potius, omni partialitate cessante, suum officium diligenter et fideliter exequantur. Et si forsan aliquis, vel aliqui, qui, ut prefertur, suspecti reputari debeant, ibidem deputati fuerint ad hujusmodi officium exercendum, illum vel illos amoveas, et alios deputes non suspectos. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VIII kalendas marcii, anno tercio.

1498 Villeneuve-les-Avignon, 23 février 1345.

Bertrandum et Guiraudum Salvagii, milites Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, magistro dicti Hospitalis commendat. (Reg. 138, n° DCCCXVIII, f° 213 v°.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Dilectos filios Bertrandum et Guiraudum Salvagii, milites Hospitalis tui Sancti Johannis Jerosolimitani, per quosdam devotos nostros nobis de religionis zelo et aliis virtutibus commendatos, ut ipsos, prout eis propria noveris suffragari merita, favorabiliter prosequaris, tue benivolencie commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII kalendas marcii, anno tercio.

1499 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1345.

Petitioni electi Leodiensis, qui Avinionem venerat, annuens, pecuniam mutuam sumendi usque ad 5.000 florenorum auri summam potestatem ei concedit. (Reg. 138, nos MLXXXII-XXXIII, fo 288 vo.)

Dilecto filio Engelberto, electo Leodiensi. Cum sicut proposuisti —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII kalendas martii, anno tercio.

1500 Villeneuve-les-Avignon, 26 février 1345.

Infrascripto priori veniam dat, qui conscientia flagellabatur quod mortem alicujus non sponte effecerat. (Reg. 138, no MXIIII, fo 264.)

Dilecto filio Fulconi Roberti, priori prioratus de Jussaco, ordinis Sancti Benedicti, Sancti Flori diocesis. Petitionis tue nobis nuper exhibite series continebat, quod dudum, te ad portum seu transitum cujusdam fluvii veniente, volenteque ultra fluvium transire predictum, cum quidam homo laicus, qui navem in portu regebat predicto, inducendo navem ipsam se, ut tibi visum fuit, nimis difficilem redderet vel remissum, tu ex hoc ad iracundiam provocatus, eum per quendam tuum famulum mandasti et fecisti super latera et brachia cum uno baculo aliqualiter verberari, et deinde, dum in ipso portu aquam ejusdem fluvii transivisset, nichil aliud contra dictum hominem attemptasti. Cum autem postmodum ad tuam pervenerit noticiam, quod homo predictus, durante quadam infirmitate, quam tempore verberationis hujusmodi patiebatur quamque etiam postea per aliqua tempora passus fuit, post quinque vel sex menses a tempore verberationis predicte viam extitit universe carnis ingressus, tu propter verberationem predictam aliqualiter habens conscienciam remordentem, ne forte mors ipsius hominis ex eisdem verberibus secuta vel accelerata fuerit, quod non credis, nobis humiliter supplicasti, ut ad tuam conscienciam serenandam et cautelam status tui, tibi providere de oportune dispensationis gracia super hiis dignaremur. Nos igitur, premissis et eorum circumstanciis diligencius intellectis, cum sit bonarum mencium timere culpam, ubi culpa minime reperitur, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, quod, predictis ac quibuscumque constitutionibus statutis et consuetudinibus ordinis Sancti Benedicti, cujus professor existis, contrariis nequaquam obstantibus ministrare in susceptis ordinibus, prioratumque de Jussaco ejusdem ordinis, Sancti Flori diocesis, quem tunc temporis obtinebas, sicut adhuc obtines, licite retinere valeas, tecum auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII kalendas marcii, anno tercio.

1501 Villeneuve-les-Avignon, 27 février 1345.

Infrascriptis mandat ut de morte Jacobi episcopi Sorani quaerant qui, ut dicebatur, per quondam Gautinum de Forsare, pro episcopo Sorano se gerentem, interfectus fuerat. (Reg. 138, no DCCCXIX, fo 214.)

Venerabilibus fratribus... Empuriensi et... Galtellinensi ac Bartolomeo Jalmar, plebano plebis Sancti Nicolai Turritani, in regno Sardinie et Corsice apostolice sedis nuncio. Perlatum nuper extitit —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III kalendas martii, anno tercio.

1502 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1345.

Ei mandat ut quædam molendina prioratui Beatæ Mariæ de Avancia, Paduanæ diœcesis, restituant. (Reg. 138, no DCCCXX, fo 214.)

Dilecto filio, nobili viro, Hubertino de Carraria. Exposuit nobis venerabilis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas martii, anno tercio.

1503 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1345.

Custodia civitatis et territorii Senogaliensis R. quondam Balignani de Stafulo, militis de Anconitana Marchia, conceditur. (Reg. 138, no DCCCXXI, fo 215.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus, presbitero cardinali, apostolice sedis legato. Supereminens —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas martii, anno tercio.

1504 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1345.

Optat ut comites Armaniaci et Insule discordias ponant. (Reg. 138, no DCCCXXII, fo 215 vo.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni comiti Armaniaci. Intuitu paterne considerationis variis attentis dispendiosis periculis, que suscitata inter te, fili, ex parte una, et dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum comitem Insule, ex altera, hoste humani generis procurante, dissentio, non solum utrique vestrum sed etiam hinc inde amicis et subditis, totique illi patrie, si, quod absit, ulterius procederet, cominatur, intensis desideriis affectamus pacis Deo gratam concordiam, inter te dictumque comitem, rancorum et odiorum quorumlibet erradicatis et extirpatis penitus vepribus, reformari. Et quia offensiones mutue, si per hostiles congressus vel alios modos bellicos fierent, viam hujusmodi, ad quam intendimus pacificam, preter alia pericula inde prodeuntia, nimium perturbarent, volumus et optamus quod tu et comes predictus ab hujusmodi congressibus et aliis comotionibus bellicis abstinentes, treugas dudum per te ac ipsum initas, que terminari debent, ut intelleximus, in festo Resurrexionis dominice poximo futura, ab inde usque ad unum annum vel ulterius, prorogetis. Quocirca nobilitatem tuam plenis rogamus affectibus et hortamur, quatenus treugas hujusmodi velis prompte, libere ac benivole cum eodem comite usque ad unum annum, ut premittitur, vel longiorem terminum, ut melius, liberius et utilius interim possit intendi circa tractatum pacis hujusmodi, prorogare, cum super eodem similes prefato comiti litteras destinemus, nobis, que in hac parte feceris, nihilominus per exhibitorem presentium rescripturus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas marcii, anno tercio.

Item in eodem modo *dicto comiti Insule*, verbis competenter mutatis.

1505 Villeneuve-les-Avignon, 28 février 1345.

Infrascriptis mandat ut procurationes seu pastus ratione visitationis Bernardo episcopo Noviomensi debitos exhiberi jubeant. (Reg. 138, n° MCLVIII, f° 308 v°.)

Venerabili fratri Guidoni episcopo Eduensi et dilectis filiis... thesaurario Noviomensis ac Hugoni de Payraco, canonico Cameracensis, ecclesiarum. Pridem volentes venerabilem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II kalendas marcii, anno tercio.

1506 Villeneuve-les-Avignon, 1er mars 1345.

Infrascripto mandat ut bona quondam Petri, Cæsaraugustani archiepiscopi, petat et sub manu Cameræ custodiat. (Reg. 138, n° DCCCXXIV, f° 215 v°.)

Dilecto filio Almeracio de Cabrespina, canonico Ilerdensi. Deducto noviter ad —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis martii, anno tercio.

1507 Villeneuve-les-Avignon, 1er mars 1345.

Infrascripto mandat ut bona Guillelmi, episcopi Eduensis, sub manu Cameræ pridem posita, executoribus testamenti dicti episcopi dimittat. (Reg. 138, n° DCCCXXV, f° 216.)

Dilecto filio Gerardo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis. Pridem fidedignis relatibus intellecto bone memorie Guillelmum, episcopum Eduensem, esse, sicut Domino placuit, ab hac luce substractum, nos providere volentes quod bona mobilia debita et credita ipsius episcopi, capi, asportari aut inutiliter consumi per aliquos indebite non valerent, sed potius fideliter conservari, ut exinde Camere nostre de hiis, in quibus eidem tenebatur ratione comunis servicii, ac venerabili fratri nostro Guidoni, episcopo successori ejusdem, et ecclesie Eduensi, ac aliis, quorum interesset, provideri et satisfieri posset, prout existeret rationis, tibi per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis, ut bona, debita et credita hujusmodi sub manu nostra exigere, colligere, recipere ac conservare, quousque a nobis aliud in mandatis reciperes, super hoc fideli adhibita diligentia, procurares, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut intelleximus, tu ad executionem contentarum in eisdem litteris, prout potuisti, processeris, ut debebis, et subsequenter executores ultime dispositionis prefati Guillermi episcopi, quam de licentia sedis apostolice fecisse dicitur, ad nostram presentiam accedentes, dicte camere nostre de hiis, in quibus ei tenebatur ratione dicti comunis serviciis, sastisfecerint, ac nobis humiliter supplicarint, ut, cum ipsi parati sint de bonis, debitis ac creditis supradictis, si ea sibi faceremus dimitti, prefatis Guidoni episcopo et ecclesie Eduensi, ac aliis in quibus tenebatur dictus Guillermus episcopus, et quorum interest etiam juxta dispositionem predictam providere ac satisfacere, prout rationis equitas suadebit, nos eorum supplicationi beni-

gnius super hiis annuentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus bona, credita et debita supradicta ex illis et eorum singulis effectualiter, manu nostra amota, executoribus memoratis relaxes, et ei assignes quicquid nostro et ejusdem camere nomine perceperis ex eisdem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis martii, anno tercio.

1508 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1345.

Petrus archiepiscopus Cæsaraugustanus constituitur. (Reg. 138, n° DCCCXXV *bis*, f° 126 v°.)

Dilecto filio Petro, electo Cesaraugustano. Nuper ecclesia Cesaraugustana —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI nonas martii, anno tercio.

1509 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1345.

Arnaldum, dominum de Rocafolio, rogat ut procuratorem pro pace cum rege Majoricarum componenda Avinionem sine mora mittat. (Reg. 138, n° DCCCXXVI, f° 216.)

Dilecto filio, nobili viro, Arnaldo domino de Rocafolio. Sicut alias tue nobilitati scripsimus, nos, quibus discentiones et discordie fidelium sunt infeste, super rancoribus et odiis, que hostis humani generis, inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Jacobum regem Majoricarum. illustrem studuit suscitare ut, eis erradicatis et sublatis, pacis invicem vigeat unitas, more benivoli patris intendimus interponere partes nostras. Cupientes igitur, quod pie in hac parte concepimus, deducere divina suffragante gratia in effectum, nobilitatem rogamus et hortamur eandem, quatenus personas discretas aliquas, super hoc mandato suffultas ydoneo, ad nostram presentiam absque cunctatione morosa qualibet studeas destinare, cum rex prefatus apud sedem apostolicam presentialiter moram trahat, tue voluntatis nobis in hac parte propositum rescripturus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI nonas marcii, anno tercio.

1510 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1345.

Comitem Armaniaci rogat ut pro pace inter regem Majoricarum et dominum de Rocafolio laboret. (Reg. 138, n° DCCCXXVII, f° 216 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni comiti Armaniaci. Sicut alias dilecto filio, nobili viro, Arnaldo, domino de Rocafolio, nos quibus etc. usque in effectum, verbis competenter mutatis, prefato nobili per litteras nostras scribimus, cum rogando attentius et hortando, ut personas discretas aliquas, super hoc mandato suffultas ydoneo, ad nostram presentiam absque cunctatione morosa destinare procuret, cum rex prefatus apud sedem apostolicam presentialiter moram trahat. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attente quatenus ad id tuum, quantum te tangit, inclines animum, et eundem nobilem, viis et modis quibus expedire videris, inducere tua circumspecta prudentia non postponat, nobis tue voluntatis in hac parte propositum, et que circa illa egeris, rescripturus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI nonas marcii, anno tercio.

1511 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1345.

Infrascriptis mandat ut bona defuncti Bartholomei, episcopi Forojuliensis, petant et colligant. (Reg. 138, n° DCCCXXVIII, f° 217.)

Dilectis filiis Bartholomeo Galhardi, canonico Forojuliensis, et Raymundo de Heremo, rectori de Fabario, Forojuliensis diocesis, ecclesiarum. Super colligendis, exigendis et recipiendis bonis mobilibus bone memorie Bartholomei, episcopi Forojuliensis, nec non fructibus, redditibus et proventibus ed episcopalem mensam ecclesie Forojuliensis spectantibus, qui a tempore obitus dicti Bartholomei episcopi usque ad diem, qua per sedem apostolicam de persona bone memorie, Johannis episcopi Forojuliensis, successoris immediati dicti Bartholomei, provisum extitit, eidem ecclesie obvenerant, diverse admissiones diversis personis hactenus per sedem facte fuerunt eandem, et licet per te, fili rector, et quondam Arnaldum Castolani, quibus super predictis ultimo commissio facta fuit, processum super eis, ut intelleximus, extiterit, adhuc tamen nonnulla dictorum bonorum ac fructuum, redditum et proventuum ad cameram nostram ex reservatione de illis per sedem prefatam dudum facta spectantium, restare dicuntur residua colligenda. Nos igitur volentes indempnitati ejusdem camere in hac parte, cum prefatus Arnaldus Castolani rebus humanis exemptus extiterit, providere, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus residua hujusmodi, quecunque sint,

et per quascumque detineantur seu debeantur personas, super quibus, si necesse fuerit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, vos informare curetis, petere, exigere, colligere ac recipere nomine dicte camere studeatis. Contradictores etc. Non obstante etc. Volumus autem quod eos, a quibus receperi[ti]s residua supradicta, possitis absolvere plenius et quittare de hiis, que inde vobis duxerint persolvenda vel etiam assignanda, quodque cum illis, qui ad residua ipsa solvenda teneri dicuntur, qui adeo paupertate gravati fuerint, quod ea comode nequeant solvere, vos remittendo eis totum vel partem, prout vobis videbitur, vos geratis misericorditer et benigne. Illorum vero, qui solutionem de illis factam esse allegaverint, favorabiliter et juste probationes, quas super eadem solutione obtulerint, admittatis, justiciam super hoc faciendo. Ceterum de omnibus et singulis, que in hac parte quomodolibet egeritis, reddatis clare, particularita et distincte supradictam cameram certiorem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI nonas marcii, anno tercio.

1512 Villeneuve-les-Avignon, 2 mars 1345.

Archiepiscopo Bremensi pecuniam mutuam sumendi usque ad summam 2.000 florenorum auri potestatem concedit. (Reg. 138, n° MLXXXIII, f° 289.)

In eodem modo *Ottoni, archiepiscopo Bremensi*. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI nonas martii, anno tercio.

1513 Villeneuve-les-Avignon, 3 mars 1345.

Infrascripto mandat ut castrum Gecii pro XXX florenis annualim solvendis Angeleto Pepi de Urbeveteri et ejus heredibus per XIX annos in emphiteosim concedat. (Reg. 138, n° DCCCXXIX, f° 217.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Viterbiensi, rectori patrimonii Beati Petri in Tuscia. Nuper dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas martii, anno tercio.

1514 Villeneuve-les-Avignon, 3 mars 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXII, f° 316 v°.)

Item in eodem modo *dilecto filio Guillelmo Salvati ac dilecte in Christo filie None, ejus uxori, civibus Narbonensibus*. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas marcii, anno tercio.

1515 Villeneuve-les-Avignon, 3 mars 1345.

Miratur quod episcopus Baiocensis quamdam monialem monasterii Sanctæ Trinitatis de Cadomo non puniverit, quæ ordinem per tres annos vagabunda et meretrix reliquerat. (Reg. 138, n° DCCCXXX, f° 218 v°.)

Venerabili fratri episcopo Baiocensi. Exhibita nobis dilectarum in Christo filiarum... abbatisse et conventus monasterii Sancte Trinitatis de Cadomo [1], ordinis Sancti Benedicti, tue diocesis, petitio continebat, quod olim Lienor Daurinoy, ejusdem monasterii monialis, in octavo etatis sue anno vel circiter constituta, recepta in prefato monasterio ac induta extitit et velata, et deinde per sexdecim annos continuos vel circa in eodem cum prefatis abbatissa et conventu, tanquam monialis, habitum regularem, tam noviciis, quam professis, prelibati monasterii monialibus assignari consuetum, gestando, et de comunibus proventibus ejusdem monasterii suam recipiendo, sicut una ex aliis monialibus, portionem continuam, pro religiosa et professa habita publice moram traxit, sic quod nunquam toto predicto tempore, quod displiceret sibi dicta religio, vel quod ex ea vellet exire, protestationem fecit aliquam tacitam vel expressam. Subsequenter autem petita per ipsam ab eadem abatissa licentia eundi et morandi usque ad certi temporis spacium extra dictum monasterium, causa visitandi suos amicos dumtaxat, debita honestate servata, et sibi, prout est de more, per ipsam abbatissam demum benigne concessa, illo instigante, qui saluti humane invidet, ibique sue venena nequitie magis diffundere satagit, ubi se amplius existimat obfuturum, prefata monialis ad dictum monasterium postea, licet caritative monita redire non curans, sue religionis habitu non sine magna temeritate dimisso, per tres annos et ultra, vagabunda, extra prelibatum monasterium discurrere in sue salutis anime dispendium, predicte religionis opprobrium, et plurimorum scandalum non expavit, et, quod est deterius, cum quodam viro, sub colore contracti matrimonii, se dicitur

1. Ms. : Cadorno.

conjunxisse, cum potius dici possit stuprum vel adulterium, si sit ita. Cum itaque premissa, que in partibus illis notoria, pro dolor ! dicuntur existere, ad tuam provenisse noticiam asserantur, de te, frater, miramur admodum, quod talia tamquam nephanda et perniciosa facinora diceris absque correctione debita coniventibus oc[c]ulis hactenus pertransisse. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis, et ea tangentibus, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, recepta informatione fideli, sic diligenter tam auctoritate apostolica, quam tua ordinaria, prout ad tui presulatus spectat officium, quod canonicum fuerit exequaris, quod honestati et justicie circa hec per tue solicitudinis studium satisfiat, tuque potius de diligentia commendari valeas, quam de negligentia merito reprehendi. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas marcii, anno tercio.

1516 Villeneuve-les-Avignon, 3 mars 1345.

Vicario in Urbe mandat ut clericos Urbis delinquentes corrigat. (Reg. 138, n° DCCCLXXXX, f° 231 v°.)

Venerabili fratri Ramundo episcopo Reatino, in spiritualibus in Urbe vicario. Perlatum frequenter extitit —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas martii, anno tercio.

1517 Villeneuve-les-Avignon, 3 mars 1345.

Senatores Urbis rogat ut episcopo Reatino vicario assideant. Reg. 138, n° DCCCLXXXXI, f° 231 v°.)

Dilectis filiis, nobilibus viris, senatorie officium pro nobis in Urbe gerentibus, presentibus et futuris. Cum sicut intelleximus —. Datum ut supra.

1518 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1345.

Gerardum de Arbento, thesaurarium ecclesiæ Escoyarum, Rothomagensis diocesis, qui collector proventuum ad Cameram apostolicam spectantium in diœcesi Basiliensi et in provincia Treverensi constituitur, infrascriptis commendat. (Reg. 138, n°s DCCCXXI-XXII, f° 218 v°.)

Venerabili fratri Balduyno archiepiscopo Treverensi. Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas martii, anno tercio.

Eodem die, in eodem modo, *Bertholdo episcopo Basiliensi*, sed non ponatur provincia.

1519 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1345.

Infrascripto mandat ut bona monasterii Sancte Marie de Galdo custodiat. (Reg. 138, n° DCCCXXXIII, f° 219.)

Venerabili fratri archiepiscopo Brundusino, in regno Sicilie apostolice sedis nuncio. Cum nos certis. — Datum ut supra.

1520 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1345.

Infrascripto mandat ut bona Johannis quondam episcopi Rivensis custodiat. (Reg. 138, n° DCCCXXXIV, f° 219.)

Dilecto filio Morerio de Moreriis, canonico Agennensi. Cum nos certis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas martii, anno tercio.

1521 Villeneuve-les-Avignon, 4 mars 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCCXIX-MCCXXI, f° 316.)

Item in eodem modo *dilecto filio Petro Obrerii juniori, et dilecte in Christo filie Johanne de Septemfontibus, ejus uxori, Caturcensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas marcii, anno tercio. — *Dilecto filio Bernardo de Rupe, laico, et dilecte in Christo filie Bernarde de Septemfontibus, ejus uxori, Caturcensis diocesis. — Dilecto filio Geraldo de Roiolio, et dilecte in Christo filie Raymunde de Septemfontibus, ejus uxori, Caturcensis diocesis.*

1522 Villeneuve-les-Avignon, 5 mars 1345.

Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani Johannem Tornamira commendat. (Reg. 138, n° DCCCXXXV, f° 219.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Cum nos dilectum filium

Johannem Tornamira, tui ordinis Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, favore dilectionis certis considerationibus prosequamur, ipsum tue benivolentie plenis affectibus commendamus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas marcii, anno tercio.

1523 Villeneuve-les-Avignon, 5 mars 1345.

Reginam Navarræ rogat ut cum episcopo Pampilonensi pacem componat et ordinationem a duce Burgundiæ et cardinale Sancti Petri ad Vincula statutam observet. (Reg. 138, n° DCCCXXXVI, f° 219.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Navarre illustri. Discordiam, quam dudum inter clare memorie Philippum regem Navarre, virum tuum, filia carissima, dum viveret, vel officiales ejus, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum Arnaldum, episcopum Pampilonensem, ex altera, super nonnullis gravaminibus et dampnis gravibus, que prefatus episcopus sibi et ecclesie sue Pampilonensi, conceptis contra eum quibusdam suspitionibus et rancoribus, per regem seu officiales eosdem asserebat illata, et super certis, que a dicto episcopo pro parte dictorum regis et officialium petebantur, ad que idem episcopus se et ipsam ecclesiam suam nullatenus teneri dicebat, pro quibus palatium episcopale, et quedam alia bona episcopi et ecclesie predictorum ad manum regiam posita dicebantur, inimicus homo, sicut novit tua excellentia, graviter hactenus suscitarat, ipso rege sublato de medio, dilecti filii noster Talayrandus, tituli Sancti Petri ad Vincula presbiter cardinalis, et nobilis vir Odo, dux Burgundie, de voluntate nostra, presentibus et consentientibus tuis et dicti episcopi gentibus, tunc apud sedem apostolicam in nostra presentia constitutis, sub certis modis et conditionibus terminarunt ; sed quamvis, prout intelleximus, idem episcopus ordinationem dictorum cardinalium et ducis super hoc se obtulerit et offerat servaturum, tamen adhuc nihil inde effectualiter factum est, sicut fertur. Cupientes igitur inter te, filia dilectissima, liberosque tuos, et prefatum episcopum, invicem sublata qualibet occasione discordie, pacis et concordie comoda, per que prefatus episcopus ad obsequendum tibi eisdemque liberis tuis promptius atque devotius, ac tu et illi ad ejus et ipsius ecclesie relevanda gravamina, honores et utilitates ampliandos eorum, favorabilius intendatis, firmiter stabiliri, serenitatem tuam regiam attente rogamus et in Domino exhortamur quatenus ordinationem hujusmodi cardinalium et ducis predictorum, pro nostra et apostolice sedis reverentia observare, ac per gentes et officiales tuos procures facere inviolabiliter observari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas martii, anno tercio.

1524 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Petrum de Palude, militem, dominum Varambonis, qui cum armigeris ad Turcos debellandos proficiscitur, Massiliensi, Niciensi, Januensi et Pisanæ communibus commendat. (Reg. 138, n° DCCCXXXVIII, f° 219 v°.)

Dilectis filiis nobili viro... duci et communi Venetiarum Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas martii, anno tercio.

In eodem modo *dilectis filiis communi civitatis Massiliensis* ; — *Niciensis* ; — *Januensis* ; — *Pisane.*

1525 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Patriarchæ Constantinopolitano et magistro Hospitalis Petrum de Palude commendat. (Reg. 138, n°s DCCCXLII-XLIII, f° 220.)

Venerabili fratri Henrico, patriarche Constantinopolitano, apostolice sedis legato. Dilectum filium, nobilem virum, Petrum de Palude, dominum Varambonis ad partes illas cum certa gente armigera, ut se circa defensionem ac dilatationem fidei divinis impendat obsequiis, ex fervore devotionis et fidei accedentem, ut eum, quantum poteris comode, prosequaris favorabiliter, fraternitatis tue benivolentie propensius commendamus. Datum ut supra.

Item in eodem modo. *Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.*

1526 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Dictum Petrum de Palude regibus Cipri et Armeniæ commendat. (Reg. 138, n°s DCCCXLIIII-XLV, f° 220.)

Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri.

Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas martii, anno tercio.

Item in eodem modo. *Guidoni regi Armenie illustri.*

1527 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Andræ regi Siciliæ supradictum Petrum commendat. (Reg. 138, n° DCCCXLVI, f° 220.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Cum dilectus filius, nobilis vir etc. ut supra... tam super habendis utilibus de illis partibus equis et navigiis aliisque pro premissis sibi necessariis prosequi, sicut expediens et honestum fuerit, favoribus oportunis. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas marcii, anno tercio.

1528 Villeneuve-les Avignon, 6 mars 1345.

Patriarchæ Constantinopolitano, legato, mandat ut stipendia militum, qui in comitiva Petri de Palude proficiscuntur, solvat. (Reg. 138, n° DCCCXLVIII, f° 220 v°.)

Venerabili fratri Henrico patriarche Constantinopolitano, apostolice sedis legato. Cum dilectus filius —. Datum ut supra.

1529 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Viduam Andronici rogat ut Petrum de Palude benigne recipiat. (Reg. 138, n° DCCCXLIX, f° 220 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne relicte quondam Andronici, Moderatoris Grecorum. Exposuit nobis dilectus filius, nobilis vir, Petrus de Palude, miles, dominus Varambonis, quod ipse, qui de partibus Burgundie traxit originem, sicut nosti, et tibi etiam, ut asserit, dum adhuc esses in illis partibus, obsequiosis devotionibus notus fuit, ad partes transmarinas pro defensione fidei et fidelium ejusdem fidei zelo accensus, cum certa gente armigera proficiscens proponit tue serenitatis excellentiam personaliter visitare, nos itaque de te, filia carissima, que de domo processisti catholica, plenius in Domino confidentes, magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente quatinus prefatum militem benigne recipias, favorabiliter audias et ejus salutaribus monitis super hiis, que comodum et salutem populi partium Grecie respiciunt, prudenter, quantum in te fuerit, ut apud Deum meritorum crescas cumulis, acquiescas. Datum ut supra.

1530 Villeneuve-les-Avignon, 6 mars 1345.

Indulgentiæ et absolutiones Petro de Palude et ejus sociis, sicuti peregrinis in subsidium Terræ Sanctæ transfretantibus, conceduntur. (Reg. 138, n° DCCCL, f° 220 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Petro de Palude, militi, domino Varambonis. Sicut in nostra —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas marcii, anno tercio.

1531 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1345.

Infrascripto licentia testandi conceditur. (Reg. 138, n° MCLXIV, f° 309 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, archiepiscopo Rothomagensi. Quia presentis vite. — Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis martii, anno tercio.

1532 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1345.

Comitem Flandriæ rogat ne matrimonium inter filium ejus et filiam regis Navarræ contrahendum amplius differat. (Reg. 138, n° DCCCLI, f° 221.)

Dilecto filio, nobili viro, Ludovico comiti Flandrie. Sicut jamdudum et noviter etiam relatibus percepimus fidedignis, super matrimonio contrahendo inter dilectum filium, nobilem virum, Ludovicum natum tuum, et dilectam in Christo filiam, puellam inclitam.., natam clare memorie Philippi regis Navarre, inter te ac regem eundem, dum in humanis ageret, conventiones et pacta inita fuerunt, certis penis et juramentis vallata. Cum autem carissima in Christo filia nostra Johanna regina Navarre illustris pro parte sua paratam se, ut intellexi-mus, offerat conventiones et pacta hujusmodi completuram, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus diligenter attendens, quod hujusmodi matrimonium tuis et domus tue honoribus et utilitatibus non parum congruit, quodque te decet predicta conventiones

et pacta sic, ut prefertur, firmata, observare immobiliter et complere, perfectionem predicti contrahendi matrimonii secundum conventiones easdem non differas, nec retardes ; hoc quidem gratum nostris accedet affectibus, et contrarium, velut saluti, honori et comodis tuis obvium, nobis admodum displicibile redderetur, presertim cum super predicto contrahendo matrimonio a nobis, ad supplicem partium instantiam, dudum, sicut tua predicta novit nobilitas, oportuna dispensatio, sine qua licite fieri non poterat, sit concessa, nec aliam decenter et honeste concedere valeremus. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis marcii, anno tercio.

1533 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1345.

Regi Franciæ de prædicto matrimonio scribit. (Reg. 138, nos DCCCLII-LIII, fo 221.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Excellentie regie noviter receptis litteris de matrimonio dudum tractato inter dilectum filium, nobilem virum, Ludovicum, natum dilecti filii nobilis viri Ludovici comitis Flandrie ac dilectam in Christo filiam, puellam inclitam..., natam clare memorie Philippi regis Navarre, inter cetera mentionem facientibus, ipsarumque serie intellectu pleno collecta, prefato comiti scribimus juxta formam, quam cedula continet presentibus interclusa. Tuam quidem, fili carissime, celsitudinem non credimus esitare quod ea, que in tuum vel regni tui retorqueri possint dedecus vel incomodum, non toleraremus libenter, nec eis ommitteremus, quantum honestas permitteret, pro viribus obviare. Datum ut supra.

In eodem modo *Johanne regine Francie.*

1534 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1345.

Infrascriptis mandat ut regimen civitatis Venetensis, secundum treugas inter Franciæ et Angliæ reges indictas petant ; nam rectores a Sancta sede prius deputati ex civitate ejecti fuerant. (Reg. 138, no DCCCLIIII, fo 221 vo.)

Venerabili fratri episcopo Leonensi et dilectis filiis Guillelmo Mathei Macloviensi ac Bernardo Pellicerii Venetensi, canonicis. Quamvis nobis, licet insufficientibus meritis, illius Regis pacifici et excelsi, qui se cogitationes pacis et non afflictionis cogitare testatur, vices in terris gerentibus quorumlibet dissentiones fidelium sint infeste, ille tamen, que inter reges et principes suscitantur, tanto gravius anxiant mentem nostram, quanto ex eis in populo Dei majora pericula et scandala conspicimus provenire, propter quod ad eas tollendas et sopiendas per vias pacificas et accomodas libenter, quantum cum Deo possumus, studium apostolice solicitudinis adhibemus. Sane dudum gravia et innumera personarum dispendia, rerum excidia, et animarum amarius plangenda pericula, que dissentiones et guerre inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie, et Edwardum Anglie reges illustres, hoste humani generis satore discordie, cunctorumque incentore malorum, procurante, jamdudum invicem suscitate, secum traxerant, et eodem hoste reges ipsas ad iracundiam provocante vehementius, et ad terribiliores guerrarum ipsarum fremitus accendente, majora parere discrimina minabantur, intra nostra precordia non sine magna mentis amaritudine revolventes et cupientes periculis et incomodis hujusmodi salubribus occurrere remediis, et inter reges eosdem pacis mutue Deo grate ac hominibus amabilis concordiam reformari, deliberatione cum fratribus nostris Sancte Romane ecclesie cardinalibus prehabita provida et matura, venerabiles fratres nostros Petrum Penestrinum, et Anibaldum Tusculanum, episcopos, Apostolice Sedis nuncios, viros utique profunditate consilii, probitatis et circumspectionis maturitate conspicuos, ac pacis, veritatis et justicie fervidos zelatores, aliisque multiplicibus donis virtutum, prout docet experientia, insignitos, ad regna Francie et Anglie pro hujusmodi reformanda pacis concordia, seu procurandis vel indicendis inter reges prefatos ac utriusque ipsorum fautores, adjutores et alligatos treugis pacis representantibus ymaginem, cum certis nostris super hiis confectis et eis directis litteris providimus destinandos. Ipsi namque nuncii, onere laboriose solicitudinis hujusmodi humiliter et devote suscepto, ad partes hujusmodi regni Francie se personaliter conferentes, multis curis sedulis ac tractatibus studiosis et fidelibus adhibitis, inter reges prefatos invicem et fautores et alligatos eorum treugas duraturas usque ad certi temporis spatium fieri, firmari et publicari solemniter procurarunt, ut guerris predictis et dissentionibus medio tempore quiescentibus, illius faciente gratia qui est pax vera et viros vult pacificos Dei filios nominari, valeret inter reges eosdem tractatus pacis hujusmodi comodius procurari. Porro

quia civitas Venetensis infra regnum Francie predictum, et in ducatu consistens Britannie, nomine prefati regis Francie, ac dilecti filii, nobilis viri, Caroli ducis Britannie, nomine prefati regis Francie, ac dilecti filii nobilis viri Caroli ducis Britannie per dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Pictavia tenebatur, regebatur et custodiebatur, quamquam prefatus rex Anglie posuisset et teneret obsidionem tunc temporis contra eam, memoratis episcopis perinde fideliter et solerter tractantibus, inter reges prelibatos extitit concorditer ordinatum, quod prefata civitas Venetensis per eosdem nuncios vel eorum alterum, si alter deficeret, vel ad hoc nollet intendere, nomine nostro, dictis durantibus treugis teneretur, et ipsi nihilominus, finitis eisdem treugis, suam exinde possent facere voluntatem ; qua quidem ordinatione sic facta, prenominati nuncii, ad civitatem accedentes, eandem, ipsius clavibus de manibus Ludovici predicti receptis, ipsam intraverunt solemniter, ejusque custodiam palam, publice, pacifice, ac notorie scientibus, volentibus et consentientibus civibus, incolis, habitatoribus, ac universitate civitatis ejusdem, nostro nomine receperunt, et vexillis nostris et Ecclesie Romane ibidem positis, ad regimen et custodiam ipsius civitatis predicto nomine certos deputaverunt rectores, qui regimen et custodiam hujusmodi eodem nostro nomine publice ac pacifice adepti fuerunt. Subsequenter autem, eisdem rectoribus civitatem prefatam salubriter, utiliter et pacifie, dicto nomine nostro regentibus, quidam iniquitatis filii, Deum, ac nos, et sedem Apostolicam graviter offendere, bonum statum illius patrie turbare damp nabiliter, et alia nefanda et horrenda committere non verentes, rectores predictos de civitate ipsa ejusque regimine ac custodia violenter et opprobriose, sicut tam verbales, quam litterales fidedignorum assertiones, ac vulgaris et pubblica fama, vel potius infamia produxerunt sepius ad nostri apostolatus auditum, ejicere, necnon in ecclesiis, monasteriis, ac locis piis, et aliis tam ecclesiasticis quam laicis partium illarum depredationes, violentias, rapinas et alia multa execranda maleficia patrare, presumptuosis, sacrilegis et temerariis ausibus presumpserunt, nos possessione regiminis et custodie predicte civitatis, que per rectores, ut premittitur, exercebamus predictos, quantum in eis fuit, ausu temerario spoliando, ex quibus tam in civitate ipsa quam circum adjacentis regionis partibus turbationes, commotiones et mala inmunera pro dolor !, prout eadem habet publica infamia, sunt secuta. Nolentes igitur, sicut etiam nec debemus, tot et tantos enormes et detestandos excessus, in divine majestatis contumeliam, ac nostram et ejusdem sedis offensam enormem, rei pubblice lesionem, ac multorum pernitiosum scandalum, et detrimentum non modicum, sicut nequiter perpetratos, absque correctione debita conniventibus oculis preterire, discretioni vestre, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, vos vel duo aut unus vestrum, ad prefatam civitatem Venetensem, si ad eam tutus et securus accessus possit haberi, alioquin ad loca tuta propinqua, de quibus expedire videritis, accedentes, et ad infrascripta, tam per edictum publicum quam alias, sicut oportunum credideritis, procedentes, ad regimen, custodiam et gubernationem predicte civitatis, nostro nomine, in eo statu quo erant tempore hujusmodi expulsionis rectores predicti, nos plene restitui, vosque predicto nomine nostro reduci, et reponi cum effectu in eisdem regimine, custodia et gubernatione plenarie ac pacifice sicut eas predicto tempore prefati rectores gerebant, petatis et requiratis ab omnibus illis, qui habent aut habere possunt, vel debent super hoc potestatem, necnon prefatam civitatem, ipsiusque regimen, custodiam et gubernationem in temporalibus recipere, gerere, ac exercere nostro nomine, quandiu predicte durabunt treuge, solerti et fideli adhibita diligentia, et quascumque personas extraneas, et alias existentes, seu morantes in civitate predicta, que super impedimento predictorum regiminis, custodie ac gubernationis seu turbatione status ipsius civitatis pacifici et tranquilli, aut ibidem, vel partibus vicinis, maleficiis committendis haberentur suspecte, seu de quibus propter bonum et prosperum civitatis et partium predictarum statum vobis expedire videbitur, de civitate predicta recedere, ipsosque inde expellere, ac expelli facere studeatis. Contradictores quoslibet super hiis et rebelles, aut ea impedientes vel prestantes impedientibus directe vel indirecte publice vel occulte, per se vel alium seu alios, quomodolibet auxilium, consilium vel favorem, cujuscumque status, conditionis, ordinis, preminentie vel dignitatis existant, etiam si pontificali, regali, vel alia quacumque ecclesiastica seu mundana prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, gratiis, vel litteris apostolicis, quibusvis personis, vel locis, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, per

que nostre juridictionis et potestatis executio posset impediri vel retardari quomodolibet, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialem et expressam oporteret in nostris litteris fieri mentionem, que quo ad hoc nulli voluimus suffragari. Aut si aliquibus comuniter vel divisim etc. Rursus volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod monitiones, citationes et alii processus, quos per edictum publicum, ut prefertur, a vobis super premissis, vel ea tangentibus, fieri continget, affigendum tamen in locis publicis, de quibus sit verisimilis presumptio, quod ad illorum, quorum intererit, possint noticiam pervenire, adeo valeant, ac monitos, citatos et alios, quos contingent processus predicti, aprehendant, et artent, ac si presentialiter facti et eis presentati fuissent, quacumque constitutione contraria non obstante. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis martii, anno tercio.

1535 Villeneuve-les-Avignon, 7 mars 1345.

Cardinali tituli Sanctæ Ceciliæ prioratum de Monteflanquino, ordinis Cluniacensis, Agennensis diœcesis, confert, qui prius Egidio de Malodiversorio, canonico Rothomagensi, legum doctori, post destitutionem Raymundi Bernardi de Pestilhaco, collatus fuerat. (Reg. 138, n° DCCCLV, f° 222 v°.)

Dilecto filio Guidoni, tituli sancte Cecilie presbitero Cardinali. Dum exquisitam tue circumpectionis industriam diligenter attendimus, et paterna consideratione pensamus quod tu Romanam Ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, tuorum honoras magnitudine meritorum, personam tuam libenter apostolicis communimus presidiis et favoribus prosequimur gratiosis. Dudum siquidem ex insinuatione dilecti filii, magistri Egidii de Malodiversorio, canonici Rothomagensis, legum doctoris, ad nostri apostolatus deducto noticiam, quod cum Raymundus Bernardi de Pestilhaco, olim prior prioratus secularis non collegiate ecclesie de Monteflanquino, Agenensis diocesis, se palam et publice sevis immiscuisset, homicidia, rapinas et alia illicita plurima notorie perpetrando, dilectus filius Bernardus, abbas monasterii Exiensis, Cluniacensis ordinis, dicte diocesis, cum ad abbatem dicti monasterii, qui est pro tempore, prioratus ejusdem collatio pleno jure pertineat, super hujusmodi homicidiis et rapinis, ac aliis malis per eundem Raymundum Bernardi, sic notorie perpetratis et notorietate ipsorum per plures fidedignos eidem fide facta, cum debita juris solemnitate, prout sibi de antiqua consuetudine competere asserebat, privavisset et declarasset ipsum Raymundum fuisse et esse homicidam notorium, et ipso facto irregularitatem incurrisse, ipsumque sua sententia a detentatione facti dicti prioratus fore expellendum, et propterea prioratum ipsum vacare, ac deinde hujusmodi prioratum, quem sic vacare asserebat, prefato Egidio cum omnibus juribus et pertinentiis suis contulisset et donasset, et nonnulli verterent tunc in dubium, an dicto abbati potestas ad premissa competeret de consuetudine antedicta, et an etiam propter premissa dictus prioratus vacare libere dici posset, ac supplicato nobis pro parte ipsius Egidii, ut providere sibi super hiis de benignitate apostolica dignaremur, nos volentes eundem Egidium prosequi gratiose, dilectis filiis... preposito sancti Amati Duacensis, Tornacensis diocesis, et... thesaurario Rothomagensis, ac Aymerico de Noalhaco, canonico Agennensis, ecclesiarum, nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, dictum prioratum, premisso vel alio quovis modo de jure vacantem, dummodo tempore date dictarum litterarum nostrarum non esset in eo jus alicui specialiter acquisitum, prefato Egidio auctoritate nostra conferre et assignare curarent, inducendo eum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus ac jurium et pertinentiarum ipsius, et defendendo inductum, amoto ab eo quolibet illicto detentore, sibique facerent de ipsius prioratus fructibus, redditibus, provenr tibus et juribus integre responderi, contradictores pecensuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Verum quia, prout ex oblata nobis postmodum memorati Egidi petitione percepimus, prefatus Aymericus, qui solus inceperat in executione mandati hujusmodi procedere, in executione ipsa debitum ordinem non servarat, et sicut a nonnullis asserebatur, prepositus et thesaurarius prelibati, pro eo quod dictus Aymericus solus taliter procedendo executionem ipsam preoccupasse videbatur, se intromittere de memorato negocio, et idem Aymericus suum in hac parte iterare processum non poterant, nobisque per eundem Egidium humiliter supplicato, ut ad omne dubium excludendum, providere sibi super hiis de optimo remedio curaremus, nos volentes eundem Egidium, ejus in hac parte inclinati supplicationibus, prosequi gratiose, voluimus et apostolica auctori-

tate decrevimus, ut processu per eundem Aymericum in executione mandati predicti habito, nec non quibuscumque constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, prefati prepositus et thesaurarius et quilibet eorum in solidum ad executionem dicti mandati apostolici eis facti, dictarum litterarum vigore, perinde libere possent procedere, ac si dictus Aymericus vigore litterarum ipsarum ad executionem earum nullatenus in aliquo processisset, sicut in litteris nostris inde confectis super hiis plenius continetur. Subsequenter vero, sicut tu in nostra proposuisti presentia constitutus, prefatis nostris litteris dilecto filio Bernardo de Casis, thesaurario ecclesie Rhotomagensis per supradictum Egidium presentatis, idem thesaurarius solus, prout ex tenore litterarum ipsarum poterat, ad earum executionem procedens, de vacatione predicti prioratus de Monteflanquino, et aliis in litteris predictis contentis inquisivit diligenter, et quia per inquisitionem eandem, quod de vacatione ipsius prioratus ennaratur, in nostris predictis litteris reperit veritate fulciri, dictum Egidium prioratum ipsum, ex collatione per supradictum abbatem sibi facta, pacifice possidere et in eo tempore date predictarum litterarum non fore alicui alteri jus specialiter acquisitum, nec aliquid eidem Egidio obstare canonicum, quominus ipse thesaurarius ad provisionem hujusmodi eidem Egidio de dicto prioratu deberet procedere faciendam, eundem prioratum, sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, auctoritate nostra, prefato Egidio contulit et providit de eodem, ipsumque de illo presentialiter investivit, ac in corporalem possessionem ipsius mandavit et fecit induci, sicut in instrumento publico manu dilecti filii Nicolai Ottinelli de Fractis, clerici Gaietane diocesis, publici apostolica et imperiali auctoritate notarii, ejusdemque thesaurarii sigillo munito dicitur plenius contineri. Sane cum prioratus predictus ad te postmodum per viam permutationis de ipso, quem tunc prelibatus Egidius ad canonicatum et prebendam ecclesie Belvacensis, quos tu pacifice possidebatis, facte inter vos invicem, auctoritate apostolica, ex collatione ac provisione nostra pervenisse noscatur, illumque possideas pacifice et quiete, aliquosque vertere asseras in dubium an in collatione et provisione eidem Egidio de dicto prioratu factis, et illis, que circa illas vel ob eas acta sunt, ut predicitur, debita juris solemnitas fuerit observata, nos ad omnem dubitationis materiam, et conscientie tue scrupulum amputanda, collationes et provisiones de dicto prioratu prefato Egidio, et subsequenter, ut prefertur, tibi factas, nec non omnia et singula supradicta, prout narrantur superius, et quecunque ex eis secuta sunt vel ob ea, rata habentes pariter et accepta, ea, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis propter solennitatem juris ommissam, vel alias quomodolibet intervenerint in premissis vel aliquo premissorum forsitan, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis marcii, anno tercio.

1536 Villeneuve-les-Avignon, 9 mars 1345.

Johanni regi Bohemiae super facto Ludovici de Bavaria et Casimiri, regis Poloniæ, respondet. (Reg. 138, n° DCCCLVI, f° 223 v°.)

Carissimo in Christo filio Johanni, regi Boemie illustri. Intellectis que nobis pro parte tue celsitudinis dilectus filius Petrus de Walen, tuus nuncius, explicavit, licet super quibusdam eorum responderimus, aliis tamen respondendum non duximus, cum per dilectum filium, magistrum Geraldum de Magnaco, capellanum nostrum, quem pridem ad tuam presentiam destinavimus, responsionem tue magnificentie miserimus super eis. Porro super facto Ludovici de Bavaria noviter audivimus quod ejus nuncii, videlicet nobilis vir... comes de Ottingen et magister Wlaicus, circa instans festum Resurrectionis Dominice ad nostram presenciam sunt venturi et, nisi mandatis sufficientibus et aliis, que sufficere videantur super negocio, de quo agitur, sint muniti, facere novos processus et antiquos recensere ac publicare in proximo festo Ascensionis Dominice intendimus, sicut nobis expedire videbitur, contra ipsum. De hiis autem, que carissimum in Christo filium nostrum, Casimirum, regem Polonie, commisisse percepimus, dolemus ad modum, providere super illis, quantum cum Deo et honestate justicie poterimus, intendentes. Demum quia tuis beneplacitis libenter, prout cum honestate potest fieri, annuimus, peticionem super dispensatione matrimonii dilecti filii, nobilis viri, domini de Lippia, nobis oblatam, tui consideracione, ad exaudicionis graciam favorabiliter duximus admit-

tendam. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII idus martii, anno tercio.

1537 Villeneuve-les-Avignon, 9 mars 1345.

Infrascriptum, qui censum solverat, liberat et de excommunicatione absolvit. (Reg. 138, n° MCCXLIII, f° 318 v°.)

Dilecto filio Opizoni, marchioni Estensi, in civitate, comitatu et districtu Ferrariensi, nostro et ecclesie Romane vicario. Pro parte tua nobis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII idus martii, anno tercio.

1538 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

De pulcherrimo pluviali misso et a Laurentio nepote ejus, bacallario in jure civili, præsentato, episcopo Lichefeldensi gratias agit. (Reg. 138, n° DCCCLVII, f° 224.)

Venerabili fratri Rogero episcopo, Lichefeldensi. Fraternitatis tue litteras —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1539 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Dominum de Hensberg, excommunicatum, hortatur ut cum capitulo Leodiensis ecclesiæ, ratione comitatus Lossensis pacem faciat. (Reg. 138, n° DCCCLVIII, f° 224.)

Nobili viro Thederico, domino de Hensberg, Leodiensis diocesis, spiritum consilii sanioris. De te mirari non sufficimus, et multi mirantur et scandalizantur, ut intelleximus, vehementer, quod per septennium et ultra excommunicationis contra te ratione comitatus Lossensis latas sententias, eodem comitatu subjacente interdicto ecclesiastico, potueris periculose nimium alienus a communione fidelium sustinere. Nos igitur calamitati status tui hujusmodi paterno compatientes affectu, et cupientes te ab invio hujusmodi pie reducere ad viam salutis et pacis, nobilitatem tuam attentius exhortamur, quatenus prudenter et diligenter considerans et attendens, quod te non decet, nec tibi expedit, in tali statu quomodolibet ulterius remanere, super discordia, que inter te ratione dicti comitatus, ex parte una, et dilectos filios capitulum ecclesie Leodiensis, ex altera, per viam pacificam sopienda, procuratores tuos sufficienter instructos et ydoneo mandato suffultos, hinc ad instans festum Penthecostes mittere ad nostram presentiam non postponas. Nos autem pro tua et ipsorum, quibus super hoc per litteras scribimus, concordia sedule intendimus laborare. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1540 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Capitulum Leodiense rogat ut procuratores suos Avinionem mittat. (Reg. 138, n° DCCCLIX, f° 224.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Leodiensis. Attentis dispendiis et periculis, que discordia inter vos ex parte una et nobilem virum Thedericum, dominum de Hensbe[r]g, Leodiensis diocesis ex altera, ratione comitatus Lossensis dudum, ut intelleximus, suscitata, secum posset trahere, si diu, quod absit, duraret, cupientes quod ipsa discordia per viam pacificam et accomodam sopiatur, et volentes super hoc interponere partes nostras, universitatem vestram requirimus et hortamur attente quatinus procuratores vestros, super hiis sufficienter instructos et ydoneo mandato suffultos, hinc ad instans festum Penthecostes ad nostram presentiam transmittatis. Super eodem autem per alias litteras comiti scribimus supradicto. Datum ut supra.

1541 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Ducem Brabantiæ rogat ne bona personarum ecclesiasticarum Leodiensium in Brabantiæ et Lemborgiensi comitatibus a justiciariis et illis satellitibus, qui Belmanni vocantur, injuste occupari patiatur. (Reg. 138, n° DCCCLX, f° 224 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni duci Brabancie. Infesta nimis insinuatio perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod tam per te, quam tuos justiciarios et quosdam satellites, qui Belmani vulgariter nuncupantur, bona ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum Leodiensium, in tuis Brabantie ac Lemborgiensis ducatibus consistentia, ne illi gaudere valeant, fecisti et facis in earum grave prejudicium arrestari, et nichilominus jurisdictionem ecclesiasticam, ad ecclesiam Leodiensem de jure vel antiqua consuetudine spectantem ibidem, adeo impediri et perturbari procurasti hactenus et incessanter procuras, quod in terris tibi subditis, nullus audet ad forum ecclesiasticum recurrere, nec aliquis jurisdictionem hujusmodi

pro ipsa ecclesia exercere, que in Dei gravem offensam et lesionem enormem libertatis ecclesiastice tueque periculum anime non modicum redundare procul dubio noscitur, si est ita. Rursus habet insinuatio supradicta quod tuis dedisti subditis sub gravibus et formidabilibus penis districtius in mandatis, quod eisdem personis ecclesiasticis de bonis suis, que habent infra districtus tuos, respondere quomodolibet, aut terras eorum, etiam pro justis preciis, excolere non presumant, personas ecclesiasticas in eisdem districtibus commorantes per vim et metum sepius tuis frivolis provocationibus et appellationibus, quas interponeres interdum, adherere cogendo, sicque ipsas crudeliter et dure affligendo quod, nisi eis aliter de oportuno et celeri provideatur remedio, ab officiis divinis desistere suaque beneficia ecclesiastica desolata dimittere compellentur. Quocirca nobilitatem tuam rogamus, requirimus et in Domino attentius exhortamur, quatinus quid tuis saluti et honori expediat super hiis, divinam ultionem metuens et censuram ecclesiasticam non contempnens, recogitare intra tua precordia non ommittens, et attendens nichilominus diligenter quod offendi per aliquem non potest ecclesia, quominus sponsus, ejus Dominus Jhesus Christus noster, graviter offendatur, a predictis gravaminibus et eorum singulis, ex quibus, si ea continuares, quod absit, vindictam ultionis divine contra te provocares, retrahere procures effectualiter manus tuas, predictos officiales et subditos ab illis nichilominus cohere[e]ndo ut, vitata offensa divina, te apud Duum acceptiorem efficias, ejus benedictionem et gratiam merearis uberius, et a nobis sedeque apostolica digne commendationis et laudis preconiis attollaris. Nos autem de personis predictis ecclesiasticis, si tibi forsan injurientur, vel inconsulta et illicita committantur ab eis idque ad nostram deduci feceris noticiam, exhiberi faciemus celeris et expedite justicie complementum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1542 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

De archidiacono Toletano archiepiscopo scribit. (Reg. 138, n° DCCCLXI, f° 225.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Tholetano. Displicibilis et molesta —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus martii, anno tercio.

1543 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Amatum, natum Francisci Phisici de Narnia, infrascriptis commendat. (Reg. 138, n° DCCCLXII, f° 225.)

Venerabilibus fratribus Bernardo, Viterbiensi, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia et Augustino Narniensi, episcopis. Significarunt nobis dilectus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus martii, anno tercio.

1544 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Dalphino Viennensi Ademarum, filium Ludovici de Pictavia, commendat, qui a dicto Dalphino baroniam de Clayriaco in feudum tenebat. (Reg. 138, n° DCCCLXIII, f° 225.)

Dilecto filio, nobili viro, Humberto Dalphino Viennensi. Cum dilectus filius, nobilis vir, Ludovicus de Pictavia, baroniam de Clayriaco dederit dilecto filio, nobili viro, Ademaro nato suo, nepoti nostro, cum juribus et pertinentiis suis habendam et perpetuo possidendam, dictaque baronia de Clayriaco a te, sicut intelleximus, in feudum teneatur, nobilitatem tuam plenis effectibus deprecamur quatenus eundem Ademarum, cui nos certis considerationibus tue prudentie non innotis afficimur, ad baroniam predictam et jura ipsius, tanquam vassallum tuum admittens libere, ipsum super hiis, que tecum habet agere propter hoc, et ut eidem de juribus dicte baronie respondeatur, et par(h)eatur ad plenum, sic favorabiliter et benigne velis precum nostrarum intuitu recommendatum habere, quod nos, quibus id gratum erit admodum, devotionem tuam exinde merito cum gratiarum actionibus commendemus. Porro prefatus Ludovicus de Pictavia nobis placibiliter et commendabiliter multum retulit, quod tu, fili, ipsum ac fratrem suum precum nostrarum intuitu benigne recipiens, super hiis, que tecum habebant agere, te sibi exhibuisti favorabilem et benignum, pro quibus, nobis utique gratis multipliciter et acceptis, referimus tibi grates. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1545 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Tholosano archiepiscopo promittit se regi Franciæ scribere. (Reg. 138, n° DCCCLXIIII, f° 225 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Tholosano. Que de statu tuo et aliis, tua et ecclesie tue negocia tangentibus, nobis tue fraternitatis nuncius, ad sedem apostolicam destinatus, prudenter et plene retulit, audivimus placibiliter et benigne, cum leti simus de statu tuo prospero, et velimus in tuis et ejusdem ecclesie oportunitatibus propicii, quantum cum Deo poterimus, reperiri, carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri, super hiis, de quibus fecit nobis mentionem prefatus nuncius, efficaciter scribere, sicut expedire videbimus, intendentes. Ceterum de hiis, que nobis misisti per ipsum nuncium sepius iteratis, que ex magne devotione reputamus procedere, fraternitati eidem gratiarum uberes exolvimus actiones. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1546 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Rectori provinciæ Romandiolæ pro Bertrando Astorgii, marescallo dictæ provinciæ, scribit. (Reg. 138, n° DCCCLXV, f° 225 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Aymerico Rolandi, rectori Romandiole. Volentes quod dilectus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus martii, anno tercio.

1547 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Concessionem regiminis terræ de Bagnicavalle, Johanni et Guillelmo de Mainfredis factam, marescallo Romandiolæ nihil nocere denuntiat. (Reg. 138, n° DCCCLXVI-LXVII, f° 226.)

Eidem rectori. Cum in concessione —. Datum ut supra.

Johanni et Guillelmo de Mainfredis, militibus, nostris et ecclesie Romane fidelibus et devotis.

1548 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Thomam Gratuli, priorem de Derhierst, Wigorniensis diœcesis, loco Radulphi de Ermenevilla ab abbate monasterii Sancti Dionysii in Francia designati, regi Angliæ commendat. (Reg. 138, n°s DCCCLXVIII-LXIX, f° 226.)

Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglie illustri. Cum, sicut intelleximus, dilecti filii... abbas et conventus monasterii Sancti Dionysii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, ad quos de antiqua observantia et consuetudine institutio et destitutio prioris prioratus de Derhierst ejusdem ordinis, Wigorniensis diocesis, et parrochiales ecclesie dicti loci asseritur pertinere, dudum Radulpho de Ermenevilla, prefati monasterii monacho, suis excessibus exigentibus, ab eis amoto, et ad claustrum, prout de more dicti monasterii esse asseritur, revocato, dilectum filium Thomam Gratuli, virum utique litteratum, de zelo religionis, vite puritate ac probitate aliisque virtutibus commendatum, in eisdem prioratu et parrochiali ecclesie instituendum canonice duxerint et tue regali excellentie presentandum, eandem excellentiam deprecamur attente quatinus eundem priorem velit benigne magnificiencia regia recipere, ipsumque pro divina et Apostolice Sedis reverentia sic favorabiliter pertractare quod ipse dictorum prioratus et ecclesie fructuum, proventuum et jurium eorumdem valeat pacifica perceptione gaudere, tuaque, fili carissime, devotio possit, preter divine retributionis meritum, exinde merito commendari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1549 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Supradictum priorem archiepiscopo Cantuariensi commendat. (Reg. 138, n° DCCCLXX, f° 226 v°.)

Venerabili fratri archiepiscopo Cantuariensi. Intellecto quod dilecti filii... abbas et conventus monasterii Sancti Dionysii in Francia, ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, ad quos in prioratu de Derhierst et ecclesia parrochiali dicti loci, Wigorniensis diocesis, prioris institutio et destitutio dicitur pertinere, dilectum filium Thomam Gratuli, monachum dicti monasterii, de puritate religionis, mundicia vite, discretionis et maturitatis probitate, aliisque virtutibus commendatum, instituerunt in prioratu et ecclesia supradictis, ex illis Radulpho de Ermenevilla, prefati monasterii monacho, amoto, suis excessibus exigentibus, et sicut esse de more ipsius monasterii dicitur, revocato ad claustrum, carissimis in Christo filiis nostris Edwardo regi, et Isabelli matri sue, regine Anglie illustribus super recommendatione Thome predicti, ut eorum fultus favore fructuum, reddituum, proventuum et jurium prioratus et ecclesie predictorum pacifica perceptione gaudere valeat, per nostras litteras scribimus oportunas.

Quocirca fraternitatem tuam attente rogamus quatinus, eidem priori super premissis favoribus oportunis assistens, et prefatis regi et regine predictas litteras presentans, ut favorem eorum assequatur hujusmodi, partes tue solicitudinis, pro nostra et apostolice sedis reverentia, efficaciter interponas. Datum ut supra.

1550 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Archiepiscopo Cantuariensi simili modo scribit. (Reg. 138' n° DCCCLXXI, f° 226 v°.)

Eidem archiepiscopo. Pro parte dilectorum filiorum... abbatis et conventus monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis Santi Benedicti, Parisiensis diocesis, nuper expositum extitit coram nobis quod ipsi, ad quos in prioratu etc. ut supra, usque revocato ad claustrum. Nos itaque, prefatorum abbatis et conventus supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, facta tibi fide legitima de premissis, eidem Thome super assecutione dictorum prioratus et ecclesie ac fructuum, redditiuum et proventuum eorundem, prout rationis equitas suaserit, favoribus oportunis assistas. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1551 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Majori et juratis civitatis Burdegalensis mandat ne consules et mercatores Agennenses, Vasatenses, Tholosanos, Caturcenses et Albienses ad nova vectigalia vel pedagia solvenda pro vinorum transvectione cogant. (Reg. 138, n° DCCCLXXII, f° 226 v°.)

Dilectis filiis... majori, vel ejus locumtenenti et juratis civitatis Burdegalensis. Habet expositio querulosa dilectorum filiorum consulum et mercatorum Agennensis, Vasatensis, Tholosane, Caturcensis et Albiensis civitatum et diocesum, pro se ac omnibus aliis habitatoribus et incolis villarum et locorum diocesum earundem quod, licet ipsi sint, et tam ipsi quam eorum predecessores, ab antiquo per tempora, de quibus hominum memoria in contrarium non existit, fuerint in possessione, pacifica et quieta, vina in prefatis diocesibus excrescentia, cum suis navibus vel aliis faciendi ad civitatem Burdegalensem deferri, solvendo pro vinis eisdem pedagia debita, et ab antiquo consueta presolvi, vigentibusque hiis temporibus treugis inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie, et Edwardum Anglie, reges illustres, juxta tenorem earum possint ire mercatores, et de una patria libere ad aliam vina et alias mercaturas, tam per mare quam per terram, solvendo pedagia consueta, ut prefertur, deferre, vos tamen, seu alii, de novo in villa Burdegalensi exactiones duorum solidorum Turonensium parvorum super quolibet dolio seu tonello vini, quod portatur ibidem, nec non sex denarios dicte monete seu unum denarium sterlingorum pro gaugia, a quolibet dolio seu tonello predicto, et alios sex denarios Turonenses monete predicte de qualibet libra pecunie, que habetur in civitate Burdegalensi predicta, de omnibus aliis mercaturis ad eam per mercatores delatis imponere ipsasque impositiones et exactiones exigere indebite satagis de novo. Et insuper quod dilectus filius, nobilis vir, Alexander de Cavomonte, et quidam alii nobiles sub obedientia ipsius regis Anglie persistentes, super transitu fluvii Garone levare pedagia soliti, eadem pedagia super vinis et aliis mercaturis per loca seu pedagialia transeuntibus, non contenti antiquis et ab antiquo consuetis pedagiis, illa non modicum adauxerunt de novo, et alia multa dampna et gravamina intulerunt, et inferre continue non desistunt, sicut de hiis et aliis nobis pro parte dictorum conquerentium dari poterit informatio, seu fides fieri, ut asseritur, particularitér et distincte. Cum autem talia, si veritas suffragetur relatibus, statum civitatis predicte Burdegalensis non deceant, nec honori congruant dicti regis, et nichilominus ea committentibus grande periculum ex penis et sententiis, quas jura et constitutiones Apostolice, que in certis solemnitatibus apud sedem apostolicam publicantur, statuunt et infligunt, iminere noscatur, circumspectionem et sinceritatem vestram rogamus, requirimus, et in Domino attentius exhortamur quatenus, ab hujusmodi novis et indebitis impositionibus, exactionibus et gravaminibus desistentes, ad prefatos nobiles et alios, qui ea presumpserunt, et presumunt attemptare, facientes seu procurantes abstinere ab illis, prefatos mercatores, solventes tamen ea, que ab ipsis et eorum predecessoribus ab antiquo sunt consueta persolvi, permittatis et faciatis suis libertatibus antiquis plene gaudere : sic vos super hiis habituri, quod devotionis vestre prudentia commendari exinde merito valeat nec providere de alio juris remedio sit necesse. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1552 Villeneuve-les-Avignon, 10 mars 1345.

Senescallum Agennensem rogat ne nova pedagia in transitu fluvii Garonæ a nobilibus exigi patiatur. (Reg. 138, n° DCCCLXXIII, f° 227.)

Dilecto filio, nobili viro..., senescallo Agennensi vel ejus locumtenenti pro carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri. Pro parte dilectorum filiorum consulum et mercatorum Agennensis, Vasatensis, Tholosane, Caturcensis et Albiensis civitatum et diocesum pro se ac omnibus aliis abitatoribus, et incolis diocesum predictarum, nuper nobis extitit querulosa insinuatione monstratum, quod nonnulli nobiles et barones de obedientia carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris existentes, qui sibi super transitu fluvii Garone pedagia vendicant, non contenti pedagiis ab antiquo percipi consuetis, eisdem mercatoribus per flumen predictum cum vinis et aliis suis mercaturis transeuntibus, tam antiqua pedagia hujusmodi de novo et indebite adaugendo, quam alias diversa gravamina inferendo, eisdem dampna intulerunt hactenus variaque pro parte ipsorum tibi explicari plenius poterunt, et inferre continue non desistunt. Cum autem hec, si veritas suffragetur relatibus, justicie obvient, et honori non conveniant dicti regis, nobilitatem tuam rogamus, requirimus et hortamur attente quatenus, ut prefati nobiles et barones ab hujusmodi desinant novitatibus et gravaminibus, que etiam propter penas et sententias, tam per jura quam constitutiones Apostolicas, que in certis anni solemnitatibus apud sedem apostolicam publicantur, non parum periculosa existunt, partes tue solicitudinis sic effectuabiliter, prout ad te pertinuerit, interponas, quod rectitudini justicie consulatur et indempnitatibus mercatorum provideatur ipsorum, tuaque propterea debeat prudentia merito commendari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus marcii, anno tercio.

1553 Villeneuve-les-Avignon, 11 mars 1345.

Infrascripto collectori mandat ut bona Guillelmi episcopi Eduensis defuncti, sub manu Cameræ posita, executoribus testamenti dicti episcopi tradat. (Reg. 138, n° DCCCLXXIIII, f° 227.)

Dilecto filio Geraldo de Arbento thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis. Pridem fidedignis relatibus intellecto, bone memorie Guillermum, episcopum Eduensem, esse, sicut Domino placuit, ab hac luce subtractum, nos providere volentes, quod bona mobilia, debita et credita ipsius episcopi capi, asportari aut inutiliter consumi per aliquos indebite non valerent, sed potius fideliter conservari, ut exinde camere nostre de hiis, in quibus eidem prefatus episcopus tenebatur ratione communis servicii, ac venerabili fratri nostro Guidoni episcopo, successori eiusdem, et ecclesie Eduensi ac aliis, quorum interest, provideri et satisfieri posset, prout existeret rationis, tibi per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis, ut bona, debita et credita hujusmodi sub manu nostra exigere, colligere, recipere, ac conservare, quousque a nobis aliud in mandatis reciperes, super hoc fideli adhibita diligentia, procurares, sicut in eisdem litteris, prout potuisti, processeris, ut debebas, et subsequenter dilectus filius Michael de Tricheyo, archidiaconus Hanonie in ecclesia Cameracensi, coexecutor pro se ac nomine procuratorio aliorum coexecutorum ultime dispositionis prefati Guillelmi episcopi, quam de licentia sedis apostolice fecisse dicitur, ad nostram accedens presentiam, dicte camere nostre de hiis, in quibus ei tenebatur idem Guillelmus episcopus ratione dicti communis servicii, hinc ad instans festum Nativitatis Beati Johannis Baptiste satisfacere promiserit, se, ut principalem debitorem, ac bona memorati Guillelmi episcopi efficaciter obligando, sicut in instrumento inde confecto latius continetur, et insuper cum eodem Guidone episcopo de hiis, que in et super bonis eisdem petebat, sub certa forma concordaverit, ac nobis humiliter supplicaverit, ut cum ipse, sicut asserit, et alii coexecutores predicti parati sint, de bonis, debitis et creditis hujusmodi, si ea sibi faceremus dimitti aliis, quibus tenebatur dictus Guillelmus episcopus, et quorum interest etiam juxta dispositionem predictam, providere ac satisfacere, prout rationis equitatis suadebit, nos supplicationi hujusmodi benignius super hiis annuentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus bona, debita et credita supradicta, quantum ad nos et cameram nostram pertinet, manu nostra exinde amota, executoribus memoratis relaxes, et eis assignes quicquid nostro et ejusdem Camere nomine perceperis ex eisdem. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus marcii, anno tercio.

1554 Villeneuve-les-Avignon, 12 mars 1345.

Rectori Marchiæ Anconitanæ mandat ut Judeos in prædicta Marchia commorantes ad certum signum portandum obliget. (Reg. 138, nº DCCCLXXXI, fº 229.)

Dilecto filio Johanni de Riparia, priori domorum Urbis et Pisarum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, rectori Marchie Anconitane. Significavit nobis dilectus filius, nobilis vir, Petrus de Tornamira, tue curie marescallus, quod Judei commorantes in Marchia Anconitana, cujus rector existis, certum signum, per quod disting[u]ebantur a fidelibus, per eos deferri solitum, dimiserunt et ince(n)dentes per eandem Marchiam sine signo hujusmodi sepe multa scandalosa et inhonesta committunt ibidem. Cum autem, sicut idem marescallus asserit, ad marescallos curie generalis dicte Marchie, qui fuerunt pro tempore, spectare consueverit signa hujusmodi Judeis predictis imponere ac etiam assignare, illosque, qui sine signo eodem incederent, corrigere ac punire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, per eundem marescallum signum Judeis supradictis permittas imponi, et adversus eos, si circa delationem dicti signi deliquerint, procedi rationabiliter, prout ab hactenus fuerit in eadem Marchia consuetum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus marcii, anno tercio.

1555 Villeneuve-lès-Avignon, 12 mars 1345.

Archiepiscopo Treverensi scribit se optare ut Ludovicus de Bavaria reconciliari velit et laboraturum ne in tractatu pacis Johannes, rex Bohemiae, praetermittatur. (Reg. 138, nº DCCCLXXVI, fº 228).

Venerabili fratri Balduyno, archiepiscopo Treverensi. Solite benignitatis affectu recepimus fraternitatis tue litteras, novissime nobis missas, et earum intelleximus seriem diligenter. Cumque inter cetera contineretur in eis prelatum illum, non ex infirmitate corporali, cum sui corporis sanitate fruatur, sed multis aliis causis in eisdem expressis moveri et induci ad ea, que nobis duxerat describenda, nos de incolumitate prelati ejusdem, quem gerimus in visceribus caritatis, letamur, sed non credimus causas predictas de jure sufficere ad ea concedenda, que per prelatum postulabantur predictum, verisimiliter estimantes per ipsum posse melius, salubrius et utilius super eis et indempnitati commisse sibi ecclesie provideri, quam per aliquem, qui substitueretur eidem. Est etiam in hac parte dicto prelato considerandum attente quod, licet ex suis laboribus votivus non subsequatur effectus, ipsi tamen labores, dummodo de bona et recta intentione procedant, meritorii sunt apud Deum. Sane de nepote, si gravat ecclesiam et ad vota sui avunculi honestati et justicie convenientia non descendit, nobis displicibile redditur et infestum, et ut ab eisdem abstineat gravaminibus et ejusdem avunculi beneplacitis adhereat, intendimus, sicut et cum optimum viderimus, interponere partes nostras. De prudentia vero et bonitate nati sui ex diversis collocutionibus et tractatibus nobiscum per eum habitis nobis notis, et per dictas litteras delectabiliter recensitis consolamur admodum et letamur. Ceterum super facto Ludovici de Bavaria noviter audivimus quod idem Ludovicus procuratores cum mandatis deputavit sufficientibus circa instans festum Resurrectionis Dominice ad nostram presentiam destinandos. Nos equidem reconsiliationem ejusdem, sicut cum honore Dei et nostro ac ecclesie fieri poterit, ferventer et pie optavimus et optamus, presertim propter multitudinem christiani populi partium Alamannie, ut a periculis, quibus subiciuntur propter eum, eripi valeant et salvari prefatusque Ludovicus a suis precipiciis et deviis ad mortem ducentibus, pedes suos retrahens, ad viam salutis dirigat gressus suos. Nec in tractatu, si quem fieri contingat utiliter, carissimum in Christo filium nostrum Johannem regem Boemie illustrem pretermitendum intelligimus, quantum sua intererit et debitum exiget honestatis. Denique volumus quod super hiis, que tue occurrent prudentie, tuisque oportunitatibus videris expedire, fiducialiter nobis scribas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus marcii, anno tercio.

1556 Villeneuve-les-Avignon, 13 mars 1345.

Infrascriptis mandat ut bona Geraldi abbatis monasterii Trenorchiensis, O. S. B., Cabilonensis diœcesis, petant et recipiant. (Reg. 138, nº MCCXLIIII, fº 319.)

Dilectis filiis... sacriste et... infirmario monasterii Trenorchiensis, ordinis Sancti Benedicti, Cabilonensis diocesis. Volentes debita et credita quondam Geraldi, abbatis monasterii Trenorchiensis, ordinis Sancti Benedicti, Cabilonensis diocesis, quorum disposicionem nobis certis ex causis

reservavimus nomine nostro exigi et haberi, discretioni vestre per apostolica scripta comittimus et mandamus quatinus vos vel alter vestrum debita et credita hujusmodi, quecunque sint et per quascumque debeantur personas ecclesiasticas vel seculares, super quibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii vos, si necesse fuerit, informetis, petere, exigere ac recipere dicto nomine cum integritate curetis. Contradictores etc. Non obstante etc. Ceterum de hujusmodi debitis et creditis, cum ea receperitis, retentis penes vos mille florenis auri per vos nostre camere assignandis, totum residuum dilecto filio Archambaldo, abbati predicti monasterii vel ejus procuratoribus tradatis et etiam assignetis; sic vos super hiis habituri quod de fideli et solerti diligencia possitis merito commendari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus marcii, anno tercio.

1557 Villeneuve-les-Avignon, 13 mars 1345.

Collectori in Lugdunensi provincia mandat ut 1.100 florenos auri de Florentia Cameræ assignet et solvat, quos Guillelmus episcopus Eduensis pro servitio debebat. (Reg. 138, n° DCCCLXXV, f° 228.)

Dilectis filiis Gerardo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis, collectori proventuum ad cameram nostram spectantium in provincia Lugdunensi, auctoritate apostolica deputato et... officiali Lingonensi. Cum bone memorie —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus marcii, anno tercio.

1558 Villeneuve-les-Avignon, 14 mars 1345.

Regi Castellæ et infrascriptis archiepiscopum Remensem, a rege Franciæ missum, commendat. (Reg. 138, n° DCCCLXXVII.)

Carissimo in Christo filio Alfonso, regi Castelle illustri. Cum, sicut intelleximus, carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, venerabilem fratrem nostrum, Johannem archiepiscopum Remensem, virum utique magne discretionis et probitatis maturitate preditum et in arduis expertum negotiis et probatum, ad tue magnitudinis presentiam pro certis negociis providerit destinandum, eandem celsitudinem rogamus attente quatinus, eundem archiepiscopum favorabiliter recipiens et benigne, ipsum placibiliter audias et habeas super expeditione negotiorum felici hujusmodi, quantum cum honestate fieri poterit, commendatum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus martii, anno tercio.

Marie regine Castelle; — Egidio archiepiscopo Toletano; — Fernando Sancii de Valle Oleti, militi, carissimi in Christo filii nostri Alfonsi, regis Castelle illustris, consiliario.

1559 Villeneuve-les-Avignon, 14 mars 1345.

Regem Franciæ rogat ne senescallus Bellicadri campsores, draperios et mercatores Montispessulanos ad juramentum præstandum ordinationibus regiis super monetis cogat. (Reg. 138, n° DCCCLXXX, f° 229.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Pro parte dilectorum filiorum consulum et universitatis Montispessulani, Magalonensis diocesis, nuper expositum extitit coram nobis, quod regalis magnificentia dilecto filio, nobili viro, senescallo suo Bellicadri, dedit noviter in mandatis, ut ordinationes regias, factas super monetis, faciens observari, a campsoribus, draperiis et mercatoribus eorumque factoribus, clericis, et famulis, singulariter videlicet a singulis, super observatione hujusmodi corporaliter reciperet juramentum. Cum autem, prefati campsores draperii, mercatores, factores et famuli periculis animarum suarum evidentibus se manifeste subicerent, si astringerentur hujusmodi juramento, sitque res insolita et alias inaudita, et alii modi existant varii, quibus absque periculis animarum ad observationem ordinationum hujusmodi cogi possunt, fuerit nobis ex parte ipsorum humiliter supplicatum, ut preces nostras tue regali celsitudini porrigere, pro suarum animarum manifestis in hac parte vitandis dispendiis, paterna solicitudine dignaremur, presertim cum, super simili materia, ipsos ex causa hujusmodi alias regia providencia habuerit excusatos, nos autem qui, sicut ex debito tenemur pastoralis officii, salutem singulorum querimus, et periculis obviare cupimus animarum, excellentiam regiam attentius deprecamur quatenus, premissis pia et benigna consideratione pensatis, memoratos consules, et universitatem, ac campsores, draperios, mercatores et alios supradictos, qui, sicut intelleximus, promptis et devotis affectibus beneplacitis et mandatis obtemperant regiis, quantum possunt, super prestatione juramenti hujusmodi

sibi nimium periculosa, ut predicitur, habere velit benigne celsitudo regia excusatos. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus marcii, anno tercio.

1560 Villeneuve-les-Avignon, 14 mars 1345.

Ducem Burgundiæ rogat ne abbatem monasterii de Lutra, O. S. B., Bisuntinæ diœcesis, in villa de Gruyson et alibi ab officialibus vexari patiatur. (Reg. 138, n° DCCCLXXXII, f° 229 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Odoni duci Burgundie. Nobilitatem tuam volumus non latere, quod, licet nos dilectum filium Jacobum, abbatem monasterii de Lutra, ordinis Sancti Benedicti, Bisuntinensis diocesis, ad nostram dudum fecerimus presentiam evocari, et ipse longam moram in Curia Romana, scientibus gentibus suis, traxerit, quia tamen nichil per gentes ipsas, vel quosvis alios dictum vel propositum extitit contra ipsum, nos sibi, cum instantia postulanti, recedendi licentiam, quam negare absque juris non valebamus injuria, duximus concedendam. Cum autem abbas predictus et dilecti filii conventus predicti monasterii, asserentes quod ipsi per te tuosque officiales et justiciarios perceptione decimarum et aliorum jurium, que habere dicuntur in villa de Gruyson ejusque territorio, dicte diocesis, necnon centum viginti modiis vini per te ratione recompensationis certorum dampnorum eis, ut dicunt, debitis, premissorumque residuis seu arreragiis, sunt et detinentur in magnum suum et dicti monasterii prejudicium spoliati, nobis humiliter fecerint supplicari, ut eis faceremus super premissis et ea tangentibus justiciam exhiberi, nos qui te, fili, prosequimur prerogativa favoris, cupientes tuis honoribus et comodis utiliter provideri, volentesque te prius super hiis paternis commonitionibus exhortari, nobilitatem rogamus eandem, quatenus sic velis saluti et honoribus tuis consulere, satisfaciendo etiam justicie in hac parte, quod prenominatis abbati et conventui juste occasione hujusmodi non supersit materia conquerendi. Nos quidem negare non possemus eis justiciam, in qua nos omnibus constituit apostolice servitutis officium debitores. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus marcii, anno tercio.

1561 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1345.

Infrascripto mandat ut Venetiis et in suburbio denuntiet indulgentias remissionesque illis concedi qui subsidium pro galeis ad Terram Sanctam mittendis levandum solvent. (Reg. 138, n° MLXXI, f° 284 v°.)

Dilecto filio Olivario de Vincentia, ordinis Fratrum Predicatorum. Illius qui querit salutem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus martii, anno tercio.

1562 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1345.

Duci Venetiarum gratias agit quod episcopum Cenadiensem, tunc præpositum Zagabriensis ecclesiæ comitatus sit. (Reg. 138, n° DCCCLXXXIII, f° 229 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Andree Dandulo, duci Venetiarum. Non latet in abditis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus martii, anno tercio.

1563 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1345.

Infrascriptis mandat ut pecunias in regno Ungariæ collectas priori conventus ordinis Fratrum Prædicatorum Venetiis transmittant. (Reg. 138, n^os DCCCLXXXIIII-V, f° 229 v°)

Dilectis filiis Gregorio electo Cenadiensi et nobilibus viris Paulo, comiti curie carissimi in Christo filii nostri regis Ungarie illustris, Thome comiti Segasdiensi et Paulo Juveni aule regis ejusdem. Cum sicut intelleximus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus marcii, anno tercio.

Eisdem priori et conventui [*Venetiarum*].

1564 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1345.

Infrascripto cardinali et, eo absente, archiepiscopo Brundusino mandat ut juramentum abbatis monasterii Sanctæ Sophiæ Beneventanæ recipiat, cujus forma eis mittitur. (Reg. 138, n^os DCCCLXXXVI-LXXXVIII, f° 230 v°.)

Dilecto filio Aymerico, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, apostolice sedis legato. Cum nos pridem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus marcii, anno tercio.

1565 Villeneuve-les-Avignon, 15 mars 1345.

Firmino de Coquerello, decano Parisiensi, clerico et consiliario regis Franciæ sic indulget ne per biennium ad personalem residentiam in dicta ecclesia, nonobstante ordinatione Bonifatii papæ VIII, astringatur. (Reg. 138, n° DCCCLXXXIX, f° 231.)

Dilecto filio magistro Firmino de Coquerello, decano ecclesie Parisiensis. Providentia sedis apostolice circumspecta, status et conditiones personarum qualitatesque negociorum et temporum diligenter advertens, super hiisque alias ordinata sunt, provide quandoque dispensat, sicut premissis attentis in Deo conspicit expedire. Olim si quidem felicis recordationis Bonifacius papa VIII, predecessor noster, pia et diligenti consideratione attendens, quod in ecclesia Parisiensi... decani, cantoris, et cancellarii personalis residentia utilis et fructuosa non modicum existere noscebatur, auctoritate apostolica statuit, ac etiam ordinavit, quod... decanus, cantor, et cancellarius ipsius Parisiensis ecclesie, qui essent pro tempore, residere continue in ecclesia ipsa personaliter et super hoc in sue institutionis initio tenerentur in presentia capituli ejusdem ecclesie Parisiensis prestare corporale juramantum, quodque contra hujusmodi statum et ordinationem, litteras vel privilegia quelibet ab eadem sede, vel legatis ipsius per se vel alium seu alios nullatenus impetrarent, nec uteretur privilegiis vel indulgentiis quibuscumque personis quibuslibet ecclesiasticis vel secularibus, cujuscumque conditionis, preminentie, dignitatis aut status existerent, ab ipsa sede concessis tunc vel imposterum concedendis. Indulsit tamen eisdem decano, cantori, et cancellario, ut per duorum mensium spacium annis singulis liceret eis extra prefatam Parisiensem ecclesiam, ad suorum negociorum promotionem libere commorari, nihil tunc de cotidianis distributionibus ipsius ecclesie percepturi, seque tempus quo decanum, cantorem, et cancellarium sepefatos pro capituli predicti negociis, de ipsius licentia speciali fortassis abesse contingeret ab ecclesia supradicta, in eadem computaretur residentia, ipsique distributiones ipsas perciperent et haberent, nec ipsis decano, cantori, et cancellario liceret simul per duos menses se ab eadem ecclesia quomodolibet absentare, sed aliquo eorum absente, reliqui residerent in ecclesia supradicta, et ut statutum et ordinatio supradicta obtinerent roboris perpetui firmitatem, predecessor predictus auctoritate predicta irritum et inane decrevit, quidquid contra ea, vel eorem aliqua, contigeret attemptari. Cum itaque tu, cui pridem extitit de decanatu predicto auctoritate nostra provisum, et possessionem illius fuisti pacificam assecutus, super observatione statuti et ordinationis predictorum, per procuratorem tuum ad hoc constitutum legitime, prestito juramento, pro negociis carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, cujus clericus et consiliarius existis, vacando utiliter, et necessarie te oporteat ab eadem Parisiensi ecclesia sepius absentare, nos attenta necessitate negociorum hujusmodi, circa que presertim hiis temporibus te utilem admodum reputamus, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate petitionis instantiam, quod usque ad biennium non tenearis ad continuam personalem residentiam in ipsa ecclesia faciendam, statuto, et ordinatione ac juramenti prestatione predictis nequaquam obstantibus, tunc alias eisdem statuto et ordinatione in sua firmitate manentibus, tibi de speciali gratia tenore presentium indulgemus, non intendentes, propter concessionem nostram huiusmodi, privilegiis prefato regi ab apostolica sede concessis, si per illa ab hujusmodi residentia excusari possis, vel debeas, in aliquo derogare. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus marcii, anno tercio.

1566 Villeneuve-les-Avignon, 16 mars 1345.

Ad pacem componendam inter intrinsecos et extrinsecos civitatis Januensis episcopus Paduanus designatur. (Reg. 138, n°s DCCCLXXXXII-LXXXXV, f° 232.)

Dilectiis filis civibus intrinsecis civitatis Januensis. Dolet pia mater —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVII kalendas aprilis, anno tercio.

In eodem modo *civibus extrinsecis* ; — *Ildebrandino, episcopo Paduano, apostolice sedis nuncio* ; — *Johanni archiepiscopo Mediolanensi et Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, fratribus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensibus, nostris et ecclesie Romane vicariis.*

1567 Villeneuve-les-Avignon, 16 mars 1345.

Infrascripto indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXII, f° 316.)

Iem in eodem modo *dilecto filio Heliono de Villanova,*

magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVII kalendas aprilis, anno tercio.

1568 Avignon, 17 mars 1345.

Garinum de Castronovo, dominum de Apcherio, Franciæ regi commendat. (Reg. 138, nº DCCCLXXXXVI, fº 233 vº.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super hiis que dilectus filius, nobilis vir, Garinus de Castronovo, dominus de Apcherio, habet in regali curia, sicut asserit, expedire, ipsum suaque negocia, quantum honestas justicie patitur, regie benivolentie commendamus. Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno tercio.

1569 Avignon, 17 mars 1345.

Duci Venetorum nuntiat Raymundum episcopum Morinensem legatum et Bertrandum de Bautio, dominum de Cortedono, galearum pontificalium capitaneum deputatos esse. (Reg. 138, nºˢ DCCCLXXXXVII, fº 233 vº.)

Dilecto filio, nobili viro, Andree Dandulo, duci Venetorum. Scimus, fili, quod libentius nobis de partibus transmarinis placibilia, si tibi materia juxta votum tuum occurreret, quam tristia nunciares. Recepimus quidem nobilitatis tue litteras casum dolorosum et flebilem bone memorie Henrici, Patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati, et quorundam aliorum virorum strenuorum et fidelium nunciantes. Et licet rumores hujusmodi repleverint non immerito amaritudine mentem nostram, speramus in Domino misericordie tamen, cujus res principaliter agitur, quod ipse, qui sperantes in se non deserit, post turbines hujusmodi ad exultationem fidelium et depressionem infidelium serenum operabitur et tranquillum. Et nos, qui ejus vices in terris, licet insufficientibus meritis, gerimus, quantum possumus, super reparatione negotii et directione insistimus et insistere intendimus solicitudinibus studiosis et quia verisimiliter extimamus gentem armigeram et populos partium illarum catholicos fore de casu desolatos predicto, nos ad eos consolidandos et confortandos citius venerabilem fratrem nostrum Raymundum, episcopum Morinensem, virum utique circumspectum, virtuosum et providum, apostolice sedis legatum et dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum de Bautio, dominum de Cortedono, militem, cujus strenuitas in multis et diversis actibus bellicis hactenus est probata, galearum capitaneum magna deliberatione consilii previa de fratrum nostrorum consilio providimus deputandos, qui absque more dispendio proficiscendi ad partes illas debent arripere iter suum. Ceterum tue nobilitati predicte de celeri nunciatione rumorum hujusmodi ac tuo et comunitatis tue laudabili circa negotium predictum proposito per litteras descripto predictas, gratiarum referimus actiones, nobilitatem rogantes eandem quatenus illud in operis fructuosi, quantum fieri comode poterit, executionem perducens tuo capitaneo galearum loco illius defuncti de strenuis actibus commendati multipliciter substituto et aliis, de quibus tua prudentia expedire viderit, scribere consolatorie ipsosque super tuta illius loci acquisiti custodia, quibus nos etiam scribimus, exhortari procures adjicientes eisdem precibus insuper ut litteras nostras eis directas, quas tibi cum presentibus mittimus, e vestigio mittere non postponas. Rursus sinceritatem tuam nolumus non latere, quod multi nobiles, viri strenui, pro juvando et fulciendo dicto negotio ad partes illas accedunt presentialiter, zelo accensi fidei catholice et quamplures alii de diversis partibus ad sequendum eos in proximo se disponunt. Denique quia libenter et placibiliter litteras tuas recepimus, que tibi nuntianda occurrerint, nobis procures, quesumus, quotiens oportunum extiterit, intimare. Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno tercio.

1570 Avignon, 17 mars 1345.

Magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani rogat ut Smirna bene custodiatur, donec legatus loco patriarchæ Constantinopolitani defuncti designatus ad partes illas pervenerit. (Reg. 138, nº DCCCLXXXVIII, fº 234.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani. Nunciati nobis noviter per litteras dilecti filii, nobilis viri..., ducis Venetiarum, rumores flebiles et infesti de casu, bone memorie, patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati, et quorundam aliorum virorum strenuorum et fidelium, nobis calicem amaritudinis non immerito ministrarunt ; sed sperantes in Domino, cujus principaliter negocium geritur, quod ipse de sua ineffabili clementia post turbinem procellosum hujusmodi, serenum operabitur et tranquillum

ad reparandum, quantum nobis est possibile, quod cecidit intendentes, quia, sicut extimamus probabiliter, gens armigera et populi catholici partium illarum de casu dicti legati ac capitanei galearum nostrarum sunt non immerito desolati, ad eos confortandos, et consolandos, dictumque Dei negocium dirigendum utilius et etiam fulciendum, venerabilem fratrem nostrum Raymundum, episcopum Morinensem virum utique circumspectum, virtuosum et providum, apostolice sedis legatum, et dilectum filium nobilem virum, Bertrandum de Baucio, dominum de Cortedono, militem, galearum nostrarum capitaneum, previa magna deliberatione consilii, de fratrum nostrorum consilio providimus deputandos, ita quod ipsi absque morose dilationis dispendio arripient ad partes illas eundi celeriter iter suum. Quocirca sinceritatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus illos, qui sunt in Smirna et illis partibus, tam tuos proprios quam alios, ut circa tutam loci custodiam et alia, que ibidem facienda incumbunt, cum omni vigilantia et diligentia sint constantes, confortando quantum poteris, consoleris, et nichilominus, ne opus tam utile tamque necessarium corruat, sed de bono semper in melius ad Dei honorem, exaltationem catholice fidei et consolationem fidelium stabilius fulciatur, sic ponere cures manus tuas ad forcia, quod ex hoc tibi et religioni tue honoris accrescat cumulus et augeatur merces meriti apud Deum. Ceterum etc. ut supra... Datum ut supra.

1571 Avignon, 17 mars 1345.

Infrascriptis simili modo scribit. (Reg. 138, n° DCCCLXXXXIX, f° 234.)

Dilectis filiis... priori domorum Lombardie, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Corrado Pichemeio, et Nicolao Michaelis, ac aliis comilitonibus armate fidelium contra Turchos. Licet casus flebilis, bone memorie, Henrici, patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati, et aliorum quorundam virorum strenuorum et fidelium nobis per litteras dilecti filii, nobilis viri..., ducis Veneciarum, qui vestras super se recepisse testatur litteras, nunciatus noviter amaritudinis absintio repleverit mentem nostram, quia tamen speramus in Domino, cujus negocium principaliter geritur, quod ipse post procellosos turbines serenam operabitur et tranquillum, vos rogamus et hortamur quatinus ex eodem casu qui, nescitur quo Dei occulto judicio acciderit, non concidant quomodolibet mentes vestre, sed attento quod in adversis virtus perficitur et viri virtuosi probantur, sic eleventur et exaltentur potius, quod viri constantes et intrepidi possitis circa Dei negocium, assistente vobis divina gratia, cum laudis et commendationis preconiis, reperiri, scituri quod nos in hac parte fideles, virtuosos et constantes gratiosis occulis intendimus intueri, et ad reparandum, quantum nobis est possibile, quod cecidit, intendentes quia etc. ut supra, verbis competenter mutatis, usque iter suum. Ceterum vestram prudentiam volumus non latere etc. ut supra. Datum ut supra.

1572 Avignon, 17 mars 1345.

Nigropontenses rogat ut constanter et viriliter, nonobstante morte legati, se gerant. (Reg. 138, n° DCCCC, f° 234 v°.)

Dilectis filiis communi et universitati civitatis Nigropontensis. Non sine mentis. — Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno tercio.

1573 Avignon, 17 mars 1345.

Episcopum Nitiensem excusat. (Reg. 138, n°s DCCCCI-II, f° 234 v°.)

Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri. Quia detractorum labia —. Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno tercio. — Item in eodem modo *carissime in Christo filie Elisabeth regine Hungarie illustri*, mutato ubi dicitur germani tui, dicatur nati tui.

1574 Avignon, 17 mars 1345.

Regi Franciæ nuntiat nuntios regis Angliæ Avinionem venisse, sed negotia pacis reformandæ male succedere. (Reg. 138, n° DCCCCIII, f° 235.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Venientes ad sedem apostolicam dilecti filii Michael de Northburgh, canonicus Licheffeldensis, juris civilis professor et nobilis vir Nigellus de Loring, miles, nuncii carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Anglie illustris, ejus litteras nobis die date presentium presentarunt, quarum seriem continet cedula presentibus interclusa. Sane quia ex tenore litterarum ipsarum habebant

nobis dicti nuncii verbotenus causas, propter quas missio dilectorum filiorum nobilium virorum Henrici de Lencastre, comitis Derbeye, ac Bartholomei de Burgharssch, solemnium regis ipsius nunciorum differtur presentialiter, explicare, prefati canonicus et miles, presentibus venerabili fratri nostro Willermo episcopo Norvicensi, et dilecto filio Johanne de Offorde, decano ecclesie Lincolniensi, nunciis regis predicti, duas causas dilationis ejusdem inter cetera expresserunt, videlicet quia, ut dicebant, attemptata durantibus treugis, presertim in Britania, revocata non fuerant, et ulterius quod dilectus filius, nobilis vir, Carolus dux Britannie, vel aliqui alii, adversus regem ipsum munitiones seu aliquos fecerant apparatus in mari. Porro, antequam presentarentur nobis littere supradicte, unus ex nunciis regis prefati, qui diu fuerunt in curia, instanter petierat a nobis licentiam recedendi, et tam ipse, quam alius collega suus nuncius, et alii multi anglici, existentes in Curia, parant se (se), sicut intelleximus, breviter ad recessum. Ex quibus quidem, et premissis aliis, spes nobis pro dolor ! sustrahitur tractatus pacis mutue de presenti : quare regalis circumspectio, ne imparata reperiatur quicquid contigerit, provideat quid agendum. Ceterum quidam, cui multa secreta scribi consueverunt de Anglia, et ipse illa nobis reseravit quandoque, ostendit nobis quandam litteram hiis diebus de Anglia sibi missam, cujus copiam gentibus tuis existentibus in Curia fecimus assignari regie celsitudini destinandam, quibus multa super hiis, et aliis hujusmodi materiam tangentibus, viva voce providimus explicanda, extimantes quod ipsi magnificentie tue dictam mittent copiam, et premissa plenius et seriosius intimabunt. Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno tercio.

1575 Avignon, 18 mars 1345.

Infrascripto indulget ut possit per procuratorem visitare procurationesque debitas recipere. (Reg. 138, n° MCXXXVIII, f° 302.)

Venerabili fratri Guidoni episcopo Eduensi. Devotionis tue probata —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio. — *Et dirigatur executioria venerabilibus fratribus Attrebatensi et Claromontensi episcopis ac dilecto filio decano ecclesie Brivatensis, Sancti Flori diocesis.*

1576 Avignon, 18 mars 1345.

Infrascriptum collectorem in provincia Coloniensi de pecunia collecta et soluta liberat. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXI, f° 255 v°.)

Dilecto filio Johanni de Casleto, canonico Leodiensi. Cum tu qui fructuum —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1577 Avignon, 18 mars 1345.

Infrascriptis mandat ut bona Geraldi abbati monasterii Trenorchiensis, O. S. B., Cabilonensis diocesis, petant et recipiant. (Reg. 138, n° DCCCCIIII, f° 235 v°).

Dilectis filiis... sacriste et... infirmario monasterii Trenorchiensis, Cabilonensis diocesis. Volentes bona, debita et credita quondam Geraldi, abbatis monasterii Trenorchiensis, ordinis Sancti Benedicti, Cabilonensis diocesis, quorum dispositionem certis ex causis nobis reservavimus, nomine nostro exigi et haberi, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum bona, debita et credita hujusmodi, quecumque sint et per quascumque debeantur personas ecclesiasticas vel seculares, super quibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii vos, si necesse fuerit, informetis, petere, exigere, et recipere dicto nomine cum integritate curetis. Contradictores etc. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1578 Avignon, 18 mars 1345.

Omnibus ecclesiasticis personis in regno Sicilie et terris citra Farum constitutis mandat ut Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, legato, 8.000 flor. auri solvant. (Reg. 138, n° DCCCCV, f° 235 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis... et preceptoribus in regno Sicilie et terris citra Farum constitutis —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1579 Avignon, 18 mars 1345.

Reginam Siciliæ rogat ut quatuor millia florenorum auri, videlicet 2.000 ab ea, 2.000 a clero, Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus, Apostolice Sedis legato, solvantur. (Reg. 138, n° DCCCCVI, f° 236.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Licet dudum estimantes —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1580 Avignon, 18 mars 1345.

Legato significat se reginæ et clero Siciliæ litteras clausas et patentes direxisse, ut pecunia statuta solvatur. (Reg. 138, n° DCCCCVII, f° 236.)

Eidem legato. Ut de tuis —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1581 Avignon, 18 mars 1345.

Regi Portugaliæ de bonis quondam Valasci episcopi Ulixbonensis scribit. (Reg. 138, n° DCCCCVIII, f° 236 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Portugalie illustri. De te fili —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1582 Avignon, 18 mars 1345.

Mortem patriarchæ Constantinopolitani legati nuntiat et regem hortatur ut pacem cum rege Franciæ faciat. (Reg. 138, n° DCCCCVIIII, f° 236 v°.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Misse nobis hiis diebus littere dilecti filii, nobilis viri, ducis Venetorum et aliorum quorundam existentium in partibus transmarinis, rumores infestos et flebiles de ipsis partibus nunciantes resparserunt amaritudine mentem nostram, et ut contenta in eisdem litteris tua excellentia regia non ignoret, cedula interclusa presentibus, litterarum ipsarum seriem continens ea tibi, fili carissime, plenius indicabit. Licet autem casus bone memorie patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati et aliorum strenuorum virorum, de quibus in ipsis litteris fit mentio, sit gravis et mentes fidelium ibidem in prosecutione negotii redemptoris nostri existentium terrore aliquo concusserit, ut probabiliter extimamus, nosque dictis auditis rumoribus dolore nimio fuerimus conturbati, quia tamen audivimus quod fideles ipsi, qui terram acquisitam et ereptam de manibus paganorum custodiunt et alii circa dictum negocium in eisdem partibus laborantes, tanquam viri prudentes et strenui, non demissis sed elevatis cordibus, loco illorum qui, nescitur quo Dei occulto judicio, ceciderant, quantum potuerunt et in eis fuit, aliis ordinatis, se adversus hostes fortiter muniverunt quodque multi fideles de diversis partibus, zelo accensi fidei catholice, ad juvandum hujusmodi Dei negocium celeriter se disponunt nos, exinde non modicum consolati in Domino, speramus in eo, cujus res in hac parte principaliter agitur quod ipse, post turbines procellosos, serenum ad consolationem fidelium operabitur et tranquillum. Nos quoque, qui ejus vices, licet insufficientibus meritis, in terris gerimus, ad consolationem fidelium et fulciendum solidius et fortius negotium supradictum, venerabili fratri nostro Raymundo, episcopo Morinensi, viro utique circumspecto et provido, legationis in illis partibus et dilecto filio, nobili viro, Bertrando de Baucio, militi, domino de Cortedono, Avinionensis diocesis, experto in artibus bellicis, capitaneatus galearum officia, magna et matura deliberatione consilii previa, de fratrum nostrorum consilio, duximus committenda, intendentes quod ipsi, quavis morosa dilatione summota, proficiscendi ad partes illas arripiant iter suum. O fili dilectissime, quam foret redemptori nostro placibile, quantumque Christianitati expediens, ac catholicis regibus et principibus apud Deum meritorium, et inter homines honorabile, testaretur veritas, et fama celebris predicaret si, omissis guerris et dissensionibus in quibus, non sine maxima Dei displicentia et offensa, ac animarum evidentibus periculis, sanguis illorum funditur, quos redemit preciosissimi cruoris effusio corporis Jhesu Christi ad pacis et unitatis concordiam, in qua delectatur altissimus, convertentes placibiliter corda sua, adversus illos, qui Deum blasfemant, christianitatis vilipendunt gloriam, sanguinem fidelium s(e)itiunt, et ad eorum confusionem et exterminium aspirant, virium suarum potentiam exercerent ! Illa quidem propria essent bella catholicorum regum et principum, per que regna temporalia non perderent, sed augerent, et regni coronas sibi acquirerent sempiterni. Cum autem, inter ceteros reges et principes, orthodoxe fidei professores, tu, amantissime fili, et carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, potentiores et eminentiores reputemini non indigne, et propterea partes transmarine predicte, in quibus catholice fidei viget cultus, ut contra hostes ejusdem fidei ipsiusque oppressores et persecutores atroces exerceretis vestram potentiam hujusmodi, diutius expectaverint et expectent, magnificientiam tuam regiam rogamus et deprecamur attente per aspersionem pretiosi

sanguinis Jhesu Christi quatinus, premissa inter precordia regia pia consideratione revolvens, et considerans diligenter quod mundani honores et pompe, pro quibus saepe dissensiones et guerre foventur, non sunt nisi quidam vapor ad modicum parens, cum potentia humana, quantacunque sit, in pulverem brevi tempore, ut scriptura testatur et rei manifestavit hactenus et manifestat evidentia, redigatur, quodque illa, que ob amorem divinum recta intentione aguntur, perpetuas preparant mansiones in celis, circa reformandam cum eodem rege pacis et unitatis concordiam, mentem regiam emollias, habilites et inclines ut ea Deo multum placibilia, mundo desiderabilia, et necessaria valde christianitati, obtenta de manu Domini possis, sicut ferventer optamus, intendere circa defensionem et dilationem ejusdem fidei, vindicando tui redemptoris opprobria, qui pro tua redemptione passionis ignominiam sustinuit et mortem subiit temporalem. Et utinam, fili dilectissime, tuorum nunciorum, quos ad nostram presentiam destinare disposueras, missio dilata vel impedita nullatenus extitisset, quia nos, omni executione postposita et rejecta, parati eramus, sicut condictum extiterat, super negotio pacis mutue fideliter et sedule laborare. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tercio.

1583 Avignon, 18 mars 1345.

Collectorem in provincia Coloniensi absolvit, qui diversas pecuniæ summas Cameræ solverat. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXI, f° 255 v°.)

Dilecto filio Johanni de Casleto, canonico Leodiensi. Cum tu, qui fructuum, redditum et proventuum annualium beneficiorum ecclesiasticorum vacantium ad cameram nostram ex reservatione biennali et applicatione de illis, sub certis modis, formis et conditionibus per nos factis, eidem camere spectantium, in civitate, diocesi et provincia Coloniensi collector auctoritate apostolica deputatus existis, de hujusmodi fructibus, redditibus et proventibus pro prima biennali reservatione ejusdem et de quibusdam arreragiis debitis de tempore felicis recordationis Benedicti pape XII, predecessoris nostri, te collegisse in prefatis civitate, diocesi et provincia computaveris et assignaveris in ipsa camera summas pecuniarum que secuntur : videlicet sexcentos tresdecim denarios auri ad scutum, centum septuaginta sex denarios auri ad pavalhonem, quingentos quinque regales auri, quingentos quatuor decim florenos auri, tres decim duplas auri, duos denarios ad leonem auri, quadraginta octo turonenses grossos cum dimidio argenti, et unum denarium auri ad angelum, de quibus circa prosecutionem collectionis hujusmodi te asseris expendisse quinquaginta septem regales, ducentos nonaginta novem scudatos, sexaginta tres denarios turonenses grossos et dimidium argenti, et deinde assignaveris de dictis receptis eidem camere que secuntur : videlicet quingentos quatuordecim florenos auri, quadringentos quadraginta octo regales, trecentos quatuor decim denarios ad scutum, centum septuaginta sex pavalhones, tresdecim duplas de Francia, duos denarios ad leonem et unum denarium ad angelum auri ac unum denarium Turonensem grossum, nos assignationem hujusmodi et alia predicta rata habentes et grata, de hujusmodi summis pecuniarum prefate camere, ut premittitur, assignatis ac omnia bona tua perpetuo absolvimus et quitamus. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1584 Avignon, 18 mars 1345.

P. de Tornamira, curiæ marescallum, infrascripto rectori commendat. (Reg. 138, n° DCCCCX, f° 237 v°.)

Dilecto filio Johanni de Ripparia, priori domorum Urbis et Pisarum Hospitalis Sancti Johannis Jersolimitani, rectori marchie Anconitane. Dilectum filium nobilem —. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tercio.

1585 Avignon, 19 mars 1345.

Infrascriptis magistrum Bonaventuram de Castello, civem Bononensem, phisicum commendat, et eos rogat ut Sedi Apostolicæ fideliter obediant. (Reg. 138, n° DCCCCXI, f° 237 v°.)

Dilectis filiis Jacobo, Johanni et Bornio, natis dilecti filii nobilis viri Tadei de Pepulis, civis Bononiensis, juris civilis professoris, administrationem jurium fiscalium ad nos et Ecclesiam Romanam in civitate, comitatu, et districtu Bononiensi spectantium gerentis. Placibili relatione fidedignorum —. Datum Avinione, XIIII kalendas aprilis, anno tercio.

1586 Avignon, 19 mars 1345.

Bonaventuræ de Castello, phisico, civi Bononiensi, qui Avinione

pro certis negotiis manserat et ad civitatem revertebatur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, nº DCCCCXII, fº 237 vº.)

Venerabilibus fratribus, etc. usque pervenerint. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, XIIII kalendas aprilis, anno tercio.

1587 Avignon, 20 mars 1345.

Copiam litterarum, regi Angliæ directarum, Franciæ regi mittit. (Reg. 138, nº DCCCCXIII, fº 238.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Ut regia prudencia illa que carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri super hiis, que sui nuncii ad nostram presenciam destinati novissime nobis curaverunt exponere, rescribimus, non ignoret, ea plenius cedula tenorem litterarum, quas inde sibi mittimus, continens, presentibus interclusa, excellencie regie indicabit. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno tercio.

1588 Avignon, 20 mars 1345.

Senescallum Provinciæ rogat ut Aymerico legato duo millia florenorum a regina Siciliæ solvendorum tradat. (Reg. 138, nº DCCCCXIIII, fº 238.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Baucio, comiti Avellini, senescallo Provincie. Quia dilectus filius noster Aymericus, tituli Sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, ampliorem moram, quam crederetur, traxit in illis partibus, sicut nosti, ordinavimus quod ipse pro suis sumptibus duo milia florenorum auri a carissima in Christo filia nostra Johanna regina Sicilie illustri et totidem a clero parcium predictarum recipiat ultra illa, que alias recipere debuit ab eisdem, ideoque nobilitatem tuam rogamus attente quatinus summam duorum milium florenorum hujusmodi procures sibi pro parte dicte regine, cui super hoc scribimus, liberaliter assignari. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno tercio.

1589 Avignon, 21 mars 1345.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat ut Helyam Petgerii, presbiterum et Petrum Boneti de Capdolio capiat et ad Curiam mittat, si diligenti inquisitione facta eos litterarum apostolicarum corruptarum noxios invenerit. (Reg. 163, De Curia, nº V.)

Venerabili fratri... archiepiscopo Burdegalensi. Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno tercio.

1590 Avignon, 23 mars 1345.

Regem Angliæ rogat ut pacem cum Franciæ rege faciat et treugas indictas observet, quo melius Terra Sancta liberetur. (Reg. 138, nº MCCCCXV, fº 238 vº.)

Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri, salutem et cœtera. Serenitatis tue regie litteras, nobis per dilectos filios Michaelem de Northburgh, canonicum Lichefeldensem, et nobilem virum Nigellum de Loring, militem, nuncios regios presentatas, per quas inter cetera te, fili carissime, excusabas, quia dilectos filios, nobiles viros, Henricum de Lancastre, comitem Derbeye, ac Bartholomeum de Burghersh, prout alias ordinatum extiterat, ad nostram presentiam non mittebas, benignitate recepimus consueta, et intellectis plenius, que continebantur in eis, et illis nichilominus que predicti nuncii, presentibus venerabili fratre nostro Willelmo episcopo Norwicensi et dilecto filio magistro Johanne de Offorde, decano ecclesie Lincolniensis nobis super causis, que te ad desistendum a missione nunciorum ipsorum movebant, ex parte tue celsitudinis exponere curaverunt, satis de hujusmodi tui mutuatione propositi fuimus admirati, considerantes causas ipsas per predictos nuncios expositas non sic existere, si in libra recti deducantur judicii efficaces, quod attentis hiis que, ut regalis novit excellencia, tractata fuerunt, a priori laudabili proposito te retrahere debuissent. Profecto, fili dilectissime, quanto nobis, qui regis pacifici vices in terris licet immeriti gerimus, inter cunctos fideles omni tempore debet existere pax accepta, tanto e contrario, discordia inter illos presertim, ex quorum dissidio animarum pericula, personarum strages et excidia, ac bonorum dispendia innumerabilia necessario proveniunt, est procul dubio displicibilis et exosa, maxime temporibus istis, quibus contra Turcos in transmarinis partibus constitutos, persecutores et blasphemos nominis Christiani, qui fideles illarum partium sine sexus et etatis delatu, crudeliter in nostri creatoris contumeliam, et totius Christianitatis obprobrium, opprimunt, et eorum sitientes san-

guinem, in ipsos immaniter ferali rabie debacantur, et quamplures zelo fidei et pie devotionis affectu accensi se ad repellendam dictorum infidelium proterviam, et confortandam et corroborandam fidelium impotenciam, viriliter et utiliter attingebant, qui occasione guerre, si eam inter te et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem moveri, quod absit, contigerit, non sine magno Christianitatis dispendio, et animarum periculo, ut verisimiliter estimatur, a tam utili et Deo grato proposito retrahentur. Ideoque diligencius attendentes ex pace mutua preter alia varia incomoda Christianum negocium promoveri posse felicius, et ex guerra predicta periculosius impediri, nos vias omnes, per quas ad pacem quomodolibet perveniri poterat, perquirentes, post labores diversos, quos voluntarie, multis aliis negociis arduis pretermissis, ut pax inter te, fili carissime, et predictum regem Francie posset haberi, duximus subeundos, adhuc nos offerebamus paratos, si prefati comes et Bartholomeus de intentione tua, sicut scripseramus, et condictum fuerat, instructi venissent, non parcentes laboribus et sumptibus, nec calores vel frigora, seu passiones alias temporis formidantes, amore tam fructuose pacis, tanquam Deo placibilis, et nedum utilis, sed necessarie predicto negocio transmarino, totis viribus fideliter et sedule laborare. Quocirca magnificientiam regiam plenis deprecamur affectibus et rogamus attente, quatenus hiis et contentis in aliis nostris litteris dicti negocii transmarini statum plenius describentibus, intellectu pio et benigno collectis, et intra claustra tui pectoris diligencius reconsitis, non ad guerram, ad quam te parare plures asserunt, quod credere non valemus, maxime propter treugas, dudum initas, juramento, prout celsitudo regia non ignorat, firmatas, adhuc usque ad festum Beati Michaelis proxime futurum, et abinde inantea per unum annum continue duraturas, sed potius ad pacem mundo desiderabilem effectualiter te disponas, treugas ipsas, quas, prout habet relatus quorumdam displicibilis, aliqui de parte tua infringere moliuntur, faciens inviolabiliter, sicut honestatem decet regiam, observari, cum et predictus rex Francie, cui super observatione treugarum ipsarum et quibusdam aliis tractatum predictum tangentibus, per venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum Eduensem seriosius scripseramus, nobis rescripserit, se velle predictas treugas servare, et quantum in eo erat hucusque inviolabiliter observasse, et quod, ubi tu nuncios tuos ad nostram presenciam destinares, ipse suos mitteret super hiis, que scripseramus eidem, plenius informatos. Ceterum super illa dispensatione quam, ne desiderate paci obstaculum prebere valeat, et ex aliis certis et rationabilibus causis, de presenti non concedimus, nos habeat regalis excellencia, quesumus, excusatos. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno tercio.

1591 Avignon, 23 mars 1345.

Dolet quod comes Derbeyae adventum distulerit. (Reg. 138, n° DCCCCXVI, f° 239.)

Dilecto filio, nobili viro, Henrico comiti Derbye. Plenius intellectis hiis, que dilectus filius, nobilis vir, Nigellus de Lorynge, miles, sub credencia sibi per litteras tue nobilitatis commissa nobis explicare curavit, infestum est nobis et molestum quod adventum tuum, quem avide prestolabamur, ad nostram presenciam, sicut condictum extiterat, non videmus. Nam nos amore pacis, ex qua, si daret eam Dominus, inenarrabilia bona spiritualia et temporalia procul dubio provenirent, parati eramus exequi et complere omnia que fuerant circa materiam hujusmodi prolocuta. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno tercio.

1592 Avignon, 24 mars 1345.

Regem Franciæ rogat ne regii officiales archiepiscopum Narbonensem ratione salinarum atque vicariæ Narbonensis de cætero vexent. (Reg. 138, n° DCCCCXVII-XVIII, f° 239 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Exposito nobis per venerabilem fratrem Gasbertum, archiepiscopum Narbonensem, camerarium nostrum, quod super quibusdam salinis, quas ipse habet et sui predecessores, archiepiscopi Narbonenses, in terris, locis sue spirituali et temporali juridictioni subjectis, ab antiquis temporibus pacifice usque ad hec tempora habuerunt, de novo gentes regie fecerunt et facere nituntur eidem archiepiscopo aliquas noxias et indebitas novitates. Et nihilominus consules Narbonenses, qui super petitione, quam dudum fecerant de constituenda nova sede vigeriatus regii Narbone, repulsi per Curiam regiam fuisse justicia exigente dicuntur, adhuc vexare super hoc prefatum archiepiscopum quibusdam quesitis coloribus indebite non desistant, regiam excellentiam depreca-

mur quatenus eundem archiepiscopum et suam ecclesiam super revocandis gravaminibus sibi super predictis per gentes regias antedictas, sicut fertur, illatis, et aliis suis juribus et libertatibus manutenendis et conservandis, habere velit regia benignitas pro divina et apostolice sedis reverencia propicius commendatos. Datum Avinione, VIIII kalendas aprilis, anno tercio.

Dilecto filio nobili viro Johanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie.

1593 Avignon, 24 mars 1345.

Episcopo Tornacensi mandat ut controversiam sedet, quæ inter scabinos et capitulum civitatis Cameracensis «malatoltæ» causa exorta erat : nempe præpositus, decanus et canonici a civitate Cameracensi discedentes, Duacum, Atrebatensis diœcesis, aufugerant. (Reg. 138, n° DCCCCXVIII, f° 239 v°.)

Venerabili fratri... episcopo Tornacensi. Quamvis dissentiones quorumcumque fidelium nobis et sedi apostolice sint infeste, ille tamen nobis non immerito displicibiliores redduntur, quas inter eos suscitatas audimus, quos nexus caritatis debet conjungere strictius, et ex quibus majora in clero et populo scandala generantur. Sane infeste relationis assertio perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod dudum inter officiales et ministros venerabilis fratris nostri Guidonis, episcopi Cameracensis, ac prepositos scabinos, et cives civitatis Cameracensis ex parte una, et dilectos filios, prepositum, decanum et capitulum ecclesie Cameracensis ex altera, occasione cujusdam impositionis, que Malatolta in illis partibus vulgariter nuncupatur, et quorumdam aliorum extitit materia gravis discordie suscitata, propter quam quidem discordiam prefati prepositus, decanus et capitulum timentes sibi, sicut ex parte ipsorum asseritur, a dictis civibus periculum imminere volentesque cedere malicie, ne inde majora scandala possent sequi, ab ecclesia et civitate Cameracensi, deliberato inter ipsos consilio, discesserunt, et se ad villam Duacensem, Atrebatensis diocesis, transferentes, ibidem moram traxerunt aliquo tempore residendo, et adhuc resident dimissis ecclesia et civitate predictis. Cum autem premissa, preter cultus diminutionem divini, tam ecclesie ac personis ejusdem, quam civitati predicte prejudicialia et scandalosa fuisse, ac esse probabiliter estimemus, nos qui ecclesiam et civitatem easdem prosequimur affectu dilectionis paterne, cupientes incomodis et scandalis hujusmodi salubribus remediis obviari, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus super sedanda et amicabiliter sopienda inter predictos prepositos scabinos et cives, nec non prepositum, decanum, et capitulum ecclesie supradicte, exorta dissensione predicta, interponens juxta datam a Deo tibi prudenciam efficaciter partes tuas, quod prenominati prepositus, decanus et capitulum, eis ydonea securitate per predictos prepositos, scabinos et cives prestita, sicut alias factum in casu simili fuisse dicitur, ad ecclesiam et civitatem prefatas redeant, et ibidem morentur secure ac pacifice, sicut prius, procurare ac ordinare, viis et modis quibus tibi expedire videbitur, non postponas. Contradictores etc. Et si forsan attingere ad reformandam inter eos hujusmodi concordiam non valeres super eadem dissensione ac causis et rationibus, prius plenaria informatione recepta, illam nobis sub tuo fideliter clausam sigillo destinare procures, ut inde ordinare pro utriusque partis comodis et quiete, quod nobis expediens videbitur, valeamus. Datum Avinione, VIIII kalendas aprilis, anno tercio.

1594 Avignon, 24 mars 1345.

Infrascripto collectori mandat ut bona Petri episcopi Cabilonensis defuncti petat et conservet. (Reg. 138, n° DCCCCXX, f° 240.)

Dilecto filio Gerardo de Arbento, thesaurario ecclesie Escoyarum, Rothomagensis diocesis. Providere volentes quod bona mobilia, que habebat bone memorie Petrus episcopus Cabilonensis vel ad eum pertinebant tempore quo decessit non occupentur vel asportentur per aliquos indebite et ut de illis possit provideri successori suo ac persolvi debita et alia incumbentia fieri, prout rationi congruerit et fuerit faciendum, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios bona hujusmodi, quecumque sint et in quibuscumque rebus consistant, super quibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, si necesse fuerit, te informes, sub manu nostra petere, colligere, recipere ac fideliter conservare procures. Contradictores, etc. Datum Avinione, VIIII kalendas aprilis, anno tercio.

1595 Avignon, 24 mars 1345.

Regem Franciæ rogat ne comitem Fuxi impediat quominus

durante tutela terram Bearni intret. (Reg. 138, n° DCCCCXXI, f° 240 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Sicut pro parte dilecte in Christo filie, nobilis mulieris Elionoris comitisse, matris et tutricis dilecti filii, nobilis viri, Gastonis comitis Fuxi, nuper expositum extitit coram nobis, dudum eidem comitisse tunc in partibus Francie cum eodem comite nato suo existenti, fuit pro parte regia inhibitum et mandatum, juramento nichilominus super hoc ab ipsa recepto, quod comes prefatus terram suam Bearni usque ad festum Omnium Sanctorum futuro proximo non intraret. Cum autem tutela dicti comitis, quam gerit, ut prefertur, comitissa predicta, sit, ut intelleximus, in instanti mense maii terminanda, et propterea comiti et terre predictis, si tunc terram non intraret predictam, tam propter novitates noxias, que timentur, ipso absente comite, attemptari, tum etiam quia homines ejusdem terre non parerent prefato comiti, tanquam domino suo, nisi per ipsum primitus eis juramentum, sub certa forma hactenus solita, prestaretur, periculum non modicum imineret, excellenciam regiam attentius deprecamur quatenus, premissis benigna consideratione pensatis, velit eadem excellencia, prout sibi videbitur, super relaxatione inhibitionis, mandati et juramenti hujusmodi, se favorabilem et propitiam exhibere. Datum Avinione, VIIII kalendas aprilis, anno tercio.

1596 Avignon, 25 mars 1345.

Rumores infestos a duce Venetorum transmissos regi Franciæ significat et quæ pro negotio fidei servando gesserit nuntiat. (Reg. 138, n°s DCCCCXXII-XXIII, f° 241.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Per litteras dilecti filii, nobilis viri, ducis Venetorum, et quorundam aliorum existentium in partibus transmarinis, nuper nobis missas, rumores audivimus, non sine magna mentis amaritudine, displicibiles et infestos, quos litterarum ipsarum series, quam cedula continet interclusa presentibus, regie celsitudini seriosius indicabit. Nos igitur, eisdem intellectis rumoribus, providere, ut expedit, celeriter cupientes quod Dei negocium inchoatum feliciter nequaquam destitutum remaneat, sed sic illius suffragante gracia, cujus res agitur, virtuose potius fulciatur, quod ejus utilis prosecutio non tepescat, ac compatientes etiam catholicis partium illarum populis desolatis et tristibus ex casu legati et capitanei, volentesque eisdem de consolationis et confortationis remedio, quantum ad presens possumus, providere, venerabilem fratrem nostrum Raymudum episcopum Morinensem, quem disposueramus ad partes Grecie mittere, propter supervenientem casum hujusmodi, legatum apostolice sedis in Romanio ac circumvicinis transmarinis partibus et dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum de Bautio, dominum de Cortedono, militem, galearum capitaneum, cum magna et matura deliberatione consilii providimus de fratrum nostrorum consilio deputandos, intendentes quod ad partes easdem proficiscendi celeriter arripiant iter suum. Hec autem tibi, fili carissime, quem scimus ad negocium transmarinarum partium cordialiter affici, ut leta et tristicia de ipsis partibus partiaris nobiscum, intimamus. Datum Avinione, VIII kalendas aprilis, anno tercio.

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Per litteras etc, usque iter suum. Hec autem carissimo in Christo filio nostro Edwardo Regi Anglie illustri [ut], super hiis, que nobis scripsit ultimo, non ignoret, ecce, filia carissima, quod illa tue celsitudini manifestabit plenius cedula presentibus interclusa.

1597 Avignon, 25 mars 1345.

Copiam litterarum, quas regi Angliæ scribit, reginæ Franciæ mittit. (Reg. 138, n° DCCCCXXIIII, f° 241.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Ut regalis serenitas, que scribimus carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Anglie illustri super hiis, que nobis scripit ultimo, non ignoret, ecce, filia carissima, quod illa tue celsitudini manifestabit plenius cedula presentibus interclusa. Datum Avinione, VIII kalendas aprilis, anno tercio.

1598 Avignon, 26 mars 1345.

Episcopum Cæsaraugustanum regi Aragonum commendat. (Reg. 138, n° DCCCCXXV, f° 241.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum. Pridem ecclesie Cesaraugustane —. Datum Avinione, VII kalendas aprilis, anno tercio.

1599 Avignon, 27 mars 1345.

Johanni archiepiscopo Remensi, qui ad Hispaniam pro negotiis ex parte regis Franciæ mittitur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, n° DCCCCXXVI, f° 241 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis... necnon nobilibus viris etc. Cum venerabilis frater —. Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno tercio.

1600 Avignon, 27 mars 1345.

Willelmo, abbati monasterii de Evesham, Wintoniensis diocesis, qui ad dictum monasterium revertitur, litteræ salvi conductus conceduntur. (Reg. 138, n° DCCCCXXVII, f° 242.)

Venerabilibus fratribus etc. ut supra. Cum dilectus filius —. Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno tercio.

1601 Avignon, 27 mars 1345.

Infrascripto abbati sic indulget ut ab antistite, quem elegerit, munus benedictionis recipiat. (Reg. 138, n° DCCCCXXVIIII, f° 242 v°.)

Dilecto filio Pontio, abbati monasterii de Bonaaqua, ordinis Cisterciensis, Lemovicensis diocesis. Cum nos pridem monasterium —. Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno tercio.

1602 Avignon, 27 mars 1345.

Episcopum Pampilonensem rogat ut archiepiscopo Remensi, qui ad Hispaniam iter arripit, securum conductum in terris Bearnii præbeat. (Reg. 138, n° DCCCCXXVIII, f° 242.)

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Pampilonensi. Cum venerabilis frater noster Johannes, archiepiscopus Remensis, pro certis negociis carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem tangentibus, ad partes accedens Ispanie, per terras Bearnii sit, ut intelleximus, transiturus, fraternitatem tuam rogamus attencius et hortamur, quatenus tu, qui circa regimen et gubernationem dictarum terrarum intendere diceris, prefato archiepiscopo, cum per eas transitum eundo et redeundo fecerit, de securo conductu, sic quod ipse suique familiares in personis vel rebus eorum ibidem offendi nequeant, facias provideri, eundem archiepiscopum super hiis et aliis suis negociis, quantum cum honestate tua poteris, commendatum favorabiliter, pro nostra et apostolice sedis reverencia, nihilominus habiturus. Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno tercio.

1603 Avignon, 1er avril 1345.

Bertrandum de Bautio, militem, dominum de Cortedono capitaneum generalem quatuor galearum pontificalium contra Turcos armatarum deputat. (Reg. 138, n° DCCCCLXII, f° 250 v°.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Morinensi, in partibus transmarinis apostolice sedis legato. Dudum diris oppressionibus et afflictionibus, quas infideles Turchi, persecutores et hostes crudeles nominis christiani, omni humanitate postposita, incessanter inferebant et intulerant Christicolis in partibus Romanie aliisque circumvicinis degentibus, non sine dolore cordis et magna mentis passione auditis, ad defensionem ipsorum fidelium et repressionem hostium predictorum, certum galearum decenter armatarum et munitarum subsidium ordinavimus exhibendum. Et ut eisdem fidelibus subveniretur utilius ac principes et potentes catholici et fideles alii ad hujusmodi promptius et devotius animarentur subsidium fulciendum, nos quatuor galeas sufficienter armatas, per certum tempus tenendas in dictis partibus, nostris et ecclesie Romane sumptibus et expensis preparari fecimus et muniri, quondam Martino Zacharie, militi Januensi, earundem galearum generali capitaneo usque ad nostrum beneplacitum deputato. Pridem vero fidedignis relatibus intellecto dictum Martinum fuisse in illis partibus viam universe carnis ingressum, nos dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum de Bautio, dominum de Corredono, militem, virum utique strenuum et expertum in artibus bellicis, predictarum galearum generalem capitaneum usque ad nostrum beneplacitum duximus deputandum. Cupientes igitur quibusvis impedimentis, quibus negocium hujusmodi turbari posset, quomodolibet obviari, fraternitati tue, ut si forsan dictum capitaneum amoveri ab officio capitaneatus hujusmodi vel deficere aut alias impedimento notabili detineri contingeret, alium galearum predictarum capitaneum, quem ad hoc sufficientem et ydoneum esse credideris, quotiens opportunum exti-

terit, usque ad nostrum beneplacitum deputandi, nisi per nos foret aliud super hoc ordinatum, plenam concedimus tenore presencium facultatem. Tu vero sic prudenter et provide super hiis te gerere studeas, quod inde possis et debeas merito commendari. Datum Avinione, kalendis aprilis, anno tercio.

1604 Avignon, 1er avril 1345.

Legatum Sedis Apostolicæ certiorem facit. (Reg. 138, nº DCCCCLXIII, fº 251.)

Eidem legato. Ut negocium subsidii —. Datum ut supra.

1605 Avignon, 1er avril 1345.

Capitaneis et patronis galearum mandat ut Sedis Apostolicæ legato obœdiant. (Reg. 138, nºs DCCCCLXIIII, fº 251.)

Dilectis filiis universis et singulis capitaneis et patronis ceterisque ad regimina galearum tam per nos quam fideles alios deputatarum, secundum ordinationem nostram pro subsidio ac defensione fidelium Romanie ac aliarum transmarinarum partium contra Turchos, deputatis. Ut negocium subsidii —. Datum ut supra.

1606 Avignon, 1er avril 1345.

Si forte capitaneus galearum pontificalium seu legatus Apostolicæ Sedis seditionem inter nautas, qui ad bellandum contra Turcos ordinati sunt, ortam sedare non valerent, capitaneis navium ab Hospitalariis armatarum rogat ut illis subsidium ferant. (Reg. 138 nº DCCCCLXVIII, fº 252.)

Dilectis filiis... capitaneo et patronis galearum per dilectos filios... magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani deputatarum ad defensionem fidelium contra Turchos. Cupientes galearum subsidium —. Datum ut supra.

1607 Avignon, 1er avril 1345.

Ad evitanda pericula, quæ ex diversitate nautarum et capitanaorum oriuntur, regem Cipri, Venetorum ducem necnon magistrum Hospitalis rogat ut Henrico patriarchæ Constantinopolitano, et post ejus obitum, Raymundo, episcopo Morinensi, apostolicæ sedis legato parere velint. (Reg. 138, nº DCCCCLXV, fº 251 vº.)

Carissimo in Christo filio Hugoni regi Cipri illustri. Dudum ferventibus desiderantes —. Datum Avinione, kalendis aprilis, anno tercio.

Item in e. mo. *dilectis filiis duci et communi Venetorum,* verbis competenter mutatis ; — *dilectis filiis magistro et conventui Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.*

1608 Avignon, 1er avril 1345.

Legatum Sedis Apostolicæ in partibus transmarinis rogat ut rem a patriarcha Constantinopolitano, mortuo, inchoatam aggrediatur et discordias inter Galterum ducem Athenarum et Societatem Magnam Romaniæ componat. (Reg. 138, nº DCCCCLXVIIII, fº 252.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Morinensi, in partibus transmarinis Apostolice Sedis legato. Dudum felicis recordationis Benedictus Papa XII, predecessor noster, diligenter attendens quod, licet inter fideles ubique optanda sit pacis unitas et fovenda, in illis tamen terris et partibus, quibus hostes et adversarii catholice fidei propinqui et vicini, ad confusionem et exterminium fidelium aspirare ipsosque molestare oppressionibus et afflictionibus diris non cessant, tanto inter fideles ipsos est amplius procurandum et nutriendum vinculum caritatis et pacis, quanto virtus unita in eisdem fidelibus ad propulsandam predictorum infidelium seviciam furientem fortior esse noscitur se dispersa, quodque dissentiones et guerre, que in partibus Romanie propinquis et vicinis Turchis infidelibus et persecutoribus fidei orthodoxe, olim inter dilectum filium, nobilem virum, Galterum ducem Athenarum et predecessores suos ex parte una, et illos qui de societate magna Romanie se vocant ex altera, ratione occupationis nonnullorum castrorum, fortaliciorum, villarum, terrarum, locorum, patrimonii et demaniorum ducatus Athenarum ad ipsius ducem, ut asseritur, spectancium, facte seu attemptate, ut fertur, per illos de societate predicta ingruebant et ingruerant temporibus retroactis, magnam turbationem attulerant incolis fidelibus parcium earundem, ipsique fideles propter hoc ad resistendum dictis Turchis, eos frequenter invadentibus et inferentibus multa dampna, efficiebantur et effecti temporibus preteritis fuerant vel

divisi, et suis exausti facultatibus propter guerras et dissensiones predictas, minus potentes et fortes, prefatique Turchi hoc videntes et sentientes audatius et presumptuosius irruebant et irruerant in fideles predictos ; et propterea cupientes guerras et dissensiones huju modi sic eisdem dispendiosas fidelibus tolli et inter partes predictas pacis concordiam reformari, ac illis de societate jam dicta super processibus dudum per sedem apostolicam contra eos pretextu hujusmodi occupationes habitis, diversas spirituales et temporales penas et sentencias continentibus salubriter provideri, predictum ducem in sua presencia personaliter constitutum paternis et salubribus exhortationibus ad hoc inducere procuravit. Et quia ipsum, tanquam devotionis et obedientie filium ac virum circumspectum et providum, post exhortationes hujusmodi reperit circa hoc tractabilem, benivolum et benignum, volens quod inter ipsum ducem et illos de societate predicta super reformatione pacis et concordie hujusmodi tractaretur, et nichilominus prudenter advertens quod per bone memorie, Henricum patriarcham Constantinopolitanum, qui conditionis et status dictarum partium, docente magistra rerum experientia, pleniorem habere noticiam poterat et debebat, poterat concordia hujusmodi melius et utilius procurari, eidem patriarche commisit per suas litteras et mandavit, ut circa eam reformandam, auctoritate ac vice sua, viis et modis quibus sibi videretur expediens, sedulis et fidelibus studiis laboraret, et que super hiis ageret, eidem intimare curaret ut ad illa, si necessaria forent vel utilia, pro fulcimento seu perfectione ipsius concordie, valeret idem predecessor intendere, prout cognosceret oportunum. Sane quia propter supervenientem infirmitatem et mortem, sicut Domino placuit, predecessoris predicti, littere ipsius super premissis confecte eidem patriarche non fuerunt, ut intellexeramus, presentate, nos qui concordiam hujusmodi velut ex premissis et aliis multis causis utilem et necessariam desiderabiliter affectabamus, sicut et eciam affectamus, nolentes dimittere, quod ipse predecessor in hac parte sic pie conceperat, imperfectum, prefato patriarche, quem in partibus transmarinis dicte sedis apostolice legatum deputaveramus, committendum per nostras litteras duximus et mandandum, ut vice auctoritate nostra, circa reformandam hujusmodi pacis concordiam, fidelibus et diligentibus studiis juxta datam a Deo sibi prudentiam laboraret, nobis que super hiis egisset, ut quo ad processus predictos, et alia dictum negocium tangentia possemus utilius ordinare quod expedire videremus, nichilominus fideliter intimando. Verum cum perceperimus noviter eandem patriarcham fore, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingressum, teque propterea legatum prefate sedis provideramus in illis partibus deputandum, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus tractatus, si quos dictus patriarcha super premissis incepit, resumens, illos prosequi usque ad perfectionem predicte concordie, sicut tibi Dominus ministraverit, non postponas ; alias autem, si forsan processus inchoati non fuerint in hac parte, circa reformationem dicte concordie, juxta seriem et tenorem litterarum supradictarum procedas, nobis per tuas litteras, que super premissis quomodolibet egeris, fideliter intimando. Datum Avinione, kalendis aprilis, anno tercio.

1609 Avignon, 1er avril 1345.

Ducem Venetorum rogat ut episcopum Morinensem, Apostolicæ Sedis legatum benigne accipiat et tueatur, ei naves præsertim, quibus uteretur, assignando. (Reg. 138, nº DCCCCLXX, fº 253 vº.)

Dilectis filiis nobili viro... duci et communi Venetorum. Pridem ad audientiam —. Datum ut supra.

1610 Avignon, 1er avril 1345.

Petro de Eschamellis ex ordine Grandimontensi ad ordinem Cluniacensem transeundi potestatem concedit. (Reg. 138, nº DCCCCXXX, fº 242 vº.)

Dilecto filio Petro de Eschamellis, monacho Grandimontensis ordinis. Tua merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimoniis, nos inducunt ut votis tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque nuper pro parte tua propositum fuerit coram nobis, quod tu, certis causis rationabilibus, de ordine Grandimontensi, quem professus existis, ad Cluniacensem vel Sancti Benedicti ordines, desiderans te transferre, nos tuis in hac parte desideriis annuere favorabiliter intendentes, quod de dicto Grandimontensi ordine, ad prefatos Cluniacensem, vel Sancti Benedicti, ordines, et illum ex eis, de quo malueris, transire libere valeas, tibi licenciam de gracia concedimus specialem. Ex super habundanti tibi nihilominus de uberioris dono gracie concedentes, quod in eisdem Cluniacensi, vel Sancti

Benedicti ordinibus, postquam ad eos vel eorum alterum transiveris et professionem emiseris regularem, dignitates, personatus, officia et administrationes consueta per monachos ipsorum ordinum gubernari, si tibi alias canonice conferamus, libere recipere ac licite retinere necnon locum et vocem in capitulo possis habere, quibuscumque constitutionibus et privilegiis apostolicis ac statutis et consuetudinibus ordinum predictorum contrariis nequaquam obstantibus, de speciali gracia dispensamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, kalendis aprilis, anno tercio.

1611 Avignon, 4 avril 1345.

Infrascriptis mandat ut de quodam deposito facto tempore papæ Nicolai IV penes societates de Bonsignoribus de Senis cum heredibus transigant. (Reg. 138, nos DCCCCXXXI-XXXII, fo 243.)

Venerabili fratri Francisco, episcopo Laquedoniensi et Petro Vitalis, primicerio Lucane ac Guillelmo Truelli, canonico Autisiodorensis, ecclesiarum. Dudum ad nostri —, Datum Avinione, II nonas aprilis, anno tercio.

1612 Avignon, 4 avril 1345.

Infrascriptis mandat ut a legato cardinali in majore altari Basilicæ sollemnia celebrari permittant. (Reg. 138, nos DCCCCXXXIII-XXXIV, fo 244.)

Dilectis filiis capitulo Basilice principis apostolorum de Urbe. Relatu fidedigno percepto —. Datum Avinione, II nonas aprilis, anno tercio.

In eodem modo *dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis.*

1613 Avignon, 4 avril 1345.

Legato certas indulgentias concedendi potestatem concedit. (Reg. 138, no DCCCCXXXV, fo 244.)

Eidem legato. Illa te volentes —. Datum ut supra.

1614 Avignon, 4 avril 1345.

Legato de stipendiis ab eo in Tuscia percipiendis respondetur. (Reg. 138, no DCCCCXXXVI, fo 244 vo.)

Eidem. Cum sicut intelleximus —. Datum ut supra.

1615 Avignon, 5 avril 1345.

Infrascriptos rogat ut senescallo reginæ Siciliæ in Pedemonte faveant, qui quosdam rebelles corrigere debet. (Reg. 138, no DCCCCXL, fo 245 vo.)

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Mediolanensi et dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, fratribus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi nostris et ecclesie Romane vicariis. Cum sicut intelleximus —. Datum Avinione, nonis aprilis, anno tercio.

1616 Avignon, 5 avril 1345.

Procuratores et officiales electi Cæsaraugustani ei commendat. (Reg. 138, no DCCCCXXXVIII, fo 245.)

Dilecto Luppo de Luna, militi, domino civitatis Segabriensis. Pridem ecclesie Cesaraugustane —. Datum Avinione, nonis aprilis, anno tercio.

1617 Avignon, 5 avril 1345.

Pisanos rogat ut Robertum de Bradeston, militem, et Johannem de Santo Philberto, ex Anglia oriundos, e carcere emittant, quos ad partes transmarinas contra Turcos accedentes ulciscendi studio ceperant, ob eam causam quod quædam navis pisana, vulgo cocha, in partibus Angliæ, olim detenta fuisset. (Reg. 138, no DCCCCXXXVII, fo 244 vo.)

Dilectis filiis communi, ancianis et rectoribus civitatis[1] *Pisane.* Perduxit noviter insinuatio —. Datum Avinione, nonis aprilis, anno tercio.

1618 Avignon, 5 avril 1345.

Quo ad collationes provisionesque beneficiorum pertinet, auctoritatem apostolicam arctare non decrevit ; sed, prout episcopus Norwicensis Angliæ regi verbo explanabit, uberiores liberalitates refrenare in animum inducit. (Reg. 138, no DCCCCXXXVIIII, fo 245 vo.)

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Anglie illustri. Ne falsa pro veris ad confusionem vel detractionem inno-

1. Texte : curatis

centium super hiis, que a nobis procedunt, auribus regiis instillentur, tuam volumus celsitudinem regiam non latere, quod dudum per venerabilem fratrem nostrum Willelmum, episcopum Norwicensem, ad tuam per nos presentiam super certis negociis destinatum, voluimus tibi, fili carissime, pro parte nostra inter cetera verbotenus explicari, quod, licet non intenderemus, sicut nec intendere debebamus, super collationibus et provisionibus beneficiorum ecclesiasticorum, vel aliis ad auctoritatem apostolicam spectantibus, artare potestatem nostram, vel etiam limitare, quominus illa, si quando et quotiens nobis videretur honestum et expediens, uteremur, tamen super provisionibus hujusmodi de ipsis beneficiis in regno et terris tuis consistentibus, indigenis vel extraneis faciendis, non intendebamus extunc, nos sic liberales, sicut in nostre promotionis auspiciis, ad importunas plerumque multorum instancias, fecimus exhibere, sed pocius honestis et rationabilibus causis restringere super hiis manus nostras, prout jam tam in eisdem regno et terris, quam diversis aliis, noscimur, prout in Deo expedire vidimus, restrinxisse. Si ergo, fili dilectissime, ad famam ipsius episcopi, vel aliorum quorumlibet suggillandam, suggestum esset tibi forsitan vel suggeretur aliud super hiis, non accomodet suggestioni hujusmodi regalis prudencia, quesumus, credulas aures suas. Datum Avinione, nonis aprilis, anno tercio.

1619 Avignon, 6 avril 1345.

Infrascripto sic indulget ut Sanctum Sepulchrum cum decem militibus visitare possit. (Reg. 138, n° DCCCCXLI, f° 246.)

Dilecto filio Thoderico, domino de Valkenborth, Leodiensis diocesis. Tue devotionis exigentibus —. Datum Avinione, VIII idus aprilis, anno tercio.

1620 Avignon, 7 avril 1345.

Infrascriptis scribit de pecuniis a societate de Bonsegnoribus de Senis, tempore Nicolai papæ IV, receptis. (Reg. 138, n° DCCCCXLII, f° 246 v°.)

Venerabili fratri episcopo Laquedoniensi et dilectis filiis Petro Vitalis, primicerio Lucane ac Guillelmo Truelli, canonico Autisiodorensis, ecclesiarum. Fidedignorum relatibus perductum —. Datum Avinione, VII idus aprilis, anno tercio.

1621 Avignon, 7 avril 1345.

Francisco, episcopo Laquedoniensi et Guillelmo Truelli, canonico Autissiodorensi, ad Italiæ partes missis, salviconductus litteræ conceduntur. (Reg. 138, n° DCCCCXLIII, f° 247.)

Venerabilibus fratribus...archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis... necnon nobilibus viris. Cum venerabilem fratrem —. Datum ut supra.

1622 Avignon, 7 avril 1345.

Infrascriptis ad Italiam missis unus et dimidius florenus quotidie pro expensis conceditur. (Reg. 138, n°s MIII-MV, f° 261 v°.)

Venerabili fratri Francisco episcopo Laquedoniensi. Cum pro certis. Datum ut supra.

In eodem modo, *magistro Guillelmo Truelli, canonico Autisiodorensi, capellano nostro ; — Petro Vitalis, primicerio ecclesie Lucane.*

1623 Avignon, 8 avril 1345.

Petrum de Palude, dominum Varamboni senescallumque Bellicadri, qui pro debellandis Turcis profisciscitur, Johannæ, quam in matrimonio Andronicus, Græcorum moderator, habuerat, commendat. (Reg. 138, n° DCCCCXLIIII, f° 247 v°.)

Carissime in Christo filie Johanne, relicte quondam Andronici, moderatoris Grecorum. Cum dilectus filius, nobilis vir, Petrus de Palude, dominus Varamboni, senescallus Bellicadri pro carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francie illustri, ad partes transmarinas contra Turchos infideles, persecutores nominis Christiani, zelo catholice fidei accensus, se conferens, proponat, sicut intelleximus, tue celsitudinis presentiam visitare, celsitudinem rogamus eandem quatinus ipsum nobilem benigne recipias et favorabiliter audias super hiis que pro tuis et tuorum comodo et honore tibi, filia carissima, duxerit explicanda. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1624 Avignon, 8 avril 1345.

Siciliæ regibus et Cipri, atque aliis infrascriptis Guichardum de Combornio, nepotem suum, similiter commendat. (Reg. 138, n°s DCCCCXLV DCCCCLIII, f° 247 v°.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Cum dilectus filius, nobilis vir, Guichardus de Combornio, junior, nepos noster, spiritu magne devotionis concepto, ad partes Romanie ac alias circumvicinas pro defensione fidelium ibidem degentium contra Turchos Christiani nominis et ipsorum fidelium crudeles persecutores et hostes accedat, nos ipsum nobilem super sui executione propositi commendabiliter hujusmodi dirigi feliciter cupientes, cum tue celsitudinis benevolencie commendamus. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

In e. mo. *Johanne regine Sicilie* ; — *Hugoni regi Cipri* ; — *Duci et comuni Venetorum* ; — *Heliono de Villanova Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani* ; — *Archiepiscopo Neapolitano* ; — *Archiepiscopo Brundusino* ; — *Carolo Artusii* ; — *Roberto de Cabanis.*

1625 Avignon, 8 avril 1345.

Gratias agit quod Siciliæ regina castra de Medis et Lauseti vicecomiti Bellifortis, germano suo, donavit. (Reg. 138, n° DCCCCLIIII, f° 248.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Grata noviter insinuatione percepto quod tu, filia carissima, benivolenciam, quam ad nostros gerit regalis benignitas, per effectum munificientie liberalis ostendens, privilegia pro dilecto filio, nobili viro, Guillelmo, vicecomite Bellifortis, germano nostro, super concessione castrorum de Medis et Lauseti, ac alias oportunas litteras ad augmentum gracie de emptione terre aliorum trecentorum florenorum auri per annum pro germano nostro predicto, ultra illa que dudum sibi concesserat gratiose, mandavit tua serenitas regia fieri et quantocius expediri, nos exinde tue celcitudini regie gratiarum referimus uberes actiones. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1626 Avignon, 8 avril 1345.

Senescallo Provinciæ similiter gratias agit. (Reg. 138, n° DCCCCLV, f° 248 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Hugoni de Bautio, comiti Avellini, senescallo Provincie et Forcalquerii. Nobilitatis tue litteras facientes inter cetera mentionem, de liberali concessione per carissimam in Christo filiam nostram Johannam reginam Sicilie illustrem, factam, dilecto filio, nobili viro, Guillelmo vicecomiti Bellifortis germano nostro, te, fili, diligenter et benivole procurante, ac privilegiis et litteris inde concessis per eam, que et quas, cum ad partes has veneris, tecum asseris delaturum nobisque alia grata super benivolencia et devotione ipsius regine relaturum verbotenus, recepimus leta manu, quarum serie diligencius intellecta, super tuis devotis et benivolis solicitudinibus hujusmodi admodum utique nobis gratis, eidem nobilitati [gratiarum] referimus actiones. Porro super predictis prefate regine litteras nostras regratiatorias mittimus, sicut docet, intendentes te, cum ad nostram presentiam veneris, ut prefertur, placibiliter recipere ac delectabiliter super premissis referendis audire. Ceterum, prout in litteris aliis dicto germano missis petebatur, nos dilecto filio, nobili viro, Roberto de Cabanis, per litteras nostras regratiando scribimus juxta formam, quam cedula continet presentibus interclusa ; tua vero prudencia litteras ipsas, quas tibi cum presentibus mittimus, presentet, sicut cognoverit expedire. Datum ut supra.

1627 Avignon, 8 avril 1345.

Roberto de Cabanis, comiti Eboli, similiter gratias agit. (Reg. 138, n° DCCCCLVI, f° 248 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Roberto de Cabanis, comiti Eboli. Insinuatione placibili percepimus quod tu, fili, super liberali concessione per carissimam in Christo filiam nostram Johannam, reginem Sicilie illustrem, dilecto filio, nobili viro Guillelmo vicecomiti Bellefortis, germano nostro, facta noviter, operosam et benivolam adhibere diligenciam curavisti, super quibus utique ad modum nobis gratis nobilitati tue gratiarum referimus actiones. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1628 Avignon, 8 avril 1345.

Odonem de Monteacuto, ut priorem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Alvernia jam antea designatum, confirmat. (Reg. 138, n° DCCCCLVIII, f° 249.)

Dilecto filio Odoni de Monteacuto, priori Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Alvernia. Religionis zelus et alia tue merita probitatis, quibus te fide digno

testimonio juvari percepimus, nos inducunt, ut in tuis oportunitatibus nos reperias, quantum cum Deo possumus, liberales. Sane, pro parte tua, petitio nobis exhibita continebat, quod tu prioratum Sancti Johannis Jerosolomitani in Alvernia, cum juribus et pertinentiis suis, ex provisione tibi de illo per dilectos filios... magistrum et conventum ejusdem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani dudum facta, rexisti diutius, tenuisti, administrasti et possedisti et adhuc regis, tenes, administras et possides pacifice et quiete. Ut igitur tu, qui processisse in diebus tuis ad senium appropinquando dinosceris, Deo servire quietius et ducere tranquillius valeas residuum vite tue, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi, ne, quamdiu vixeris, molestari super eodem prioratu valeas indebite, de benignitate apostolica dignaremur, nos autem volentes personam tuam, tuorum predictorum intuitu meritorum in hac parte, favore prosequi gracioso, tuis supplicationibus inclinati, provisionem predictam tibi de dicto prioratu, ut premittitur, factam, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate apostolica, ex certa sciencia, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, sup[p]lentes omnem defectum, si quis forsan in premissis intervenerit, de apostolice plenitudine potestatis tibi nihilominus concedentes quod a regimine seu administratione domus ejusdem, quamdiu vixeris, quibusvis privilegiis apostolicis ac statutis et consuetudinibus ejusdem Hospitalis contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, amoveri per quoscumque non possis invitus. Per hoc autem derogare magistro et conventui dicti Hospitalis, qui sunt pro tempore, quominus eis ad obedienciam debitam exhibendam et alia prestanda, ad que astrictus esse dinosceris, tenearis alias plenarie, sicut prius. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VI idus aprilis, anni tercio.

1629 Avignon, 8 avril 1345.

Infrascripto mandat ut natos quondam N. Capfori puniat, qui in episcopum et ecclesiam Casinensem vim fecerant. (Reg. 138, n° DCCCCLXXII, f° 253 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Brundusino. Ex gravi conquestione —. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1630 Avignon, 8 avril 1345.

Regem Aragonum liberat qui censum, videlicet 9.750 florenos auri, singulis marchis pro quatuor florenis auri, decem turonensibus grossis cum dimidio argenti et florenis singulis pro duodecim turonensibus grossis argenti per manus Johannis de Boyl, domicelli Valentini, solverat, ideoque interdictum et excommunicationem relaxat. (Reg. 138, n° DCCCCLVII, f° 248 v°.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum, Sardinie et Corsice illustri. Cum pro regno —. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1631 Avignon, 8 avril 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXIII, f° 316 v°.)

Item in eodem modo, *dilecto filio Johanni Laurencii, et dilecte in Christo filie Katherine, ejus uxori, de Monteferrando, Claromontensis diocesis.* Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1632 Avignon, 8 avril 1345.

Cum Petrus, episcopus Claromontensis, capitulo ecclesiæ Beatæ Mariæ de Portu, in qua quindecim canonici vix sustentabantur, ecclesiam de Jabeyraco annexuisset, adjunctionem confirmat, dummodo XXX libræ turonensium parvorum vicario dictæ ecclesiæ quotannis solvantur. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXII, f° 256.)

Dilectis filiis capitulo secularis ecclesie Beate Marie de Portu Claromontensi. Pietas exigit et congruit rationi, ut pie matris apostolice sedis benignitas hiis, que juste petuntur ab ea, et maxime super illis, que opus pium respiciunt, ac cultum divinum fulciunt et augmentant, se favoribilem exhibeat et benignam. Nuper siquidem exhibite nobis petitionis vestre series continebat quod venerabilis frater noster Petrus, episcopus Claromontensis, diligenter attendens et per informationem ab eo solerter et fideliter factam reperiens quod ecclesie vestre, in qua quindecim canonicorum numerus ab antiquo esse noscitur institutus, facultates adeo sunt tenues et exiles, quod vos ex eis non valentes congrue sustentari, quandoque vos ecclesiam deserere propter hoc non sine diminutione cultus divini cogit necessitas et aliunde querere

necessaria victus vestri ac vobis et eidem ecclesie, ad quam populus Claromontensis et multi fideles alii ob rerenciam precelse genitricis Dei Marie semper virginis, sub cujus venerando vocabulo est fundata, habent et habuerunt ab antiquis temporibus devotionem ingentem, cupiens super hiis pro relevandis utilius hujusmodi vestris necessitatibus et ut possitis in ipsa ecclesia utilius jugiter gratum exhibere Altissimo famulatum, parrochialem ecclesiam de Jabeyraco sue Claromontensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinenciis suis, vobis et eidem ecclesie vestre univit, donavit, incorporavit et annexuit auctoritate sua ordinaria, unione perpetua et reali, volens nichilominus et concedens, quod, quandocumque dictam ecclesiam de Jabeyraco per cessum vel decessum rectoris ipsius, qui nunc est, vacare contigerit, per vos vel procuratorem vestrum possessionem ejusdem ecclesie de Jabeyraco corporalem jurium et pertinenciarum ipsius, auctoritate vestra propria possitis apprehendere ac nancisci, absque ipsius episcopi vel successorum suorum licentia et mandato ; ita tamen quod vos de fructibus, redditibus et proventibus ipsius ecclesie de Jabeyraco vicario perpetuo per ipsum episcopum et successores suos in ea, quociens erit necessarium, instituendo, triginta libras Turonensium parvorum, videlicet quindecim circa festum Nativitatis Beati Johannis Baptiste, et alias quindecim in festivitate dominice [Nativitatis] solvere ac assignare libere pro sua sustentatione annuatim, et nichilominus procurationes solvere ac alia onera eidem ecclesie de Jabeyraco incumbencia teneamini supportare, prout plenius in patentibus ejusdem episcopi litteris inde confectis, suoque sigillo, ut apparebat, prima facie communitis, quarum seriem denotari de verbo ad verbum presentibus fecimus, inferius continetur. Quare nobis nobis humiliter supplicastis ut unionem, donationem, incorporationem et annexationem hujusmodi ac omnia supradicta fulcire apostolice confirmationis munimine, ut inviolabilem firmitatem pro futuris [1] temporibus obtineant, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, premissis diligenter attentis, supplicationi vestre hujusmodi benignius inclinati, unionem, donationem, incorporationem et annexationem ac omnia supradicta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes nichilominus omnem defectum, qui ratione solennitatis juris ommisse, vel alias intervenerit quomodolibet in premissis. Tenor vero litterarum predictarum noscitur esse talis : *Universis etc*, Nulli ergo etc. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1. Texte : ponis

1633 Avignon, 8 avril 1345.

Raynardo Gayte, canonico Claromontensi fructus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum suorum per quinquennium percipiendi, veluti resideret, potestas datur. (Reg. 138, n° MCXXIIII, f° 299 v°.)

Dilecto filio Raynardo Gayte, canonico Claromontensi. Meritis tuis, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimoniis, inducimur ut tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque te hujusmodi tuorum meritorum obtentu favoribus prosequi graciosis, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut obsequiis venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Claromontensis, insistendo aut in altero beneficiorum tuorum ecclesiasticorum residendo, fructus, redditus et proventus beneficiorum tuorum, que nunc in quibusvis ecclesiis obtines vel imposterum obtinebis, etiam si dignitates vel personatus aut officia existant et curam habeant animarum, dummodo dignitates hujusmodi in cathedralibus, post episcopales majores vel in collegiatis ecclesiis principales non existant, cum ea integritate usque ad quinquennium libere percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si in dictis ecclesiis personaliter resideres et ad residendum interim in eisdem ecclesiis minime tenearis, neque ad id a quoquam invitus valeas coartari, non obstantibus etc., ut supra, usque ad finem. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno tercio.

1634 Avignon, 9 avril 1345.

Nuntio suo in Lombardia mandat ne Avinionem redeat, quippe quod negotia in effectu non essent. (Reg. 138, n° DCCCCLIX, f° 250.)

Venerabili fratri Guillelmo ,episcopo Carnotensi, apostolice sedis nuncio. Benigne receptis fraternitatis —. Datum Avinione, V idus aprilis, anno tercio.

1635 Avignon, 9 avril 1345.

Regem Aragonum hortatur ut cum rege Majoricarum pacem faciat. (Reg. 138, n° DCCCCLX, f° 250.)

Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri. Etsi nos, qui vices regis pacifici et eterni, licet insufficientibus meritis, in terris gerimus, pacem et caritatem vigere inter cunctos christicolas desideriis affectemus intensis, illas tamen habundare uberius cupimus inter eos, quos adhuc forcius nexus sanguinis et affinitatis astringit. Quamobrem desiderabiliter affectantes quod carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, qui, sicut tua novit excellencia, de domo et prosapia tuis regalibus descendit et sui liberi tui nepotes existunt, per unionem mutue pacis et concordie tecum reconsiliaretur, reintegrata caritate, quam ledere hostis humani generis procuravit, super tractatu concordie hujusmodi tuis nunciis et ambassiatoribus, pridem ad nostram presenciam destinatis, colloquendo cum eis fecimus mentionem. Ideoque magnificentiam tuam regiam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus premissa et quod honori tuo expedit, quod eadem concordia per vias accomodas subsequatur, consideranter attendens, consentire velit regalis prudencia quod dicti nuncii de tuo beneplacito super predictis tractare nobiscum possint et debeant, et inde nobis et ipsis rescribere intentionis regie propositum in hac parte. Datum Avinione, V idus aprilis, anno tercio.

1636 Avignon, 10 avril 1345.

Episcopo Leonensi et Guillelmo Mathei, canonico Macloviensi illos absolvendi, qui in ducatu Britanniæ peccaverant, potestas datur. (Reg. 138, n° MCCXLV, f° 319.)

Venerabili fratri... episcopo Leonensi et dilecto filio Guillelmo Mathei, canonico Macloviensi. Exhibita nobis pro parte Philippi de Castro, decani Nannetensis, et Guillelmi Bourse, canonici Dolensis, ecclesiarum, juris civilis professoris ac nobilium virorum Eudonis, domini de Loheaco, et Olivarii de Guesclin, militum, Macloviensis diocesis, aliorumque multorum tam clericorum secularium et regularium quam laicorum de ducatu Britanie petitio continebat quod dudum, post decessum quondam Johannis ducis Britannie, inter dilectos filios, nobiles viros, Carolum de Blesis, ducem Britannie ex parte una, et Johannem de Britannia, comitem Montisfortis ex altera, super successione dicti ducatus materia questionis suborta, et guerrarum fremitibus dure ac terribiliter suscitatis, ipsi parti ejusdem comitis adherentes super auxiliis, consiliis et favoribus parti prestandis et impend[end]is predicte certas promissiones, tam ante quam post treugas novissime inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francie et Edwardum Anglie reges illustres pro se ac eorum alligatis et valitoribus, procurantibus venerabilibus fratribus nostris Petro Penestrino et Anibaldo Tusculanensi episcopis, apostolice sedis nuntiis, initas, fecerunt propriis eorum juramentis vallatas et guerris invalescentibus supradictis, partem predictam ipsius comitis, sicut promiserant et juraverant, adjuvantes, eorum aliqui civitatem Venetensem in manibus nostris, juxta formam treugarum predictarum positam, et quamplures ex eis bona clericorum, ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum illarum partium occuparunt et in personas ecclesiasticas manus injecerunt temere violentas et alias ecclesiis et personis eisdem ecclesiasticis violentias et injurias non contempnendo tamen claves ecclesie sed propter guerrarum hujusmodi acerbitatem et duritiam intulerunt ac hiis et aliis multis modis excessibus et offensis, opem, favorem et consilium prestiterunt, ex quibus et eorum circumstantiis excommunicationis et ultra hoc viri ecclesiastici super hiis delinquentes, suspensionis sententias incurrerunt, eisdem clericis irregularitatis macula propterea nichilominus irretitis. Deinde vero ad eorum deducto notitiam quod per eundem regem Francie, ad cujus cognitionem et jurisdictionem spectabat examinatio et decisio questionis hujusmodi super successione predicta pro dicto Carolo et contra dictum comitem judicialiter fuerat diffinitiva sentencia promulgata, tam ex sententia ipsa, quam aliis eos ad hoc reducentibus conscientie remorsu super premissis constricti, aliqui ex eis a predictis offensis et excessibus destiterunt omnino. Alii vero propter metum transgressionis juramentorum predictorum adhuc contra propriam co[n]scientiam perseverant in eis. Quare tam ipsi quam plures alii seculares et regulares clerici et laici, facientes partem Caroli ducis predicti, quorum aliqui guerris predictis ingruentibus et propter sevitiam earumdem, ratione occupationis bonorum personarum ecclesiasticarum, alii vero pro violenta et temeraria manuum injectione in clericos et alias personas ecclesiasticas et quidam ipsorum pro aliis diversis injuriis, dampnis et violentiis per ipsos aut eorum ope, consilio et favore illatis ecclesiis et personis predictis, absque contemptu tamen clavium predictarum, similes excomunicationis, suspensionis incurrerunt sententias latas, tam ob nomine quam a jure ac nonnulli ex ipsis, sic dictis ligati sentenciis et

etiam in locis ecclesiastico suppositis interdicto et alias in casibus a jure prohibitis divina officia celebrando irregularitatis macula noscuntur existere irretiti, fecerunt nobis, in quantum premissa narrata superius eorum tangunt singulos, humiliter supplicari ut cum ipsi omnes desistere a predictis offensis, temeritatibus et excessibus, et ad comunionem fidelium et ecclesie redire desiderent unitatem, alicui vel aliquibus probis viris in eisdem partibus super relaxatione seu dispensatione juramentorum predictorum et absolutionis beneficio eis a dictis penis et sententiis impendendo, necnon super irregularitatibus predictis premissorum occasione contractis aliisque faciendis et expediendis, que pro salute animarum ipsarum et bono statu patrie oportuna circa predicta fuerint, potestatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui licet insufficientibus meritis, vices in terris illius misericordiarum domini gerimus, qui omnes querit salvos fieri et neminem vult perire, prefatos supplicantes ab ipsorum hujusmodi deviis retrahi et ad viam veritatis et salutis reduci, paterne diligentie studiis cupientes et de vestre fidelitatis et discretionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, vobis et cuilibet vestrum insolidum ut conditionibus personarum illorum, qui juramenta hujusmodi prestiterunt, et qualitatem negocii, cujus occasione fuerunt prestita hujusmodi juramenta, que utique vinculum iniquitatis et maxime circa comittendos et perpetrandos excessus ac dissensiones et guerras nutriendas et fovendas in summi regis offensam esse non debent, diligenter attentis, ea relaxare, seu super eis, sicut in Deo expedire videritis, dispensare, necnon eis qui propter premissos excessus excomunicationis sententias vel suspensionis penas a jure vel per dilectum filium, magistrum Stephanum de Molceone, decanum ecclesie Bitturicensis, capellanum nostrum, in partibus illis apostolice sedis nuncium, et per quoscunque ordinarios aut auctoritate statutorum provinci[a]lium vel synodalium promul[ga]tas incurrisse noscuntur et ab illis pecierint humiliter se absolvi, juxta formam ecclesie absolvere, illos quoque qui accusati seu delati super predictis se ab eis ostenderint innocentes declarare dictis penis et sententiis non ligatos ; et insuper interdicta in ecclesiis et locis dicti ducatus premissorum occasione apposita relaxare vel suspendere, ac cum personis ecclesiasticis predictis, ex causis predictis irregularitatis macula irretitis, dispensare auctoritate nostra super eadem irregularitate ipsisque injungere quod de jure fuerit injungendum plenarie valeatis, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Demum autem per vos specialiter et expresse adici volumus in hac parte quod si eos, quos ab hujusmodi sententiis duxeritis absolvendos, ad predictos vel similes perpetrandos excessus, quod absit, redirent vel, que ipsis injungenda super absolutione hujusmodi duxeritis, non complerent, in easdem sententias recidant ipso facto. Datum Avinione, IIII idus aprilis, anno tertio.

1637 Avignon, 10 avril 1345.

Cum nuntiatum esset Edwardum, dominum de Bellojoco, a Turcis in prælio interfectum fuisse, eum superesse nuntiat. (Reg. 138, n° DCCCCLXI, f° 250 v°.)

Dilecte in Christo filie, nobili mulieri, Marie domine de Bellojoco. De quodam conflictu, pridem inter exercitum fidelium in transmarinis partibus existentem et Turcos infideles habito, dudum infestis rumoribus intellectis, de dilecto filio, nobili viro, Edwardo, domino de Bellojoco, viro tuo, anxii super statu suo, certiorari volentes, solicitari dilectum filium, nobilem virum, ducem Venetorum fecimus, ut nobis inde rescriberet veritatem, a quo super hoc litteras recepimus tenoris, quem cedula continet presentibus interclusa. Tu vero, filia, de incolumitate ac strenuis ejusdem viri tui actibus per ipsas descriptis litteras consoleris in Domino et eidem in humilitate spiritus gracias agere non omittas, de nobis fiduciam habitura quod super tuis oportunitatibus nos propitios, quantum cum Deo poterimus, reperies et benignos. Datum, Avinione, III idus aprilis, anno tercio.

1638 Avignon, 10 avril 1345.

Regem Franciæ rogat ut profectionem Bertrandi de Baucio, navium Sanctæ Sedis capitanei et Berengarii de Biturrita ad partes transmarinas pro Turcis debellandis assensu comprobet. (Reg. 138, n° DCCCCLXXIII, f° 254 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Negocium transmarinum pro dilatatione catholice fidei ac defensione fidelium in illis degencium partibus, qui a Turchis infidelibus, nominis Christiani persecutoribus et Christianorum, sanguinem sitientibus crudeliter affliguntur, inceptum feliciter prosperari, ardentibus desideriis cupientes, pridem auditis infestis rumoribus

de casu videlicet bone memorie Henrici, patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati, et quondam Martini Zacharie, patroni galearum nostrarum, ac quorundam aliorum strenuorum virorum catholicorum, qui sub sevicia Turchorum ipsorum, ab [h]ac luce subtracti, ad mansiones sidereas migravisse creduntur, matura deliberatione previa, dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum de Baucio, militem, tanquam galearum ipsarum capitaneum ad partes ipsas, una cum dilecto filio, nobili viro, Berengario de Biturrita, milite, ordinavimus destinandum. Cum autem, fili carissime, adeo devotionem regiam affici ad negocium hujusmodi supponamus, quod prefatos milites, si eos pro predicto negocio crederet utiles, eciam motu suo proprio ad promotionem et prosecutionem destinaret illius, regiam excellenciam deprecamur quatenus gratum et acceptum habeat, quod prefati milites pro premissa ad partes proficiscantur predictas, gratiosis concessionibus, alias a regali magnificientia, ut intelleximus, eis factis, in sua remanentibus ob favorem dicti negocii firmitate. Datum Avinione, III idus aprilis, anno tercio.

1639 Avignon, 10 avril 1345.

Regem Franciæ rogat ut Petrus de Palude, dominus Varamboni, qui pro negotio transmarino ad partes Constantinopolitanas profectus est, officium senescalliæ Bellicadri, se absente, retineat. (Reg. 138, nos DCCCCLXXIIII-LXXV, fo 254 vo.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Dudum attendentes quod super negocio transmarino dilectus filius, nobilis vir, Petrus de Palude, dominus Varambonii, senescallus regius Bellicadri, propter suam circumspectam industriam et eciam noticiam, quam habet cum carissima in Christo filia nostra Johanna, relicta quondam Andronici moderatoris Grecorum, erat multipliciter oportunus, excellencie regie, ut eidem nobili ad hoc ingentis zelum devotionis habenti, ad partes illas proficiscendi, ac officium senescallie Bellicadri medio tempore retinendi et suis periculis gubernari per personam ydoneam faciendi, licenciam gratiosam concederit, direxisse meminimus preces nostras. Cum autem regalis magnificientia, pie precibus ipsis annuens, ob devotionem, quam habere ad predictum negocium noscitur, favorabiliter et benigne concesserit hujusmodi licenciam postulatam, dictusque nobilis jam transfretandi arripuerit iter suum, eandem magnificentiam deprecamur attente quatenus, ipsam licentiam teneri stabilem faciens, quibusvis contra illum quicquam petentibus seu suggerentibus non accommodet regia providencia concessivas vel credulas aures suas. Datum ut supra.

Johanne regine Francie ; — Johanni primogenito.. regis Francie, duci Normannie.

1640 Avignon, 10 avril 1345.

Ducem Normanniæ reginamque Franciæ similiter deprecatur. (Reg. 138, no DCCCCLXXVI, fo 255.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni, primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Dudum attendentes etc —. Datum ut supra.

In e. mo. *Johanne regine Francie.*

1641 Avignon, 12 avril 1345.

Episcopo Forojuliensi mandat ut ab electo Vicensi canonicatum in ecclesia Valentina recepiat, quem idem electus abdicare vult. (Reg. 138, no DCCCCLXXVII, fo 255.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Forojuliensi. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius Michael, electus Vicensis canonicatum et prebendam ac preposituram, quos obtinet in ecclesia Valentina, libere resignare intendit, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, ut ab eodem electo vel ejus procuratore ad hoc legitime constituto, resignationem liberam hujusmodi, eciam apud sedem apostolicam auctoritate nostra recipere valeas, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, II idus aprilis, anno tercio.

1642 Avignon, 13 avril 1345.

Luchino de Vicecomitibus mandat ut Benedictum de comitibus de Biaudrate e carcere emittat. (Reg. 138, no DCCCCLXXVIII, fo 255.)

Dilecto filio, nobili viro, Luchino de Vicecomitibus de Mediolano, in civitate, comitatu et districtu Medialanensi nostro et ecclesie Romane vicario. Cum sicut intelleximus —. Datum Avinione, idibus aprilis, anno tercio.

1643 Avignon, 13 avril 1345.

Garinum de Castronovo, dominum de Apcherio, regi Franciæ commendat. (Reg. 138, nº DCCCCLXXVIII, fº 255 vº.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Dilectum filium, nobilem virum, Garinum de Castronovo, dominum de Apcherio, super hiis que habet, ut asseritur, in regali curia expediri ut honestate justicie servata tractetur, favorabiliter benivolencie regie commendamus. Datum Avinione, idibus aprilis, anno tercio.

1644 Avignon, 14 avril 1345.

Johanni Luppi, canonico et succentori ecclesie Parisiensis canonicatum et dimidiam præbendam in dicta ecclesia confert, collationem a capitulo prius factam confirmando. (Reg. 138, nº DCCCCLXXXIII, fº 256 vº.)

Dilecto filio Johanni Luppi, canonico et succentori ecclesie Parisiensis. Probitatis tue meritis, quibus te nobis et apostolice sedi reddis acceptum, inducimur ut personam tuam prerogativa favoris et gracie prosequamur. Sane tue petitionis nobis nuper exhibite series continebat quod olim dilecti filii... decanus et capitulum ecclesie Parisiensis canonicatum et dimidiam prebendam ipsius ecclesie tunc per obitum quondam Roberti de Vernone, canonici Parisiensis, vacantes et ad eorum dispositionem spectantes, tibi contulerunt, et providerunt de illis tuque vigore collationis et provisionis hujusmodi eorundem canonicatus et dimidie prebende possessionem fuisti pacificam assecutus, illosque possedisti diutius et possides pacifice et quiete. Cum autem tu, sicut asseris, timeas, quod canonicatus et dimidia prebenda predicti, ante collationem tibi per dictos decanum et capitulum de illis factam, ut premittitur, essent dispositioni sedis reservati predicte, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi de oportuno remedio super hiis dignaremur. Nos igitur hujusmodi, tuorum meritorum obtentu, erga te graciam nostram et ejusdem sedis exuberare volentes, supplicationi tue hujusmodi benignius annuentes, collationem et provisionem de predictis canonicatu et dimidia prebenda per dictos decanum et capitulum, ut premittitur, tibi factas, ratas habentes et gratas, illas ex certa sciencia, quibusvis nostris vel predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum generalibus vel specialibus reservationibus de illis factis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica de speciali gracia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XVIII kalendas maii, anno tercio.

1645 Avignon, 16 avril 1345.

Infrascriptis mandat ut cum fratribus ordinis Sancti Jacobi quamdam compositionem faciant. (Reg. 138, nº DCCCCLXXXIV, fº 257.)

Didaco abbati monasterii Sancti Facundi, Legionensis diocesis et Johanni de Gardaga, scolastico Ovetensis ecclesie, in partibus Ispanie apostolice sedis nunciis. Intelleximus quod super —. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1646 Avignon, 16 avril 1345.

Eisdem absolvendi eos, qui propter defectum solucionis excommunicationis sentenciam incurrerint, potestatem concedit. (Reg. 138, nº DCCCCLXXXV, fº 257.)

Eisdem. Insinuatione vestra percepimus —. Datum ut supra.

1647 Avignon, 16 avril 1345.

Infrascriptis archiepiscopis mandat ut pecuniam decimalis subsidii pro negotio transmarino impositi et per unum annum collectam ad Cameram Apostolicam confestim transmittant. (Reg. 138, nº DCCCCLXXXVI, fº 257.)

Venerabili fratri... archiepiscopo Arelatensi. Cordialis affectio, quam ad negocium defensionis fidelium in Romania et aliis circumvicinis transmarinis partibus degentium et repressionis Turchorum infidelium, prefatos fideles, quorum sanguinem sitiunt, crudeliter persequencium, gerimus, nos perurget, ut ea, que utilitatem et promotionem ejusdem negocii respiciunt, procurare operosis solicitudinibus studeamus. Cum itaque pecunia decimalis subsidii per nos pro eodem negocio in tuis et aliis diversis civitatibus et diocesibus impositi, que jam per unum annum integrum in duobus terminis, juxta formam impositionis predicte, debet esse collecta, noscamur i[m]minente necessitate ipsius negocii presencialiter indigere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus pecuniam hujusmodi, collectam in tuis civitate et diocesi, quantocius integraliter ad nostram

mittere Cameram non postponas, tuis suffraganeis, quod pecunias hujusmodi ab eis collectas in suis civitatibus et diocesibus similiter ad prefatam cameram destinare celeriter et integraliter studeant, mandans districtius et injungens. Datum Avinione XVI kalendas maii, anno tercio.

In e. mo. *Archiepiscopo Aquensi* ; — *Ebredunensi* ; — *Viennensi* ; — *Tarantasiensi* ; — *Bisuntino* ; — *Lugdunensi*.

1648 Avignon, 16 avril 1345.

Infrascriptum sogat ut inducias in Pedemonte et Lombardie per cardinalem legatum indictas conservet. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXXIII, f° 258.)

Dilecto filio, nobili viro, Reforciato de Agouto, militi, senescallo regio in partibus Pedemontis et Lombardie. Sicut nuper expositum —. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1649 Avignon, 16 avril 1345.

Elixendi de Noeriis, moniali monasterii de Jotro, O. S. B., Meldensis diœcesis, sic indulget ut ad dignitatem abbatialem assumatur, licet professionem non fecerit.

(Reg. 138, n° DCCCCLXXXXVII, f° 259.)

Dilecte in Christo filie Elixendi de Noeriis, moniali monasterii de Jotro, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis. Religionis puritas, vite mundicia, morum decor, et alia virtutum merita, que tibi fidedignorum testimoniis suffragari percepimus, nos inducunt ut personam tuam paterna benivolencia et specialis prerogativa favoris et gracie prosequamur. Hinc est quod nos tibi, ut quamvis tu, que sub regulari habitu tanquam monialis monasterii de Jotro, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis, fuisti diutinis temporibus laudabiliter famulando Domino conversata, professionem expressam in eodem ordine non feceris nec munus benedictionis receperis, que religiosis virginibus consuevit in Dei ecclesia impertiri, ad dignitatem et administrationem abbatialem in predicto vel alio religiosarum mulierum ejusdem ordinis monasterio, alias tamen canonice, quibusvis constitutionibus ac statutis et consuetudinibus ordinis et monasteriorum ipsorum quibuscumque contrariis juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia vallatis, nequaquam obstantibus, possis assumi, de speciali gracia tenore presencium indulgemus. Volumus tamen quod infra duos menses, postquam ad dignitatem et administrationem ascenderis supradictas, expressam professionem in eodem ordine facias, munusque benedictionis suscipias, quod consuevit ejusdem ordinis abbatissis impendi. Nulli ergo etc. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1650 Avignon, 16 avril 1345.

Episcopo Novariensi mandat ut Molum Ponga, dictum Torta, civem Cumanum, falsarium capi jubeat et captum ad Curiam transmittat. (Reg. 167, De Curia, n° XIIII ; — Reg. 216, f° 16.)

Venerabili fratri... episcopo Novariensi. Ad nostram nuper —. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1651 Avignon, 16 avril 1345.

Episcopo Cumano mandat ut Vesperium Aurifabrum et Molum Ponga capiat et transmittat ad Curiam. (Reg. 167, De Curia, n° XV ; — Reg. 216, f° 16 v°.)

Venerabili fratri episcopo Cumano. Ad nostram nuper. — Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1652 Avignon, 16 avril 1345.

Infrascripto indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXIV, f° 316 v°.)

Item in eodem modo, *dilecto filio, nobili viro, Arnaldo Gasberti de Castanherio, condomino Montisisquini, Caturcensis diocesis.* Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno tercio.

1653 Avignon, 17 avril 1345.

Infrascripto altare portatile concedit.

(Reg. 138, n° DCCCCLXXXXIII, f° 258.)

Dilecto filio, nobili viro, Guichardo de Combornio, militi, juniori. Sincere devotionis affectus. Datum Avinione, XV kalendas maii, anno tercio.

1654 Avignon, 18 avril 1345.

Infrascriptis cardinalibus abbatissam monasterii de Jotro, O. S. B., Meldensis diœcesis, designandi facultas conceditur. Reg. 138, n° DCCCCLXXXXV, f° 258 v°.)

Dilectis filiis Guidoni, Sancte Cecilie, Stephano, Sanctorum Johannis et Pauli, ac Hugoni, Sancti Laurencii in Damaso tituli, presbiteris cardinalibus. In supreme dignitatis solio constituti, tenemur esse soliciti providere, ut ecclesiis et monasteriis, que vacationis deplorant incommoda, per provisionis nostre diligenciam, celeriter et salubriter consulatur. Cum itaque monasterium religiosarum mulierum de Jotro, ecclesie Romane immediate subjectum, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis, ex eo vacare noscatur ad presens, quod dilecta in Christo filia Elixendis de Noeriis, olim abatissa ipsius monasterii, pridem certis justis et rationabilibus causis dignitatem abbatialem ac regimen et administrationem predicti monasterii, per procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, in manibus tuis, fili Stephane, de mandato nostro verbotenus tibi facto ea recipientis, libere resignavit, nullusque preter nos de ipsius provisione monasterii se hac vice intromittere possit, pro eo quod nos ante resignationem predictam, provisionem ipsius nobis specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret super hiis attemptari. Nos volentes eidem monasterio de persona ydonea, ne ulterius subjaceat vacationis dispendiis, provideri, et de vestre fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut de persona ydonea ipsius monasterii, quam utilem ipsius administrationi et regimini credideritis, etiam apud Sedem Apostolicam auctoritate nostra providere hac vice, ipsamque personam in abbatissam preficere monasterio prelibato sibique curam et administrationem ejusdem in spiritualibus et temporalibus plenarie committere ac facere a suis subditis, et aliis, quorum interest, eidem plene pareri et reverenciam debitam exhiberi aliaque facere, que circa premissa necessaria vel oportuna fuerint, valeatis. Contradictores etc. vobis plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Datum Avinione, XIIII kalendas maii, anno tercio.

1655 Avignon, 19 avril 1345.

Abbati Cluniacensi sic indulget ut per biennium sex beneficia ecclesiastica in Coloniensi, Maguntina, Treverensi, Tarantasiensi, Bisuntina, Viennensi, Remensi et Lugdunensi provinciis extra regnum Franciæ sita reservare et monachis sui ordinis conferre valeat. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXXVIII, f° 259.)

Dilecto filio Iterio, abbati monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis. Meritis tuis familiari experiencia nobis notis, inducimur, ut illa te prosequamur gracia, per quam te valeas aliis reddere graciosum. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, reservandi hac vice, auctoritate nostra, sex beneficia ecclesiastica tui Cluniacensis ordinis, ad collationem tuam immediate spectancia, et per monachos tui monasterii Cluniacensis gubernari solita, etiam si beneficia ipsa vel eorum aliqua prioratus vel decanatus etiam conventuales fuerint et curam habeant animarum, etiam si per nos cum interpositione decreti specialiter forent forsitan reservata, in Coloniensi, Maguntina, Treverensi, Tarantasiensi, Bisuntina, Viennensi et eciam in Remensi et Lugdunensi provinciis, extra tamen regnum Francie consistencia, nunc vacancia, vel inantea vacatura, providendi quoque de beneficiis ipsis sex personis ydoneis dicti tui ordinis, et ordinem ipsum expresse professis, quas ad hoc duxeris eligendas, etiam prioratus, decanatus vel beneficia alia cum cura vel sine cura, aut conventualia quecumque obtinentibus singulis eorum videlicet de singulis beneficiis hujusmodi, que singule persone ipse, per se vel procuratores suos, ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam eis vel dictis eorum procuratoribus vacationes illorum innotuerint, duxerint acceptandi, inhibendi insuper successoribus tuis abbatibus dicti monasterii Cluniacensis, qui erunt pro tempore, ne de beneficiis ipsis interim etiam ante acceptationem hujusmodi, nisi postquam sibi constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa voluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac personas ipsas, quibus de hujusmodi beneficiis providendum duxeris, vel procuratores eorum ipsarum nomine, per te vel alium, seu alios, in corporalem possessionem hujusmodi beneficiorum inducendi, ac inductas defendendi, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, easque vel procuratores predictos pro eis faciendi ad eadem beneficia, ut est moris, admitti, sibique de ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores etc.

Non obstantibus etc. facultatem concedimus presentibus post biennium minima valituris. Datum Avinione, XIII kalendas maii, anno tercio.

1656 Avignon, 20 avril 1345.

Episcopo Regensi, physico et familiari suo quædam privilegia concedit. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXXVIIII, f° 260 v°.)

Venerabili fratri Gaufrido episcopo Regensi, phisico et familiari nostro. Grata tue fidelitatis obsequia, que nobis sinceris et devotis affectibus hactenus impendisti et impendere continue non desistis, tua quoque grandia virtutum merita, quibus personam tuam altissimus insignivit, non indigne merentur ut te specialis prerogativa prosequamur favoris. Ut autem benivolenciam nostram, quam ob tuorum exigenciam meritorum erga te gerimus, tibi uberius adesse leteris, volumus tibique tenore presencium concedimus quod tu, quem familiarem nostrum reputavimus hactenus et eciam reputamus, privilegiis, honoribus et favoribus gaudeas, quibus debent familiares nostri gaudere. Datum Avinione, XII kalendas maii, anno tercio.

1657 Avignon, 21 avril 1345.

Regem Franciæ rogat ut castrum de Pestilhaco Amaluino restitui jubeat, licet consules Montis Caprarii huic traditioni adversentur. (Reg. 138, n° M, f° 260.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri Dudum, sicut intelleximus, pretextu rebellionis, quam in castro de Pestilhaco, Caturcensis diocesis, Raymundus Bernardi de Pestilhaco contra gentes regias, ignorante penitus, immo ab illa patria tunc absente, dilecto filio, nobili viro, Amaluino de Pestilhaco, minori etate existente, nato et herede quondam Bertrandi de Pestilhaco dicti castri domini attemptavit, capto et in manu regia posito dicto castro, dilectus filius, inclitus vir, Johannes primogenitus tuus, dux Normanie, cum esset in illis partibus, previa sui consilii deliberatione matura, nostris annuens precibus pro dicto minore de eadem rebellione, ut premittitur, innocente directis, necnon consideratione venerabilis fratis nostri Gaucelini, episcopi Albanensis, cujus idem minor nepos existit zeloque motus justicie, ut locumtenens regius, dictum castrum, cum suis juribus et pertinentiis, memorato minori restituit, et plene deliberari mandavit, remanente tamen ejusdem castri fortalitio in manu regia, quousque prenominatus minor ad etatem legitimam pervenisset; et subsequenter premissa omnia extiterunt per tuam regiam excellenciam ex certa sciencia confirmata, prout in litteris tuis et dicti ducis super predictis confectis plenius dicitur contineri. Et licet senescallus Agennensis, super restitutione ac deliberatione predictis executor per dictum ducem et locumtenentem regium deputatus, in parte restitutionem ac deliberationem prefatas juxta ipsius litteras excutioni mandasset, nihilominus tamen, prout intelleximus, consules ac singulares persone Montiscaprarii, dicte diocesis, dicti minoris emuli, tipo, ut dicitur, malicie et invidie moti, modis et viis quibus possunt, nituntur ordinationem prefatam infringere ac impedire pro posse executionem ejusdem, in dicte ordinationis contemptum et grave dicti Amaluini prejudicium et jacturam. Quocirca regiam excellenciam attencius deprecamur quatenus maliciosis et frustratoriis exclamationibus ac oppositionibus eorumdem, que magis ex tipo invidie, vel antiqui odii fomite, quam fulcimento justicie procedere asseruntur, nequaquam obstantibus, ordinare et mandare velit effectualiter regia celsitudo, quod premissa per eundem ducem, ut premittitur, concessa, et per te, fili dilectissime, confirmata, et in parte per executorem prefatum executioni mandata, suum effectum expeditum et debitum sorciantur. Datum Avinione, XI kalendas maii, anno tercio.

1658 Avignon, 21 avril 1345.

Reginam Franciæ similiter rogat (Reg. 138, n° MI, f° 260 v°.

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Dudum sicut intelleximus, ut supra, usque deprecamur quatinus ut maliciosis et frustatoriis supplicationibus et exclamationibus predictis, que magis ex tipo invidie vel antiqui odii fomite quam fulcimento justicie procedere asseruntur, nequaquam obstantibus, per curiam regiam ordinetur premissa deduci ad realis executionis effectum, velit tua serenitas interponere, prout oportunum extiterit, partes suas, ita quod dictus Amaluinus ex nostris precibus, quantum justicie congruerit honestati, se fructum uberem gaudeat collegisse. Datum ut supra.

1659 Avignon, 21 avril 1345.

Ducem Normanniæ similiter rogat. (Reg. 138, n° MII, f° 261.)

Dilecto filio, nobili viro, Johanni, primogenito carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, duci Normannie. Dudum sicut intelleximus —. Dat. Avinione, XI kalendas maii, anno tercio.

1660 Avignon, 24 avril 1345.

Magistro Hospitalis Sicardum de Muroveteri commendat. (Reg. 138, n° MVI, f° 261 v°.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Dilectum filium Sicardum de Muroveteri, Hospitalis tui Sancti Johannis Jerosolimitani, quem favore paterne dilectionis prosequimur, tue benivolencie propensius commendamus. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno tercio.

1661 Avignon, 26 avril 1345.

Cum Narmandus Raymundi et Jordanus Robioli, in villa de Romanis, Viennensis diœcesis, officiales Sanctæ Sedis contumeliose lesissent qui Pariolum Gebelini deprehenderant, episcopo Valentinensi et Diensi mandat ut inquirat sontesque severe puniat. (Reg. 138, n° MVII, f° 262.)

Venerabili fratri... episcopo Valentinensi et Diensi. Perducto dudum ad nostri apostolatus auditum, quod Narmandus Raymundi, et Jordanus Robioli, et alii nonnulli clerici et laici ville de Romanis, Viennensis diocesis, diversis excessibus ab eis, ut asserebatur, commissis in villa predicta, que tunc nostro et apostolice sedis regebatur nomine, non contenti, cum judex et alii officiales ville predicte, ibidem nostra et dicte sedis auctoritate deputati, Pariolum Gebelini, filium quondam Johannis Gebelini, ejusdem ville habitatorem, ex eo quod ipse in platea communi dicte ville dilectum filium Thellinum de Suffiana, clericum, notarium juratum curie ipsius ville, invaserat, et graviter vulnerarat, capi fecissent et vellent carceri ut de ipso fieret justicia, mancipare, prefati Narmandus et Jordanus, cum mutitudine congregata hominum dicte ville clericorum et laicorum, ad prefatam curiam, eundem sequendo Pariolum, accedentes, suscitatis ibidem tumultu et rumore adversus nostros et dicte sedis officiales predictos, impedire, quominus dictus Pariolus manciparetur carceri, presumpserunt, ac verba obprobriosa et injuriosa suis laxata licentia labiis adversus predictos officiales presumptuosis et temerariis ausibus prorumpendo. Nos nolentes excessus predictos relinquere in aliorum perniciem incorrectos tibi, frater, commisisse meminimus per nostras certi tenoris litteras et mandasse, ut per te vel alium seu alios super predictis omnibus et singulis excessibus et delictis, vocatis evocandis, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii veritatem inquirere, eos, quos reperires culpabiles de eisdem, clericos et laicos, sic secundum qualitatem excessus et delicti cujuslibet, corrigere ac punire mediante justicia procurares, quod eorum debita correctio ceteris talia vel similia molientibus committere in exemplum transiret, sicut in eisdem litteris hec et alia plenius continentur. Cum autem, sicut intelleximus, coram te vel subdelegato a te super hoc deputato, fuerit super premissis, inquisita veritate, diligencius juxta seriem et tenorem litterarum predictarum usque ad sentenciam diffinitivam processum, et aliqui nitantur in dubium vertere, an vigore litterarum ipsarum contra dictum Pariolum super excessu predicto, quem commisisse, sicut narratur superius, asseritur, deberet per te procedi, nos attendentes quod, narratis in eisdem litteris tam dicti Parioli quam aliorum predictorum excessibus, volumus et nostre intentionis extitit super omnibus et singulis veritatem inquiri, et exhiberi justicie complementum, prout seriosius in litteris continetur predictis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super omnibus et singulis supradictis delictis et excessibus exhibere justiciam non postponas. Datum Avinione, VI kalendas maii, anno tercio.

1662 Avignon, 26 avril 1345.

Regem Siciliæ rogat ut pecuniam solvat, quam rex Robertus Rogero de Sancto Vincentio, militi, debebat. (Reg. 138, n°s MVIII-MX, f° 263.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Pro parte dilecti —. Datum Avisione, VI kalendas maii, anno tercio.

Johanne regine Sicilie; —. Sancie regine Sicilie; — Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali.

1663 Avignon, 27 avril 1345.

Regem Siciliæ hortatur ut episcopo Aptensi jura restitui jubeat, quæ dicti regis officiales indebite usurpaverant. (Reg. 138, n° MXI, f° 263.)

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Habet venerabilis fratris nostri Arnaldi, episcopi Aptensis, assertio querulosa, quod breve Bocarie seu dominium ipsius et burgi ejusdem, ac Breve Medianum civitatis Aptensis, et totum castrum Samonis, excepta rupe, teneri et possideri consueverunt ab antiquo in feudum ab episcopo et ecclesia Aptensibus sub certa pensione annua, homagio et fidelitatis juramento ; et nichilominus consules, qui consueverunt esse in civitate predicta, suum consulatum sub dominio episcopi et ecclesie predictorum tenebant, ac preco communis in eadem civitate per episcopum deputabatur Aptensem et sub nomine ipsius preconizationes et edicta publica fiebant ibidem ; et quod licet episcopi Aptenses, qui fuerunt temporibus retroactis, nomine ipsius ecclesie ab antiquis temporibus habuerint usque ad obitum quondam Bertrandi Raybaudi, pro hiis ecclesie memorate vassalli, et possederint pacifice honores et jura predicta, post mortem tamen dicti Bertrandi officiales regii, qui tunc erant, spoliarunt absque cause cognitione alia ecclesiam memoratam, nulla restitutione facta de illis postmodum, vel recompensatione impensa, in eorundem episcopi et ecclesie grave prejudicium et jacturam : quocirca regiam excellenciam rogamus attentius et in Domino exhortamur, quatenus super restitutione de predictis juribus et honoribus eisdem episcopo et ecclesie, sicut rationis equitas exegerit, facienda, vel condecenti recompensatione prestanda pro illis, tam zelo justicie quam divina et apostolice sedis reverencia, te, fili carissime, favorabilem exhibeas et benignum. Datum Avii ione, V kalendas maii, anno tercio.

1664 Avignon, 27 avril 1345.

Reginam Siciliæ pariter hortatur. (Reg. 138, n° MXII, f° 263.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Habet venerabilis etc. ut supra, usque exhortamur quatinus super restitutione de predictis juribus et honoribus prefatis episcopo et ecclesie, sicut rationis fuerit, facienda per officiales tuos comitatus Provincie et Forcalquerii vel decenti recompensatione pro illis prestanda, sic te, filia carissima, tue ac progenitorum tuorum animarum prospiciendo saluti, reddas propiciam, favorabilem et benignam, quod in hac parte Deo et justicie satisfaciat, tuaque possit exinde devotionis prudencia merito commendari. Datum ut supra.

1665 Avignon, 27 avril 1345.

Infrascriptis mandat ut nonnullos clericos et laicos ad restituendum compellant quod Bertrando episcopo Tutellensi debetur. (Reg. 138, n° MXIII, f° 263 v°.)

Venerabilibus fratribus Stephano, Casinensi et Guillelmo, Forojuliensi [episcopis] ac dilecto filio... officiali Lemovicensi. Dudum super multis necessitatum oneribus venerabili fratri nostro Bertrando episcopo et ecclesie Tutellensi incumbentibus, eisdem benigno compatientes affectu et ne ipsorum episcopi et ecclesie negocia possent propter onera hujusmodi subici periculis, providere volentes, eidem episcopo, tunc electo Tutellensi, omnia et singula que de redditibus, proventibus et obventionibus ad mensam suam temporalem spectantibus, que tempore vacationis ejusdem ecclesie per obitum bone memorie Arnaldi episcopi Tutellensis quomodolibet obvenerant, et restabant in illis partibus, seu auditis rationibus legitimis illorum, qui administratores seu vicarii ecclesie predicte aut collectores bonorum ipsorum seu per dilectos filios... capitulum ecclesie prefate vel Sedem Apostolicam deputati fuerunt, quomodolibet reperientur restare debere, necnon omnia et singula bona, que habebat pie recordationis Guido episcopus Tutellensis immediatus predecessor Bertrandi episcopi supradicti, tam in Romana Curia, quam in dictis partibus, de proventibus ecclesie sepedicte, vel aliis rebus suis, memorato Bertrando episcopo remisimus, dedimus et concessimus, volentes, quod tam expensas funerarias, quam alia debita et legata dicti Guidonis episcopi solvere, aliaque sibi et ecclesie sue predicte onera incumbencia exinde una cum redditibus, proventibus ecclesie supradicte, que provenirent, extunc supportare deberet, et nichilominus eidem petendi, exigendi et recipiendi fructus, redditus et proventus ac bona predicta, in quibuscumque rebus consisterent et per quascumque detinerentur seu deberentur personas, per nostras certi tenoris litteras super premissis confectas concessimus, sicut in eis continetur plenius, facultatem. Cum autem,

sicut petitio dicti Bertrandi episcopi nobis exhibita continebat, nonnulli tam clerici regulares et seculares quam laici, qui ad reddendas rationes de bonis, fructibus et obventionibus ejusdem ecclesie, que tempore vacationis predicte obvenisse noscuntur, ac illa et alia bona, [que] ex hujusmodi remissione, donatione et concessione nostra predicta spectant, episcopo prelibato restituenda tenentur, rationes hujusmodi reddere de predictis, et bona predicta sibi restituere minus rationabiliter in ipsius prejudicium et jacturam recusent, nos ejusdem episcopi supplicationi super hiis inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, omnes et singulos clericos et laicos, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, eciam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, quos simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, ad reddendas rationes predictas aut dicta bona solvenda seu restituenda teneri repereritis, rationes ipsas reddi legitimas, bonaque predicta cum integritate persolvi et restitui predicto episcopo vel vicario aut procuratori suo faciatis. Contradictores, etc. Datum Avinione, V kalendas maii, anno tercio.

1666 Villeneuve-les-Avignon, 29 avril 1345.

Infrascriptæ indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXV, f° 316 v°.)

Item in eodem modo, *dilecte in Christo filie Margarite de Pedagio, relicte quondam Roleti Cassardi, vidue Lugdunensis diocesis*. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III kalendas maii, anno tercio.

1667 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Infrascriptæ abbatissæ sic indulget ut a quocumque antistite benedictionis munus recipiat. (Reg. 138, n° DCCCCLXXXXVI, f° 258 v°.)

Dilecte in Christo filie Elixendi, abbatisse monasterii de Jotro, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis. Cum nuper monasterio —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1668 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Cum Raymundus, episcopus Morinensis, quem cardinalium consilium Apostolicæ sedis legatum, post obitum Henrici, patriarchæ Constantinopolitani, in partibus transmarinis deputaverat, nondum iter arripuisset, infrascriptos rogat ut vicelegato, Francisco archiepiscopo Cretensi, obœdiant. (Reg. 138, n° MXV, f° 264. v°)

Dilectis filiis capitaneis et patronis aliis, universis et singulis in unione armate fidelium contra Turchos existentibus. Pridem fidedignis licet —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1669 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani gratias agit quod machinas aliaque opportuna instrumenta pro defendendo castro atque Turcis expugnandis Smirnas miserat et eum rogat ut incepta persequatur et Johannem de Biaudrate, priorem domorum Lombardiæ dicti Hospitalis, adjuvet. (Reg. 138, n° MXVI, f° 265.)

Dilecto filio Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Sicut pridem sinceritati.— Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1670 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345

Andream Dandolo, ducem Venetiarum, pariter rogat. (Reg. 138, n° MXVII, f° 265 v°.)

Dilecto filio nobili viro Andree Dandulo, duci Veneciarum. Sicut pridem nobilitati. — Datum ut supra.

1671 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Reginæ Franciæ nuntiat se ex febre tertiana et rheumate recreatum, ad pristinam sanitatem revocatum esse. (Reg. 138, n° MXVIII, f° 266.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Serenitatis regie litteras, quibus super infirmitate, quam, visitante nos misericordiarum Domino, passi fuimus, hiis diebus preteritis, nobis regalis devotio exhibens pie compassionis affectum, de statu nostro, quem optat audire prosperum, certior effici petiit, recepimus leta manu-

quarum serie deligencius intellecta, super hiis de radice caritatis et devotione filiali manantibus, celsitudini tue regie graciarum referimus uberes actiones, eam volentes serie presentium non latere, quod, licet febre tertiana cum reumate descendente de capite ad maxillas, diebus fuerimus aliquibus pregravati, faciente tamen illius gratia qui castigat quos diligit, et secundum sue voluntatis beneplacitum percutit, vulnerat et medetur, letamur sospitate pristina satis plene, consolati admodum et jocundi, cum de tuo, filia carissima, et tocius domus regie statu felici et prospero rumores nobis placidi referantur. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1672 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Regi Franciæ pariter scribit et ad eum Petrum de Verberia, clericum, responsionis portitorem mox mittet. (Reg. 138, nº MXIX, fº 266 vº.)

Item in eodem modo *carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri*, verbis competenter mutatis, et additis in fine post verbum : Referantur. Ceterum super aliis, que dicte littere continebant, et hiis que durante infirmitate predicta et etiam postmodum celsitudo regia nobis scripsit, eidem per dilectum filium magistrum Petrum de Verberia, clericum, regium vel alium rescribere breviter intendimus seriose. Datum ut supra.

1673 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Archiepiscopum Cretensem vicelegatum in partibus transmarinis deputat. (Reg. 138, nº MXX, fº 266 vº.)

Venerabili fratri Francisco, archiepiscopo Cretensi. Pridem fidedignis licet —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1674 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Corradum Pictamilio de Janua, qui post obitum Martini Zachariæ tanquam capitaneus electus fuerat, rogat ut Smyrnas tutissime tueatur. (Reg. 138, nº MXXI, fº 267.)

Dilecto filio, nobili viro, Corrado Pictamilio de Janua. Pridem fidedignis licet —. Datum ut supra.

1675 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.)

Cum Petrus, episcopus Omissiensis, retulisset quam fideliter et strenue Johannes de Biaudrate, prior domorum Lombardie in partibus transmarinis se gessisset, dicto Johanni officium capitaneatus armatæ generalis committit. (Reg. 138, nº MXXII, fº 267.)

Dilecto filio Johanni de Biaudrate, priori domorum Lombardie Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Quam prudenter, laudabiliter —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1676 Villeneuve-les-Avignon, 1er mai 1345.

Sedis Apostolicæ vicelegatum rogat ut Smyrnas tutissime custodiat, dum aliqui nobiles cum apparatu ad dictam urbem tuendam veniant. (Reg. 138, nº MXXXIII, fº 268.)

Venerabili fratri Francisco, archiepiscopo Cretensi. Sicut in aliis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, kalendis maii, anno tercio.

1677 Villeneuve-les-Avignon, 3 mai 1345.

Infrascripto sic indulget ut unam galeam ad Alexandriam ducere possit. (Reg. 138, nº MXXIV, fº 268 vº.)

Dilecto filio Garino de Castronovo, priori domorum Navarre Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Devotionis et fidelitatis sinceritas —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas maii, anno tercio.

1678 Villeneuve-les-Avignon, 3 mai 1345.

Infrascripto abbati sic indulget ut benedictionis munus ab antistite recipiat. (Reg. 138, nº MLXXXIV, fº 285.)

Dilecto filio Andree, abbati monasterii de Pinayrolio, ordinis Sancti Benedicti, Taurinensis diocesis. Cum nos pridem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V nonas maii, anno tercio.

1679 Villeneuve-les-Avignon, 4 mai 1345.

Isarno de Primilhaco et Guiscardo Comarci canonicatus et

præbendas in ecclesiis Meldensi et Sancti Petri Surgeriarum permutandi auctoritatem dat. (Reg. 138, n° MCCXL, f° 317.)

Dilecto filio Isarno de Primilhaco, canonico Meldensi. Probitatis tue merita, super quibus apud nos commendaris multipliciter, nos inducunt ut personam tuam favore specialis gratie prosequamur. Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quod tu dudum canonicatum et prebendam ecclesie Sancti Petri Surgeriarum, ac capellanias perpetuas per quondam Aymericum Meschini presbiterum, in Sancti Crispini, nec non per quondam Theofafam de Xanctonio et quondam Johannem de Pictavis laicum in Sancti Martini de Talnayo supra Volturnum, parrochialibus ecclesiis, Xanctonensis diocesis, fundatas et dilectus filius Guiscardus Comarci canonicatum et prebendam ecclesie Meldensis, quos tunc obtinebatis, desiderantes ex certis causis rationabilibus invicem permutare, illos ex causa permutationis hujusmodi libere resignastis, et deinde tibi de dictis Meldensis, et eidem Guiscardo de Sancti Petri ecclesiarum canonicatibus et prebendis, ac capellaniis antedictis, auctoritate ordinaria provisione facta, tu earundem Meldensis, dictus vero Guiscardus de Sancti Petri canonicatuum et prebendarum, ac capellaniarum predictarum fuistis possessionem pacificam assecuti, illosque tenetis et possidetis pacifice et quiete. Cum autem de novo, ex quibusdam tibi relatis, dubites, si prenominatus Guiscardus plenum jus non haberet tempore dicte permutationis in canonicatu et prebenda ecclesie Meldensis predicte, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi tueque consciencie de benignitate apostolica super hiis dignaremur. Nos igitur, supplicationi tue hujusmodi benignius annuentes, permutationem predictam ratam et gratam habentes, eam et que inde secuta sunt, ut premittitur, approbamus, et auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus, volentes tibique auctoritate concedentes predicta, quod eosdem canonicatum et prebendam ipsius ecclesie Meldensis quos, ut prefertur, pacifice obtines, premissis seu quibusvis reservationibus per nos vel predecessores nostros Romanos Pontifices de illis hactenus factis non obstantibus, licite valeas retinere. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas maii anno tercio.

1680 Villeneuve-les-Avignon, 4 mai 1345.

Præbendarum permutationem, quam Johannes Assolendi, canonicus ecclesiæ Sancti Genesii Claromontensis et Guillelmus Chalveti, vicarius in ecclesia de Lodersa fecerant, confirmat. (Reg. 138, n° MCCXLI, f° 317 v°.)

Dilecto filio Johanni Assolendi, canonico ecclesie Sancti Genesii Claromontensis. Ex meritis tue —. Datum ut supra.

1681 Villeneuve-les-Avignon, 4 mai 1345.

Abbati de Ursicampo similiter indulget.

(Reg. 138, n° MLXXXV f° 289 v°.)

In eodem modo, *dilecto filio Petro, abbati monasterii de Ursicampo, ordinis Cisterciensis, Noviomensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas maii, anno tercio.

1682 Villeneuve-les-Avignon, 4 mai 1345.

Infrascriptum rogat ut peregrinos transeuntes, nec non illos, qui ad partes transmarinas contra Turcos proficiscuntur, tueatur. (Reg. 138, n° MXXV, f° 269.)

Dilecto filio Bertucio Acontado de Veneciis, laico Castellane diocesis. Expediens admodum reputamus —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas maii, anno tercio.

1683 Villeneuve-les-Avignon, 4 mai 1345.

Infrascripto indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n° MCCXXXVI, f° 316 v°.)

Item in eodem *modo dilecto filio, nobili viro, Petro Olrici, militi, Mirapiscensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas maii, anno tercio.

1684 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Cum Garinus de Castro Novo, prior domorum Navarræ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, nonnullas naves in Ripparia Januensi et Saonensi pro negotio transmarino conduxisset, quarum Raymundus Marquesani, civis Niciensis, erat patronus, infrascriptos rogat ut dictum Raymundum represaliarum seu marcharum causa contra Provinciales in debite incarcere inclusum liberent. (Reg. 138, n° MXXVI, f° 269.)

Dilectis filiis... potestati et rectoribus civitatis Saonensis ac Petro Layni et Aufreono de Raynaldo, civibus Saonensibus. Exposuit nobis dilectus filius Garinus de Castronovo, prior domorum Navarre Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, quod cum ipse quasdam galeas pro negocio Dei et fidei catholice, quod contra Turchos ejusdem fidei et fidelium crudeles persecutores et hostes presentialiter in partibus transmarinis geritur, necessarias ordinasset et mandasset de beneplacito nostro in Ripparia Januensi et Saonensi parari, et ad hoc dilectum filium Raymundum Marquesani, civem et clericum Niciensem, velut patronum galearum ipsarum ad partes easdem spetialiter destinasset, ad vestram, filii Petre et Aufreone, instanciam, pretextu quarumdam represaliarum seu marcharum, quas contra Provinciales habere dicimini, prefatus Raymundus per vos, filii potestas et rectores, extitit arrestatus et detentus, quousque ad summam trium milium librarum Januinorum prestitit cautiones. Cum autem represalie, in quibus alius pro alio pregravatur, sint equitati naturali et juri contrarie, sicque minus propter eas non debeat tale tamque pium negocium quomodolibet impediri, vos rogamus, requirimus attencius et hortamur quatinus eundem Raymundum et fidejussores suos predictos sic a predictis arresto et fidejussione liberare curetis quod ipse in prosecutione dicti negocii propterea nequeat impedire, nosque proinde commendare devotionis vestre prudentiam merito valeamus, alias autem cogemur procul dubio eidem Raymundo de oportuno remedio, prout juris et rationis suaserit equitas, providere. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas maii, anno tercio.

1685 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Episcopo Saonensi mandat ut interveniat. (Reg. 138, n° MXXII, f° 269 v°.)

Venerabili fratri... episcopo Saonensi. Nuper dilectus filius. — Datum ut supra.

1686 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Regem Franciæ rogat ne Benedictus Brossardi, commissarius a Curia regia deputatus, episcopum Vivariensem, spreta compositione antea facta, de cetero vexet. (Reg. 138, n° MXXVIII, f° 270.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Insinuatione venerabilis fratris nostri... episcopi et dilectorum filiorum capituli ecclesie Vivariensis percepto, quod quidam commissarius, vocatus Benedictus Brossardi, super requirendis financiis a Curia regia deputatus, eosdem episcopum et capitulum ac ecclesias et personas ecclesiasticas, infra terras ipsorum episcopi et capituli subjectas temporali dominio, consistentes, super prestandis financiis de bonis et rebus ab eis in terris predictis acquisitis, contra formam et tenorem cujusdam compositionis, transactionis olim inter clare memorie regem Francie, ac episcopum et capitulum ipsius ecclesie, qui tunc erant, inite, ut asseritur, non auditis nec admissis eorum rationibus legitimis super hiis, gravare multipliciter nititur et etiam molestare, regiam excellentiam attencius deprecamur quatenus dare velit eidem commissario regia sublimitas in mandatis, ut eosdem episcopum et capitulum, ecclesias et personas in suis juribus et rationibus audiat, ipsosque contra formam dicte compositionis seu transactionis indebite de cetero non molestet, revocando nichilominus que minus rationabiliter fuerint in contrarium attemptata, seu memoratos episcopum, capitulum et personas audiri per gentes regias Parlamenti super predictis plene faciat et justiciam exhiberi, interim molestationibus cessantibus supradictis, sic te benigne circa hec, fili carissime, pro divina et Apostolice Sedis reverentia habiturus, quod a Deo, retributore bonorum omnium, mercedis perhennis premium consequaris. Datum ut supra.

1687 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Infrascripto de exactis a Bonacursi pecuniis scribit. (Reg. 138, n° MXXX, f° 270.)

Dilecto filio Petro Vitalis, primicerio ecclesie Lucane, in partibus Tuscie nostro et apostolice Sedis nuncio. Relatu percepimus fidedigno —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas maii, anno tercio.

1688 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Fratres de Montecarmelo rogat ut in generali capitulo certa statuta constituant et Deum pro pace orent. (Reg. 138, n° MXXXI, f° 270 v°.)

Dilectis filiis generali, ceterisque prioribus et fratribus,

ordinis Beate Marie de Montecarmelo, in generali eorum capitulo celebrando in proximo Mediolani congregandis. Ad ordinem vestrum intra —. Datum ut supra.

1689 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Luchinum de Vicecomitibus rogat ut pro liberando Paulo de Adicheriis, milite Parmensi, deprecetur qui a Mantuanis captus fuerat, dum in comitiva Opizonis marchionis Estensis incedebat. (Reg. 138, n° MXXXII, f° 271 v°.)

Dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus, in civitate, comitatu et districtu Mediolanensi nostro et ecclesie Romane vicario. Cum sicut intelleximus —. Datum ut supra.

1690 Villeneuve-les-Avignon, 6 mai 1345.

Scriptori infrascripto sic indulget ut fructus duos beneficiorum percipere possit, non obstante quod scriptor sit. (Reg. 138, n°s MXXXIV-XXXV.)

Dilecto filio magistro Alcherio de Lavate, canonico ecclesie Nivellensis, Leodiensis diocesis, scriptori et familiari nostro. Grata tue familiaritatis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II nonas maii, anno tercio.

Judicibus. Mandamus quatinus vos.

1691 Villeneuve-les-Avignon, 5 mai 1345.

Episcopum Carnotensem, nuntium in partibus Lombardiæ, qui scire debet quid agendum, rogat ut operosam diligentiam adhibeat, indutias indicendo. (Reg. 138, n° MXXXIII, f° 271 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Carnotensi, Apostolice Sedis nuncio. Fraternitatis tue receptis —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III nonas maii, anno tercio.

1692 Villeneuve-les-Avignon, 7 mai 1345.

Gum Garinus de Castronovo, prior domorum Navarræ Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, pro negotio transmarino et defensione fidelium in Romania contra Turchos, quatuor galeas cum multis rebus necessariis sub patronatu seu ducatu Ramundi Barengarii, prioris domus de Castrisarraceni, ejusdem Hospitalis, Montisalbane diocesis, et Ramundi Marquesani Niciensis ac Gabrielis Cathani Januensis mittat ad dictas partes, infrascriptos episcopos rogat ut dictis patronis de securo conductu provideant. (Reg. 138, n° MCV, f. 295.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis etc. ut supra, usque pervenerint. Cum dilectus filius —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, nonis maii, anno tercio.

1693 Villeneuve-les-Avignon, 9 mai 1345.

Abbatem Casæ Dei rogat ut Stephanum Lachassanha, priorem prioratus de Capella Bertrandi, Pictavensis diœcesis, O. S. B. adjuvet, qui mortem fratris sui Roberti, monachi dicti ordinis, persequitur, et ei mandat ut pro dicta persecutione pecuniam conferat. (Reg. 138, n° MXXXVI, f° 272 v°.)

Dilecto filio Rigaldo, abbati monasterii Casedei, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Etsi expediens utilitati et honestati rei publice, quod maleficia impunita non remaneant, existere admodum dinoscatur, circa correctionem tamen illorum, que in personas religiosorum et honestorum virorum temerariis committuntur ausibus, esse procul dubio creditur, presertim ab illis, quorum interest, tanto solercius insistendum, quanto ipsa maleficia in graviorem Dei offensam et religionis contumeliam redundare dubium non existit. Sane, sicut intelleximus, dudum quidam viri sceleratissimi, crudeles et impii, diabolico exagitati spiritu, in quondam Robertum Lachassanha, monachum et procuratorem tum tui monasterii, manus inicientes violentas et sacrilegas, eum, omni humanitate postposita et timore retrojecto divino, morte horribili trucidarunt. Cum autem dilectus filius Stephanus Lachassanha, monachus ejusdem monasterii, prior prioratus Capelle Bertrandi, predicti ordinis, Pictavensis diocesis, ejusdem defuncti germanus, non sine variis laboribus et expensis diutius, ut de hujusmodi horribili homicidio fieret complementum justicie, laborarit, et adhuc que potest diligencius elaboret, quanquam ad hoc sue sibi cum aliis eidem incumbentibus oneribus non suppetant facultates, nos attendentes, quod dictum tuum monasterium et ejus membra, in quorum contumeliam et opprobrium scelus mortis dicti defuncti monachi patratum extitit, premissa contingere non mediocriter dinoscuntur, discretionem tuam requirimus attencius et hortamur quatenus, ne propter defectum prosecu-

tionis dicti negocii subcumbat in hac parte justicia, nec delinquentium impunitas aditum tribuat aliis delinquendi, de bonis monasterii et membrorum predictorum taliter sicque celeriter super prosecutione hujusmodi negocii facias subveniri, quod utilis et debita ejusdem negocii posset usque ad debitum exitum continuari prosecutio, et tua debeat apud nos discretio merito commendari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VII idus maii anno tercio.

1694 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Cum Guillermus, prior prioratus conventualis de Caritate, Cluniacensis ordinis, Autissiodorensis diœcesis, episcopatui Lingonensi præfectus fuisset, supradictum prioratum Ottoni, abbati monasterii Sancti Petri ad Montes, Cathalaunensis diœcesis, jure commendæ, confert. (Reg. 138, n° MXLII, f° 274 v°.)

Dilecto filio Othoni, abbati monasterii Sancti Petri ad Montes, Cathalaunensis diocesis. Circa personam tuam ex eo gerentes intime caritatis affectum, quod tu, erga obsequia sedis apostolice ferventer intendens, te nobis et eidem sedi acceptum merito reddidisti, libenter in hiis, que tam tuis quam piorum locorum necessitatibus et commodis profutura esse conspicimus, nos benignos et favorabiles exhibemus. Nuper siquidem ecclesie Lingonensi, tunc vacanti, de persona venerabilis fratris nostri Guillermi, episcopi Lingonensis, nobis et fratribus nostris suorum exigentia meritorum accepta, de fratrum ipsorum consilio, auctoritate apostolica, duximus providendum, preficiendo eum illi in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius sibi [in] spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Cum autem prioratus conventualis de Caritate, Cluniacensis ordinis, Autisiodorensis diocesis, quem dictus Guillermus tempore promotionis hujusmodi obtinebat, per hujusmodi promotionem et consecrationis munus de mandato nostro apud Sedem apostolicam impensum eidem, apud Sedem ipsam vacaverit et vacare noscatur ad presens, nos attendentes quod nullus preter nos hac vice de dicto prioratu disponere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi ejusdem prioratus, omnes prioratus, dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclsiastica tunc apud dictam sedem quocumque modo vacancia et inantea vacatura, collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis et quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, ac attendentes tam tuis necessitatibus quam ipsius prioratus vacantis utilitatibus providere, eundem prioratum sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi usque ad dicte sedis beneplacitum in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica commendamus, plenam et liberam administrationem, et regimen ipsius prioratus per te vel alium seu alios exercendam, tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, jure... abbatis, qui est pro tempore, et monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, cui dictus prioratus esse dicitur immediate subjectus, in omnibus semper salvo, ac si intitulatum prioratum teneres eundem, alienatione nihilominus bonorum immobilium ipsius prioratus tibi penitus interdicta. Volumus autem quod cultus divinus in eodem prioratu propter hujusmodi commendam nullatenus diminuatur, sed solitus ibi ministrorum et monachorum numerus observetur, quodque, debitis et consuetis dicti prioratus oneribus supportatis, de residuis fructibus, redditibus et proventibus ipsius prioratus libere disponere valeas, prout poterant ipsius prioratus priores, qui pro tempore extiterunt. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus maii, anno tercio.

1695 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Infrascriptum conventum rogat ut dicto Ottoni obœdiant. (Reg. 138, n° MXLIII, f° 275 v°.)

Dilectis filiis conventui prioratus de Caritate, Cluniacensis ordinis, Autisiodorensis diocesis salutem, etc. Circa personam etc... ut in alia usque vel imposterum contingeret attemptari. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eidem Othoni abbati, hujusmodi durante commenda, in omnibus, que ad curam et administrationem ipsius prioratus in eisdem spiritualibus et temporalibus spectare noscuntur, devote intendere ac humiliter obedire curetis : alioquin sentenciam, quem idem Otho per se vel alium seu alios rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

1696 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Ut inter Castellam et Franciam fœdus confirmetur, regem Castellæ rogat ut filium filiæ e regia Galliæ stirpe oriundæ collocet. (Reg. 138, n° MXXXVII, f° 273 v°.)

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri. Dudum, cum status inferior nos haberet, morantes in partibus gallicanis et carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris consiliaritatis obsequiis tunc temporis insistentes, gaudenter et placibiliter admodum audivisse memininus et scivisse utiles et honorabiles confederationes et amicitias initas inter te, carissime fili, et eundem regem invicem et contractas. Cum itaque hujusmodi confederationes et amicicie, velut honeste et accommode, firmiter et fideliter ex tunc observate, quod delectabiliter referimus, extiterint hinc et inde, pro eisque corroborandis solidius et firmius inposterum observandis, prefatus rex ad tractandum matrimonium inter dilectum filium, nobilem virum, Petrum, primogenitum tuum et unam de filiabus dilecti filii, nobilis viri, Johannis ejusdem regis Francie primogeniti, ducis Normannie, invicem, actore Domino, contrahendam, suos nuncios ad tue celsitudinis presenciam duxerit destinandos, regalem tuam excellenciam deprecamur quatinus bona innumera ex hujusmodi matrimonio, si Deus illud perfici dederit, provenientia premeditans et intra pectoris claustra regii diligenter revolvens, ad illud mentem regiam favorabiliter et benivole dirigas et inclines. Et si nimis tenera et puerilis etas filiarum ducis predicti tue voluntatis in hac parte beneplacito, attenta etate adolescentiori dicti primogeniti tui forsitan repugnaret, velit tua sublimitas de quadam alia nata inclite memorie... regi, Navarre, jam adulta satis et apta vel alia ydonea de domo et propinquo genere dicti regis assumenda in uxorem tuo dicto primogenito, tractatum recipere vel perficere cum nunciis antedictis, ut amor honoris et honestatis, qui hactenus inter tuam et Francie domos inclitas regias viguit et viget continue, unione indissolubili stabiliatur solidius et firmetur, quequidem grata quamplurimum nostris accedent affectibus et accepta. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, VI idus maii, anno tercio.

In e. mo. *Carissime in Christo filie Marie, regine Castelle illustri.*

1697 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Quo melius inter Franciam et Castellam unio firmetur, infrascriptum hortatur ut puellam e regia Franciæ stirpe oriundam in matrimonium ducat. (Reg. 138, n° MXXXIX, f° 274.)

Carissimo in Christo filio, nobili viro, Petro, carissimi in Christo filii nostri Alfonsi regis Castelle illustris primogenito. Frequenter audivimus, fili, recitari et audivimus etiam incessanter confederationes et amicicias, que viguerunt inter domos Castelle et Francie regias et bona innumera, que provenerunt ex illis. Cupientes igitur confederationes et amicicias hujusmodi continuari feliciter et augeri, gratum nobis accedet affectibus admodum et acceptum, si tractatus super matrimonio inter te ac unam de filiabus dilecti filii, nobilis viri, Johannis, primogeniti carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris, ducis Normannie, vel aliam de domo et genere dicti regis Francie contrahendo, pro quo rex ipse suos nuncios ad carissimum in Christo filium nostrum Alfonsum, regem Castelle illustrem, genitorem tuum, destinavit, ad felicem et votivum exitum deducatur. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et attencius in Domino exhortamur quatinus ad solidandas et indissolubili uncione firmandas confederationes et amicicias supradictas, ex quibus, ut prefertur, bona provenerunt hactenus multiplicia et utrique domui predicte provenire poterunt in futurum, tractatui predicto et ejus perfectioni votive cum voluntate ac beneplacito genitoris et genitricis tuorum consensum tribuas et applices placibiliter mentem tuam, de nobis, qui te favore dilectionis paterne intra precordia nostra gerimus, fiduciam habiturius quod tuis honoribus et commodis libenter, quantum cum Deo per nos fieri poterit, intendemus. Datum ut supra.

1698 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Egidio Albornoz, archiepiscopo Toletano, super dicto negotio scribitur. (Reg. 138, n° MXL, f° 274.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Toletano. Attentis variis honoribus et commodis, que Francie ac Castelle domibus regiis ex confederacionibus et amiciciis mutuis initis et contractis invicem et fideliter observatis hactenus provenerunt, desiderabiliter affectamus easdem confederaciones et amicicias unione indissobuli roborari ; propter

quod carissimis in Christo filiis nostris Alfonso regi et Marie regine Castelle illustribus ac dilecto filio, nobili viro, Petro, eorum primogenito, scribimus, juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa, fraternitatem tuam rogantes et hortantes attente quatinus, litteras nostras eisdem regi et regine ac primogenito inde directas, quas tibi cum presentibus mittimus, eis presentare procurans, ut negocium, super quo scribimus, felicem et votivum exitum sortiatur, sic partes tue solicitudinis efficaciter interponas, quod nos devotionem et circumspectionem tuam exinde commendare merito valeamus.

Datum ut supra.

1699 Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Archiepiscopo Remensi super dicto negotio scribitur. (Reg. 138, n° MXLI, f° 274 v°.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Remensi. Ecce quod carissimis in Christo filiis nostris Alfonso regi et Marie regine Castelle illustribus ac dilecto filio, nobili viro, Petro, eorum primogenito necnon Egidio, archiepiscopo Tholetano per diversas litteras scribimus, juxta formas quas cedula continet presentibus interclusa. Ideoque si prefatum archiepiscopum favorabilem super negocio, de quo agitur, repereris et tibi juxta statum et qualitatem ipsius negocii expediens videatur quod per ipsum fiat presentatio litterarum ipsarum, illas presentandas assignes eidem : alioquin eas, prout et sicut tue circumspectioni videbitur, presentare procures, circa prosecutionem ejusdem negocii, juxta datam a Deo tibi prudenciam, adhibiturus diligenciam operosam, nobisque rescripturus que circa hec egeris et videris nuncianda. Datum ut supra.

1700 Villeneuve-les Avignon, 11 mai 1345.

Cum Hugo de Baucio, senescallus comitatuum Provinciae et Forcalquerii, Bettum Asquini, clericum Lucanum, commorantem in civitate Massiliensi, capi jussisset et in carcerem conjici, archiepiscopo Aquensi mandat ut dictum Bettum, tanquam clericum, repetat. (Reg. 138, n° MXLIIII, f° 275 v°.)

Venerabili fratri Armando, archiepiscopo Aquensi. Nuper dilectus filius Vannellus Asquini, civis Lucanus, habitator civitatis Massiliensis, nobis sua querulosa petitione monstravit, quod, anno preterito et mense maii, dilectus filius, nobilis vir, Hugo de Baucio, comes Avellini, senescallus comitatuum Provincie et Forcalquerii, existens in civitate Aquensi, dilecto filio Betto Asquini, clerico Lucano, tunc in civitate Massiliensi commoranti, scripsit per suas litteras, rogando Bettum eundem ut, cum idem senescallus super aliquibus negociis regiis vellet informari cum ipso, accedere ad suam presentiam procuraret, quod cum idem clericus bona fide fecisset et esset in eadem civitate Aquensi, senescallus predictus eundem Bettum, clericum, tonsuram et vestes deferentem publice clericales, fecit capi et incarcerari, subicique atrocibus questionibus et tormentis. Hiis igitur ad noticiam prefati Vannelli, fratris germani clerici predicti deductis, ipse Vannellus ad memoratum senescallum et curiam suam se conferens, et causas ac processus, pro quibus dictus clericus frater suus detinebatur sicque atrociter tractabatur, requirens, nichil penitus scire potuit cum senescallo et curia supradictis, propter quod te tuamque Curiam cum instancia requisivit, ut prenominatum clericum infra tue jurisdictionis ecclesiastice limites, per curiam secularem, ut prefertur, detentum, tibi et curie tue predicte restitui cum effectu requireres pro faciendo de ipso justicie complementum. Et licet, ut eadem peticio subjungebat, de clericatu dicti Betti tibi fides facta fuerit, sicut fieri poterat et debebat, tu tamen et curia tua predicta, vos super premissis negligentes reddidistis nimium et remissos, propter quod idem Vannellus, tanquam conjuncta persona prelibati clerici ad Sedem Apostolicam asseritur appellasse, nostre igitur provisionis remedio super predictis humiliter implorato, fraternitati tue per apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatenus, si tibi de clericatu dicti Betti sit, ut premittitur, facta fides, vel erat tempore captionis predicte in possessione clericatus, tonsuram et vestes deferens clericales, secundum sanctiones canonicas per prefatum clericum ab eodem senescallo, vel ejus curia seu quibuscumque detentoribus, per te vel alium seu alios, repetere, tibique restitui facere non postponas, censuram ecclesiasticam adversus contradictores vel rebelles, super hiis, appellatione postposita, prout juris ratio suadet, nihilominus exercendo ; te taliter super hiis habiturus quod potius valeas commendari de diligencia, quam de negligencia in tui status periculum redargui et puniri. Cum autem prefatus clericus tibi restitutus fuerit, tam prefato senescallo quam quibuscumque aliis de ipso conque-

rentibus, et alias, prout de jure debebit fieri, ministrare complementum justicie non postponas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus maii, anno tercio.

1701 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Regi Franciæ de negotio Johannem ducem Brabantiæ tangente respondet. (Reg. 138, n° MXLV, f° 276 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Quid et quomodo factum fuerit super negocio tangente dilectum filium, nobilem virum, Johannem, Ducem Brabancie, pro quo dilectus filius magister Petrus de Verberia, clericus, secretarius regius, novissime ad nostram presenciam fuit missus, idem clericus et venerabilis frater noster Petrus, episcopus Claromontensis, et dilecti filii, nobilis vir, Ludovicus de Pictavia, et magister Firminus de Coquerello, decanus ecclesie Parisiensis, regii consiliarii, explicare seriosius poterunt regie celsitudini viva voce. Licet autem aliqua difficilia videantur, tamen discussis omnibus negocium predictum tangentibus, et quia fieri aliud non potuit, ea, considerata diligenter qualitate presentis temporis, credimus honoribus et comodis regiis expedire. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus maii, anno tercio.

1702 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Nuntii regis Franciæ, videlicet episcopus Claromontensis, Ludovicus de Pictavia, Firminus de Coquerello et Petrus de Verberia, qui Parisius revertuntur, regi apertius explanabunt quid Edwardus rex Angliæ cogitet. (Reg. 138, n° MXLVI, f° 276 v°.)

Eidem Regi. Ea que... nuncii nostri, quos ultimo misimus in Angliam, ad nostram hiis diebus presenciam redeuntes, se retulerunt gessisse, queve carissimus in Christo filius noster Edwardus, rex Anglie illustris, super eis per suas litteras nobis scripsit, nec non occasiones quas ad guerram movendam et non servandas treugas videtur assumere rex predictus, venerabilis frater noster Petrus, Claromontensis episcopus, et dilecti filii, nobilis vir, Ludovicus de Pictavia ac magistri Firminus de Coquerello, decanus ecclesie Parisiensis ac Petrus de Verberia, clericus, consiliarii regii super hiis plenius informati, quibusque copiam scripturarum, quas super predictis dederunt nobis dicti nuncii, assignari fecimus, excellentie regie referre ac explicare seriosius poterunt viva voce. Datum ut supra.

1703 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Iidem nuntii habitum Ludovici de Bavaria regi Franciæ explanabunt. (Reg. 138, n° MXLVII, f° 276 v°.)

Eidem Regi. Regiam volumus excellenciam non latere quod, licet nos propter salutem animarum et obtentu precum regiarum nobis pro Ludovico de Bavaria sepius directarum, reconsiliationem ipsius ad unitatem sancte matris ecclesie, a qua suis detestandis delictis enormissimis, tanquam membrum infectum et putridum, est exclusus, optavissemus sinceris desideriis et adhuc cum justicia tamen ac honore Dei et ecclesie totiusque cetus fidelium desideremus ferventer, ipseque sepius devotionem confingens, ad eandem reconsiliationem et unionem se velle redire, sicut premissum est, asseru (ru) erit, sicut rei probat exitus, fraudulenter, et nos quod in nobis erat super hiis, expectando cum de mansuetudine sedis apostolice, sicut regalem ignorare non credimus celsitudinem, fecerimus bona fide, ipse tamen, missis nobis novissime litteris et nunciis, quasi nichil respectu illorum que antea nostro et predecessorum nostrorum temporibus promiserat, obtulit, sed potius tanquam in profundum malorum et laqueum disperationis demersus, omnino videtur divertere, quo ad reconsilationem hujusmodi ab inceptis nobis et Sedi deludendo predictis, super quibus omnibus venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis et dilecti filii, nobilis vir Ludovicus de Pictavia, ac magistri Firminus de Coquerello decanus ecclesie Parisiensis, et Petrus de Verberia, consiliarii regii, per nos instructi plene super hiis, quibus copiam articulorum a nobis per nuncios dicti Ludovici petitorum dedimus, sublimitatem regiam reddere poterunt vive vocis oraculo certiorem. Datum ut supra.

1704 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Iidem nuntii regi Franciæ explanabunt quid de negotio transmarino Sancta Sedes sentiat. (Reg. 138, n° MXLVIII, f° 277.)

Eidem Regi. Sicut pridem magnificentie regie scripsisse recolimus, nos audita morte bone memorie Henrici patriarche Constantinopolitani, Apostolice Sedis in parti-

bus transmarinis legati, et quondam Martini Zacharie galearum nostrarum capitanei, ut Dei negocium, feliciter contra hostes fidei Christiane in partibus illis inceptum, destitutum nullatenus remaneret, et ad consolationem fidelium laborancium in eodem, venerabilem fratrem nostrum Raymundum, episcopum Morinensem, legatum ejusdem sedis in partibus predictis, et dilectum filium, nobilem virum, Bertrandum de Bautio, galearum predictarum capitaneum duximus deputandos. Et licet ipsi parati essent ad partes easdem arripere iter suum, nosque super hiis multis magnatibus et aliis earundem parcium scripsissemus, intellecto tamen per litteras regias nobis missas, quod tibi eosdem episcopum et militem ad partes predictas remotas accedere non placebat, mox permisimus ut ipsi se tuis in hac parte beneplacitis coaptarent, sciturus, fili carissime, quod indulgencias, quas ad partes predictas in subsidium fidelium ibidem degencium accedentibus concessimus, ad illos de regno tuo expresse volumus non extendi, nec nobis placet nec placuit, quod aliqui de dicto regno, hiis temporibus quibus de commotionibus guerrarum timetur, illuc iverint sive vadant. Cum autem intellexerimus, per litteras regias nobis missas, quod aliqui nisi sunt auribus regiis instillare, armatam, quam mittendam in subsidium fidelium et ad repressionem Turchorum infidelium predictorum ordinavimus, magis in dampnum christianitatis, quam comodum, quia propter eam erant infideles predicti commoti amplius solito adversus Christicolas, redundabat, excellenciam regiam volumus pro certo tenere, quod talia veritate minime fulciuntur. Certum quidem est quod Turchi blasphemi et persecutores crudeles nominis Christiani, adeo dure fideles populos in Romanie aliisque circumvicinis transmarinis partibus commorantes, veniendo etiam usque ad terras dilecti filii, nobilis viri, Roberti, principis Achaye, nepotis tui, molestare ceperant, ac eciam devastare, quod Christianis in vastitate hostili positis, et per ignis incendia et rapinas atroces bonis suis spoliatis, alii per eosdem Turchos ducebantur captivi et ut pecudes vendebantur, et ad abnegandam fidem Catholicam in nostri Salvatoris contumeliam proh dolor! cogebantur, aliqui vera subiciebantur tributarie servituti, sicque dicti hostes se in tante presumptionis audaciam erexerant et audacius erigebant, quod nisi habuissent resistenciam, quam eis fecit armata predicta fidelium illuc missa, non solum nomen Chritianitatis, ut habet fidedignorum opinio, de illis extinxissent partibus, sed forsan (usque) ad ignominiosam Christianitatis confusionem usque Neapolim processissent et ultra, propter quod nos audito litterali et verbali clamore populi Christiani, tam in Romania, quam in Cipro, et Rodo aliisque circumvicinis partibus commorantis, et tacti ex tanta ipsius populi miseria dolore cordis intrinsecus, paterna nos coegit pietas et debitum officii pastoralis induxit, ut super tot et tantis ejusdem populi afflictionibus eis provideri de aliquali defensionis et consolationis remedio curaremus. Ideoque regalis circumspectio ponderet et discutiat diligenter, si nos decuit, immo necessarium fuerit armatam ordinare predictam, talibus suggestionibus, veritatis fundamento carentibus, non accomodando de cetero regia sublimitas credulas, quesumus, aures suas; de hiis autem venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis, et dilecti filii, nobilis vir Ludovicus de Pictavia, ac magistri Firminus de Coquerello, decanus ecclesie Parisiensis, et Petrus de Verberia, clericus, consiliarii regii, veraciter informati, efficere poterunt celsitudinem regiam vive vocis oraculo certiorem. Verum quia a nonnullis reputabatur honoribus conveniens regiis, si tale tamque pium negocium dirigeretur et duceretur per episcopum Regni sui, et de suo consilio existentem, videat regalis providencia si decentius existeret quod prefatus episcopus, qui proficiscendi ad partes transmarinas predictas licenciam a te alias obtinuisse asseruit, et nunc ad tue celsitudinis redit presenciam, ad partes supradictas accederet, maxime quia super hoc zelum ferventis devotionis ostendit. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus maii, anno tercio.

1705. Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Pœnitet quod administrationem regni Siciliæ reginæ commiserit et regi Franciæ de tractatu quodam inter Angliæ et Siciliæ reges scribit. (Reg. 138, n° MXLIX, f° 278.)

Eidem Regi. Dudum tuis, fili carissime, receptis litteris, per quas celsitudo regia nos rogabat, ut administrationem regni Sicilie et terrarum citra Farum ad nos et ecclesiam Romanam pro certo spectantem tempore, carissime in Christo filie nostre Johanne regine Sicilie illustri remittere dignaremur, nos, hujusmodi precibus inclinati, eandem administrationem dicte regine remisimus de gracia speciali, et per dilectum filium nostrum

Aymericum tituli Sancti Martini in Montibus presbiterum cardinalem, Apostolice Sedis legatum, cui erat per nos administratio ipsa commissa, mandavimus remittendam, et forsan fuisset expediens quod facta hujusmodi remissio non fuisset, quia regina predicta, sicut intelleximus, ad alienationes multas de juribus et bonis dicti regni, quamvis per litteras nostras eidem sit interdictum, processit, nec vult admittere carissimum in Christo filium nostrum Andream regem Sicilie illustrem, virum suum, ad administrationem aliquam, ex quo turbatur status dicti regni; quamobrem videretur honoribus tuis non modicum convenire, quod eidem regine, nepti tue, que sibi suisque honori et decentie sint in hac parte utilia et congrua, suaderes. Rursus quedam, que de contrahendis ligis inter Anglie et Sicilie reges series cujusdam cedule continebat, percepimus esse vera. Sed non de dicto Andrea rege Sicilie, sed de illo insule Sicilie detentore, audivimus tamen postmodum quod tractatus inceptus super deductus non extitit ad effectum, et pro certo teneat tua regia celsitudo, quod detentor predictus, qui ad nos misit suos nuncios, nec nos reperit propter tractatum hujusmodi, nec reperiet super suis negociis magis promptos; de premissis autem venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis et dilecti filii, nobilis vir, Ludovicus de Pictavia, et magistri Firminus de Coquerello et Petrus de Verberia, consiliarii regii, excellenciam regiam poterunt informare plenius viva voce. Datum ut supra.

1706 Avignon, 11 mai 1345.

Nuntio in Anglia sic indulget ut super votis de visitando limina apostolorum emissis dispensare possit. (Reg. 138, n° ML, f° 278 v°.)

Dilecto filio Ramundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie apostolice Sedis nuncio. Relatu fidedigno nuper —. Datum Avinione, V idus maii, anno tercio.

1707 Avignon, 11 mai 1345.

Edwardo, domino de Bellojoco, qui contra Turcos strenue se gesserat, gratulatur. (Reg. 138, n° MLI, f° 278 v°.)

Dilecto filio nobili viro Edwardo, domino de Bellojoco. Placidis admodum fidedignorum relatibus repetitis sepius audivimus exultanter, qualiter, tu, fili, velut vir strenuus constans et fortis, circa Dei negocium, quod pro fide catholica contra Turchos infideles persecutores Christiani nominis in partibus transmarinis agitur, te gerens magnanimiter et prudenter, tam in acquisitione castri Smirne, quam circa ejus tutam custodiam, et alia acta ibidem, adversus hostes eosdem bellando, impendisti, et impendere commendandis actibus non desistis, super quibus, Deo et nobis gratis non immerito et acceptis, nobilitatem tuam multipliciter commendantes, eam rogamus et in Domino attencius exhortamur, quatenus diligenter attendens, quod non inchoantibus sed perseverantibus coronam glorie veritas repromittit, in premissis et circa ea, solida continuatione persistas, fideles alios tecum super eodem Dei negocio laborantes dirigendo, confortando, et etiam consolando ,ut inde preter mercedis perhennis premium, quod inde mereberis, laudis et fame celebris preconiis, de bono semper in melius atollaris, de nobis fiduciam habiturus, quod in tuis oportunitatibus nos, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies et benignos. Datum ut supra.

1708 Avignon, 11 mai 1345.

Ducis Brabantiæ precibus annuere non vult, quia cardinales omnium consensu dispensationem ab eo petitam rejecerunt. (Reg. 138, n° MLII, f° 279.)

Dilecto filio nobili viro Johanni duci Brabancie. Missos pridem ad nostram presenciam dilectos filios, magistrum Henricum Colze, decanum ecclesie Beate Marie Terremundensis, Tornacensis diocesis, capellanum nostrum et nobiles viros, Johannem de Wuelliet, dominum de Blaersuel, ac Robertum de Othelinden, militem, nobilitatis tue nuncios, benigne recepimus, et que pro parte tua curaverunt exponere, favorabiliter audivimus et intelleximus diligenter. Cum autem prefati nuncii super quadam dispensatione per carissimum in Christo filium nostrum Edwardum regem Anglie illustrem, et te, fili, a nobis alias postulata, instanter et humiliter supplicarent, ejusdem tue nobilitatis volumus prudenciam non latere, quod, antequam ad nos venirent tui nuncii supradicti, prefatus rex per suos nuncios et litteras nobis pro dispensatione hujusmodi supplicarat; nosque habita super hoc cum fratribus nostris deliberatione plenaria et matura, discussisque causis et rationibus, que tangere poterant dispensationem eandem, duxeramus de fratrum eorundem concordi et unanimi consilio respondendum,

nos dispensationem ipsam pro nunc nullatenus concessuros ; quamobrem, si prefatis tuis nunciis respondimus illud idem, non miretur tua prudencia, sed nos potius habeat, quesumus, super hiis excusatos. Datum ut supra.

1709 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Albertum, episcopum Mimatensem, regi Franciæ commendat. (Reg. 138, n° MLIII, f° 279.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Pro parte venerabilis fratris nostri Alberti, episcopi Mimatensis, nuper exposito coram nobis quod, ex eo quod ipse in quadam causa, quam in curia regia pro sua ecclesia Mimatensi [habet], non fecit citari generalem procuratorem regium Parlamenti sed solum procuratorem senescallie Bellicadri procuravit facere adjornari, credens hoc bona fide sufficere, cum res, de quibus in causa eadem agitur, sint infra senescalliam supradictam, a prosecutione dicte cause, jus contingentis regium, prohibetur seu excluditur per curiam antedictam, regiam excellentiam attencius deprecamur quatenus, ommissione hujusmodi non obstante, que maliciose, ut credimus, facta non extitit vel commissa, memoratum episcopum faciat ad predicte prosecutionem cause graciose admitti, eumque super hiis et aliis suis et ejus ecclesie predicte negociis habere pro divina et apostolice sedis reverencia favorabiliter, sicut honestas justicie suaserit, commendatum. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, V idus maii, anno tercio.

1710 Villeneuve-les-Avignon, 11 mai 1345.

Infrascriptis episcopum Mimatensem commendat. (Reg. 138, n° MLIIII, f° 279 v°.)

Dilecto filio, nobili viro, Symoni de Bussiaco, militi, juris civilis professori, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris consiliario. Causas et negocia que venerabilis frater noster Albertus, episcopus Mimatensis, habere dicitur in regali curia expedire, ut eas, quantum in te fuerit et equitas justicie suaserit, pro divina et apostolice sedis reverencia prosequaris favorabiliter, tue nobilitatis benivolencie commendamus. Datum ut supra.

Item in eodem modo. *dilecto filio, nobili viro, Petro de Cunheriis, militi, juris civilis professori, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustri consiliario.*

1711 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Regi Franciæ nuntiat se regi Castellæ scripsisse. (Reg. 138, n° MLVI, f° 279 v°.)

Carissimo in Christo filio Philippo Regi Francie illustri. Antequam ad nos pervenirent littere regie, per quas scribi per nos carissimo in Christo filio nostro Alphonso regi Castelle illustri, super hiis pro quibus venerabilis frater noster Johannes archiepiscopus Remensis et alii nuncii regii destinati fuerunt ad partes Ispanie, petiit regia celsitudo, regi scripseramus predicto, et post receptionem litterarum ipsarum regi prefato Castelle ac carissime in Christo filie nostre Marie regine Castelle illustri eorumque primogenito necnon venerabilibus fratribus nostris Tholitano et... Remensi predicto archiepiscopis, per diversas litteras scripsimus, sicut venerabili fratri nostro Petro episcopo Claromontensi et dilectis filiis, nobili viro, Ludovico de Pictavia, et magistris Firmino de Coquerello, decano ecclesie Parisiensis, ac Petro de Verberia consiliariis regiis in nostra presencia constitutis, expressimus, et litterarum predictarum copias, ut de illarum tenoribus cercioratetur serenitas regia, eisdem fecimus assignari. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus maii, anno tercio.

1712 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Reginam Franciæ ducemque Normanniæ pariter certiores facit. (Reg. 138, n° MLVII-LVIII, f° 280.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri. Que super factis carissimum in Christo filium nostrum... regem Anglie, et carissimam in Christo filiam nostram... reginam Sicilie illustres, ac dilectum filium nobilem virum... ducem Brabancie, necnon Ludovicum de Bavaria et Turchos tangentibus, acta fuerunt, qualiter etiam scripsimus ad partes Ispanie super hiis pro quibus venerabilis frater noster Johannes archiepiscopus Remensis, et alii nuncii regii destinati fuerunt, venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis et dilecti filii, nobilis vir, Ludovicus de Pictavia, et magistri Firminus

de Coquerello, decanus ecclesie Parisiensis ac Petrus de Verberia, consiliarii regii, super premissis plenius informati, tibi, filia carissima, referre seriosius poterunt viva voce —. Datum ut supra. In eodem modo. *Johanni primogenito... duci Normannie.*

1713 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Cum patroni quatuor galearum pro negotio transmarino armatarum conventiones inter Johannem de Amelio, clericum Cameræ Apostolicæ et Martinum Zachariæ quondam capitaneum initas sprevissent, infrascriptis mandat ut de defectibus cognoscant. (Reg. 138, n° MLVIIII, f° 280.)

Dilectis filiis Heliono de Villanova, magistro et Geraldo de Monteacuto, marescallo Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Nuper ad audienciam nostri apostolatus pervenit quod licet dudum, cum nos ordinavissemus quatuor galeas in subsidium et defensionem fidelium in Romania et aliis partibus circumvicinis degencium contra Turchos infideles, persecutores crudeles nominis Christiani, armis et hominibus, armigeris ac aliis oportunis sufficienter munitas, ad partes predictas sumptibus nostris et Romane ecclesie destinandas, et per certum tempus una cum galeis Hospitalis vestri Sancti Johannis Jerosolimitani et aliorum fidelium tenendas ibidem, et super hiis inter dilectum filium magistrum Johannem de Amelio, archidiaconum Forojuliensem, clericum nostre Camere ad hoc specialiter deputatum ex parte una et quondam Martinum Zacharie, capitaneum dictarum quatuor galearum, et patronos singularum ipsarum ex altera, certe conventiones habite fuerint et facte, sicut in instrumentis publicis inde confectis plenius continetur; tamen prefati Martinus et patroni dictas galeas armatas et munitas armis et hominibus tenere ac servire cum eis juxta conventiones predictas minime curaverunt, quinimmo in eisdem galeis ac capitaneo et patronis multi fuisse dicuntur defectus. Volentes igitur nostris et ejusdem ecclesie prefatique negocii providere indempnitatibus in hac parte, discretioni vestre, de qua [1]. fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos et quilibet vestrum in solidum, per vos vel alium seu alios, super predictis et ea quomodolibet tangentibus, veritatem diligencius inquirentes, juxta defectus, quos contra conventiones predictas fuisse repereritis in galeis ac capitaneo et patronis predictis, detrahatis rationabiliter, et compensatione facta legitima pro mense quolibet de stipendiis eorundem, quod inde detraxeritis pro defectibus singularum quatuor galearum ipsarum pro Camera nostra, ut in utilitatem supradicti negocii pro solutione stipendiorum, tam illius qui loco dicti Martini super capitaneatu galearum ipsarum deputatus extitit, quam pro galeis necessariorum predictis, quantum sufficere poterunt, convertantur et dispensentur utiliter, conservetis. Prefato autem subrogato capitaneo, prout et in quantum nostra pro dictis quatuor galeis interest, volumus, sicut rationabiliter faciendum fuerit, de suis stipendiis, pro tempore quo jam servivit et serviet in posterum, satisfactionem impendi. Datum ut supra.

1. Texte : quo

1714 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Infrascriptum abbatem symonia liberat. (Reg. 138, n° MLX, f° 280 v°.)

Dilecto filio Petro de Casis, abbati secularis ecclesie Sancti Salvatoris de Xeres, Ispalensis diocesis. Copiosa sedis apostolice —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus maii, anno tercio.

1715 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Infrascripto collectori mandat ut Guillelmum episcopum Lingonensem ad commune servitium solvendum compellat, quia de bonis Johannis, quondam prædecessoris sui, sex millia florenorum auri recepit. (Reg. 138, n° MLXI, f° 281 v°.)

Dilecto filio Gerardo de Arbento, thesaurario ecclesie Beate Marie Escoyarum, Rothomagensis diocesis, in Lugdunensi et quibusdam aliis provinciis ac civitatibus et diocesibus certorum proventuum ad nos et ecclesiam Romanam spectantium collectori, auctoritate apostolica deputato. Nuper ecclesia Lingonensi per obitum bone memorie Hugonis episcopi Lingonensis vacante, nos de persona venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Lingonensis eidem ecclesie duximus de fratrum nostrorum consilio providendum. Cum autem idem Guillelmus episcopus suum commune servicium, ad quod nobis et collegio venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane

ecclesie cardinalium nostrisque familiaribus est astrictus, solvere teneatur, et pro ejusdem servicii parte solvenda prefatus Hugo episcopus de bonis pie memorie Johannis episcopi Lingonensis, ipsius Hugonis predecessoris immediati, sex milia florenorum auri recepisse dicatur, nos volentes eorumdem Guillelmi episcopi et ecclesie Lingonensis indempnitatibus super hiis providere, discretioni tue per apostolica committimus et mandamus quatenus per te vel alium seu alios, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii super hiis te informans, si eundem Hugonem episcopum dictam summam sex millium florenorum auri de bonis prefati Johannis episcopi propterea repereris habuisse, illam de bonis, que habebat idem Hugo episcopus tempore mortis sue convertendam in solutionem dicti communis servicii, et exonerationem Guillelmi episcopi et ecclesie predictorum, exigere, recipere nostro et ecclesie Romane predicte nomine, ac ad nostram mittere Cameram fideliter et diligenter procures. Contradictores, etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus maii, anno tercio.

1716 Villeneuve-les-Avignon, 12 mai 1345.

Regem Franciæ rogat ut damna ecclesiæ Tholosanæ a gentibus regiis senescalliæ Tholosanæ illata tolli juboat. (Reg. 138, nº MLXII, fº 282.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. De sinceritate regali tenemus indubie, sicut eciam sepius ab experto cognovimus, dum status inferior nos haberet, quod sic sua devotio ad Deum et ecclesiam sanctam suam dirigitur incessanter, quod ecclesias et personas ecclesiasticas regni sui non permitteret scienter in suis juribus et libertatibus indebite opprimi vel gravari. Quamobrem tanto confidencius super hiis porrigimus celsitudini regie preces nostras, quanto eas speramus ad exauditionis graciam favorabilius introduci. Sane quia quedam gravamina prejudicialia, nimis nobis sepius exposita, illata de novo dicuntur minus provide per gentes regias senescallie Tholosane, venerabili fratri nostro Guillelmo archiepiscopo et ecclesie Tholosanis, quorum fit mentio succincta narratione in quadam supplicatione presentibus interclusa, que, si vera sunt, ut habet sufficiens assertio fidedignorum ac fervidorum honoris et commodi regii zelatorum, qui noverunt per diutinam experienciam statum illius patrie, presertim in juribus regiis conservandis, velut alias insolita, et de novo presumpta, juri et rationi obviant manifeste, quibusque, si remanerent irreparata, et non revocata, quod absit, libertas ecclesiastica enormiter lederetur, et ecclesia Tholosana predicta oppressa nimium in suis juribus et honoribus remaneret, magnificenciam regiam attencius deprecamur quatenus super contentis in dicta supplicatione, nobis pro parte dicti archiepiscopi presentata, velit excellencia regia absque litigiorum amfractibus super eorundem revocatione gravaminum celerem ac favorabilem expeditionem facere, prout suadebit equitatis benignitas, exhiberi, ac prefatum archiepiscopum, qui vir multorum meritorum et eminentis existit sciencie ,quique sue ecclesie nequit prosequi negocia, senio et aliis impedimentis detentus, habere ob divinam et apostolice sedis reverenciam, super hiis, et aliis, pietate regia perpensis, commendatum, sic quod a Deo eterne retributionis mansuetudo regia acquirat premium, et digne laudis preconiis attollatur. Datum ut supra.

1717 Villeneuve-les-Avignon, 13 mai 1345.

Rectori ecclesæ Sancti Damiani, Agennensis diocesis, hanc immunitatem dat, ut per biennium in quodam Studio jura audire vel legere possit. (Reg. 138, nº MLXIII, fº 282.)

Dilecto filio Raymundo de Lamarcha, rectori parrochialis ecclesie Sancti Damiani, Agennensis diocesis. Meritis tuis, super quibus apud nos commendaris, inducimur, ut nos super tuis oportunitatibus reperias, quantum cum Deo possumus, liberales. Sane petitionis tue nobis nuper exhibite series continebat, quod tu dudum parrochialem ecclesiam Sancti Damiani, Agennensis diocesis, obtinens, et desiderans insistere studio litterarum, ut fructu(u)m afferre valeres in Dei ecclesia oportunum, a venerabili fratre nostro... episcopo Agennensi dispensationem obtinuisti, juxta canonica instituta, ut usque ad septennium, litterarum studiis insistendo, non tene[a]ris te ad sacros, nisi ad subdiaconatus dumtaxat ordinis, facere promoveri. Cum autem infra primum annum dicti septennii et commisse tibi ecclesie supradicte, te, sicut asseris, ad dictum subdiaconatus ordinem rite promoveri feceris, et continue juris civilis studio duxeris insistendum, nobis humiliter supplicasti ut, cum sic in facultate juris ejusdem profecisse te asseras, quod infra biennium a fine dicti septennii, quod instare noscitur, in facultate ipsa, assistente tibi divina gracia, recipere poteris insignia docto-

ratus, providere tibi usque ad dictum biennium de oportuno dispensationis beneficio, de benignitate apostolica, dignaremur. Nos igitur, supplicationi tue hujusmodi benignius inclinati, ut a fine dicti septennii usque ad duos annos extunc continue subsequentes in loco, ubi studium vigeat generale, insistens, audire vel legere jura predicta valeas, et non tenearis interim alios ordines suscipere, nec ad id a quoquam interim coa tari possis invitus, generalis concilii et aliis quibuscumque constitutionibus in contrarium editis nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus, proviso quod ecclesia ipsa interim debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis. III idus maii, anno tercio.

1718 Villeneuve-les-Avignon, 13 mai 1345.

Matrimonium inter infrascriptos contractum ratum habet, quamvis in quarto consanguinitatis gradu invicem attineant. (Reg. 138, n° MLXIIII, f° 282 v°.)

Dilecto filio nobili viro Petro de Coyrano et dilecte in Christo filie Raymunde, nate dilecti filii Berengarii Quinquiranni, Uticensis diocesis. Romanus pontifex, ex potestate sibi desuper tradita, fidelium omnium curam gerens, ad animarum vitanda pericula et removenda scandala, dispensative quedam plerumque, prout in Deo conspicit expedire, concedit aliquibus erga Deum et ecclesiam Romanam precipuam devotionem gerentibus, que aliis merito denegantur. Sane petitionis vestre nobis exhibite series continebat quod vos, ignorantes aliquod impedimentum inter vos existere, quominus licite possetis invicem matrimonialiter copulari, de quorundam vestrorum communium amicorum et consanguineorum tractatu et consensu, per verba de presenti matrimonium invicem contraxistis, quo sic contracto, vobis relatum extitit quod in quarto consanguinitatis gradu eratis invicem attinentes. Et licet attinentia hujusmodi, ut eadem subjungebat petitio, nequeat certitudinaliter reperiri, vos tamen, ad omne conscientie scrupulum abolendum, nobis humiliter supplicastis, ut ad obviandum scandalo, quod inter amicos et vicinos vestros, si divortium inter vos celebrari contingeret, forsitan oriretur, providere vobis de oportune dispensationis remedio super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, premissis diligentius intellectis et certis attentis causis rationabilibus, que ad id nos merito induxerunt, ut impedimento consanguinitatis predicto, si quod sit, non obstante, in hujusmodi contracto matrimonio licite remanere, illudque in facie sancte matris ecclesie facere solemnizari publice valeatis, vobiscum auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus, prolem suscipiendam ex vobis legitimam nihilominus nunciantes. Nulli ergo etc. Datum apud Villamrovam, Avinionensis diocesis, III idus maii, anno tercio.

1719 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Thesaurariis suis mandat ut decimale subsidium pro defensione fidelium contra Turcos impositum a prælatis atque collectoribus recipiant. (Reg. 138, n° MLXV, f° 283.)

Venerabilibus fratribus Stephano Casinensi et Guillelmo Forojuliensi, episcopis, thesaurariis nostris. Volentes decimale subsidium per nos dudum pro defensione fidelium contra Turchos, crudeles Christiani nominis persecutores ac hostes, in certis provinciis ac civitatibus et diocesibus, sub certis modis et formis in litteris nostris inde confectis expressis impositum, a prelatis, quibus commissa est ejusdem subsidii collectio, vel eorum collectoribus aut subcollectoribus, exigi, recipi, et in usibus, ad quos, ut prefertur, deputatum est, fideliter dispensari, et de vestre discretionis et fidelitatis industria plenius in Domino confidentes, fraternitati vestre [mandamus], ut hujusmodi subsidium ab eisdem prelatis, collectoribus et subcollectoribus vos et quilibet vestrum insolidum per vos vel alium seu alios exigere ac recipere [valeatis]. Contradictores etc. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus maii, anno tercio.

1720 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Johanni regi Bohemiæ super negotio Ludovici de Bavaria scribit. (Reg. 138, n° MLXVI, f° 283.)

Carissimo in Christo filio Johanni, regi Boemie illustri. Ut ea, que circa negocium tangens Ludovicum de Bavaria facta sunt ultimo, tua regia magnificencia non ignoret, eam volumus non latere quod ,licet nuncii dicti Ludovici, ad nostram presenciam novissime venientes, ejusdem Ludovici procuratoria, sicut ordinata fuerant, apud sedem Apostolicam detulissent, nichil tamen ab eodem Ludovico, sicut se mandatum habere dicebant, voluerunt agere super

illis, nisi primo nos faceremus illa, que continentur in articulis per eos nobis datis, quorum copiam dilectus filius Johannes de Pistorio, canonicus Belvacensis, familiaris noster, de nostro beneplacito tibi mittit. Quare nos facta ipsius Ludovici merito illusoria reputantes, predictis suis nunciis simpliciter dedimus licenciam recedendi. Datum ut supra.

1721 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Hugoni de Sancto Amantio, capellano suo, hanc immunitatem confert ut per biennium ad subdiaconatus et presbiteratus ordines non promoveatur. (Reg. 138, n° MLXVII, f° 283 v°.)

Dilecto filio magistro Hugoni de Sancto Amantio, preposito ecclesie Mirapiscensis, capellano nostro. Merita tue probitatis, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad graciam liberales. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut tu, qui in subdiaconatus ordine constitutus existis, ratione prepositure Mirapiscensis nec non parrochialis de Gauleiaco, Sarlatensis diocesis, ecclesiarum, quas ex dispensatione Sedis Apostolice te obtinere asseris, non tenearis usque ad biennium, a data presentium inantea computandum, te facere ad diaconatus et presbiteratus ordines promoveri, nec ad id a quoquam interim coartari possis invitus, concilii generalis et quibuscumque aliis constitutionibus in contrarium editis nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus : proviso quod prepositura et ecclesia predicte debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. Datum ut supra.

1722 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Episcopo Erfordensi gratulatur. (Reg. 138, n° MLXVIII, f° 283 v°.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Erfordensi. Super hiis, que nobis misisti, sincere devotionis affectum, quem ad nos et Romanam Ecclesiam gerere dinosceris, attendentes, ea gratanter recepimus et inde tibi graciarum referimus actiones : sciturus quod nos super tuis et ecclesie tue oportunitatibus reperies, quantum cum Deo poterimus, propicios et benignos. Datum ut supra.

1723 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Nuntium in partibus Angliæ, qui 250 florenos auri transmiserat, liberat. (Reg. 138, n° MLXIX, f° 283 v°.)

Dilecto filio Raymundo Pelegrini, canonico Londoniensi, in partibus Anglie nostro et Apostolice sedis nuncio. Cum nobis ducentos quinquaginta florenos auri tibi per dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem, Mataldim, comitissam de Wolvestier, ex certis causis nobis per te mittendos, solutos, nobis feceris assignari, nos volentes tuis et ejusdem comitisse indempnitatibus super hiis providere, te ac comitissam eandem de dictis ducentis quinquaginta florenis absolvimus tenore presentium et quitamus. Datum ut supra.

1724 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Reginæ Siciliæ gratias agit, quæ gavisa erat, quod ex morbo convaluerat. De quibusdam magistratibus sublatis ei gratulatur. (Reg. 138, n° MLXX, f° 284.)

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Presentate nobis nuper tue serenitatis littere te, filia carissima, compassivis affectibus mentis respersam amaritudine super discrasia que, hiis diebus preteritis, visitante misericordiarum Domino nos afflixit, et ex convalescencia nostra subsequenter audita, ingentis perfusam rore leticie delectabiliter cum aliis subjunctis magne devotionis insigniis describebant, quibus quidem litteris, jocunda mente receptis, et contentis in eis intellectu pleno collectis, devocionis regalis benivolenciam per litteras ipsas placibili narratione descriptam, commendationis paterne titulis et actionibus prosequimur graciarum. Sane quia inter cetera regalis sublimitas per litteras ipsas de statu nostro, quem felicem audire desiderat, cercior effici postulavit, eam scire volumus per presentes, quod licet eadem disgrasia nos gravaverit nimis dure, illius tamen faciente misericordia, qui nunquam cessat a benedictionibus graciarum, corporali sospitate letamur, quod de te, filia dilectissima, quam in visceribus caritatis gerimus, audire plurimum nos delectat. Rursus, amantissima filia, cujusdam edicti per te facti super revocatione inefrenate multitudinis magistrorum rationalium, judicum curie vicarie, advocatorum, procuratorum fisci et pauperum auditorum rationum, et summarie scriptorum archivi, et aliorum officialium, quos post obitum clare

memorie Roberti regis Sicilie, avi tui, minus consulte deputaveras, tenore diligencius intellecto, tuam exinde circumspectam prudenciam multipliciter in Domino commendantes, excellenciam regiam rogamus, et in Domino attencius exhortamur, sano tibi nichilominus consilio suadentes quatinus, edictum hujusmodi tenaciter observare procurans, ad talia vel similia, que in tuum et regni tui utilitatisque rei publice dispendium et scandalum redundarent, de cetero non procedas, sed pocius in omnibus mature ac provide sic te geras, quod status ejusdem regni domusque regie continue prosperetur, sicut affectamus desiderabiliter, et fame tui nominis et honoris semper felicia suscipiat incrementa. Datum ut supra.

1725 Villeneuve-les-Avignon, 14 mai 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, nos MCCXXIII-MCCXXV, fo 316.)

Item in eodem modo, *Dilecto filio, nobili viro, Tadeo de Pepulis, militi Bononiensi et dilecte in Christo filie Raymunde, ejus uxori, Caturcensis diocesis.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II idus maii, anno tercio.

Dilecto filio Geraldo de Lalanda, clerico conjugato, et dilecte in Christo filie Raymunde, ejus uxori, Caturcensis diocesis ; — dilecto filio Petro Obrerii, seniori, laico Caturcensis diocesis.

1726 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Indulgentias, quæ largientibus de bonis suis pro ultramarino subsidio conceduntur, ad omnes religiosos et mendicantes extendi decernit. (Reg. 138, no MLXXI, fo 285.)

Dilecto filio Olivario de Vincentia, ordinis fratrum Predicatorum. Illius qui querit salutem —. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, idibus maii, anno tercio.

1727 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Regi Francie Johannem episcopum Atrebatensem commendat. (Reg. 138, no MLXXII, fo 285.)

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Cum venerabilis frater noster Johannes, episcopus Atrebatensis, pro quibusdem suis et ecclesie sue negociis, ad presenciam regalem accedat, nos eosdem episcopum et ecclesiam, quos specialis favore dilectionis prosequimur, super receptione benigna et expeditione favorabili et celeri, sicut honestas patietur justicie, regie benivolencie propensius commendamus. Datum ut supra.

1728 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Galterum, ducem Athenarum, rogat ne redditus occupet, quos Petrus cardinalis tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte conventui de Mortuomari, Lemovicensis diocesis, olim assignaverat. (Reg. 138, no MLXXIII, fo 285.)

Dilecto filio nobili viro Galtero, duci Athenarum. Olim, sicut intelleximus, bone memorie Petrus, tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiter cardinali , dum adhuc ageret in humanis, pro dote ac fundatione cujusdam domus religiose, quam in loco de Mortuomari, Lemovicensis diocesis, fecit construi, certos redditus infra castellaniam seu baroniam de Cyvrayo, ac locis de Limalonge ,et Insule Jordani, Pictavensis diocesis, consistentes, a quondam Radulpho, comite Augi, constabulario Francie, justis et competentibus preciis acquisivit illosque applicavit et dedicavit predicte religiose domui, et religiosis domino famulantibus in eadem. Cum autem baronia et loca predicta ratione dotis dilecte in Christo filie, nobilis mulieris, uxoris tue, ad manus tuas pervenisse, dictique religiosi per gentes et officiales tuos in predictis redditibus per eos pacifice possessis diucius molestari contra justiciam asserantur, nobilitatem tuam rogamus plenis affectibus et hortamur quatenus eosdem religiosos et domum predictam, quos nos certis considerationibus favore prosequimur speciali, molestari super eisdem redditibus de cetero non permittas, sed eos pocius pro divina et nostra apostoliceque sedis reverentia habeas favorabiliter commendatos. Datum ut supra.

1729 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Regem Franciæ rogat ne sedem senescalliæ Bellicadri contra jura Majoricarum regis de Nemauso apud Montempessulanum transferat. (Reg. 138, no MLXXIIII, fo 285.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Sicut carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex

Majoricarum illustris, nobis nuper exposuit, aliqui suis auribus instillarunt quod in senescallia Bellicadri tractabatur sedem senescallie predicte hiis temporibus apud Montempessulanum de Nemauso transferri. Cum autem regi prefato super tanto sicque repentino casu suo compatiendum fore credamus, regiam excellentiam attente rogamus quatinus, pia consideratione premissa premeditans et attendens, non sinat circa premissa regia sublimitas fieri aliquam indebitam regi eidem noxiam novitatem. Datum ut supra.

1730 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Vicario generali ordinis Prædicatorum mandat ut in regno Majoricarum et Ceritania æquos hæreticæ pravitatis inquisitores deputet. (Reg. 138, n° MLXXV, f° 285 v°.)

Dilecto filio... vicario generali ordinis fratrum Predicatorum, magisterio ejusdem ordinis vacante. Pridem attendentes decens et honestum existere quod in regno Majoricarum et terris Confluentis et Ceritanie aliisque vicinis partibus non essent pro inquisitionis officio exercendo persone partiales vel alterutri suspecte partium deputande, quondam... magistro fratrum ordinis Predicatorum, tunc in humanis agente, scripsisse meminimus ut personas partiales vel suspectas, ut prefertur, ibidem non poneret et, si essent forsitan posite, amovere curaret easdem. Cum autem, sicut intelleximus, ad eundem magistrum, medio tempore vite functum, littere non pervenerunt supradicte, volumus et tue discretioni mandamus quatinus super premissis, sicut dicto magistro scripsimus, providere prudenter et provide non postponas. Datum ut supra.

1731 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Cameracensem episcopum hortatur ut controversiam, quæ inter officialem et capitulum orta erat, componat.

(Reg. 138, n° MLXXVI, f° 285 v°.)

Venerabili fratri Guidoni episcopo Cameracensi. Etsi nobis, qui vices illius in terris, licet immeriti, gerimus, cujus in pace factus est locus, dissensiones quorumlibet fidelium sint infeste, ille tamen, que inter prelatos ecclesiarum et personas ecclesiasticas suscitantur, tanto nobis et apostolice sedi displicibiliores redduntur, quanto ex eis perniciosiora generantur frequenter in populo Dei scandala et ecclesie graviora dispendia patiuntur. Sane dudum dilectis filiis Arnaldo de Boscato et Ancelino de Novocastro, presbiteris Burdegalensis et Lausanensis diocesis, tuis, et... dilectorum filiorum vicarii... et officialis tuorum, eisque adherencium ex parte una, et magistro Jacobo de Villa, canonico Cameracensi, dilectorum filiorum... prepositi... decani et capituli ecclesie Cameracensis, et venerabilis fratris nostri Johannis archiepiscopi Remensis ac officialium suorum, pro jure metropolicito ecclesie Remensis, procuratoribus ex parte altera, necnon etiam venerabili fratre Anibaldo episcopo Tusculanensi et dilecto filio nostris Guillelmo Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinalibus, certa dignitates et beneficia in eadem ecclesia Cameracensi obtinentibus, et quibusdam aliis archidiaconis et canonicis ipsius ecclesie Cameracensis existentibus in Romana curia, in nostra presentia constitutis, certus tractatus super terminandis questionibus inter te tuosque vicarium et officialem ac eis adherentes prefatosque prepositum, decanum et capitulum suscitatis invicem, per certum modum ordinatum per dilectos filios magistros Guillelmum de Gardia, cancellarium Belvacensis, et Franciscum de Monteflascone ejusdem Cameracensis, ecclesiarum, scolasticum, capellanos nostros, jurisque utriusque professores, quibus hujusmodi commiseramus negocium oraculo vive vocis, concordatus inter partes easdem, prefatis cancellario, scolastico etiam presentibus, coram nobis recitatus ibidem extitit, ac approbatus per nos et etiam confirmatus, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem tractatus predictus juxta formam et tenorem ipsius prolixam requirat indaginem nec per eum totaliter posse videantur absque morosis vel forsan litigiosis amfractibus dissensiones predicte decidi, et materia jurgiorum, que utrique parti multa, ut intelleximus pertulerunt hactenus incomoda, et incessanter inferunt, penitus removeri, nos ejusdem ecclesie, per dissensiones easdem, sicut asseritur, nimium desolate, statui benigno et paterno compacientes affectu, gratum nobis existeret admodum, ac tibi et eisdem preposito, decano et capitulo ecclesieque predicte multipliciter, sicut credimus, expediens et eciam fructuosum, si eisdem obviando prudenter et salubriter incomodis et utilitatibus utriusque partis provide consulendo, tu, frater, et ipsi prepositus, decanus et capitulum, tanquam caput et membra principalia convenientes in unum, concordare inter vos invicem questionis ejusdem articulos amicabiliter curaretis, et si trac-

tando inter vos simul amicabiliter convenire super premissis forsitan non possetis, quod per duos probos viros pacis, veritatis et justicie zelatores, absque prejudicio tamen ordinationis dicti tractatus, si per viam hujusmodi sopiri nequirent dissensiones predicte, assumendos hinc-inde, hujusmodi concordia tractaretur, ac in eo casu, quo prefati assumendi convenire inter se super aliquibus forsitan, aut vos seu aliquem vestrum super illis revocare ad concordiam hujusmodi non valerent, tam illa, que concordata existerent per eosdem, quam que concordanda restarent, nobis infra terminum in litteris nostris super ordinatione dicti tractatus prefixum referre fideliter procurarent, ut super complenda plena et perfecta inter partes ipsas concordia curaremus paterne solicitudinis studiis interponere, sicut nobis videretur expediens, partes nostras. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, sano tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ad viam hujusmodi effectualiter, ut per eam citius et uberius pacis et quietis perfruaris dulcedine, te disponere, cum idem prefatis preposito, decano et capitulo scribamus super hiis, non postponas. Datum ut supra.

Item in eodem modo, *predictis preposito decano et capitulo*.

1732 Villeneuve-les-Avignon, 15 mai 1345.

Scabinos civitatis Cameracensis hortatur ut decanum et capitulum honorifice tractent. (Reg. 138, n° MLXXVIII, f° 286 v°.)

Dilectis... filiis prepositis, scabinis et universitati civitatis Cameracensis. Honoribus et consolationibus vestris et civitatis Cameracensis existere credimus multipliciter oportunum, si dilecti filii... prepositus,... decanus et... capitulum ecclesie Cameracensis in vinculo pacis, caritatis, et amicitie, sicut decet, existentes vobiscum in eadem ecclesia famulando Domino et intendendo circa utilitatem rei publice, sicut ad ipsos pertinet, commoventur, ad que necnon et removenda seu sedanda scandala, propter que ipsi alias a civitate predicta, sicut displicenter intelleximus, discesserunt, expedire admodum estimamus, si vos eos reverenter tractetis, ut tenemini, et abstinere ab offendendis et ledendis ipsorum juribus et honoribus studeatis. Ideoque nos, qui vos et ipsos paterne caritatis affectu prosequimur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente quatenus, tanquam viri circumspectionis et providencie maturitate pollentes, sic super hiis vos geratis quod, cessantibus amodo scandalis et nocivis dissensionibus, prefatos prepositum, decanum et capitulum vobis constituatis merito propitios et benignos, vestraque prudencia commendetur super hiis non indigne. Datum ut supra.

1733 Villeneuve-les-Avignon, 16 mai 1345.

Infrascriptis matrimonium contrahendi potestas datur. (Reg. 138, n° MLXXIX, f° 286 v°.)

Dilecto filio nobili viro Guillelmo Rogerii, vicecomiti Bellifortis, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Garine, nate dilecti filii nobilis viri Marquesii, domini de Canilhaco, Mimatensis diocesis. Cum, sicut intelleximus, tractatu et consensu utriusque vestrum amicorum intervenientibus, contrahere invicem matrimonium intendatis, nos, supplicationi pro parte vestra nobis exhibite benignius inclinati, cum fidedignorum relatu perceperimus nullum impedimentum legitimum existere quominus possitis licite matrimonialiter, assistente vobis divina gracia, copulari, ut temporibus, quibus solennizari matrimonia canones interdicunt, vel aliis, prout vobis magis fuerit oportunum, ac bannis non editis, dictum matrimonium inter vos invicem, ubi et quando vobis videbitur, per sacerdotem, quem eligendum duxerimus, in facie ecclesie solemnizari facere, libere valeatis, tam sacerdoti, qui matrimonium solemnizabit hujusmodi, quam vobis, plenam tenore presencium licenciam elargimur. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVII kalendas junii, anno tercio.

1734 Villeneuve-les-Avignon, 17 mai 1345.

Infrascriptis indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 138, n°s MCCXXVI-MCCXXVIII, f° 316.)

Item in eodem modo *dilecto filio Angelo quondam Blasii, clerico Viterbiensi.* Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XVI kalendas junii, anno tercio.

Dilecto filio Tucio, dicto Lanfanello, laico, civi Viterbiensi. — dilecto filio Angelo, dicto Jutio Sacci, laico, civi Viterbiensi.

1735 Villeneuve-les-Avignon, 18 mai 1345.

Johanni, episcopo Belvacensi, super negotio castri de Pestilhaco, Caturcensis diœcesis, scribitur. (Reg. 138, n° MLXXX, f° 286 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Belvacensi. Dudum, sicut intelleximus, pretextu rebellionis, quam in castro de Pestilhaco, Caturcensis diocesis, Raymundus Bernardi de Pestilhaco, contra gentes regias, ignorante penitus, immo ab illa patria tunc absente dilecto filio, nobili viro, Amaluino de Pestilhaco minori etate existente, nato et herede quondam Bertrandi de Pestilhaco, dicti castri domini, attemptavit, capto et in manu regia posito dicto castro, dilectus filius, nobilis vir, Johannes primogenitus carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, dux Normannie, cum esset in illis partibus, previa sui consilii, cujus tu, frater, principalior existebas, deliberatione matura, nostris annuens precibus pro dicto minore, super eadem rebellione, ut premittitur, innocente, directis, necnon consideratione venerabilis fratris nostri Gaucelini episcopi Albanensis, cujus idem minor nepos existit, zeloque motus justicie, ut locumtenens regius, dictum castrum cum suis juribus et pertinentiis memorato minori restituit, et plene deliberari mandavit, remanente tamen ejusdem castri fortalicio in manu regia, quousque prenominatus minor ad etatem legitimam pervenisset; et subsequenter premissa omnia extiterunt per regem prefatum ex certa scientia confirmata, prout in litteris regiis et ducalibus super predictis confectis plenius dicitur contineri. Et licet senescallus Agennensis, super restitutione et deliberatione predictis executor per dictum ducem et locumtenentem regium deputat[us], in parte restitutionem ac deliberationem prefatas juxta ipsius litteras executioni mandasset, nihilominus tamen, prout intelleximus, consules ac singulares persone Montiscaprarii, dicte diocesis, dicti minoris emuli, tipo ut dicitur malicie et invidie moti, modis et viis quibus possunt, maliciose nituntur ordinationem prefatam infringe[re], ac impedire pro posse executionem ejusdem, in dicte ordinationis contemptum, et grave dicti Amalui[ni] prejudicium et jacturam. Cum autem supradictis regi et duci, ut frustratoriis et malitiosis exclamationibus vel oppositionibus eorundem, que magis tipo invidie vel odii fomite quod fulcimento justicie procedere asseruntur, nequaquam obstantibus, ordinare ac mandare velit regia celsitudo, ut predicta ducalis ordinatio suum debitum et expeditum sortiatur effectum, fraternitatem tuam attente rogamus quatenus super hiis, que tue circumspectionis prudencia novit plenius, ut prefertur, et pro quibus dictus Albanensis episcopus oretenus, ut intelleximus, te rogavit, ut eorum felix non differatur, sicut cum Deo et justicia fieri poterit, expeditio, cures efficaciter interponere partes tuas. Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XV kalendas junii, anno tercio.

Date Due

OCT 6 1966
OCT 28 1966
NOV 28 1966
MAY 6 1967
APR 1 2 1967
INTERLIBRARY LOAN SERVICE

Demco-293

THE OHIO STATE UNIVERSITY LIBRARIES

[redacted]

The Ohio State University
3 2435 06709924 2

THE OHIO STATE UNIVERSITY BOOK DEPOSITORY
D AISLE SECT SHLF SIDE POS ITEM C
8 06 27 10 7 22 005 8